6038
Augustianie

BJ V C
Aug. 6038

Pro Conventu Generali
Cracoviensi S: Catharinæ
D.D Augustinianorum

Estr. XXII, 59

PARS ÆSTIVA CONCIONVM DOMINICALIVM.

A

PENTECOSTE

Vsque Ad

ADVENTVM.

AVCTORE

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI.
Sacræ Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani, S.R.M. SECRETARIO.

Studij Vniuersitatis Cracouiensis

GENERALI

RECTORE.

Ex Libris Patris Joannis Motouij Prapis
CRACOVIÆ
(1675)

APPROBATIO.

ADmodùm R. D. SIMON STANISLAUS MAKOWSKI, Sacræ Theologiæ Professor, Canonicus ad S. Florianum, Vniuersitatis Cracouiensis Studij GENERALIS RECTOR *S. R. M Secretarius, Collega Maior, Tomum Quartum, scilicet* PARTEM ÆSTIVAM CONCIONVM DOMINICALIVM, *Studio gloriosò elaborauit. In quo equidem opere, quoniam certat mira eruditio, cum ardenti pietate: sublimitas eloquentiæ, cum zeloso affectu, Christianorum hominum animas, pane Verbi Diuini reficiendi: charitas simul non ambitiosa, nec quærens quæ sua sunt, cũ religiosa intentione; vt scilicet doctrina orthodoxa, fides sancta Catholica, atq; mores statui Apostolico conformes, audiantur: ideo iuxta meritum, dictam partem Concionum, quam diligenter vidi, & legi, vt recipiat lucem publicam, approbandam censui, & approbo,*

M. ALBERTVS DĄBROWSKI, S. Theologiæ Doctor & Professor, Decanus ad S. Florianum, Cancellarius Posnanienſis, Collega maior, m.p.

AD LECTOREM.

AMice Lector, PARTEM ÆSTIVAM CONCIONVM DOMINICALIVM, *seriùs quidem quàm sperabam, & tu optabas, tibi offero; verùm id non mihi, sed, iniquitati temporum tribues: Postquàm enim aurum, & argentum de Patria nostra exulare cœperunt, & sola scoria remansit, omnia, difficulter ad suum effectum deducuntur. Vtere itaq; feliciter, & tantisper Tomum adhuc Quintum, cui titulus erit, Supplementum Concionum pro festiuitatibus, quæ in prioribus tomis non habentur, pro coronide expecta. Sprero, quia intra annum lucem aspiciet. Vale, & Auctorem amasi vis redamari.*

Bibl. Jag.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN

CONCIO PRIMA.

Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. *Lucæ* 14.

Deus sine vlla lasione compellit voluntatem humanam.

COnsiderãdo hodiernam DEI Omnipotẽtis cænam, quam toti mundo apparauit, in magnam rapior admirationẽ: cur diuino afflatus spiritu Euangelista Domini, conuiuia hominibus prohibeat, inquiens cap: 14. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres, neq; cognatos, neque vicinos:* Luc: 14 cùm tamen hominem, vt pote Dei imaginem, ad illius exemplum componi oporteat: quoniam amicitiæ fœdera, consanguinitatis & vrbanitatis iura, id exigant. Et Cicero lib: 1 Officiorum, amicorum vult esse omnia communia. *Consiliorum,* Cicero. inquit, *ipsorum atq; voluntatum, sine exceptione vlla, communitas sit.* Quoniam idemmet docet lib: de amicitia: *consortium rerum omnium amicitia facit.* Si ergo amicorum omnia communia sunt, cur non etiam epulæ, & conuiuia? Nam si in rebus aduersis ad leniendum dolorem amico opus est, Ecclesia: 22. *Ad amicum* Eccl: 22. *etsi produxeris gladium, ne desperes: est enim regressus: ad amicum si aperueris os triste, non timeas, est enim recordatio.* Certè etiam in rebus placidis, epulæ cum amico communes nobis esse debent; teste regio vate, Psalm: 54. *Tu homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Psal. 54. Concordat tamen ista duo Euangelistæ loca Venerabilis Beda lib: 14. in Lucam cap: 4. sic. *Fratres, amicos, & diuites alterutrum conuiuia celebrare non quasi scelus interdicitur;* Beda. *sed sicut cætera necessitatis humanæ cõmercia, ad promouenda vitæ cœlestis præmia nihil valere ostenditur.* Non itaq; prohibentur conuiuia, quæ fiunt cũ Dei timore: nam ab ipso Domino laudantur Filij Iob, quòd singulis diebus inuicem agitarent conuiuia: quia, inquit sacra Pagina, Iob 1. *Sanctificabat illos Iob, cõsurgens q; diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Iob: 1. Non prohibentur conuiuia, quæ fiunt cũ humilitate in memoriam diuinæ passionis, immò præcipiuntur à Domino. Exodi 12. *Tollat vnusquisq; agnum per familias, & domos suas, & assumat vicinum qui iunctus est domui suæ.* Exod 12 Non prohibentur epulæ quæ fiunt in gratiarum actionem Dei, immò

imò laudantur. Tobiæ 8. *Fecit parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisq; amicis.* Solis duntaxat Potentibus & diuitibus conuiuia interdicuntur: quia hæc non fiunt ex amore amicitiæ, sed ex spe retributionis. Prouerb: 19. *Multi colunt personam potentis, & amici sunt tribuentis dona.* Cæterùm pauperibus exhibita laudantur, quia non habent retribuere tractanti, sed illi retribuetur in resurrectione iustorũ. Lucæ 14. *Quod enim istis facit homo, Deo facit.* Et Prouerb: 19. *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Tractare iubet Deus & amicos, & cognatos, & vicinos, sed non ratione & specie retributionis simillimæ, verùm ratione misericordiæ, & liberalitatis honestæ: quia turpe est, beneficium venale esse: vt inquit Seneca lib: 4. de beneficijs cap: 18. En & ipse Dei Filius, paupertatem mundi considerans, & hominem ex seipso nihil habere sciens, ex solo misericordiæ suæ diuinæ motiuo, toti mortalium generi cænã sumptuosam præparat; parata esse omnia nuntiat, venire iubet. Sed non est qui ad manducandum compareat; idcirco compelli eosdem imperat, vt impleatur domus illius, ne frustra tantus paratæ cænæ sumptus abeat. Considerabimus proinde cænam hanc diuinam, quid illa significet, & quomodò Deus hominem, quem in sua paupertate liberrimum omnino esse voluit, compellere possit, ad replendam suam domum, salua & illæsa eius libertate.

Cæna hodierna, æternæ illius gloriæ, ad quam conditi sumus, gaudium nobis repræsentat, vbi discumbens iam ad paratam mensam cælestis ille paterfamilias, inuitat nos, vt æternis cum illo potiamur delicijs. Lucæ 22. *Ego dispono vobis, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Regni autem eius non erit finis. Magna certè hæc cæna; quia æterna: magna: quia ab ipso apparata Deo exquisita: quia fercula eius non sunt alia, nisi diuina essentia, à cænantibus clarè visibilis: pretiosa: quia condimentum eius non est aliud: quàm Trinitas Personarum, sine qua diuina essentia à beatis videri non potest. Ioannis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quod comprobat Sanctus Thomas 2. 2. q. 2. arti: 8. ad 3. *Summa*, inquit, *Dei bonitas, prout videtur à beatis, non potest intelligi sine trinitate personarum.* Est affluentissima omnibus delicijs: quia sapor illius non est alius; quàm ipsa Dei attributa: omnes enim beati visione beatifica videbunt clarè Dei essentiam, personas, & proprietates. Idcirco regius vates describere volens istius cænæ gustum, sic exorditur. Psal: 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, inebriabuntur in vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Prohibet itaq; Deus mundana gaudia, & conuiuia per suum Euangelistam, vt magis accendat hominem ad manducandum hanc lautissimam cænam suam. Quemadmodùm enim medicus, vt hominem ægrotum ad meliorem sanitatem reducat, à crassioribus eum cibis abstinere iubet; sic cælestis ille medicus, æternam homini sanitatem cupiens, à crassioribus mundi istius cibis auocat, qui humanum appetitum non tam exsatiant, quàm potiùs sua corruptibilitate famelicum reddunt. Non tam prosunt; quàm potiùs desiderium gaudiorũ, & consolationũ cælestium auferunt. Auocat inquã hominem ab istis cibis mundi, satis exiguis & inanibus, qui momento tantùm temporis durare possunt. Isaiæ 28. *Erit flos decidēs gloriæ exultationis eius, quasi temporaneum ante matutinum autumni.* Vt sic homo caducas mundi cœnas esse sciens ad nunquam mutabilem cælestis, gloriæ voluptatem, cum maiori desiderio aspiret, loquens cum Propheta: Psal: 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sed ad hæc augusta Dei tabernacula per magnas tribu-

Tob: 8.
Prou: 19.
Lucæ 14
Prou: 19.
Seneca.
Lucæ 22
Psal: 30
Mundi conuiuia cur prohibe
Isaiæ 28
Psal: 83

tribulationes ascendere oportet: vt planè docet S. Augustinus in prædictum psalmi locum scribens. *Vua*, inquit, *& oliua, quamdiu pendent in frutetis suis; libero aëre perficiuntur; & nec vua vinum est, nec oliua oleum ante preßuram. Sic sunt & homines, quos prædestinauit Deus. Antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc seculo, tanquam delitiosa libertate; velut vuæ aut oliuæ pendentes, sed accedens quisq; ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat: contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc seculo pereat, sed vt in apothecas defluat.* Quasi vna tribulationis via certissima sit ad ipsam beatitudinis metam. Inuitat ergo ad hanc cælestem cœnam ipsemet Dei Filius, vnico istius cœnæ delicatissimo ferculo in hac mortali vita tractans, scilicet; Sacratissimo corpore & sanguine suo, vt homo suauem gustum istius ferculi sub speciebus panis & vini agnoscens, tantò feruentiùs æternam illius fruitionem desideret: vt hic sub ænigmate per fidem tantùm Christum esse credens, tantò auidiùs præsentem in cælesti gloria, facie ad faciem videre cupiat.

Sed quid est? lautissima ista cæna conuiuas non habet. An certè Dei magnificentiam in hac cæna cõtemnit homo? minimè: volunt quidem omnes venire, sed præ asperitate viarum non possunt? Quod accuratè tetigit Euangelista Lucæ 13. *Multi quærent intrare per angustam portam, nec poterunt.* Miratur hic sapiens, quomodò porta illa cælestis gloriæ angusta esse possit. Cùm illi spatiosam latitudinem attribuat Spiritus Sanctus. Prouerb: 14. *Ducam te per vias æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* idest; non adstringentur, sed dilatabuntur? Et Prouerb: 3. *Viæ eius viæ pulchræ:* ad viarum autem pulchritudinem spectat, vt latæ sint. Quomodò igitur angusta porta, si tam magnificum & vastissimum palatium? Quomodò difficilis aditus, si tam sumptuosum conuiuium? Arctam nihilominus portam esse ad æternam gloriam indicat Diuinus Psaltes: *Hæc porta*, inquit, *Domini, iusti intrabunt per eam.* Psalmo 117. Si iusti tantùm intrabunt, non mirum est, angustam nimiùm esse: iustitia quippe est summa virtus, inter extrema vitiorum consistens. Proinde qui illi adhæret, non potest vltro citroq; spatiari, sed angustum rationis, & legis medium tenere debet. Cùm enim nos ex vna parte naturaliter simus propensi, & omnis cogitatio nostra, velut ad malum intenta omni tempore, liberam semper agendi, & otiandi licentiam appetens: ex altera verò parte virtus sit consentiens, & cum ratione perpetua constantia, (vt definit Cicero tertio Paradoxo) consequens est omnem hominem addictum virtuti, pressum animo & constrictum esse voluptates appetẽte; virtute verò naturæ lapsum, & luem cohibente, atq; viam salutis, non effuso & soluto gressu, sed stricto atq; compresso volente cõficere. Hinc Matthæi 11. dicitur. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Virtus enim violenter irruit in deprauationem naturæ, velut medicina efficax in pestilentiam morbi.

Angusta igitur porta hæc est, ex natura virtutis, & ex prauitate conditionis naturæ: per quam multi quidem quærunt intrare, cùm omnes appetant ingressum in regnum cælorum, & nullus est, qui nolit esse beatus; sed præ angustia intrare non possunt; quia scilicet; perfectionẽ, quæ summè constringit hominem, nolunt habere. Nihil autem coinquinatum, ciuitatem illam sanctam intrabit: ideoq; & qui pleni sunt peccatis, donec eorum pinguedinẽ à se expellant, per hanc portã ingredi non possunt. Ita Venerabilis Beda lib: 4. in Lucam cap: 13. docet. *Vis*, inquit, *intrare aulam salutis, necesse est per labores, & ieiunia seculi fallentis illecebram vincere.* Sed ne dum concidite animo, & vos tepidi Catholici: hucusq; mundi delicijs, porcorum

S. Augustinus.
Psal: 117.
Ioan: 14
S. Thomas.
Lucæ 13.
Prou: 14.
Ibid: 3.
Matt: 11
Beda.

corũ instar velut luto dediti, contẽdite intrare omnibus viribus angustam hanc portam. Arripite diuinum amorem; si enim Deum summè, proximum verò vt vos metipsos dilexeritis, nihil iam anguſtiæ, sed latitudinis plurimùm in hac vita; nihil difficultatis, sed suauitatis multum in omnibus Dei mãdatis implendis relinquetur. Testatur enim Diuus Augustinus tractatu de laude charitatis, & lib: de natura & gratia cap: 69. *Mandata Dei amanti non esse grauia: omnia quippe ardua, & immania facillima & prope nulla amor efficit.* Quærite auxilium gratiæ vberrimum in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, per quod magna illa cæna iam hic inchoatur, in futuro feliciter perficienda seculo hæc sola adiuuabit vestram infirmitatem, iuxta illud Diuinum promissum. Ezechielis 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis, & operemini. Facillima sunt,* (inquit S. Augustinus Epist: 118.) *obseruatione Dei mandata: quia secum afferunt, & inferunt vires suo muneri consentaneas: gratia enim Dei, quæ illa præcipit fieri, ipsa in nobis faciendi virtutem operatur.* S. Chrisosthomus homil: 28. in Matt: *Hæc iubet diligere inimicos, sed iuuat ad illos diligendos.*

S. Augustinus. Ezech: 36. S. Aug:

Verùm ô immensa Dei Clemẽtia? quid iam cum humana malitia facere debes? quæ nec magnifico lautissimæ tuæ cænæ apparatu, nec delicatissimo Eucharistiæ ferculo, nec immensæ gratiæ tuæ suauitate allici vult. Omnes quidem intrare cupiunt salutis amore prouocati, sed itineris asperitate deterrentur: quærunt aditum ambitione præmiorũ, sed mox ab illo, laborum timore fugiunt. Non quòd iugum tuum asperum sit, aut onus graue: sed quia à te discere nolunt, quòd mitis es & humilis corde, vt inueniant requiem animabus suis. Sed ne patiaris æterne Deus domũ tuam esse vacuam, dumq; homo sponte eò venire recusat, tu qui omnipotens es, compelle rebelles voluntates nostras; compelle inquam per filium tuum IESVM Christum, quem misisti ad vocandos homines.

Cæterùm magna controuersia oboritur inter Doctores, quomodò Deus, (cùm hominem in omnimoda libertate creatum esse voluerit, Eccle: 15. *Deus ab initio hominem reliquit in manibus consilij sui*: & Sap: 10 *Cum reuerentia disponit nos.*) compellere eundem potest ad salutifera negotia, quoniam ista compulsio videtur tollere humanum in agendo liberum arbitrium. Libertas enim apud omnes Theologos, & Philosophos, est immunitas ab omni coactione, & violentatione atq; necessitate in agendo. Si ergo voluntas nostra potest à Deo compelli, eo ipso suam amittet libertatem. Quod illustrat S. Chrysost: homilia 12. *Non antecedit,* inquit, *nostras voluntates Deus, ne lædatur liberum arbitrium.* Et S. Augustinus lib: Retractationũ cap: 22 *In nostra,* inquit, *potestate non est, nisi quod sequitur nostram voluntatem.* Respondent communiter Doctores, dupliciter humanam voluntatem ad bona opera necessitari posse, videlicet; Physicè & moraliter, dicuntq; aliqui eorum, quod Physicè quidem non possit Deus voluntatem nostrã compellere ad operandum; quia sic auferret eius libertatem; possit tamen moraliter: imò vt compellat necessum esse. Voluntas quippe nostra propensior semper ad malum, quamuis liberè velit, nullum tamen opus amplecti potest sine diuina permotione, vt palam habetur Ioan: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* & Rom: 9. *Non est volentis neq; currentis sed Dei miserentis.* Ideo hanc impotentiam ex se voluntatis nostræ videns Deus, diuina sua ope libertatem eius ad volendum aliquid salutiferè eleuat; & negligentem opera salutis suauiter impellit, vt ipsemet pollicitus est Ezech: 11. & 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis carneum, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Compellit inquam suauiter: quia sola æternæ salutis propositione: compellit reuerenter, quia iuuat voluntatis nostræ infirmitatem diuina sua inspiratione. Compellit infallibiliter; quia præparatione beneficiorum, quibus certissimò liberatur, quicunq; liberatur.

Eccl: 15. S. Chrysost: Ioan: 6. Rom: 9 Ezech: 11. & 36.

Nihilominus verior multò aliorum opinio videtur, Deum etiam Physicè nostram voluntatem ad beate agendum compellere posse, concurrendo cum illa actu ad omnes actiones honestas, vt ingeniosè probat D. Augustinus 3. de Trinit: cap: 3. & lib: 5. de Genesi ad literam cap: 20. vbi sic dicit. *Mouet Deus occultâ potentiâ vniuersam creaturã suam, eoq; modo illa versata, dum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dùm alternant venti, dum abissus aquarum lapsibus agitatur, dum vireta pullulant, suaq; semina euoluunt, dum animalia gignuntur, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat secula, quæ illi cùm primùm condita sunt, tanquam implicita indiderat; quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, prouido nutu administrare cessaret.* En manifestè vides, quomodo D. Augustinus à cælesti globo ad terrestrem descẽdens omnes mundi partium actiones, Physico Dei concursui subdat.

S. Aug:

Quærunt hîc Theologi? quoniam homo beneficijs & præcipuè auxilio efficaci adiutus certissimò liberatur, quomodò liberè agit? certitudo enim hæc omnimoda tollit libertatem voluntatis ad oppositam partem. Et respondent, hominem auxilio efficaci adiutum, certissimò & infallibiliter operaturum; liberè tamen: quia efficaciæ illius auxilij, adhuc potest resistere, quantum est ex se, & ex vi efficacis auxilij; nusquam tamen resistet, propter infallibilem Dei scientiam, à qua tale auxilium efficax dependet. Cùm, enim infallibilis Dei scientia sit immutabilis, & ipsum obiectum per illam cognitum, licèt ex sua libertate possit mutari, nunquam tamen mutabitur. Nihilominus tamen Deus, hac sua compulsione illæsam relinquit hominis voluntatem: neq; enim violat per concursum suum specialẽ: quia eo tempore, quando homo maximè propensus est ad bonum, genio ipsius sese accõmodans, suum ei cõcursum exhibet. Neq; violat sua infallibili præscientia: quia prius erat obiectiuè liberi arbitrij actus: quàm scientia Dei ad illum terminaretur. Neq; violat decreto efficaci, quo statuit dandam homini suam operam: quia prius vt potè infinite sapiens, vidit liberum arbitrium sponte hac sua ope vsurum. Et hic ô homo, agnosce immensam Dei bonitatem, qui omni studio circa humanam salutem laborat. Parum erat creasse hominem in omni sapientia & pulchritudine tanquam Dei imaginem: parum misisse Filium in carne, vt sua redemptione, viam ad capessendum illud cœleste gaudium patefaceret: sed & ferculum magnæ illius cænæ, scilicet; Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, in cibum & potum hominibus relinquere oportuit. Ad cuius gustum vocat hodie Cælestis Pater singulos; vult enim omnes saluos fieri sufficienter, licet quosdã tantùm efficaciter, propter inscrutabilia sua arcana.

Hinc communiter docent Theologi, Deum omnibus hominibus, & iustis ac peccatoribus; & barbaris ac infidelibus, conferre sufficienter, quantum ex illo est, media salutis. Quod deducunt ex illo Sapientiæ 2. *Semen erat maledictum ab initio, neq; timens aliquem, veniam dabis peccatis eorum.* Quod an non magnæ misericordiæ est, cùm id apertè facer textus fateatur, Sapien: 12. *Quis dicet tibi quid feciſti, aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu feciſti: non enim est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus.* Vocat ad hanc cænam omnes pauperes, & varijs calamitatibus exacerbatos, & eos, qui magnas tribulationes patiuntur; vt, cùm in hac vita nullas habeant volu-

Sapien: 2 Ibid: 12.

voluptates, nulla fortunæ bona, e- A meritis tandem in cæleſti ſede afficiantur præmijs. Vocat miſericordes, qui mendicantium egeſtati ſuis eleemoſynis ſubuenire ſtudent, à quibus cum nihil viciſſim recipere valeant, propterea cæleſtis gloriæ cænam merentur. Qui enim hic non habet hominem remuneratorem, habebit Deum nunquam obliuiſcentem debitorem. Vocat ſuis inimicis
Lucæ 6. benefacientes, Lucæ 6. *Verùm tamen diligite inimicos veſtros; benefacite & mutuum date, nihil ſperantes, &* B *erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi.* Vocat humiles, vt poſt hanc profundam ſui demiſſionem, in altum euehantur, Iob: 2. *Qui humiliatus fuerit in gloria.* Et Pſal: 17. *Quo-*
Pſal: 17. *niam tu populum humilem ſaluum facies.* Quem igitur æterna veritas in hodierno Euangelio compellere dicitur, ſiquidem & pauperes, & humiles, & miſericordes, Deum atq; proximum, ac inſuper inimicum diligentes ſponte ſua ad eius conuiuium C accurrent. Reſpondet ſacer Euangeliſta, diuites, & potentes: quia iſtis difficile eſt Saluari Matt: 19. *A-*
Matt: 19 *men dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Et 24. ibidem.
Ibid: 24. *Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire; quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Confidentes enim in theſauris ſuis, & gloriantes in multitudine diuitiarum ſuarum, dum omnia pro libitu ſui ſibi pollicentur, vitam æternam amittunt. Nam vt camelo dorſi tumor, obex eſt, ne per acûs foramen præterlabatur: ſic di- D uiti ſunt impedimento diuitiæ, ne tanto grauamine preſſus, cæli ſublimia petat. Nihilominus non prohibet Deus diuitias, dum modò in effectu, non in affectu retineantur: hoc eſt; dum modò illis homo vtatur, non ad oſtentationem & ſuperbiam, ſed ad proximorum obſequium, & beneficentiam pauperibus exhibendam.

Quare memento rerum æterne Opifex, noſtræ imbecillitatis, & cum nihil ſit in homine ſine tuo Numine, ad cænam illam Angelis ab æterno paratam, ſed nedum propter arrogantem ſuperbiæ faſtum guſtatam, dum currere negligimus, aut peccatorum grauamine preſſi, venire non audemus, nos tuo potenti brachio compelle; illæſa enim erit voluntas noſtra, quam tuæ potentiæ omnimodè ſubordinatam eſſe volumus; nec certè, cùm ſis omnipotens, in illis cæleſtis gloriæ palatijs (ex quibus ſuperbia detraxit Angelum, & in tenebris inferni, ſua eũ malitia ſepeliuit) vacuũ locũ habere deſideras. Idcirco tua nos dextera trahe, vt eundem repleamus, & gloriam tibi debitam, quam ſuperbus negauit Angelus, nos tuorum memores beneficiorum, tibi æternùm perſoluamus. Fac vt dulciſſimo hoc ferculo ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, quod hic guſtamus, tecum per omne æuum, feliciter perfruamur.

EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA,

Homo quidam fecit cænam magnam.

Aperiuntur cauſæ, cur Chriſtus Corpus & Sanguinem ſuũ in cœna inſtituit, & cur talibus ferculis, ſpeciebus panis, & vini velatis nos tractet.

MAgnum olim & ſumptuoſum conuiuium apparauerat Deus humano generi, quando Protoparentem noſtrum in delicijs terreni paradiſi conſtituit, vt de omni ligno dulces cibos ſumeret, ac mira florum amænitate, & fragrantia reficeretur. Sed non diuturnum, quia ſoli reficiendo corpori, & reſtaurãdo humido radicali aptum. Corporales quippe deliciæ quando non habentur, graue in ſe deſiderium excitant; at verò cùm auidè eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. In illis appetitus

ſtitus placet, experientia diſplicet: A in illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat. Idcirco Protoparens noſter, vix cibum corporalem de arbore guſtauit, velut ſuper illo nauſeans, ſtatim corporis delicias amiſit, propter peccatum de paradiſo eiectus. Adeò, vt nos quoq; nati in huius peregrinationis ærumna, huc faſtidioſi iam venimus, nec ſcimus, quid deſiderare debeamus. Faſtidio igitur noſtro tabeſcimus, & longa inediæ peſte fatigamur. Verum immenſa Dei noſtri pietas, ne B nos penitus deſerere videatur, amiſſas, illas delicias, ad memoriæ noſtræ oculos hodiè reuocat, atq; vt faſtidium noſtrum repellat, inuitat nos ad infinities præſtantius ferculum, dicente Euangeliſta: *Homo quidam fecit cænam magnam.* Vultis ſcire quã? corpus, & ſanguinem ſuum ſacratiſſimum ſub ſpeciebus panis, & vini. Ad cuius ſumptionem excitat nos
Pſal: 33. Propheta Domini Pſal: 33. *Guſtate,* C *& videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quaſi apertiùs diceret: ſuauitatem eius non cognoſcitis, ſi hanc minimè guſtatis. Verùm tangite cibum vitæ ex placito cordis, vt probantes eius dulcedinem amare valeatis. In hoc inappretiabili ferculo omnes deliciæ ſpirituales continentur, quæ dùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò habentur, in deſiderio: tantoq; à comedente ampliùs eſuriuntur, quantò & ab eſuriente ampliùs comeduntur. In quibus appetitus vilis eſt, & experientia magis pla- D ceat. In quibus appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quantò magis inauditus ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur, quod auidiùs ametur. Et idcircò non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Agite ergo Catholici mei, & ſummi Patrisfamilias digni conuiuæ fieri ſatagite. Diſcutite corda veſtra, atq; ex illis mortale faſtidium pellite. Ad abſtergendum namq; mentis veſtræ faſtidium, in Cœna Dei ille vobis ſingularis agnus eſt occiſus. Sed quid agimus? vanas fingimus excuſationes, dùm æterno Chriſti conuiuio malè viuendo contradicimus, deplo-
Lucæ 14 rante id Euangeliſta: *Et cæperunt omnes ſimul excuſare.* O grande piaculum! Offert Deus, quod negare debuerat, non rogatus dare vult, quod vix ſperari poterat; & tamen contemnitur. Contemptoribus paratas delicias refectionis æternæ denuntiat; nihilominus ſimul omnes excuſant. Ponamus obſecro ante oculos mentis minima, vt poſſimus dignè penſare maiora, ſi quiſpiam. Magnatum ad inuitandum aliquem pauperem, ſeruum ſuum mitteret, quid cenſemus pauper ille faceret? nonne de eadem inuitatione ſua gauderet? reſponſum humile daret, mutaret veſtem, ire quantotiùs feſtinaret, ne prior ſe ad magnatis conuiuium præcurreret? Ecce dùm homo potens inuitat, pauper inuitatus occurrere feſtinat; nos autem ad Dei inuitamur conuiuium, & tamen excuſamus. Quia alius curioſitati, alius voluptati carnis deditus eſt. Quod miro artificio expreſsit Euangeliſta illis verbis: *Primus dixit: Villam emi, & neceſse habeo exire, & videre illam. Alter dixit iuga boum emi quinq;, & eo probare illa. Alius autem dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Et quid per villam, niſi terrena ſubſtantia deſignatur? Exit profectò videre villam, qui ſola exteriora cogitat propter ſubſtantiam. Quid in quinq; iugis boum? niſi quinq; corporis ſenſus intelliguntur? qui rectè iuga vocati ſunt, quoniam in vtroq; ſexu geminantur. Qui videlicet corporales ſenſus, quia interna comprehendere neſciunt, ſed ſola exteriora cognoſcunt, & deſerentes intima, ea quæ extra ſunt tangunt, rectè per eos curioſitas deſignatur. Quæ dùm alienam quærit vitam diſcutere, ſemper ſua intima neſciens, ſtudet exteriora cogitare. Graue namq; curioſitatis eſt vitium,

quæ

quæ dùm cuiuslibet mentem ad inA ueſtigandam vitam proximi exteriùs ducit, ſemper ei ſua intima abſcondit, vt aliena ſciens, ſe neſciat. Quid domùm per vxorem, niſi voluntas carnis accipitur? licet enim bonum ſit coniugium, atq; ad propagandam ſobolem prouidentiâ diuinâ conſtitutum; plurimi tamen non per hoc fœcunditatem prolis, ſed deſideria voluptatis expetunt, atq; ſic per rem iuſtam, non incongruè res iniuſta poteſt ſignificari. Ad cœnam igitur nos ſuam Redem- B ptor noſter inuitat, id eſt ad dignam ſacratiſſimi ſui corporis, & ſanguinis ſumptionem. Conſiderabimus itaq; quare Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum in vltima cœna inſtituit, & cur talibus ferculis, ſpeciebus panis & vini velatis nos tractat.

Merito in diſceptationem venit, quare Chriſtus Dominus inſtituens ſacratiſſimum ſui coporis & ſanguinis Sacramentum, non in prandio, ſed in cæna illud inſtituit, cum S. Matt: cap: 22. dicat: *Dicite inuitatis,* C *ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Quomodò itaq; dicit S. Lucas, in cœna inſtitutum eſſe hoc Sacramentum: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Reſpondet Innocentius Fuluius, prandium à Creatore noſtro fuiſſe expoſitum generi humano in paradiſo voluptatis, quãdo Deus omnibus donis ſupernaturalibus hominem recens creatum adornauit. Prandium enim iuſtificationem hominis deſignat, & Incar- D nationem Filij Dei, vbi per communicationem idiomatum ſimul eſt Deus & homo. Magnum profectò prandium redemptionis generis humani, per quod nobis cœlum apertum eſt, & infernus clauſus. Sed prandium ſine cœna: quia vt docet S. Gregorius. *Poſt prandium cœna reſtat; poſt cœnam verò nullum conuiuium reſtat.* Hæc eſt ergo differentia inter prandium, & cœnam: quia poſt prandium cœna reſtat; poſt cœnam verò nullum conuiuium, niſi requies.

Matt: 22

Fuluius. Innoc:

S. Greg. Hom: 36.

Hinc fundamentalem agnoſcite rationem, quare Chriſtus ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui non in prandio, ſed in cœna inſtituit: quia in extrẽis tẽporib⁹ illud inſtituit. Ita reſoluit S. Greg: proximè citatus, inquiẽs: *Quid hora cœnæ, niſi finis eſt mũdi? in quo nimirum nos ſumus, ſicut iam dudum Paulus teſtatur dicens: Nos ſumus, in quos fines ſæculorum deuenerunt.* In cœna Chriſtus ſacratiſſimum ſui coporis, & ſanguinis Sacramentum inſtituit, hoc eſt, in vltima mundi ætate, quando acerbiſſimorum hoſtium odium in ſe armatum, & ad extremum furorem erupiſſe conſpexit, quando nimirùm ſe à diſcipulo ad necem venditum, à Iudæis ad crucem poſtulatum, à Pontificibus diuinæ maieſtatis læſæ in crimen vocatum, à diro furentium inimicorum, & carnificum cuneo iam iam circũſpectum vidit, tunc ſuum tempus, ſuamq; horam, ac opportunitatem putauit, in qua excellentiſſimum omnium beneficium hominibus conC ferret, & tenerrimum ac blandiſſimum amoris ſui ſpecimen, pignuſq; daret. Tunc enim & in illo temporis articulo, quando diſcipulorum, & peculiariter ipſiuſmet teterrimi, ac infenſiſſimi hoſtis Iudæ pedes magna animi demiſſione lauit; tunc inquam auguſtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo non ad horã, ſed ad finem vſq; ſæculi ipſe ſuis mãducandus apponitur, opportuno amoris vulnere deuictus inſtituit, vt felleis, & amarulentis iniuriarum, atq; iam iam imminentium ſupplicioꝝ, torcularibus montes dulcedinis, & colles lactis apponeret; id quod magna verborum emphaſi, in hunc modum ediſſeruit S. Ioan: cap: 13. v. 1. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrẽ, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Premite verba hæc, *Quia venit hora eius.* Quaſi diceret: cùm iam crudeliſſimorum hoſtium completa eſſet malitia, odium, furor, doli, atq; inſidiæ in cumulum peruenirent, & ad exilium perIdem qui ſup:

Ioan: 13.

perducerentur, eam horam temporis ſui plenitudinem, ac idoneum benefaciendi tempus exiſtimauit, vt factis proferret.

Componite ſi placet, cum his verbis illa, quibus Redemptor noſter puriſſimam Matrem in nuptijs Cana Galilææ vinum pro conuiuis efflagitantem allocutus eſt. Ioan: 2. v. 4. *Nondum venit hora mea.* Vtraq; enim ſe ſe viciſſim reſpiciunt: tunc enim vt argutè ſuſpicatur Irenæus lib: 3. cap: 18. *Feruore quodam ducebatur Deipara bibendi ſanguinis Chriſti,* atq; ideo Euchariſtiæ inſtitutionem à filio petere videbatur. Cui ſanctiſſimo voto ita obuiam Dei Filius iuit: *Nondum venit hora mea:* Quaſi diceret, nondum tanto beneficio hominibus conferendo plenitudo temporis, occaſio, atq; opportunitas aduenit. Quippe nullis adhuc tunc iniurijs fuit laceſſitus, nullis contumelijs atq; conuitijs proſciſſus, non inſidijs circumuentus; nec ad mortem poſtulatus, vt his fellis, & amaritudinis torcularibus, ſe in dulcedinem, & ſuauitatem obijceret, opportuneq; ac maturè diligere videretur. Pulchre id S. Paulus, de diuina huius Sacramenti inſtitutione agens, expreſſit 1. ad corint: 11. *In qua nocte tradebatur accepit panem,* noctem, illiuſq; tenebras dilucide inculcans: nec enim ad noctis tempus, cum ſol iſte viſibilis ab oculis hominum ſublatus eſſet (nam quid tanto myſterio id inſeruiret?) ſed ad ingratitudinis potiùs, odij, & maleuolentiæ caliginem, ac denſiſſimas tenebras reſpexit Apoſtolus, vt beneficij opportunitatem commendaret. Quaſi diceret cum Ioanne: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* id eſt, in obſcuriſſima ingratitudinis caligine, tetriſq; immanis odij tenebris, pulcherrimã charitatis Chriſti, ac beneficiorum ipſius lucem, ſplendidiſſimè irradiaſſe, vbi abundauit delictum, ſupabundaret & gratia.

Ioan: 1.

1. ad corint: 11.

Hinc meritò cætera Chriſti myſteria dici poſſunt prandium, quia poſt illa præſtita adhuc aliquid reſtabat, ſola Euchariſtia cœna dicitur: quia eſt conſummatio, & finis omnium; & ideo Chriſtus poſt hanc cœnam ad requiem æternã nos vocat. Si enim omnia Chriſti myſteria perpendere voluerimus, in nullo tãtum beneficium Deus nobis præſtitit; quemadmodum in Sacramento Euchariſtiæ. Audite D. Auguſt: Serm: 24. in Ioan: *Dicere,* inquit, *audeo, quod Deus cùm ſit omnipotens, non potuit plus facere: cùm ſit ſapientiſſimus, non potuit plus inuenire: cùm ſit ditiſſimus, non potuit plus dare.* Vnde Niſſenus Homil: 8. in Eccleſiaſt: dicit: *Propterea ſeipſum nobis comedendum proponit, qui ſemper eſt, vt cùm ipſum in nobis ipſis acceperimus, illud faciamus, quod ille eſt.* Ex qua Niſſeni authoritate illud maximum elucet, vltra Incarnationis charitatem, vltra illum flagrantiſſimum amorem extitiſſe Sacramentum Euchariſtiæ.

Euchariſtia cur dicitur cœna.

S. Aug:

Nyſſen:

Nam ſi benè attendere voluerimus, licet in Incarnatione Chriſtus vnitus ſit humanitati; tamen non cum ſingulis naturæ humanæ indiuiduis, ſed cum ipſa ſolùm in communi natura, quatenus eam aſſumens; quoniam; & nos ſimiliter humani ac carnei, in illa videbamur communicare cum eo, quatenus de noſtra aſſumpſerat. Propter quod S. Paulus ad Hebr: 2. v. 14. inueſtigans, cur Chriſtus homines redemerit, hanc aſſignat: *Quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini.* Quaſi diceret: quia erant homines, ideo & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. Ergo tunc nobis vnitus, quando carnem aſſumpſit; verùm tunc profectò non cum ſingulis humanæ naturæ indiuiduis, quid ergo ardens eius amor? angebatur, quia non cum ſingulis, ita omnes adſtringens, vt pro ſingulis deperiret. Modum ergo inuenit, quo non tantùm cum natura ipſa humana in communi, ſed etiam cum eius indiuiduis, ob quod hoc admirabile inſtituit ſacramentum, in cuius virtute cum

Ad Hebr: 2.

Amor Chriſti maior in Euchariſtia quàm in Incarnatione.

cum hoc, & illo homine speciali- A per ipsa manens: ac proinde vesti-
ter fieret vnus, ob quod non solùm menta diuisa, tunica remanente in-
est homo, sed etiam dici potest, quod diuisa. *In quatuor partes*, ait Cyrillus, S Cyril: Alexan:
sit hic, & ille homo. Ex quo fit, vt *Vestimenta diuisa sunt, & tunica solùm*
licet vnus, & impartitus in se; quo *indiuisa remansit, quod mysticè cuiusdam*
ad vnionem tamen multiplex, & par- *rei signum esse dixerim: nam quatuor or-*
titus esse voluit, vt sic totum se com- *bis partes ad salutem redactæ indumen-*
municaret singulis.

Quod in figura agni Paschalis mihi præcessisse videtur, Exodi 12. vbi præcipiebatur, vt in qualibet domo agnus esset, & in qualibet diuideretur singulis, vtq; singuli eum comederent. *Tollat vnusquisq; agnum* Exodi 12 B *per familiam, & domos suas*: ergo in singulis domibus agnus, qui postea in comestione diuidebatur in singulos, ita vt totum edere præceptum esset, dicente sacra pagina. *Sin autẽ minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.* Ergo vnus agnus in singulis domibus, non diuisus in singulis domibus, non diuisus in singulis, ac proinde vt sic non singulis com- C municatus, & vt sic loquar incorporatus. Sed tunc primùm, quando diuisus comedebatur, tunc inquam non generice, sed indiuiduè cum singulis vnitus, ne dicam transubstantiatus. Simili ratione Christus Dominus, quando Incarnatus, vnus non in singulis, sed cum omnibus iũctim; at verò postea, quando esus in Sacramento, non solùm vnus cum omnibus, sed cum singulis. Quoniam ardens eius amor, non vniuersalem sustinens vnionem, sed particularem, D sed indiuidualem exambiens, ac perstringens, id appetijt.

tum hoc instituit, in quo diuitias sui erga homines amoris veluti effudit. Minor B etiam facilè colligitur ex illo Cant: 2 Cantic: *Ordinauit in me charitatem*: Alij legunt: *vexillum amoris eius super me*. Hinc dùm Christus in Cruce spiritum emittere vellet, inclinauit caput erga matrem ibi stantem, ob vehementissimum amorem: quia amor instar ponderis inclinat, & quantum potest trahit amantem ad obiectum S. Aug: amatum. iuxta illud: *Amor meus pondus meum: illo feror, quocunq; feror.* Dùm ergo Christus erga matrem inclinato capite, emisit spiritum, per hoc indicare voluit, se Virginem C Matrem plus omnibus hominibus amare.

Alterum fundamentum huius assertionis est: quia sacramentum Eucharisticum fuit institutum ad spiritualem animarum vnionem cum Deo, vt docet Euangelista Ioan: 6. Ioan: 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sed in B. Virgine est ratio quædam magis exigitiua huius vnionis, quàm in omnibus alijs hominibus. Nam quò magis aliquid appropin- D quat primo principio, magis quoq; debet participare de illo; Virgo autem Beata magis appropinquauit primo principio, videlicet Deo, per maternitatem; quàm cæteri omnes homines. Ergo principaliùs pro Virgine, quàm pro omnibus alijs, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit. Ad quod respiciens S Methodius docet, plus Christum debuisse Virgini, quàm omnibus alijs creaturis, sic loqnens: *Euge quæ debito-*

para, ex hoc fundamento. Quia hoc A *rem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim vniuersi debemus, tibi verò etiam ille debet.* Palam faciens Christum magis pro Virgine, sicut incarnatum esse; ita & Sacramentum Eucharistiæ instituisse.

Quod si forsan dixeris, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, institutum esse ad animas à culpis quotidianis liberandas, & à peccatis mortalibus præseruandas, vt docet Concil: Trident: Sess: 13. cap: 2. Et certè, quòd per hoc Sacramentum deleantur venialia, tanquàm indubitatum traditur in Cathechismo Pij V. his verbis: *Remitti verò per Eucharistiam, & condonari leuiora peccata, quæ venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat: neq; enim à proposita similitudine recedendum videtur, quòd innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, ac refici naturali alimento sentimus.* Quod etiam prosit ad præseruationem à mortalibus, docet Innocentius III. lib. 4. de Myster: Missæ cap: 44 ita scribens: *Mysterium crucis eripit nos à potestate peccati: Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.* Comprobat S. Bernardus sermone in cœna: *Hoc* S. Bernardus. *ait Sacramentum & sensum minuit in minimis, & consensum tollit in grauioribus.* Sed Eucharistiæ non potuit istos effectus operari in Beata Virgine, vt pote ab instanti conceptionis confirmata in gratia, culpæ immunis foret. Ergo non videtur primò, & principaliter hoc Sacramentum pro Virgine Deipara institutum esse.

Concil: Triden: Cathechismo Pij V. Innocẽ: III.

Respondetur enim negando cõsequentiam: nam licet verum sit, Beatam Virginem ita in gratia confirmatam fuisse ab instanti suæ Conceptionis, vt non esset lapsura in aliquod peccatum; hinc tamen nulla sequitur implicantia, quominùs Virgini Deiparæ, sacrum Eucharistiæ Sacramentum cõferret gratiam, per quam magis ac magis sanctificaretur, quæ gratia vim habebat delendi venialia, si adfuissent, & præseruãdi à

Sacramẽtum Eucharistiæ B. Virgini conferebat gratiam

Nouat: Nysse: S. Methodius

Vestimenta Christi cur in 4. partes diuisa.

mortalibus, si fuisset necessarium. A Rem magis illustro ex materia de Sacramento pœnitentiæ, quod vocari solet Sacramentun mortuorum: quia est institutũ ad auferẽda peccata mortalia. Et nihilominùs illa non remittuntur interdum in subiecto recipiente hoc Sacramentum, v. g. dùm ille absoluitur, qui est contritus: aut dùm sola venialia habens, illa solùm confitetur, de quibus fuit contritus; aut illa, quæ semel, aut pluries iam antea confessus erat, ab ijsdemq; absolutus. Et tamen in his B casibus Sacramentum pœnitentiæ, quantum est ex se, semper confert gratiam remissiuam peccati, licet peccata actu non remittantur. Vnde ex eo, quod Sacramentum Eucharisticum in actu exercito, non sit operatum remissionem venialium in Virgine, aut necessariam præseruationem à mortalibus, non potest inferri, hoc Sacramentum non fuisse magis pro Virgine Deipara; quàm pro alijs omnibus institutum. Nam sufficit ad hoc, quòd B. Virgo aliorum istius Sacramenti effectuum capax fuerit. puta maioris animi in Deum subleuationis, vnionis, illustrationis, maioris ac maioris sanctificationis, fortitudinis, gaudij, exultationis, &c. vnde Beata Virgo vberiora semper auxilia per Eucharistiã susceptit, per quæ semper magis ac magis eius anima roborata, peccati deformitatem detestabatur, atq; adeò magis inimica & contraria fiebat peccato: atq; sic nouos semper ex gratia impeccabilitatis gradus ac- D quirebat.

Effectus ex susceptione Eucharistiæ in B Virgine causati.

Christ⁹ etiã propter alios fideles Sacramentũ Eucharistiæ instituit.

Fateri nihilominus debemus, Christum Dominum Sacramentum Eucharistiæ instituisse, etiam propter omnes alios fideles, quo magis eius amor, & ingens charitas erga hominem eluceret. Videbat Redemptor noster, multas animas sanctas sui arctissimam vnionem desideraturas, atq; amoris æstu prors⁹ liquefaciendas, & ideo ne dirissime eas pati prospiceret, earum desiderio ita per hoc diuinissimum prouidit Sacramentum, vt etiam ipsæ virtute eius in ipsum totæ transfunderẽtur, ac per amorem, & charitatem, vt ita loquar, transubstantiarentur. Hanc puto ob causam de hoc Sacramento loquens, non dixit solum in nobis mansurum; sed nos etiam in illo: *in me* inquit, manet, *& ego in eo.* Et hoc altissimum huius cibi miraculum est, vt ex eius sumptione & Christus in homine, & homo in Christo esset, iuxta illud D. Augustini lib: 7. Confess: cap: 10. vbi in persona Christi ita loquitur: *Cibus grandium sum, cresce & manducabis me, & mutaberis in me.* Quæ verba considerans Algerus lib: de Sacramento corporis & sanguinis Christi, cap: 8. asserit, ideo Christum non permisisse, simul cum suo corpore, panis substantiam existere, ne duæ simul substantificæ res existentes nos deciperent. Alioqui facilè putarent homines, hoc cibo carnaliter solùm; non autem spiritualiter se nutriri. Vnde citatus Algerus dicit: *Hanc autem panis, & vinũ substantiam ideo Christus in suo Sacramento manere non voluit, ne si duæ substantiuæ veritates, panis scilicet communis noster, & ipse vini, & verus panis? in eodem Sacramento essent, errorem gignerent veritatis, dùm ibi esset, & verus panis, quia vita æterna, & panis communis suo modo verus, quia temporalis vitæ substantiæ.* Solus ergo in hoc Sacramento panis viuus & efficax vitam tribuens diuinam, ideo communem expulit, vt vnusquisq; intelligat, non ad modum ordinarij cibi illum esse, sed diuini, nempe virtutẽ continens, vt non solùm se transformet in sumentem; verùm hunc in ipsum, amori amanti compatiens, qui si hoc non esset, deperiret; & nisi hoc cibo sustentaretur, langueseeret. Auscultate D. Chrysostomum, pulcherrimè id elucidantem. Homil: 25. in cap: 18. 1. ad Corinth: vbi dicit: *Quos amamus, nonnunquam morsibus petimus.* Quasi apertiùs diceret, ardenter animæ Sanctæ fidelium amabant, cum Christo se vnire, & ad se eum transmittere desiderabant, ideoq;

Algerus

S. Thõ:

S. Chrysost:

deoq; & ipsum manducare, ac morsibus petere cupiebant. Verùm, quia hoc impossibile prorsus erat; hinc amor in desiderio totus in pœnis, Christus itaq; nostri amans, id quod impossibile erat, possibile efficiens, ita hoc Sacramentum instituit, vt morsibus, si loqui fas est, eum appetentes, deglutientes, deuorantes, ita in nobis ipsum transfunderemus, nosq; in illum. Ita S. Chrysostomus supra citatus, in hunc modum discurrens. *Quod Christus facit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum* B *in nos ostenderet desiderium non se tantũ videre permittens desiderantibus, sed tangi, & manducari, & desiderio sui omnes impleri.* Quasi omnino hoc modo frater noster fieri voluerit, nolens actiuè se solùm vnire, sed etiam passiuè, & non secùs ac si compares essemus, æqualem concessit transformationem, vt & ipse in nobis, & nos in illo essemus.

Idẽ qui supra.

Vultis vlterius documentum, recurrite ad scripturam Sacram 1. Reg: 18. vbi dicitur: *Anima Ionathæ* C *conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* Magna equidem dilectio, sed adhuc necessaria erat transformatio; & ideo subiungit sacer textus: *Spoliauit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta eius, vsq; ad gladium, & arcum suum, & vsq; ad baltheum.* Ergo tunc Dauid Ionatas erat, sed non nisi in vestitu; idcirco transformatio fuit extrinseca, non intrinseca: hinc amor languens ac deperiens. Non sic Chri- D *altera per totam commisceat necesse est;* stus dilexit homines; sed ne amantes deperirent, illis compatiens, talem instituit cibum, vt arctissimam, & ineffabiliter intrinsecam cum illo vnionem animæ sanctæ haberent: imo dicam plus, etiam ipsam transformationem.

1. Reg: 18

Quod subtiliter ponderans S. Hilarius, hanc vnionem vult naturalem esse, eamq; inter Christum, ac recipiẽtẽ, non solùm affectiuã, sed etiã effectiuã intercedere. Hinc cõtra Arrianos disputans, qui vnitatem substantialem inter Patrem, & Filium negabant, existimantes illis Christi Verbis: *Ego & Pater vnum sumus,* non significari vnionem substantialem, & naturalem; sed solùm affectiuam, & voluntatum. Respondens illis citatus Hilarius, docet inter recipientem & hoc Sacramentum, non solùm vnionẽ affectiuam interuenire, sed etiam effectiuam, ita loquẽs: *Eos nunc, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrumnè per naturæ vnitatẽ hodiè Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis: si enim verè Verbum Caro Factum Est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodò non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam nostram iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturã carnis suæ, ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis: quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius naturaliter vel se in Christo, vel sibi Christum inesse, quia in Christo Pater, & Christus in nobis, vnum in his esse nos faciunt.* En quàm arcta vnio, vt inter Christum ac recipientem intercedat per hoc Sacramentum vnitas, quam S. Hilarius vult naturalẽ dici, proinde realem, & physicam.

S. Hilar:

Subscribit huic sententiæ S. Cyryllus lib: 4. in Ioan: cap: 17. ita scribens: *Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum* S. Cyrill:

sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt in ipso Christus, & ipse in Christo inueniatur. Hinc S. Chrysostomus Homil: 46. in Ioan: inuestigans ad quem finem sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum institutum sit, ita ait: *Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, quod per fidẽ efficitur, quam nobis largitus est, cum enim suum in nobis amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis immiscuit, & in vnum nobis redegit, vt corpus*

S. Chrysost:

eum capite vniretur, hoc enim amantiũ maximè est. Quod adhuc clariùs elucidat Hom: 6. ad populum Antiochenum, & homil: 15. ad eundem, nomine Dei ita loquens: *Manduca-* Idem. *me dixi, bibe me, te ſurſum habeo, & de orſum tibi connector, non ſatis eſt tibi, quòd tui primitias ſurſum habeo, hoc non tuũ ſatiat deſiderium; & deorſum rurſus deſcendo, nec ſimpliciter tibi cõmiſceor, ſed connector, manducor paulatim attenuor, vt magna fiat commiſtio, temperies, & vnio: nam quæ vniuntur, in proprijs remanent terminis; ego vero tecum conexor, nolo deinceps eſſe quidquam interualli, vnum vtrumq; eſſe volo.*

Verùm ne longius excurram, vnum pro mille ſtabit Paſchaſii Ratbert: argumentum, qui lib: 5. de corpore & ſanguine Domini cap: 19. ſic Paſchaſ: dicit: *Totus enim homo, qui ex duabus conſtat ſubſtantijs redimitur, & ideo carne ſimul Chriſti, & ſanguine ſaginatur; denique non ſicut quidam volunt, anima ſola hoc myſterio paſcitur, quia non ſola redimitur morte Chriſti, & ſaluatur, verùm etiam & caro noſtra per hoc ad immortalitatem, & incorruptionem reparatur, caro quidem carni ſpiritualiter conuiſcerata, transformatur, vt & Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inueniatur, ſicut & ipſe noſtram in ſuam conſtat aſſumpſiſſe deitatem.* Quid elegantius dici potuit? ita profectò ardens Dei amor in nos erat, vt per Sacramentum Euchariſtiæ vnum nobiſcum fieri voluerit, vt ſic quantitas cum quãtitate, corpus cum corpore, viſcera cum viſceribus penetrentur, vt totus Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto permaneamus.

Accedo iam ad alteram partem, cur nimirum Chriſtus talibus ferculis, ſpeciebus panis & vini velatis nos tractet. Cuius myſterij quatuor rationes adinuenio. Prima eſt indignitas malorum, quæ exigit, vt veletur hoc Sacramentum, non ſecus atq; æger oculus, vt ſibi ſol, & quod libet lumen tegatur. Et in hoc beniginſſimè cum eis procedit miſericordia diuina: ſi enim improbi nudum hoc Sacramentum aſpicerent, illudq; à fidelibus manducari, ex ipſo aſpectu ſcandalizarentur, ac tripliciter male perirent, videlicet in corde per horrorem, in ore per detractionem, & in anima per ſpiritualem mortem. Sic quondam Apoſtoli audientes loquentem Dominum, Ioan: 6. *Caro mea vere eſt cibus*, multi abierunt retrò, quaſi abhorrentes verba de humana carne comedenda. Ne ergo plures ſcandalizarentur, & velut quidam eſſet horror humanæ carnis, ſed potiùs maneret gloria Redemptoris; ideo in ſimilitudine accipimus hoc Sacramentum; nihilominus veræ naturæ gloriam virtutemq; conſequimur. Ioan: 6.

Altera ratio eſt, cur nobis velatum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituerit Saluator noſter, fides bonorum. Nam fidei eſſe verum exigit, vt nobis velatum detur corpus Chriſti, cum fides ſit rerum non apparentium vt docet Apoſtolus ad Hebr: 10 vnde S Auguſtinus dicit: *Fides eſt credere, quod non vides*, intelligere, credere verbis de re occulta, quæ verè eſt, licet oculis non cernatur. Quoniam de re quam videmus, ſcientiam potiùs quàm fidem habemus, 1. Petri 1. *Chriſtus eſt, in quem non videntes creditis.* Similiter infidelitatis remedium exigit, vt in Sacramento velet 1. Petri.
tur Corpus Chriſti, quatenus culpæ infidelitatis reſpondeat modus congruus ſatisfactionis. Vnde ſicut primorum parentum incredulitas incœpit ex auditu verbi diaboli, ſuadẽtis cibum habentem mortem velatam, & in eo ſunt ſenſus eorum vane delectati; ita pariter congruit, vt fides ſaluandorum incipiat, ex auditu verbi Saluatoris, ſuadẽtis cibum habentem veram vitam abſconditam, & in quo noſtri ſenſus piè ſunt decepti præter auditum, vt ſit fides ex auditu tantùm, & non ex viſu vel alijs ſenſibus, auditus autem per Verbum Chriſti.

Pulchram iſtius rei figuram reperio Geneſ: 27. in benedictione Iacob, vbi ſenſus Iſaac ſunt decepti putantis ſentire Eſau, dùm ſentiret ſimili- Gen: 27.

Ratio ſecunda cur Chriſti corpꝰ velatum nobis detur.

Sacramentũ Euchariſtiæ cur velatum nobis detur.

militudinem eius, qui velatus erat, Jacob. In illa ergo figura Dominici Corporis duæ erant, perſonæ, ſcilicet Iſaac, & Rebecca, ſignificantes duas naturas in nobis, puta corpus & animam. Iacob, quem diligit Rebecca, id eſt, fidelis anima, ſignificat verum Corpus Chriſti. Eſau, quem amabat Iſaac, id eſt, corpus, eò quòd de cibis ſuis veſcitur, ſignificat ſubſtantiam panis cum ſuis accidentibus, nimirùm colore, ſapore, ac cæteris. Dùm itaq; Iſaac, quaſi homo exterior, id eſt, ſacerdos benedicere debet, Eſau, videlicet ſubſtantia panis recedit, verùm ſimilitudo Eſau, puta veſtes cum odore, pelles piloſæ, cibus cum ſapore, id eſt accidentia panis ſeu ſimilitudo, ſcilicet color, ſapor, odor, duritiesmanent circa Iacob, & ſenſus noſtri falluntur, Ibi fallitur viſus Iſaac, caliginoſus, ſenſus inquam debilis corporis noſtri, quia putat præ oculis habere Eſau, id eſt panem, cùm ſolas eius veſtes habeat, nimirũ ſpeciẽ panis, ſub qua latet Iacob velatus, puta corpus Chriſti. Ibi fallitur guſtus, quia putat ſe comedere cibum Eſau, id eſt panem, cùm ſolam eius ſimilitudinem guſtet. Ibi fallitur olfactus, quia putat ſentire odorem Eſau, id eſt panis, qui verè non eſt ibi, ſed ſentit odorem veſtimentorum eius, videlicet ſpecierũ panis, quibus veſtitus eſt Iacob, id eſt, Corpus Chriſti. Infidelitatis itaq; remedium exigit, vt Corpus Chriſti velatum nobis detur, vt quoniam ſenſus primi hominis in cibo perditionis vanè delectati ſunt, ſenſus noſtri corporis in cibo Euchariſtico ad inſtar Iſaac, decipiantur; ita tamen, quòd anima in fide ſua non fallatur, credens verè in hoc Sacramento, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, velatum ſpeciebus panis & vini.

Figura Sacramenti Euchariſtiæ, in quo ſenſus fallũtur.

Ratio 3. cur Chriſti corpus in Sacr: velatum nobis detur.

Tertia ratio, ob quam Chriſtus corpus ſuum nobis velatum dare voluit, eſt inſtructio morum iuxta illud Sap: 28. *Trabitur ſapientia de occultis.* Porro tria nobis in hoc Sacramento occultantur, in quibus mores inſtruuntur. In primis perſona Saluatoris, vt docet Propheta Iſaiæ 45. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*, vt hinc diſcamus noſtram perſonam quandoq; abſcondere à perſecutorum furore. Hoc conſilium ipſemet Deus porrexit Iſaiæ 26. populũ ſuũ alloquens: *Vade populemeus, abſconde modicum, donec pertranſeat indignatio mea in perſecutore.* Et hoc multi iuſtorum leguntur feciſſe: nã 2 ad Corint: 11. S. Paulus de ſeipſo dicit: *Damaſci Præpoſitus voluit me comprehendere, & à fratribus demiſſus ſum in ſporta per murum.* Similiter Tobias cùm eum Rex iuberet occidi, fugiens nudus latuit, vt ſcilicet opera miſericordiæ, quæ cœperat, impleret. Abſcondita eſt præterea in hoc Sacramento pulchritudo eximiæ claritatis, quæ in corpore Chriſti relucet, iuxta illud Iſaiæ 7. *Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam*: neq; enim mortalis oculus lucẽ illam inacceſſibilẽ ſuſtinere vlla ratione poſſet, vt hinciuſtum homo diſcat, abſcondere pulchritudinem ſuam corporalem à conſpectu hominũ; quoniam exterior pulchritudo & ornatus, multis plerumq; ad ruinam occaſio eſſe ſolet. Iſaiæ 26. 2. ad Corint: 11. Iſaiæ 7.

Decor ergo corporalis tribus modis abſconditur, in primis per habitus vtilitatem, iuxta illud Iob: 19. *Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Sic quondam Rebecca conſpecto Iſaac, *tollens pallium operuit ſe.* Et Apoſtolus 1. ad Corint: 11. hoc præceptum mulieribus præſcribit, vt Eccleſiam intrent velato capite: *Mulier*, inquit, *debet habere velamen ſuper caput propter angelos*, id eſt, propter bonos, & Deum timentes homines. Deinde, per auſteritatem ieiuniorum, vt docet Apoſtolus ad Galatas 6. illis verbis: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, ac ſi diceret, contemno mundum propter pœnam ſuæ ſollicitudinis, & ego vtilis ſum hominibus propter mei corporis macerationem. Tertio, per boni operis aſſiduitatem, de qua loquitur pijſſimus Rex Iſraelitarum Iob 19. Gen: 24. 1. ad Corint: 11. Ad Galat: 6.

litarum Dauid Psal: 38. *Tabescere* Psal: 38. *fecisti sicut aranеam animam meam, & in meditatione mea exardescet ignis.* Nã quemadmodùm aranea ex suis visceribus trahens opus naturæ, tabescit exinde; ita plane homo iustus frequenter se exercens in operibus sanctis ex vera charitate, maceratur, & pallescit in corpore. Quod ingeniosè ediſſeruit Salomon Eccleſiast: 33. Eccl: 33. *Jugum, & lora curuant collum durum, & ſeruum inclinans, operationes assiduæ.*

Absconditа est insuper in hoc sacramento opera diuinæ omnipotentiæ, iuxta illud Eccleſiast: 43. Ibid: 43. *Multa absconditа sunt maiora his, pauca enim videmus.* vt hinc discamus, abscondere bonorum operum, & virtutum intentionem ab humano fauore. Quod pulchre Redemptor noſter illâ parabolâ adumbrauit, Matth: 13. Matt: 13 *Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro.* id est, vt exponit S. Thomas opuſculo 58. cap: 8. similis est conuersatio iustorum, bono operi abscondito in corde. Vnde S. Gre- S.Greg: gorius dicit: *Ita sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt de bono opere præbeamus proximis exemplũ; & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere cupimus, semper optemus secretum.* Nam vbi opera noſtra bona, tubâ iactantiæ propalantur, & subito euaneſcunt, nec mercedem apud Deum habent, cùm eam in ſola hominum opinione reponant.

Quarta tandẽ ratio est, cur nos Chriſtꝰ corpore & sanguine ſuo, ſpeciebus sacramentalibus velatis paſcat quia id hominum imbecillitas exigebat. Quod facilè deducitur in primis ex figura legali Exodi 3. quando filij Iſrael videntes ex conſortio Domini cornutam faciem Moyſi, timuerunt prope accedere; propter quod poſuit velamen ſuper faciem ſuam, dùm loqueretur ad eos. Siquidem facies Moyſi adeo magnam receperat radioſitatem, ex frequenti, ac familiari appropinquatione ad diuinum lumen, vt videretur humanis oculis, quaſi cornuta; & ideo non poterant claritatem vultus eius ſuſtinere niſi velatam. Ita plane, imò incomparabiliter magis corpus Chriſti in reſurrectione eius glorificatum, & ſpeciale ac deiforme factum, nemo poſſet mortalibus inſpicere oculis, niſi alienis ſpeciebus velatum.

Ratio 4. cur Chriſti corpus velatum nobis detur.

Facies Moyſis cur Iſraelitis cornuta viſa fuerit.

Deducitur præterea ex ratione naturali, quæ est nimia diſſimilitudo inter luminis oculi noſtri claritatem, & luminis corporis Chriſti. Nam oculus noſter anguſtus, & æger, ac corruptibilis est; claritas autem corporis Chriſti incorruptibilis, & quodam modo immenſa. Et hæc est ratio viſibilitatis omnis luminis ſimilitudo aliqua videntis ad lumen: Vnde quanto maior est ſimilitudo ad lumen maximum, tantò limpidior, & dulcior est viſio. Hinc est, quòd ſanus oculus poſſit aliquatenus videre nudum corpus ſolis; non tamen corpus Chriſti: quia cum illo habet aliquam ſimilitudinem luminis, & corruptibilitatis, quam non habet Corpus Chriſti. Niſi enim oculus ex aliqua parte cœlesti lumini ſimilis eſſet, nequaquam illud videre poſſet, propter nimiam diſſimilitudinem. Quia ergo ob noſtram imbecillitatem, & corporis Chriſti nimiam claritatem, non poſſumus intueri oculis corporeis immenſum illum ſplendorem, de facie Chriſti relucentem; ideo ſaltem oculo mentali, id est, pura cordis intentione debemus ipſum reſpicere.

Hinc ſummam vtilitatem ſpecierum Euchariſticarũ, facilè conijcere poſſumus ex conuiuio Reginæ Esther, quod deſcribens ſacer textus Esther 5. dicit: *Venerunt itaq; Rex, & Aman ad conuiuium, quod ei Regina parauerat.* Res ſtupenda: de Aſſueri Regis conuiuio, dixerat ſuperius ſcriptura ſacra cap: 1. *Fecit grande conuiuium, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui:* Conuiuium autem Reginæ Esther, nec grande, nec magnificum eſſe dicitur, ſed ſimpliciter conuiuium. Ratio hæc est: quia in conuiuio Eſtheris, non oſtentatio gloriæ, ſed ſola populi Iſraelitici vita quærebatur, ne totus ille populus inſtante

Esther 5

Conuiuiũ Reg: Esther adũbrabat conuiuium Euchariſticum.

inſtante peſſimo Aman, miſerè periret; ideoq; illud tantùm ſimpliciſſimè poſuit ſcriptura, quod ad cõſeruationem populi obtinendam conducibile erat. Idem planè in Chriſti Domini conuiuio Euchariſtico cautum eſſe video: non enim in pretioſis alitum, aut pecudum carnibus inſtitutum est; ſed in communiſſimo panis alimẽto: nihilq; in illo aliud extrinſecùs proponitur, præter ſpecies panis, & vini. Quia nimirùm in Euchariſtia inſtituenda hoc vnicum attendebatur, vt ad vitam æternam obtinendam aptum quid mortalibus præſtaretur. Hæc est mens Algeri lib: 3 de Sacram: cap: 4 vbi dicit: *In ſacramentalibus ſpeciebus non quæſiuit dignitatem, ſed aptitudinem.* Nulla proinde Chriſto cura fuit, de ſpecierum pretio, aut dignitate; ſed deſola vtilitate, quæ in his ſpeciebus inueniebatur. Verùm ſit ſanè; quòd ſolæ ſpecies panis, & vini proponantur aſpectui noſtro in hoc Sacramento, cur tamen glorioſi corporis ſplendor ſub illis latens, non exhibetur videndus? ſed totus lateat, & abſcondatur. Sanè, vt per hoc magis homines excitentur, ad diuinitatis gloriam percipiendam. Ait citatus Algerus lib: 2. de Sacr: cap: 3. *Si autem ſua potentia claritati corporis ſui viſum noſtrum contemperaret, non ſuo loco, aut tempore, in contemplatione ſuæ gloriæ remunerationem ſuam nobis præordinans, meritum conferret: quia amplius laborare non liberet: ſicut & Petrus in transfiguratione dixit: bonum est nos hic eſſe. Quod vt ait Leo non erat improbum, ſed inordinatum.* Quid melius ita profectò glorioſi corporis ſub ſpeciebus panis latentis ſplendor, ſi oculis noſtris videretur, efficeret, quod cœleſtis illius gloriæ quærendæ, minimè deſiderio afficeremur. Si enim Petrus, vbi Iesvm gloriâ transfigurationis fulgentem in monte Thabor proſpexit, nihil aliud optabat, nihil aliud requirebat, niſi vt ibi cum Iesv in perpetuum remaneret. Ita equidem, ſi in Euchariſtia Chriſti Corporis gloriam videremus, nihil iam aliud requirerem, ſed ab omni labore prorſus vacui ſederemus, dicentes cum Petro: *Bonum est nos hic eſſe.* Ergo ad diuinam ſapientiam pertinebat, omnem ſuam gloriam ſub ſpeciebus panis, & vini abſcondere, vt per hoc ſacramẽtum ad æternam beatitudinem conquirendã tantò magis nos alliceret.

Idem.

Vultis plures vtilitates, quæ nobis ex Sacramento Euchariſtiæ ſpeciebus panis, & vini velato prouenirunt? profectò inenarrabiles. Prima vtilitas est, remiſſio peccati: nam in primis per Euchariſtiam deleri peccatum veniale, docetur expreſſe in Cathechiſmo Pij V. his verbis: *Remitti verò per Euchariſtiam, & condonari leuiora peccata, quæ venialia dici ſolent, non est, quod dubitari d. beat.* Idem docet Concilium Triden: Seſſ: 13. cap: 2. oſtendens: *Sacramentum hoc esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruamur.* Imo etiam interdùm per hoc Sacramentum multi graues Authores affirmant, in caſu, quo aliquis inculpabiliter accedit ad Euchariſtiam, vel quia ignorat inuincibiliter ſtatum peccati, quod commiſit; vel quia exiſtimat ſe fuiſſe rite abſolutum, cùm non fuerit, virtute Sacramenti Euchariſtici, conferri eidem gratiam peccati mortalis remiſſiuam. Et ratio est, quia omnia ſacramenta nouæ legis, habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem. Sed interdum poteſt quis in peccato mortali exiſtens, ad Sacramentum Euchariſticum accedere ſine obice, vt ſiquis accedat ad Euchariſtiam, cum peccato inuincibiliter ignorato, aut putans probabiliter ſe eſſe contritum. Ergo tunc recipit gratiam virtute Sacramenti: quoniam peccatum non est obex, niſi prout est in conſcientia, & notitia peccatoris. Vnde ſi iuſtus accederet ad Euchariſtiam cum putata conſcientia peccati, poneret obicem, & gratiam non reciperet: ergo è contrario ſi peccator accedat cum putata conſcientia,

Bona per Sacramẽ: Euchariſtiæ cõferũtur.

Concil: Trid:

Sacrã: Euchariſtiæ interdum cõfert primam gratiam

C iuſtitiæ

iustitiæ, non poneret obicem, & gratiam reciperet, quia moraliter faceret, quantum in se.

Altera vtilitas est Sacramenti Eucharistiæ, præseruatio à peccatis mortalibus: nam Sacramentū hoc est panis vitæ, *vt si quis ex ipso manducet, non moriatur*. Et iterum, *qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Vnde Innocentius III. lib: 4. de mysterio missæ cap: 44. dicit: *Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi*. Tribus autem potissimum modis Eucharistia præseruat à peccato mortali. In primis conferendo robur animæ interiùs per auxilia veberiora. Deinde expellendo exteriùs Dæmonum impugnationes, qui fugiunt præsentiam Christi, nec audent accedere ad homines Christiferos, (hoc nomine S. Cyrillus Hierosolymitanus cathechesi 4. vocat sumentes Eucharistiam.) Tandem remouendo etiam exteriùs per specialem prouidentiam occasiones, & pericula peccandi.

Ioan: 9.

Innocētius III.

Eucharistia tribus modis præseruat à peccato mortali

Tertia vtilitas est Sacramenti Eucharistiæ, actualis dulcedo, & delectatio, iuxta illud Psal: 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. Et Gen: 49. *Pinguis est panis eius, & præbebit delicias regibus*. Cuius ratio hæc desumitur ex Concilio Florent quia cibus Eucharisticus comparatur cibo corporali in suis effectibus: proinde sicut cibus corporalis non solùm alit; sed etiam delectat, ita & cibus Eucharisticus. Et hic effectus est infallibilis ex vi sacramenti, nisi impediatur ex parte subiecti; non semper tamen sentitur hæc dulcedo, nec est necesse, vt semper conferatur, quando sumitur sacramentum, sed interdum reseruatur in meliorem occasionem, quod aliquando sine culpa fieri, docet S. Antonius 3. p. tit: 3. cap: 6. §. 1. nihilominus quandoq; ista dulcedo degustatur ab alijs, ita vt omnis sapor delectamentorum carnalium eis fiat, Auctore S. Cypriano Serm: de Cœna Domini

Psal: 97

Gen: 49

S. Cypr:

Quarta vtilitas est Sacramenti Eucharistiæ, quod etiam in corpore aliquid operetur. Nam ex feruore charitatis, quem sacramentum Eucharisticum causat in anima sumentis, sequitur quædam cordis quasi gestientis palpitatio, vultus hilaris, viuacitas coloris, serenitas oculorum, modestia, linguæ frænatio, grauitas in incessu, compositio externorum, gestuum, ac totius corporis pulcherrima conformatio, miraq; ordinatio. Porro hæc operatio sacramenti Eucharistiæ circa corpus, consistit in diminutione fomitis, & concupiscentiæ, quod partim fit dæmones fugando, ne turpia, & obscœna phantasmata excitent, partim sedando, & reprimendo excrescentes humores libidinosos. Et hac de causa sacramentum Eucharisticum, vocatur in scriptura sacra, buccella sicca, seu exsiccans. Prouerb: 17 *Melior est buccella sicca*. vnde S. Ambr: lib: 2. Offic: cap: 21. vertit: *Melior est buccella exsiccans*. S. Cyrillus Alexandr: lib: 4. in Ioannem affirmat, hoc Sacramentum cohibere sæuientem membrorum nostrorum legem, & perturbationes animi extinguere. Quod lumine naturali facile illustrari potest: nam sicut cibus naturalis bonus, generat bonos humores, & expellit malos; ita cibus Eucharisticus spiritualis cœrcet noxias passiones, & alias excitat proficuas. Deinde, cibus naturalis nititur sibi assimilare, quem alit, idq; in multis qualitatibus assequitur, iuxta illud Aristotelis 2. de Gener: cap: 8. *Ex eisdem sumus, ex quibus nutrimur*. Cùm ergo Christi caro contenta in Sacramento Eucharistiæ sancta sit, & rationi perfecte subdita, conueniens est, vt specialiter causet subiectionem nostræ carnis ad rationem.

Ex Sacramento Eucharistiæ effect⁹ in corpus redundantes.

Prou: 17.

S. Ambrosius.

Aristot:

Quinta vtilitas est Sacramenti Eucharistiæ, adeptio gloriæ æternæ, docente id Christo Domino illis verbis: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Vnde S. Prosper Serm: 339 dicit: *Qui manducat hunc panem, escam salutis accipit, & æternitatis poculum bibit*. Et facile id colligitur ex eo quòd sicut cibus naturalis ordinatur,

S. Prosper

natur, vt perducat hominem ad statum perfectum; ita cibus Eucharistiæ spiritualis, ordinatur ad augmentum gratiæ, vt ex se perducat illud ad statum perfectum; & consummatum per gloriam. Hinc manifestè patet, assecutionem glotiæ æternæ, non solùm esse effectum communem Eucharistiæ; quemadmodùm & aliorum sacramentorum, quatenùs illa omnia, dando gratiam, dant ius ad gloriam. Sed speciali titulo, quatenus nimirùm in ratione cibi ad conferendam gratiæ consummationem ordinatur. Vnde in ratione signi per Eucharistiam significatur status beatificus, eò quòd Deus, sicut in cœlo facie ad faciem se fruendum exhibet; ita & in sacramento Eucharistiæ facit, licet sub specierum velamine.

Effectus Sacram: Eucharistiæ est cōsecutio gloriæ æternæ.

Sexta vtilitas est Sacramenti Eucharistiæ, ius futuræ resurrectionis: nam propter vnionem cum carne Christi, quæ fit in sumptione sacramenti Eucharistiæ, vt docet Apostolus 1. ad Corint: 10. *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus*. Et S. Chrysostomus homil: 60 ad populum Anthiochenum dicens: *Hoc pane pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum corpus, & vna caro*. datur peculiaris titulus nostræ carni ad resurgendum, vt apertè indicant illa Christi verba, Ioan: 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Propterquod Concilium Nicenum, sacramentum Eucharistiæ appellat, *symbolum resurrectionis*: Quod pulchrè eluceidat S. Cyrillus lib: 10. in Ioan: cap: 13. loquens de hoc Sacramento: *Non potuisse aliter corruptibilem hanc naturā corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vita corpus ei cōiungeretur*. Nam quatenus hoc Sacramentū confert suscipienti gratiam habitualem, eumq; præseruat à peccatis, inde resultat quoddam ius ad gloriosam corporum resurrectionem.

1 ad Corint. 10.

S. Chrysost:

Ioan: 6

Concil: Nicenū.

S. Cyril:

Septima tandem vtilitas est sacramenti Eucharistiæ, fæcunditas spiritualis: hoc enim sacramentum dignè susceptum communicat vim quandam fæcundam spiritualem, ad generandam prolem spiritualem. Hæc est mens Gersonis, super *Magnificat*, tract: 9. p: 4. sub §. *Nouum bonum*, vbi sic loquitur: *cibus habet hoc proprium, dùm nutrit comedentem, vt tempore suo faciat habilem ad generationem: semen enim super fluum est alimenti, non in quali, sed in quanto prouenit inde stimulus, & tempus amantium. Planè quando venit plenitudo temporis, Deus dedit cibum Eucharistiæ; fecit per ipsum mentem esse verbigenam, sterilitate depulsa: cibus iste ita prædicta restaurat, satiat, delectat, roborat, auget, obdormire facit, quid consequentius, quàm vt vim generatiuam det?* Et hoc Deus figurabat in veteri testamento, simile sacrificium exposcens Leuitici 2. *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, similа erit eius oblatio*. eò quòd similа cùm sit farina quædam grossior, aliquantulum flaua, in qua seruatur virtus fæcunda, seu generatiua frumenti. Et ideo repræsentabat Sacramentum Eucharisticum, vim fæcundam spiritualem in se continens.

Gerson:

Leuit: 2.

Ostendi itaq; Christum Dominum sacramentum Eucharistiæ instituisse non in prandio, sed in cœna, tum quia illud instituit, in nouissimis temporibus, quando mundus iam ad occasum vergit. Tum, quia sacra Eucharistia est finis & consummatio omnium. Ostendi præterea, Christum nos suo corpore, & sanguine, sub velaminè specierū panis & vini tractare, tū propter indignitatem malorū, tùm propter fidē bonorum, tum propter instructionem morum, tum propter imbecillitatē nostram. ostēdi insuper septem vtilitates nobis per Sacramentum Eucharistiæ conferri quas vt consequi mereamur, cum omni diligentia nos ad hanc cœnam præparemus.

DOMINICA III.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. *Lucæ 15.*

Pœnitentiæ vtilitas, & Dei atq; Angelorum de illa gaudium ostenditur.

Phœnix nascitur & renascitur.

OMnium per serenum
aëra volitantium volucrum, vni tantum
Phœnici, auratis vestito pennis prodigiosum quid piam contulit natura: *Nasci & Renasci.* vt non modò cæterorum instar viuentium generari; & in vastum orbis ambitum prodire, ac regium planè viuendi inchoare cursum valeat; sed etiam in prouectiore ætate; vbi se diuturnis grauatum annis & nimiâ onustum senectute agnoscit, in odoriferis & saluberrimis, balsami & oliuarum ramis collectis, considens, & quasi grauidæ senectutis incusans morbum, intensiùs à sole dimanantibus radijs succenditur, & in cinerem atq; fauillas conuersus, iterum in pulchriorem renascitur formam, & recuperatæ iuuentutis amissam rursùs instaurat vitam. Vbi rerum naturalium peritissimus indagator Plinius refert, non ita præteritam Phænicis venustatem; quàm renatam iuuentutis amissæ pulchritudinem, mundo gratam fieri. Equidem quod inter auiculas Phænici natura, hoc inter terreni orbis mortales creaturas homini, supremus illo omnium rerum gubernator Deus, contulisse videtur; nimirùm: *nasci & Renasci:* Nascitur enim homo & in corpore, dùm claustra vteri materni prætergressus, periculosa humanæ mortalitatis littora conscendens, vitæ suæ figit terminos. Nascitur & in anima, dùm in sacramentali baptismatis fonte, tanquam in cælesti balneo salutiferè ablutus & originalis peccati maculâ, penitus detersâ, amissum innocentiæ statum recuperat, & amicam in Dei gratia viuendi societatem renouat. Verùm quoniam & corpus, quod mortale est, morbida senectus citò insequitur; & animam primæui lapsus fomes inextinguibilis, summo impetu frequenter infestat; difficilè est hominem semel natum non labi, & dolendum tàm corporis; quàm animi naufragium crebrò non incurrere. Nemo enim hominum sine peccato est. *Nam vni duntaxat: hoc testimonij datur, quòd peccatum non fecerit, cæteris verò omnibus & concipi & nasci in illo, lex est.* inquit D. Basilius Serm: de Pœnitentia. Idcò prouidus vniuersi gubernator Deus, videns quàm ex fragilibus primordijs ortùm ducat homo, & quàm facilè succumbat. Secundam eidem post naufragium tabulam, scilicet; pœnitentiam proposuit, vt si quando in errabundis effrænatæ mundanæ politiei labyrinthis, aut in ambitionis fastu aliorúmq; vitiorum pestilenti morbo inuetterari contingat, instar grauati senio Phœnicis, per pœnitentiam iterùm renasci possit, considendo in odoriferis pœnitentiæ ramis, contritione scilicet sincerâ, emendationis promissione

Modus renascendi.

S. Basil.

Etiam homini nasci & renasci concessum.

missione firmâ, & satis factione debita, iuxta doctrinam recti Iob dicentis 29. cap: *In nidulo meo moriar. & sicut palma multiplicabo dies meos.* Trãslatio autem Græca (vt ingeniosè annotauit Beda Commentar: in cap: 12 Iob:) vertit: *Sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* quasi diceret in persona peccatoris; confidebo inquit in odoriferis Pœnitentiæ sanctæ ramis, & ibi inueteratam delictorum meorum malitiam incusando, renascar iterum, & dies meos in æternitatis incircumscriptæ terminos protendam. Quare & ego amaritudinẽ salutaris pœnitentiæ vobis commendare satagens, & ad æstum contritionis vestra pectora excitare cupiens, quanta sit pœnitentiæ vtilitas, & cur de pœnitente peccatore Deus & Angeli cælestes gaudeant, edisseram in laudem omnipotentis, qui neminem peccantium perire vult, sed omnes saluos fieri desiderat, & vobis in salutarem doctrinam. Auditores.

Iob: 29.

Pœnitentiam re, aut voto susceptam, necessitate medij ad salutem necessariam esse omnibus, qui post baptismum in nauim Ecclesiæ Christi admissi, peccato mortali naufragârunt, diuino spiritu afflatus edicit Euangelista Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Confirmat Diuus Thomas veritatem scripturæ, qui de sacramento Pœnitentiæ, Quæst: 84. Articulo 5. dicit; *Non est possibile, peccatorem aliter iustificari, salutemq; consequi; quàm virtute passionis Christi; hoc enim solum nomen datum est mortalibus, quo eos oporteat saluos fieri, in cuius sanguine conscientias dealbent & peccata abluant.* Cùm igitur virtus passionis Christi applicari hominibus non possit nisi per sacramenta, & nullum remediũ præter pœnitentiam baptizatorum peccata tollat, non magis pœnitentia quàm mortalium remissio eisdem necessaria erit ad salutem necessitate medij. Comprobat hoc ipsum Tridẽtinum Concilium Sessione 14. Cap: 2 vbi docet: *Pariter esse necessarium pœnitentiæ Sacramentum lapsis post baptismum; quemadmodùm nondùm regeneratis ipsemet baptismus necessarius est.* Hinc idem concilium Sess: 6. cap: 14. damnat eos, qui docent sine Sacramento pœnitentiæ posse lapsos post baptismum resurgere. Infirmitas enim peccati omne humanæ medicinæ excluſit auxilium. Et ipsa iustitia animam peccatricem omni depopulatione dignam, omni tormentorũ genere discrutiandam, interminatâ mortis pœnâ mutilandam, & inferorum ignibus exurendam iudicat; benignissimus tamen vitæ mortisq; arbiter Deus, alijs hodiè peccatorem cruciatibus affici vult, ijsq; ad salutẽ profuturis, non animam perdituris; & consilium suum, quod olim per Ezechielem miseris peccantibus proposuerat, aperit. *Nolo* inquit, *mortem peccatoris, sed tantùm vt conuertatur, & viuat.* Ezechielis 33. Quæ Dei sententia quid aliud suadet peccatoribus, quàm vltimum illud tentandum remedium, quo resurgere valeant à lapsu? scilicet pœnitentiam sanctam. Pœnitudo enim non minus necessaria peccantibus, quàm vulneratis medicamina; subleuat hæc à morte delinquentes animas, ingratos Deo reconciliat peccatores, & impios à via iniquitatis conuersos, ante mortem etiam in præsenti vita, incremento gratiæ beatificat. Nec perire potest, quisquis hoc anthidoto ægrotanti medetur conscientiæ. Nõ est subuersa Niniue, quia pœnitentiã egit. & cùm Propheta imminentem Dei vindictam illi ciuitati prædicẽs, intra triduum seuerè adimplendam, molestè ferret, quòd omnibus scatens impuris libidinibus Ciuitas illa subuersa non esset, respondentis Dei vocem audiuit. *Memor esto quia ego bonus sum; & qui semper viuo, pœnitentem quoq; peccatorem semper viuere volo.* Quis magis impius in sacris paginis describitur, quam Achab? qui præter reliquas rapinas, & vineam occiso illius domino rapuerat; & eccè cùm lætus descenderet ad possidendum illam, subitò ei occurrit, qui tristem redderet, qui delinquentem

Ezech: 33.

Quod vulnerati medicina, id peccatoribus pœnitentia est.

Niniue ob pœnitentiam euersa non est.

Ibidem.

Lucæ 13.

S. Thomas.

Virtus passionis Christi sine sacramẽtis non applicatur.

Conil: Trid:

argueret, Propheta Dei: non vt ho-
stis, sed vt pacem animæ ferēs. Pro-
nuntiauit non sui ipsius, sed Dei sen-
tentiam, & ecce auditâ sententiâ per-
territus Achab, saccum induit, & qua-
si sui oblitus omnem maiestatis pō-
pam abiecit. Quid hæc stricta pæni-
tentia profuit? Multum certè. Quia
sceleratum antea, & in omne vitio-
rum genus habenas conscientiæ laxā-
tem, sed mox cum lachrymis dolen-
tem, ab vltione furoris diuini eripu-
it. Adeò, vt ipse Propheta, qui ad fe-
rendam condemnationis sententiã, B
missus fuerat, audierit à Deo: *Quo-*
niam inquit, *precatus est Achab minas*
veritus; *quæ illi minatus sum, in diebus*
ipsius non euenient. Pœnitentiâ enim
illius placatus sum, & ideo ad boni
Pharmaci desiderium adigor.

Achabo pœnitẽti Deus ignouit.

3.Reg:22

Quid vir ille Sanctus, vnus o-
mnium secundùm cor Dei, Dauid?
Nonne & hic tria simul præcepta
Dei in vna causa transgressus erat?
Commisit enim & homicidium, &
adulterium, & alienæ vxoris concu- C
piscentiâ quoque peccauit; sed quia
nihil magis placet Deo, quàm pec-
catoris conuersio, & pænitentia, iudi-
cem illum proprij delicti constituit
Deus. Et quoniam trabem in oculo
nostro non videmus, festucam autẽ
in alieno facilè deprehendimus, pro-
posuit illi causam tanquàm alienam,
per os Prophetæ loquens. *Erant* in-
quit, *duo viri in vna Ciuitate, vnus pau-*
per, alter diues. Diues habebat multas
oues, pauper vnicam, quæ in sinu ipsius
quiescebat, & cum ipso comedebat, & D
poculo ipsius bibebat (*quod vxoris arca-*
num fuit) *venit ad diuitem hospes quidã*
peregrinus (rectè sanè peregrinus, quia
cui nunquam antea assueuerat Da-
uid, nimirùm fomes peccati) *Et ec-*
ce volens diues hospiti aliquid de suis ma-
ctare, vnicam illam pauperis ouem vio-
lenter abripuit. Non intellexit my-
sterium hoc Dauid, & molestè factũ
illud ferens ex zelo pietatis respõdit.
Viuit inquit *dominus, morte dignus est*
qui hoc fecit. Mox euoluit Propheta
ænigmaticum sermonem: *Tu* in-
quit *Rex talis homo es, qui hoc fecisti.*

3.Reg:22

Dauidis tria peccata grã dia.

Perterritus Dauid sententiâ, quam
aduersùs seipsum tulerat, properauit
ad Pharmacum, & lethale vulnus
Conscientiæ agnoscẽs, ad medicum
confugit, inclamans? *Peccaui* inquit
Et ecce non est negata sitienti medi-
cina, & pœnitenti venia, responden-
te Prophetha. *Et dominus quoq;* ait *Ibidem*
transtulit peccatum tuum. Sed ne diu- *v. 14.*
tiùs in veteris testamenti spatiemur
exemplis, vbi priusquàm sacer ille de
hominis Dei latere sanguis, pro no-
bis effusus esset, arcta nimiùm pæni-
tentiâ ad remittenda peccata opus e-
rat. Palam est, quòd etiam post Chri-
sti passionem, post sacrum baptisma,
& acceptum gratiæ donum, pœniten-
tiæ locus sit ijs, qui deliquerunt; nec
aliter miser peccator, quàm per pæ-
nitentiam, in amissa innocentiæ &
gratiæ puritate renouari potest. Nã Christi
si interrogauerimus ipsum redẽpto- erga pec
rem nostrum, *Quare ad nos veniſti?* catores
Respondebit certè, Non veni ser- Clemẽ-
uare iustos, sed peccatores vocatu- tia.
rus ad pœnitentiam. Non enim mi-
sericors Deus etiam impios execra-
tur? Nam si domũ Pharisæi vocatus
ingredi non erubuit, licet is plenus
fastu, plenus astutiâ esset, nec eo fine
dominum inuitauerat, vt eum dignè
tractasset; sed potiùs, vt in verbis &
in operibus obseruaret. Quantò ma-
gis ad peccatorem, pœnitentem, &
ad se conuertentem, conuerti non
recusabit. Accessit ad illum mulier
peccatrix, vt misericordiam impe-
traret. Accessit autem non in faciẽ;
neq; enim tantum habebat confidẽ-
tiæ. Non apprehendit manum illi-
us: nec enim tantum præsumere
ausa est, sed pedes tantum amplexa
& osculata est, eosdemq; lachrymis
lauit, capillos ad tergendum exemit.
Hac tantùm vice probè. Et pecto-
ra quæ sæpenumerò male conspicua
reddiderat, tunc demùm bene nu-
dauit. Et ecce vocem miserentis au-
dire meruit. *Mulier* inquit *remittun-* Lucæ 7.
tur tibi peccata tua. Obstupesce hic
quisquis eum superbo Pharisæo pæ-
nitentiam procrastinas. Mulier pec-
catrix procumbens ante vitam, su-

scitatur è morte peccati, plorans an-
tè iustitiam, veniam consequitur.
Fit è meretrice, Christi ministra; è
publica peccatrice, sancta; ex inferni
face, Ecclesiæ lucerna; & abomi-
nabilis mundo, cælo gratissima; ex
despecta hominibus, Angelis summè
amica. Quid tàm repentinæ Causa
mutationis? pœnitentia certè? quæ
summos etiam peccatores, quos
mundus plurimis non raro annis, sũ-
is voluptatum illecebris corrumpe-
re solet, in momento ad Deum con-
uertit. Hoc certè exemplar nobis B
Deus proposuit, vt ad pedes IESV è
nostris delictis ocyùs fugiamus. Nã
licet is ad Patrem ascendit; nobi-
scum tamen semper præsens mane-
re vult, & quandocunq; homo ad il-
lum confugit cum gaudio illum am-
plectitur. Hoc consilium dat peccã-
tibus D. Ambrosius cap: 8. ad Vir-
ginem lapsam. *Necesse quidem est* ait
prævaricatricem animam, tartareis pæ-
nis & gehennæ ignibus tradi tu tamen vt
ab æternis pœnis liberetis, cogita priùs de
quanta rueris gloriâ, de quo libro nomen C
tuum deletum sit, cùm ad peccatum vo-
lueris accedere. Quod si fortè com-
mittas, non aliud tibi remedium cõ-
stitutum esse, post baptismum, quàm
pœnitentiæ solatium, tecum cogitãs
& mente retractans, proprij facti iu-
dex esto ipse seuerior, Indue lugu-
brem vestem, amaram scilicet pæni-
tentiæ contritionem, & mentem de-
licti sociam, ac singula membra di-
gna castigatione puni. Amputa
crines (fastum scilicet elati animi)
qui per vanam gloriam, occasionem D
tibi luxuriæ sæpiùs præstiterunt. Per-
funde oculos lachrymis, qui immo-
derato & illicito aspectu, te ad con-
cupiscentiam frequenter stimularũt.
Palleſcat facies, quæ quondam viruit
impudentiæ. Deniq; totum corpus
iniuriâ maceretur, cinere aspersum,
& opertum cilicio perhorrescat,
quia malè sibi de pulchritudine pla-
cuit. Liqueſcat cor sicut cera ieiu-
nijs inquietans seipsum & cogitatio-
nibus ventilans, cur fuerit ab inimi-
co subuersum. Crucietur sensus,

S. Ambrosius.

quia in membra corporis cum habe-
ret dominationem, malo cessit im-
perio. Talis vita & talis actio pæni-
tentiæ, si fuerit perseuerans, audeat
quilibet verè pœnitens sperare &
gloriam, & pœnæ euacuationem.
Quia dicit Deus: *Conuertimini ad me,* Ioël: 2.
& conuertar ad vos. Ioëlis 2. *Conuer-*
timini inquit *ex toto corde vestro, in ie-*
iunio, & fletu & planctu quoniam pius &
misericors sum. Hac viâ Longinus il-
le, Christi in Cruce pendentis latus
transfigens lanceâ, veniam assecu-
tus est, cùm facti impiè commissi,
pœnitudinẽ pijs protestaretur verbis
inclamans: *Verè hic est Filius Dei*. Sic
conuersus ille magnus Propheta Da-
uid iustificatus est. Hoc modo Ma-
nasses; qui in templo Dei quadri-
formia collocauerat idola, vt neces-
se esset, cuiuis vndelibet templum
ingredienti, ante idola procumbere,
vbi pœnitentiam egit, è captiuitate
reuocatus est. Sic niniuen peccatrix
illa Ciuitas, per semitam pœnitentiæ
ad Deum reuersa, incumbentem si-
bi euasit interitum. Nec certè vlla
desperatio à pœnitentia retardare
debet, cùm nulla peccatorũ tanta sit
grauitas, pro qua Deus orari neque-
at, dicente Moyse 34. *Qui aufert ini-* Exod 34.
quitatem, & scelera atq; peccata. quæ
verba Burgensis interpretans, dicit:
omnia peccatorum genera & ex in-
firmitate, & ex ignorantia, & ex ma-
litia cõmissa, diuinæ misericordiæ
auferenda subijci. Quis enim grauio-
or Manasse esse peccator potuit? qui
tam multa sacrilegia patrauit, vt ex-
cederet omnia, quæ fecerunt Amor-
rhæi ante eum 4. Regum 21. tot in-
nocentum sanguinem effudit, vt ad
os vsq; nataret Hierusalem ibidem.
Denique tàm multa flagitia commi-
sit, vt ipsemet de se ipso recenseat in
oratione sua, quæ habetur in fine Pa-
ralipp: siue Bibliorum, *Peccaui* in- Para-
quit *super numerum arenæ maris*. Ergo lipp: vlt:
ne iam vlla medicina tàm lethalibus
plagis potuit adhiberi? Potuit certè,
à diuina misericordia, singularium
Pharmacorum in omnes morbos cõ-
ditrice nam dicit scriptura. 2. Pa-
ralipp:

2. Paralipp: 33. ralipp: 33. *Postquàm coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & exaudiuit orationem eius.* in quem locum Diuus Hieronymus scribens, refert traditionem Hebræorum, quod Manasses captus & in Babylonem ductus, in vas æneum coniectus fuerit, vt admoto igne paulatim exureretur vbi cùm nullum exeundi atq; respirandi locum inueniret, vndique circumclusus inuocare cæpit omnia nomina idolorum, quæ colebat, sed cùm nullam opem experiretur, recordatus doctrinæ illius, quàm à Patre suo Ezechia crebrò audierat, *Cùm* inquit *quæsieris Dominũ Deũ tuũ, inuenies eũ si tamẽ toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Deuteronomij 4. tunc Manasses illicò cæpit verum Deum inuocare, & exauditus est: addit enim Glycas in Glossa citatus, confestim affuisse Angelum oranti Regi, qui rupto illo simulachro seu vase æneo, in quod inclusus fuerat, eum Hierosolymam reduxerit. Si igitur Manasses adeò impius, vt non solùm in regno; sed etiam in tormento idololatrauerit, nec priùs ad verum Deum redijt, quàm omnia falsorum Numina tentasset, & inania esse ipso experimento comperisset: à Deo tamen misericorditer liberatus est? Quantò magis & faciliùs etiam grauissimus peccator, in Christi Ecclesia diuinæ misericordiæ particeps fieri poterit? Cùm diuinus ille Athanasius, magnam hanc misericordiam Dei respiciens, dicere non dubitauerit. *Si Manassem Deus seruauit, equidem ausim dicere, quod etiam ipsum diabolum seruaturus fuerit si reuerti ad Deum voluisset.* Et licet expauescenda est nimis sententia Apostoli ad Hebræos 6. dicẽtis: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi, rursùs renouari ad pœnitentiam*; quod adhuc cum maiori timore exaggerat D. Paulus ad Hebræos 10. *Volunteriè* inquit *peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur pro peccatis hostia*; sed & illud non minùs tremendum, quod Sancti Patres peccatum in spiritum Sanctum, neque in hac vita, nec in futura remissibile esse doceant. D. Cyrillus Alexandr: in Epist: ad Proclum, vocat illud insanabile. Diuus Chrysostomus in Psalmo 49. immedicabile, victor Africanus inexpiabile. Denique D. Hieronymus lib: 3. de Spiritu Sancto, vocat illud peccatum sine venia. Non tamen per hoc ostendunt etiam peccati in spiritum Sanctum remittendi impossibilitatem absolutam, sed tantùm maximam difficultatem insinuant; neq; Apostolus vult, quòd voluntariè peccãti absolutè desit expiationis remedium; sed tantùm innuere vult, quòd difficillimè inueniatur.

S. Athanasius. Hebr: 6. Iob: 10. S. Cyrillus Alexandr: S. Hieronymus.

Proinde tàm Apostoli, quàm Doctores Sancti, quoties grauissima aliqua peccata, aut peccatum in Spiritum Sanctum, vocant irremissibilia, loquuntur in sensu figurato & hyperbolico, & ad vsum hominum: volentes ostendere, quòd quemadmodum apud homines, homicidium filij Regis voluntarium irremissibile est ordinario modo, si tamen accesserit Principis clementia interfector pœnâ capitis promeritâ donari poterit; sic planè qui ex malitia peccatũ in Spiritum Sanctum blasphemando cõmittit, in filium impudẽter delinquendo, in Sanctissimam Trinitatem, aut vnionem substantiæ diuidendo, aut personarum distinctionem tollendo non tàm facile eiusmodi peccans tanti delicti veniam assequi possit, sicut alij peccatores ordinariè assequuntur. Verùm si pœnitentia perseueret, & dolor peccati adhibeatur, non ei negabitur venia Nullibi igitur Sancti Patres desperationem peccatoribus injiciunt, sed timorem solùm inculcant, ne facilem & parabilem medicinam recogitantes, morbi peccaminosi vim & grauitatem magis augeant. Siquidem nulla pœnitentia excogitari potest, quæ aut æquet crimina, aut excedat. Sed prudentia opus est, vt quemadmodùm grandi plagæ, altâ & prolixâ opus est medicinâ; sic quoq; graviori sceleri, pœnitens grauiorem adhibeat satisfactionem; & cùm leuius sit crimen, cùm peccatum suum homo vltrò confitetur, & pœnitet: grauissimum autem, cùm mala sua celat, festinet citiùs & pœnitentiæ in hæreat, conteratur & doleat. Neq; enim sine Contritione pœnitentia; neq; vera Contritio sine dolore esse potest? Ita qui in multis offendimus, non Golgotheâ tantùm in rupe depositi, verùm & ascẽdenti supra cælum cæli, & sedenti supra Cherubim, supra pennas ventorum ambulanti Deo, pro noxis vestigales pendere debemus lachrymas. Non nos deterreat amaritudo pœnitentiæ. Nusquàm enim cum pœnitentia, eò vsq; procedemus, vt cùm Heraclyto spiritus tristes induti, Democritum innubemq; frontẽ penitùs exuamus. Si quidem Pœnitentia, ita dolentem & peccata lugentem, mærore afficit, vt gaudium non excludat; ita animum delicta execrantem exhilarat, vt quæ sunt iusti doloris partes, eas ex æquo tueatur. Nam dùm pœnitemus, conterimur; & dùm conterimur, amamus. Proinde sicut amori quandoq; dulces sunt lachrymæ; sic pœnitenti verè, & ex amore Dei contrito, omnis iucunda amaritudo. Sed vellicat aurem quispiam, & quomodò amamus; dùm conterimur? quod dixi, nosse amet. Dictum reassumo. Contriti Deum amamus, quia ratio motiua contritionis, non est alia, nisi superexcedens bonitas, & amabilitas Dei, quæ nostram in Deum, & vicissim Dei in nos, potenter mouet charitatem. Cùm enim noxa lethalis sit mala in ratione mali omnia excedens, congruebat ipsam ex animo hominis non alio expelli actu; quàm specificato à bono super omnia bona. Proinde à diuina bonitate & dilectione. Hoc nobis inculcat Propheta Ezechielis 18. *Conuertimini* inquit *& agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinã iniquitas.* Et quomodò obsecro ex grauissimo peccati lapsu surgere, ex odio Dei offensi, ad eius conuerti amicitiam possumus? nisi sublatum animo Deum rursùs amemus, & offensum iterùm pœnitentiæ lachrymis deprecemur. Cælum enim ipsũ dùm angimur, recreamus. Nam *gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Testatur veritas in hodierno Euangelio. Gaudet Cælum de Conuersione peccatoris, desiderans vt hominem, quem ad beatitudinis æternitatem conditum esse scit, eum intra beatarum domicilia mentiũ post pœnitentiã, de peccato triumphantem videat. gaudet Pater æternus, dùm hominem videt, nolle à termino, quem illi omnipotentis voluntas conditoris præfixit, desilire; Verùm si delinquendo aliquantum aberrauit, amaræ pœnitentiæ remedio erigi postulare. Gaudet Spiritus Sanctus, dùm non refragantẽ, sed morigerum suis vocationibus animaduertit viatorem. Sed cuius gaudiũ maius cogitari potest, quàm Jesv Christi Saluatoris, & Redemptoris nostri, nam si cara habentur, quæ magno sunt pretio empta, & Christi gaudium, de conuersione peccatoris ingẽs esse debet, qui summo pretio salutem nostram emit.

Ezech: 18. Luc. 15.

Quomodo peccatũ in Spiritũ S. sit irremissibile.

Christus de conuersione peccatoris propter quatuor gaudet.

Quatuor autem causas reperiũt Doctores, propter quas Christus de conuersione pœnitentis summè gaudeat. Inprimis propter conformitatem voluntatis Christi, ad voluntatem Dei. Cùm enim Deus velit omnes saluos fieri, Christi quoq; aduentûs non aliud fuit motiuũ, quàm vt lapso mortalium generi succurreret; non mirum ergo quod propter conformitatẽ voluntatis suæ, idem circa homines cum Deo volentis, vbi peccatorem impietatis pœnitere videt, gaudeat vehementer. Et licet in diuinam Christi naturam non cadat gaudium temporale, partim quia mutaretur, partim quia non fuisset semper beata; nihilominùs tamen cadit in naturam Christi humanam, nec quicquã eius perfectissimæ beatitudini derogat, quia tale gaudium non prouenit ex fruitione visionis beatificæ, quasi de nouo sibi præsti-

cæ; sed potiùs ab amore rei amatæ. A Vnde quia in eodem supposito in quo est natura Christi humana, est quoq; & diuina: ideo propter hanc vnionem, proprietates naturæ Christi humanæ conuenientes, prædicantur de Deo, ac proinde præsupposita vnione naturarum in supposito diuino, certum est, quòd natura humana in Christo gaudeat propriè de pœnitentia peccatoris; diuina verò per communicationem idiomatum; quemadmodùm etiam Deũ passum aut Crucifixum esse dicimus.

Secunda ratio, Cur Christus de conuersione peccatoris gaudeat pœnitentis, sumitur ex fragilitate hominis; cùm enim homo suggestione dæmonis cadens, iterùm per pœnitentiam surgit, tunc sùâ fragilitate tentatorem fortiùs superat, vt dicit D. Gregorius Homilia 34. in Euan: S. Greg. *Maius de peccatore conuerso, quàm de stante iusto, gaudium est in Cælo: quia & dux prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter petit; quàm illum qui nunquàm terga* C *præbuit, & nunquàm aliquid fortiter gessit.* Homo enim non absimilis est pelicani pullis; quos illo absente serpens ex summo odio nidum eius intrans, occidit; at vbi redit pelicanus, & pullos trucidatos, vixq; iam oscitantes reperit, ex summo ergà illos amore, rostro se dilaniat, & super illos sanguinem spargit, sicq; ad vitam enectos reuocat. Quid serpẽs iste nisi antiquum illum animæ hostem denotat, qui prosecutus odio Dei Filium, nos tanquàm veros Chri- D sti pullos sæpiùs ingreditur, & in peccati mortem præcipitat: sed vbi benignissimus ille nostræ redemptionis Pelicanus, nos spiritu pœnitentiæ adhuc oscitantes reperit, subitò passionis suæ virtutem nobis applicat, & rursùm in gratiam suam reassumens viuificat, & viuificatos videns, in cælo gaudere, & lætari non desistit. Ad hunc proinde Pelicanum, in cruce pro nobis affixum, grauati peccatis confugere debemus, vbi si quæsierimus ex illo, cur adeò vulneratus sit? respondebit certè non alia ratione, nisi vt reuiuiscamus, & pœnitentiâ ducti, ad meliorem vitæ frugem redeamus, peccatorumq; enormitate detestabili perpensâ, dolorem in cordibus nostris eliciamus.

Homo pullis Pelicani similis

Peccatores Christi passione viuificantur.

Tertia ratio Cur Christus de cõuerso peccatore gaudeat, est immensa eius charitas erga homines, quæ sicut Christum de commissa in Deũ offensâ, atque animarum damnatione magno dolore afficiebat; sic planè, pœnitentia, de earundem animarum salute, summoperè illum gaudere facit; Hoc suum gaudium protestatus est Deus Lucæ 15. inquiens: *Congratulamini mihi quia inueni drachmam quam perdideram.* Quid nam autem esset ista drachma, quæstio est inter auctores, Glossa vult drachmã esse numerum certæ quantitatis; alij verò dicunt esse genus nummi, quinque nummos in se continens. Moraliter autem drachma significat animam electi ad gloriam, idq; propter C quatuor rationes. Primò, quia quemadmodùm apud ãtiquos drachmæ materia erat aurea; sic planè animæ electi hominis aurea esse debet materia, scilicet patientia & charitas; vt sicut aurum optimè sustinet percussiones malleorum; sic homo pœnitens per patientiam, vincat tribulationum & aduersitatum asperos ictus; & quemadmodùm ex auro Coronæ Regum, & Imperatorum fiunt; peccator pariter per charitatem, cõtritione pœnitudinis, ad regiam di- D uinæ amicitiæ dignitatem assumi curet. Secundò forma drachmæ erat rotunda; anima pariter pœnitentis rotunditatem in se repræsentare debet: vt ea bona quæ finem non habent, tota sollicitudine desideret. Tertiò, pondus drachmæ erat pondus iustum: Animæ peccatoris pœnitentis non aliud iustum pondus debet esse, nisi timor Dei: hic enim facit hominem graue & ponderosum, ne tanquàm palea, à leuissimo vanitatis & voluptatis mundanæ vento rapiatur, & per nimiam lætitiam dissoluatur. Quartò, drachma imagi- A nem Cæsaris impressam gestabat. Anima pœnitentis vt sit pretiosa drachma in conspectu Dei, imaginem eius sibi impressam gestet, necesse est; quæ Dei imago maximè in puritate conscientiæ eminet, quod Psal: 50. Propheta agnoscens clamabat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* denique in drachma solebat apponi inscriptio regis; in anima pariter hominis, Deus tanquàm in sua imagi- B ne posuit inscriptionem iuris naturalis, rectè faciendorum, & cognitionis Dei, quæ inscriptio ab ipsa statim creatione omnium animabus impressa est, vt docet Damascenus, & palam pronuntiat Propheta Ieremiæ Hierẽ: 31. 31. in persona Dei loquens. *Dabo*, inquit *Leges meas in corda eorum: & in visceribus eorum: super ponã eas.* Si igitur de ratiõe boni Patrisfamilias est vt inuentâ vnâ Margaritâ pretiosâ, in lætitiam effundatur, quomodò & noster redemptor gaudere non debet, C dùm pœnitentem peccatorem ad se conuersum intuetur? Hæc enim vnica illius est, & inæstimabilis vnio, anima hominis, de vnione sanctissimæ Trinitatis vnanimiter creantis producta, quæ per peccatum amittitur, recedens à Deo, per pœnitentiam verò iterùm reperitur, redeundo in gratiam illius.

Drachma quid significat

Quarta demum ratio est, quæ Christum mouet ad gaudendum, de conuerso peccatore, finis in ratione generis humani intentus, & quia D Christi in mundum venientis, principalis hæc intentio erat, vt separatos à Deo, vniret ipsi Deo, & reconciliaret nos peccatores creatori. Quocirca instituit sacramenta, præsertim verò sacramentum pœnitentiæ, vt tali pacto dispersas oues congregaret; proinde sicut ex vi huius intentionis, dùm esset in via, summè tristabatur, quando tali fine frustrari videbat obstinatos peccatores; ita profectò nunc lætatur, dùm homo per pœnitentiam erectus, finem salutis primariò intentum, consequitur, vt proindè meritò dici possit. Gaudium est Christo super vno peccatore pœnitentiam agente, sed nondum hic pœnitentiæ voluptas sistit, verùm in totum cælum & in Angelos spectantes refunditur vberrimè, dicente Euangelio. *Gaudium erit coram* Lucæ 15 *Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*. Ad quem locum alludens Diuus Bernardus Serm: 68. in S Bernardus. Cantic: exclamat: *Gaudent* inquit *Angeli ad pœnitentiam peccatoris: quòd si deliciæ Angelorum pœnitentia mea est, quid securitas conscientiæ, quid recta vitæ actio quid ipsa beatitudinis æternæ assecutio?* Non est dubium vnicuiq; mortalium, ab ipsa statim natiuitate, imò ab infusione Animæ, dari Angelum Custodem, qui homini vbiq; præsens assistat, maximè propter tria. Primò, vt hominem instruat in faciendis bonis operibus, in acquirendis virtutibus, in conseruandâ innocentiâ. Secundò, vt illum instruat in fugiendis & euitandis vitijs. Tertiò, vt illum protegat in repellendis diabolì tentationibus, in illisq; superandis adiuuet; quia ad hæc tria negotia homo ex seipso minus sufficiẽs est, vt docet D. Hieronymus inquiens: *Inter tot & tantas hostis versutias,* S Hieronymus. *non potest esse tuta humana infirmitas, nisi Angelico muniatur auxilio*; quod attestatur D. Hieronymus supra Matthæũ dicens. Magna inquit dignitas animarum, vt vna quæque ab ortu natiuitatis suæ specialem habeat Angelum, ad sui custodiam delegatum. Finis Christi aduen: D Ac proindè cùm Angelus custos, non relinquat hominem quamdiu viuit, siquidem homo quam diu viuit, semper subijcitur magnis periculis, atq; sic semper indiget Angelica custodiâ: adeò vt licet Deus hominem peccantem deserat, quoniam Dei in homine habitatio requirit dignitatem, & puritatem mentis, quæ tollitur per peccatum. Angelus tamen respiciens peccatoris indigentiam, eidem assistit, præseruans eum, ne in peius labatur. Dubiò procul summam capit voluptatem, cùm videt hominem suis crebrioribus stimulis

excitatum, à vitijs resurgere, & ad salutaris pœnitentiæ remedium confugere. Sic enim sublatum animo Deum sedulo quærens peccator, pœnitendo inuenit, & Angelos ipsos mirificè recreat dùm præsentem in animo hominis habitantem Deum contemplantur. Si igitur Christus & Angeli eius gaudent de pœnitentia peccatoris; quantò conueniens est, vt abnegantes omnem impietatem, sine vlla procrastinatione, in securum pœnitentiæ portum festinemus. Nec enim tàm salubrem medicinam differre licet, sine qua anima emoritur, sensus putrescunt, & frequenter ipse homo obstinatus atq; induratus, spem veniæ amittit, quemadmodùm consulit D. Ambrosius libro ad Virginẽ lapsam, cap: 9. hoc inquit: *Consilium do tibi miser peccator, Petas vltro carcerem pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus, ieiunijs discrucies, auxilia sãctorum inuoca, recumbe sub pedibus electorum, vt non per cor impœnitens, thesaurises tibi iram, in die iusti iudicij Dei, qui reddet singulis secundùm opera sua.* Non te in eorum numero constituas, quos luget Paulus, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditiâ & fornicatione, & libidine, quæ gesserunt. Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas: non solus hoc ego, multos habeo socios, sed recogita quia multitudo sociorum, impunitatem non facit criminum.

S. Ambrosius.

Ostendi igitur vobis, quanta sit pœnitentiæ vtilitas, vt sine illa nemo veniam assequi possit. Nam licet beatum sit, si nusquam aliquis vacillauerit; altera tamen eiq; vltima felicitas est, si post plagam accesserit medicina pœnitentiæ. Ostendi insuper, cur de nostra pœnitentia, Deus & Angeli gaudeant. Deus nimirum quia vult nos omnes saluos fieri, Angeli autẽ, quia nobis assistunt custodiendo, fideq; iucundum est ipsis, si illorum custodia circa peccatores non sit otiosa. Ac proinde cogitemus iam quantum & ipsi Deo debeamus, qui non tantùm nos ab initio finxit, sed & nunc infirmitati nostræ succurrit, animi propositum iuuans, & pœnitentiam largiens. Consideremus quantum & ipsis Angelis simus obligati, qui nos & in grauissimo lapsu, ne pereamus, protegunt: & ab inimicis regnum hoc conseruant. Iam securis ad radicem posita erat, dùm fastuosus Osmanes, cũ innumerabili othomanico exercitu, spe deuorandi hoc inclytum regnum, ad Poloniæ limites aduenerat: Sed Angelorum beneficio repulsus cum dedecore summo abscedere debuit, vt adhuc impij concessum pœnitentiæ tempus haberent, & tandem resipiscerent. Afflixit & toto hoc anno Patriam nostram rebellium infestissimo & periculosissimo bello: sed & hic Angelorum diligentia se opposuit, vt vel hoc perterriti exemplo, ad pœnitentiam inuitemur. Conuertamur proinde seriò pœnitentes ad Deum, clamantes cùm Propheta; tuus est Domine sermo ille, tua promissio: *nolo mortem peccatoris;* sed conuersionem. Nolis & tu mortem nostram sed ad nos pœnitentes conuertere, cum tripudiantibus Angelis, vt tecum in æternum gaudere; & viuere valeamus. Amen.

EADEM DOMINICA
CONCIO SECVNDA.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores vt audirent illum, Luc: 15.

Homines dupliciter ad Christum accedere solent.

VNicam fælicitatem mortalium generi proposuit Christus, scilicet mutuam secum conuersationem & societatem. *Delitiæ inquit meæ sũt, esse cũ filijs hominũ.* Hæc enim principalis fuit intentio eius, cùm naturam humanam suscipere dignaretur, vt nos sibi arctissimo amicitiæ fœdere

fœdere coadunaret; propter quod illam primariò petitionem ad Patrẽ æternum intulit. *Rogo te Pater vt sint vnum sicut & nos.* quasi diceret: sicut inter nos vnitas naturæ indiuisa, & Trinitas personarum inseparata regnat; ita & mortalium filij habeant nobiscum vnitatem, per gratiæ participationem. Sed vbi Deus hanc felicitatem, velut alterum pomum aureum ex supremo cælorum olympo, inter mortales proiecit, protinùs mundus dissensionibus mutuis de illo pugnare cœpit. Scilicet: cui nam hæc desideratissima Christi conuersatio debeatur. Innocentes illam sibi vendicant, quia pulchriori dari debet. Proinde cùm & innocentia sit omnium virtutum pulcherrima, & vnigenitus Dei filius sit ipsamet essẽtialis pulchritudo, iure meritò innocentibus eius fruitio & conuersatio debetur.

Peccatores quoque vi planè Christum repetunt; non expectato certaminis conflictu, aut rationum pondere, ad Christum appropinquantes. Nec vana eorum audacia? nam tantùm abest, vt repellantur; vt potiùs liberè cum illo colloqui & vesci permittantur. Vbi meritò forsan quispiam Christo Domino illud obijcere posset, quod obiecerat quondam Ioab Regi Dauidi, interitum filij Absalonis, inconsolabiliter deploranti. 2. Reg:19 2. Regum 19. *Diligis* inquit *odientes te & odio habes diligentes te.* quasi diceret: videris ô Rex, magis amare rebellem & infensum tibi filium, quàm nos amicos & fideles seruos tuos, dùm stragem & mortem eius deploras, cuius vita & victoria nostra fuisset mors & strages, meritò inquã posset quispiam id ipsum Redemptori nostro obijcere, cùm audit in hodierno Euangelio, peccatores tantũ & publicanos appropinquare: totos verò iustos sibi amicos & fideles, atq; per omnia morigeros despicere. Prudentissimo certe Paride opus esset, ad dissoluendam litem hanc, cur impijs liberior fermè aditus ad Christum pateat, quàm innocenter viuẽtibus? diruit ergo scopum scriptura sacra difficultatis, dùm dicit: *Omnis homo mendax, solus Deus verax.* quasi diceret: ne mireris ô homo, cùm audis peccatores ad Christum appropinquare, quia in finibus humanæ mortalitatis nemo est, qui à peccati reatu sit liber; omnes enim hæc misera lex stringit, vt omnes in iniquitatibus concipiamur, proindè licet postea sanctè vixerimus, à reatu tamen originalis culpæ, in nobis habitualiter manente, & à naturali propẽsione ad peccandũ denominamur peccatores, proinde velut filij mendaces, ad incarnatam veritatem accedere debemus. Quoniam Redemptor noster hanc insolitam clementiam nobis ostendit, ne ostium ad eius thronum venientibus, vsquã præcludatur; sed omnibus liberè pateat, vt docet Apostolus 1. Timotheorum 2. *Fidelis* inquit *Sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesvs venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Quasi diceret: frustra insurgis mundane Pharisæe, iustum te esse præsumendo, frustra fremis, innocentiam tibi simulatam adscribendo, & succensendo Christo, quòd peccatores ad se admittat. Nam si iustè, sanctè & si innocenter viuis: id non tibi, sed gratiæ diuinæ imputari debet. Cæterùm spectatâ naturæ nostræ conditione, & mortalitatis fragilitate, omnes sumus peccatores, proinde omnes rei culpæ & pœnæ accedimus ad Christum, ad quem quomodò sit appropinquandum, põderemus. 1. Thimot: 2.

Dupliciter homines ad Christũ accedere solent. primo excusando se à peccato, quẽadmodùm fecit Saul, quem cum Samuel argueret, quòd non expectans in absentia eius, holocaustum Domino ausus fuerit offerre. *Quid fecisti* inquit 1. Regum 13. numero 11. quasi diceret: agnosce tuum scelus execrandum, quod in omnipotentis maiestatem committere ausus es, & offensum tibi placa Deum. Et ecce miser Saul qui culpam suam ingenuè fateri, & erube- 1. Reg:13

scens factum crimẽ, ad pœnitentiam inclinari debuit, potiùs peccatum suum ex cusauit. *Necessitate* inquit *compulsus obtuli holocaustum.* 1. Regũ 13. Numero 12. quasi diceret: vt interpretatur Vatablus: Reclamãte quidem & repugnante animo, sed vrgente & impellente rerum statu, obtuli holocaustum. Nam mea mihi conscientia dictabat, te expectandum esse, sed obiecta pericula mouebant, immò & cogebant ad sacrificãdum. Quare cùm inter se confligerent, voluntas & necessitas, tandem vicit necessitas, & mea repugnãte voluntate, propter instantem tandem necessitatem sacrificaui. En excusatio suauis, sed stulta. propterea Deum irritauit magis, vt docet Carthusianus: *Saul* inquit *mendosè se excusauit, quia non erat necessitas vera, absoluta, sufficiens, talisq; oblatio vsurpata fuit magis offensiua Dei*, quam placatiua. Et licet iustam habuit excusationem Saul, iam enim miles fugiebat ab eo, teste scriptura 1. Regum 13. Numero: 8. *Dilapsusq; est populus ab eo*; proinde cùm dilapsis militibus nulla superesset spes victoriæ, sistere illos oportebat: cùm verò id fieri non posset, nisi Deo per sacrificium placato, necesse erat sacrificare. deindè quia hostes instabant, ibidem Num: 11. *Porrò Philistim congregati fuerant in Machmas*, instantibus autem è tàm propinquo hostibus, aut occurrendũ erat, aut moriendum, & mori reuera ne ipse quidem Samuel pateretur: occurrere quoq; nullo permisso sacrificio, quo Deum propitium sibi redderent, temerarium, in consultũ, immo & irreligiosum videbatur; & tamen inter tot euidẽtissimas rationes, quia Saul peccatum suum non accusauit, sed excusauit, furorem Dei in se commouit. nam statim sententiam contra se latam audiuit, ibidem numero 14. *Nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Nam dùm vnũ vitium cõmissum excusamus, ex illo statim plura pullulant: & contra humilitatem, quod culpam non cognoscamus: & contra charitatem, dùm illam aut in alios transferimus, aut à nobis remouemus: vt præclarè docet S. Ambrosius Apologo 1. de Dauid. cap: 2. *Peccatum* inquit *suum ingrauant, dùm negare cupiunt, aut defendere, ibiq; eorum lapsus est mator, vbi speratur correctio.*

Tripliciter autem mundi peccatores se à suis flagitijs excusare solent. inprimis negando; sed hoc modo non minuitur culpa, sed augetur. Vnde in huius veritatis testimonium, illi qui commissum peccatum negant, meretricibus in scriptura sacra comparantur, quæ à se omnem verecundiam abiecerunt. Sic Deus ipse synagogam, manifestè appellauit meretricem. Ieremiæ 2. Numero 20. *Quomodò* inquit *dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulaui*; quasi diceret; non mireris tibi nomen meretricis tribui, quæ meretricam impudicitiam, quæ est maxima, tua scelera negando, contraxisti. Hæc sacrilega pestis, per magnatum & potentum domos passim nũc grassatur, cuius causam non aliam esse, quàm superbiam, docet D. Gregorius, inquiens: *Nam cùm sublimes videri appetũt, lapsus suos ostendere dedignantur, & ideo excusationes proferunt, iustitiam prætendunt, quia apparere peccatores erubescunt.* Non ita fecit Regum exemplar, speculum Prophetarum, & potentum vera imago Dauid, qui cùm esset vltra humanam quodammodo sortem sublimatus; suum tamen peccatum non negauit, sed confessus est, 2. Regum 12 Numero 13. *Peccaui* inquit *Domino*. super quem Locũ D. Ambrosius, in Apolog: de Dauid cap: 2. *Ille* inquit *Rex tantus, tàm potens ne exiguo quidem momento, manere penes se delicti passus est conscientiam.* Sed præmatura confessione, atq; immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratum, ac diuitẽ qui, si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat. At ille regio clar⁹ imperio, tot diuinis clarus oraculis, cũ à priuato homine corriperetur quòd grauiter deliquisset, non indignatus infremuit; sed confessus ingemuit. Et cap: 4. *Peccauit* inquit *Dauid, quòd solent Reges sed pœnitentiam gessit, fleuit ingemuit, quod non solent Reges. Quod erubescunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri: Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis tenebatur legibus.* Deinde alij excusant peccatum suum occultando, & dissimulando, qui licet tantam in impudentiam non erumpãt, atq; illi, qui aperta vitia procaciter negant; nihilominùs tamen salutis antidotum recusant. Vnde facilè animi vitium recrudescit, ægrescitque tegendo, vt præclarè aduertit S. Ambrosius in Psalm: 61. *Acerbatur* inquit *vulnus, si foris clauditur, cùm interiùs virus exæstuat.* Talis fuit primus mortalium Patens, qui suum delictum occultauit: vocatus enim à Deo vbi esset? Geneseos 3. Numero 10. respondit: *Vocem* inquit *tuam audiui in Paradiso & timui, eò quod nudus essem.* Vbi Rupertus lib: 3. in Genesim: cap: 4. *Notandum* inquit, *quòd culpam suam tacuit, quæ causa sibi erat pudendæ nuditatis:* Non enim dixit. Timui, eò quòd præceptum tuum præuaricatus essem, sed eò quòd nudus essem. Non ergo factum suum, sed facturã Dei in semetipso reprehendit proinde culpam suam dissimulauit, non solum illam tacendo; verùm etiam culpam nuditatis suæ tacitè in Deum retorquendo. Neq; solis verbis sed etiam factis suũ peccatum primi parentes occultârunt. Nam cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso, inquit sacer textus. Genesis 30. Numero 8. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.* Vbi D. Chrysost: Homil: 17 *Quantæ* inquit *hoc est insipientiæ, quòd à Deo qui vbiq; præsens est, qui abscondita scit, qui fingit sigillatim corda hominum, qui etiam ipsos motus cordis cognoscit, abscondere se tentant.* Sed ne mireris S. Doctor, talis enim peccantium consuetudo est, vt tametsi occultari non possint; occultari tamen velint & studeant. Hinc nõ mirũ, quòd mundi peccatores magis sint procliues ad occultanda sua peccata; quàm ad confitenda, quia in hac re improbos Parentes, tamquam improbi filij imitantur. Vt docet Rupertus lib: 3. in Gen: cap: 14. *Perseuerat* inquit *vsq; hodiè peruersitas, in filijs Adæ, vt aliqua pœna pro suis malefactis affecti non quòd ipsi fecerint, sed semper accusent, quòd à Iudicibus factum sit, atq; adeò suam iniquitatem non sentiunt, iudicis verò seueritatem criminantur.*

Deniq; alij excusant se à peccatis, extenuando illa; quæ tamen hoc facto multò efficiunt crassiora. Patet in primis Parentibus, quorum vterque quidem suam culpam, confessus est, sed vterq; illam extenuauit. Nã interrogatus vir, quare mandatum Dei transgrederetur? respondit, *Mulier* iniquit *quam dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno & comedi.* Gen: 3. Num: 13. Mulier quoq; respondit: *serpens decepit me & comedi*: ibidem Numero 13. Quod considerans Rupert: lib: 3. in Genesim cap: 15. Antequàm inquit diceret comedi, scutum defensionis arripuit dicens; mulier dedit mihi, eadẽ pertinaciâ mulier, non absolutè dixit comedi, sed scutum prætendens ad excusandas excusationes in peccatis: *Serpens* inquit *decepit me.* Quasi verò Dominus requisiuisset, quis per suaserit, & non potiùs quare hoc fecerint? Qua indefensione suum peccatum nulla ex parte releuarunt, sed multipliciter aggrauârunt. Primum ideo, quòd peccati remedium in sola confessione positum, sese excusando contemserunt; ita sentit D. Bernardus, in Tract: de Præcepto, & dispensatione. *Arbitror* inquit *& ipsam primam grauissimam q; prævaricationem, aut non aliunde aut inde maximè iudicatam grauissimam*: hoc est, ex rebellione defensionis, quæ secuta est, quando Deo causam requirente peccati, vt peccatores ad pœnitentiam prouocaret, ipsi maluerunt cor suum declinare ad verba malitiosè ad excusandas excusationes in peccatis. Atque vtinã hanc

Vatabl. — Carth: — 1. Reg: 13 — Ibidem. — S. Greg: — 2. Reg: 12 — S. Ambrosius. — Hieremiæ. 2. — Idem. — Occultare peccatũ est resipuere salutem. — Gen: 3. — Rupert: — Primi parentes culpã in Deum reiiciebãt. — Gen: 3. — S. Chrysostho: — Rupert: — Gen: 3. — S. Bernardus.

S. Ambrosius. — Excusatio à peccatis triplex.

hanc primorum parentum excusatio A nuitur, defensione cumulatur; & si-
nem de peccatis, filij saltem non imi- lendo corrigimur, contentione verò
tarentur. Sed proh dolor! *Vsitatũ* prolabimur.
S. Greg: *iam est huius generis vitium, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare;* inquit S. Greg: lib: 22. moralium, cap: 9. Non sibi proinde tantùm, sed etiam filijs primi Parentes, consuerunt folia ficus, & fecerunt perizomata. Genesis 3. Numero: 7. Nam vt benè D. Ambr:
S. Ambrosius. lib: de paradiso cap: 13. *Iacit* inquit *super se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris.* Sed errat humana mortalitas. Nam quibuscunq; excusationum inuolucris peccatum obtegatur, tantò magis aperitur, vt docet sapiens Pro-
Prou:10. uerbiorum 10. Numero: 6. *Os impiorum operit iniquitas.* At quo pacto obsecro iniquitas, quæ passim ab ore impij operitur, idem os operit? Non alio opinor, nisi quia peccatum quò magis cõmittitur, eò magis cooperitur; quò magis extenuatur, eò magis aggrauatur; clauditur intra os, dùm excusatur, sed funditur extra os, dùm ipsis excusationibus multiplicatur. de Pythagora Philosophiæ Parente refert D. Ambrosius, lib: 3. de Virginibus. Ille qui inquit Philosophiæ nomen inuenit ipsius, quotidiè priusquàm cubitum iret, tibicinẽ iubebat molliora canere, vt anxia curis secularibus corda mulceret, sed ille; sicut is, qui laterem lauat, secularia secularibus frustra cupiebat abolere; magis enim se obtinebat luto, qui re- D medium à voluptate quærebat. Hoc ipsum potiori iure illis subscribi potest, qui sua peccata excusant; non enim se lauant sed inquinant: non labes abstergunt, sed ingerunt: non mundant conscientiam, sed magis sordidant. Periculosum proinde est ad Christum Dominum appropinquare, peccata quocunq; modo excusando. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum, non defendere; quoniam pudore culpa mi-

Altero modo appropinquant homines ad Christum, per veram pæ- Per pœnitentiã acceditur ad Christũ
nitentiam; quem modum tanquàm optimum præbuerunt nobis Israèlitæ, qui videntes iratum sibi esse Deum, vt eum placarent, & sibi propitium redderent, inquit sacer textus 1. Regum 7. Numero 6. *Conuenerunt in Maspath hauseruntq; aquam, effuderũtq; in conspectu Domini, & ieiunauerũt in die illa, atq; dixerunt ibi, peccauimus* B *Domino.* Vbi statim in vera pænitentia tria requisita expresserunt, confessionem peccatorum, illis verbis: *peccauimus Domino*; deinde separationem à peccatis, quando effuderũt aquam; hoc enim signum erat ampliùs non redeundi ad peccata, sicut aqua quæ semel effusa est, iterùm nõ reuocatur; tandem satisfactionẽ, pro peccatis, quando ieiunauerũt in die illa, vt quidquid pœnarum pro culpis debebatur, id totum illo ieiunio lucrarentur. Per quod vera Christia-
norum pœnitentia figurabatur, quòd C illi tantùm ad Christum verè appropinquent, qui pœnitentes accedunt: Pœnitentia enim habet hoc singulare, quòd õnia peccata exoluat, iuxta illud Tertulliani in Carmine de sena- Tertul:
tore, ad idololatriam transfuga. *Non erit in culpa, quem pœnitet ante fuisse.* Mysterio plenum est, illud Christi miraculum. quo voluit Christus Dominus vt didrachma publicanis, Matt:17
à D. Petro solueretur; *Vade* inquit *ad mare & mitte hamum; & eum piscem qui primus ascenderit tolle: & aperto eius ore inuenies staterem; illum sumens da eis pro me & te.* Matthæi 17. Numero: 27. At cur obsecro didrachma illud, non inuenitur potiùs in visceribus piscis, vbi reconduntur, quæ à piscibus deuorantur? sed in ore, vbi nullam vel exiguam moram trahunt, quæ à piscibus corripiuntur? rationem istius facti colligo inde. quia cum piscis inter cætera animalia ἄφωνα (aphonos) hoc est mutus & sine voce appelletur, significat peccato.

catorem, profundo suorum scelerum A *dolescentulum in iuuorem meum.* Gen:
silentio inuolutum. Ab huius ergo 4. Num: 23. Hæc ergo culpæ confes-
ore aperto peti voluit Christus didra- sio, fuit ei pœnæ solutio; vt egregie
chma, suis exactoribus tribuendum, Theodoretus Quæst: 44. in Genesi:
vt indicaret ab ore peccatoris eruen- argumentatur. *Pœnam* inquit *euasit* Theod:
dam esse cõfessionem qua suis debitis *propter peccati confessionem, & contra se*
exoluatur. Sic tropologicè locum *ferens sententiam, euitauit sententiam*
hunc exponit D. Ambrosius libr: 4. *diuinam.* Graue quoq; olim peccatũ
in Lucam cap: 5. vbi postquam illud commiserant Iudas & Thamar, &
didrachma pretium nostræ redem- tamen in hanc solam Capitale sup-
S. Am- ptionis appellauit, subiungit verba plicium decernitur. Genesis 38. Nu-
brosius. hæc: *Non otiosè* inquit *in ore piscis in-* mero 24. *Producite* inquit *eam vt com-* Gen: 38.
uentum. Ex ore enim tuo iustificaberis. Et enim pretium immortalitatis! est nobis B *buratur.* Iudas verò non tantùm pec-
nostra Confessio; quasi diceret: re- cati reus non accusatur, sed neq; no-
demptionis suæ pretium non soluũt, minatur. Causa est, quia Thamar
qui peccata sua sub cordis latebris occultauit crimen suum; Iudas verò,
occultant: sed qui illa confitendo e- illud agnouit & pœnituit, ibidem Nu-
tiam ore manifestant. Habet & hoc mero: 26. *Iustior* inquit *me est.* In
pœnitentia, quod hominem à pœnis quem locum D. Ambrosius lib: 2. de
liberet, & quidem ab æterna semper; Pœnitentia Cap: 8. scribens: *Ideò in-* S Am-
à temporali verò magis & minus, quit *culpæ eius deputatum non est, quia* brosius
prout maior aut minor fuerit confes- *ipse priùs se accusauit, quàm ab alijs ac-*
sionis perfectio. Testis est veritatis *cusaretur.* Proinde non modo culpã
huius quæ ad pedes Christi Domini, à se tranſtulit, sed & pœnam. Habet
sua crimina non loquendo, sed lacry- & hoc vera pœnitentia, quòd bonorũ
mando confessa, veniam reportauit. Pœnitẽ-
Lucæ 7: Lucæ 7. Numero: 48. & 50. *Remit-* C spiritualium diuitijs, peccatorem pe- tia spiri-
tuntur inquit *peccata tua, vade in pace.* nitentem cumulet. Exigua enim es- tualibus
quod Hugo Victorinus expendens set pœnitentiæ vtilitas, si à meritis tã- bonis
suis in quosdam Psalmos annotatio- tùm pœnis vendicaret, & non infini- ditat.
Hugo nibus, cap: 64. sic dicit. *Christus in-* tis simul bonorum cumulis augeret.
Victo- *quit vt ostenderet mansuetudinem suam,* Nam licet peccatori sufficeret indul-
rinus. *& paruicordibus daret fiduciã appropin-* gentia, & remissio pœnæ; Deo tamẽ
quandi cito veniam indulsit, pœnam nul- non sufficit, qui sua peccata confiten-
lam induxit. Legimus Gen: 4. Num: tem, non modo supplicio liberat, sed
25. graùissimam olim pœnam cõmi- etiam præmio coronat. Vt videre
natum fuisse Deum illi qui Cain oc- est in bono latrone, qui sua crimina
Genes: 4 cidisset: *Omnis* inquit *qui occiderit* confessus, non solùm è patibulo ere-
Cain septuplum punietur, & tamẽ post ctus est, sed etiam in Paradisum in-
multum temporis Cain occisus est à troductus. Habet & hoc pœnitentia,
Lamech Lamech, vt antiqui Hebræi tradunt, D quòd homini vires ad vincendum
post oc- teste Sancto Hieronymo, in quæstio- conferat.
cisũ Ca- nibus Hebraicis & Epistola 125. ad
in pro- Damascum Quæst: 7. At quæ pœna Sexcen-
pter pœ- Lamechum secuta est, omnes sacras ta mil-
nitenti- literas reuoluite, nullam inuenietis. lia viro-
am à cul Quid ergo Lamechum à tanta homi- rũ à fœ-
pa im- cidij pœna immunem fecit? Quid minis
munis. diuinam contra illum sententiam re- cæsa.
Ibidem. uocauit? Reuera pœnitentia: Quia homicidium liberè confessus est. *Occidi* inquit *virum in vulnus meum, &* Num: 25
E
rò tàm

rò tàm paucos coronauit? nisi vna pœnitentia, quæ hos paucos sua clade admonitos, non autem illos plures sua temeritate præcipites obarmabat. Sic censet Origenes Hom: 25. in Numer: *Qui priùs* inquit *à Mulieribus victi sunt, nunc expiatione habitâ, & gestâ pœnitentiâ etiam Reges vincunt.* Ex hoc intelligamus, quantum valeat conuersio ad Deum, quãtum prosit emendatio peccatorum. Immò pœnitentia ipsum Christum, ad verè pœnitentes fortiùs trahit; quàm innocentia ad innocentes. Nã quid Causæ, quòd Christus Dominus ad vitam reuocatus dicatur, priùs fœminis, quàm viris apparuisse; imò per fœminas suam viris resurrectionem diuulgasse. *Ite* inquit *nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matthæi 28. Numero: 10. Quare ergo hic honor, prior tribuitur fœminis, quàm viris, qui tamen multo digniores sunt? Responderet forsan Politicus, quia fœminis semper prior locus, in confessibus iucunditatis dari solet. Proindè & Christus quia in sua resurrectione lætitiã in mundi theatrum induxerat, ideò priùs hac lætitiâ fœminas honorare voluit, priùs eis apparens: sed in rei veritate causa hæc videtur, quia fœmina suam priùs culpam confessa fuerat. Licet enim Adamus, priùs se de ligno comedisse manifestauerit. Genes 3. Numero 12. tamen Eua priùs se deceptam, atq; adeo aliquẽ defectum incurrisse confessa est, ibidem Numero 13. Quæ autem prior erat in confessione, æquum videbatur, vt etiam ad hunc honorem prior assumeretur. Mirum est, quòd S. Petrus in vltima Cœna, non fuerit ausus Christum Dominum interrogare, quisnam eum traditurus esset? sed Ioannem ad interrogandum submiserit. Ioannis 13. Numero 24. Et nihilominùs post resurrectionẽ Domini, intrepidus accessit, ad interrogandum, quid futurum erat de Ioanne inquiens: *Domine hic autem quid.* Ioan: 21. Numero 21. Quid hoc est? Num certè maiorem fiduciam interrogandi Petrus post lapsum sibi comparauit, quàm dùm innocentiæ statum retineret? Sic reuera censet D. Thomas 3. parte q. 89. art: 3. ad 3. vbi rationem huius audaciæ assignat istam. *Quia tunc* inquit *innocens erat, at nunc post negationem pœnitens.* Qui enim ad pœnitentiam redit, maiorẽ ad Deum accedendi fiduciam acquirit. Vnde S. Ioannes, qui in cœna propior Christi Domini lateri adhærebat, post resurrectionem tamen cedere, & propiores partes Petro deferre voluit, iudicando pœnitenti potiùs; quàm innocenti primas dari. Vnde Christus Dominus noluit S. Ioannem Baptistam in os, neq; præsentibus eius discipulis laudare, sed illis abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Ioanne: Matthæi 11. Num: 7. Magdalenam verò præsentem & audientem toties summis laudibus celebrauit? Vt habetur Matt: 26. Numero 10. Lucæ 6. Num: 44. & Lucæ 10. Numero 42. Discriminis huius ratio est, vt ostenderet Christus, quòd magis beneuolo animo erga pœnitentes afficiatur eosq; innocentibus etiam aliqua ex parte anteponat; vt intelligant peccatores, se si verè resipuerint, inferiori in loco apud Deum non futuros, sed in æquali planè reponendos, quem haberent, si primam innocentiam conseruassent.

O magnam pœnitentiæ virtutem & præstantiam! per quam impuræ mentes si verâ pœnitentiâ expientur à meretricio luxu ad virgineum statum reuocãtur, quemadmodùm insinuat Philo Hebræorum lib: de Cherubin. *Homo* inquit *quando liberos sibi quærit, ex virginibus reddit mulieres. At verò Deus quando incipit habere consuetudinem cum Anima; eam quæ modo mulier fuerat, restituit in Virginitatem pristinam.* Et Confirmat D. Chrysosthomus Homil: 6. in Matthæum de Magdalena loeutus. *Illa* inquit in Euangelio *meretrix Virgines quoq; ipsas honestate superauit, & incredibilis amoris in Christum igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lachry*

marum fonte purgata. Qua de re elegãter Petrus Damianus in Epistola 4. de Dei omnipotentia Cap: 3. in 3. tom: bibliot: 2. editionis. *Nouimus* inquit *vtriusq; sexus homines post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosæ vitæ peruenisse munditiam, vt non modo castos atq; pudicos, quos libet in sanctitate præcederent; sed & non contemnenda multorum virginum merita superarent.* Immò, quid dico, per pœnitentiam ex peccatricibus Virgines effici? plus illa præstat: nam & ex brutis homines, immò ex diabolis Angelos constituit? Huc quicunq; ingressus est, miluus, egreditur columba; si introierit lupus, exit ouis; si ingrediatur serpens, egreditur agnus, non quidem immutatâ naturâ, sed ex plosâ malitiâ. Quas Ecclesia Christi ad se recipit feras? laruas, hydras, sphynges, harpias, & chimeras, atq; huius generis innumera portenta? hoc est; peccatores, in tàm prauas scelerum figuras, deformatos, vt non homines, sed bruta quædam animalia, imò & larualia quædam spectra videantur. Quas inquam laruas & monstra, ac monstris ipsis mõstrosiores ad se peccatores recipit Ecclesia sancta? ita eos ab omni vitio excoquit, & expurgat, ita fingit atq; polit; ita comit atq; format, ita curat ac serenat; vt à brutis in homines, immò à dæmonibus in Angelos commutata esse censeãtur. Veniunt ad Ecclesiam Sanctam tanquàm ad aram pœnitentiæ, innumeri peccatores: tàm insolentes, vt Leones; tàm crudeles, vt tygres: tàm sanguinarij, vt lupi; tàm rabidi, vt canes; tàm obscæni vt equi: tàm callidi, vt vulpes; tàm multiformes, vt Polypi; tàm maleuoli, vt viperæ; tàm terribiles, vt dracones; tàm peruersis denique; ex moribus concreti, vt vel ipsam diaboli malitiam, iam exæquare, ne dicam superare videantur. Sed dùm in hac salutari ara pœnitentiæ, velut in quadam spiritualis methamorphoseos officina subiunguntur, & molliuntur. & excoquuntur; nec solùm à belluis in homines animantur: sed etiam à diabolis in Angelos conuertuntur. Quam admirandam Methamorphosim non vanam, sed veram: non circeam, sed diuinam: S. Chrysosthomus tribuit pœnitẽtiæ, tanquàm spiritualium conuersionũ effectrici: *Est* inquit *Pœnitentia medella delictorum, prauaricatorum solutio, aduersus diabolum armatura, simul & gladius, caput ipsius præsecans, salutis spes; euasio ignorantiæ, ipsa homini Cælum aperit, & in Paradisum introducit.*

Audistis igitur Catholici, peccatores, & publicanos appropinquasse ad IESVM, ex doctrina Sancti Euangelij, quia nemo à fomite peccati exceptus est, sed vnum quemq; delicti macula, ad huc in vterno materno stringit; Audistis dupliciter homines accedere ad Christum, alios tantùm, vt peccata sua excusent, quod summam impietatem redolet; quoniam qui venenum occultat, mortẽ sibi accelerat. Alios verò vt Christũ audiant, & verbo eius Sancto compuncti pœniteant. Quare vnum vobis restat, præsentem habetis in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento IESVM, qui vocem vestram exspectat, qua velitis iustificari.

Appropinquate ergo ad illum, non vt excusetis admissa crimina, sed potiùs vt confiteamini peccata, certi per talem pœnitentiam vos Christo gratissimos fore, & vestras animas licet turpitudine vitiorum contamina tas, in pristinum innocentiæ statum restituendas, nec ampliùs iratum vltorem, sed benignum & propitium largitorem omnium bonorum Deum vobis præsto affuturum. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA,

Dico vobis gaudium erit coram Angelis super vno peccatore.

Lucæ 15.

Producuntur quatuor causæ, cur Angeli de conuersione vnius peccatoris gaudeant.

PVtaret non nemo, quòd Christus ita hodiè peccatorum animos ad bonam frugem se recipientium demulceat, vt iustos quodammodo cõtemnere videatur. Quis enim non obstupescat, maius gaudium, festiuioremq; lætitiam de peccatoris pœnitentia; quam de iusti innocentia, apud Angelos æquissimos rerum pensitatores agi? Cùm vtiq; pœnitere nihil aliud sit; quàm conculcato peccato, amissam iustitiam, & gratiam recuperare. At verò iusti hanc inuiolatam, & illæsam ac florentem retinent: ergo maiori festiuitate de illorum iustitia; quàm de peccatorũ conuersione Angelis gaudendum esset. Difficultatem hanc subtili ingenio acutè satis dissoluit S. Gregorius Homil: 34. in Euangelia, asserens, non de cuiusuis peccatoris conuersione, nec cuiusuis iusti iustitia hęc verba Christi accipienda esse. Ne scilicet de illius peccatoris pœnitentia, qui segniter ad Deum reuertitur, & iterum in peccatum relapsurus est; aut certè iustitiam, & Dei obsequiũ ita tepidè suscepturus, vt vix constet, aut subsistat, arbitremur maius gaudium Angelis futurum; quàm de tot hominibus iustis, in Dei timore vitã in culpabilem agentibus. Verùm de eo peccatore verba Christi intelligi debent, qui ad morem D. Pauli sæculi vanitatem, atq; peccata ita deserit, vt totum se Deo, & iustitiæ mancipet, omni conatu virtutibus incumbens. Sic citata Euangelij verba exponit S. Gregorius, loco supra citato in hunc modum discurrens. *Considerandũ nobis est, cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis, in cælo gaudium esse fateatur. Vnde hoc, nisi quòd ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerumq; hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, tantoq; sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt.* Et paulo post subdit: *At contra nonnũquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti in ardescunt in amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrant desiderio, ad supernam patriam anhelant, & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant.* Quòd statim egregijs imaginibus illustrat, hæc addens. *Maius ergo de peccatore conuerso quàm de stante iusto gaudium fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugã reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit.* Quibus verbis manifestè S. Gregorius ostendit, non de cuiusuis peccatoris conuersione magis lætari, sed de eius, qui perfectè ad Deum conuertitur, qui se errasse à Deo considerat, & damna præcedentia lucris sequentibus compensat, ac post peccatorum spinas, vberes virtutum spicas profert. Talis erat D. Paulus, qui tanquàm egregius miles Christi, ad Christum conuersus, hostem fortiter pressit, & ad summum perfectionis apicem totis neruis contendit, inquiens ad Philippen: 3. *Sequor, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo.* Ergo non satis est, conuerti ad Deum, nisi & peccatis totaliter renunties, & de præteritis malè commissis condignam satisfactionẽ persoluas. Audite hanc legem ab ipso Deo per Prophetã peccatoribus promulgatam, Ezech: 33. v. 14. & 15. *Si autem dixero impio: morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium, & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vitâ viuet, & nõ morietur.* Ecce Deus non solùm dolorem de peccatis, ac pro illis debitã Deo, ac hominibus satisfactionem factam; sed insuper strenuum obsequium,

S. Greg:

Ezech: 33.

quium, & omnem diligentiam ad viam virtutis ineundam apertè requirit. Quid enim aliud est facere iudicium, & iustitiam, & in mandatis vitæ ambulare? nisi vt peccator per pœnitentiam conuersus, ea alacritate, & ardentiori studio Deo, cui semper obsecundare, & seruire debuerat, satis facere conetur, ad eum modum, quo homini aliquid per iniuriam extorsit, tenetur satisfacere, rem ei ablatam restituens. Vt scilicet peccator ad iustitiæ cõmutatiuæ leges se componens, duplicato obsequio æqualitatem ponat. Considerabim' itaq; cur Angeli super vno peccatore pœnitentiã agente gaudeant.

Aloysius Nouarinus

Aloysius Nouarinus sollicitè inuestigans, cur in cœlo gaudeant Angeli super vno peccatore? hanc assignat rationem: *Quia sicut condolent cadenti; ita congaudent surgenti.* Sic quando Adam peccauit, venit Deus in Paradisum, & vocauit *Adam vbi es.* Super quem locum Theodoretus dicit, quòd Deus tenens manum ipsius, velut cum intimo socio exierit de Paradiso. S. autem Chrysosthomus addit: *Die illa, qua lapsus est Adam, accessit Deus ad Paradisum, & vt ita dicam, lamentatus est, luxeruntq; Angeli, & vniuersa creatura casum, & mortem Adæ.* Quod non sic intelligendum est, quasi Angeli vere doleant, & lachrymentur: Nam vt dicit S. Augustinus lib: 9. de ciuitate Dei: *Sancti Angeli puniunt sine ira, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miseris sine miseriæ compassione subueniũt, & periclitantibus, quos diligunt, sine timore opitulantur.* Sed quia istarum nomina passionum, per consuetudinem humanæ locutionis, etiam in eos vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem, ita vt ad modum dolentium, aut lachrymantium se habere videantur quandoq;, dùm nos à gratia Dei excidere vident, & sub sua custodia existentes, turpiter agere spectant.

Gen: 3

S. Chrysost:

S. Aug:

Hinc quia nos impensè diligunt, incredibile est, quantum eos afficiat, dùm eorum monitionibus spretis in peccata incidimus, adeò vt licet omnis doloris expertes sint, vt pote incorporei; tamen S Patres ad eorum sensum ob hoc exprimendum, Methaphoricè loquendo, eos flere dicant, ac tristari. Sic censet S. Basilius Homil: 10. in Psal: 37. vbi super illa verba: *Amici mei, & proximi mei.* Scribens, per Amicos intelligit Sãctos Angelos Custodes, eosq; prospicientes casum Dauidis, fleuisse affirmat, in hunc modum loquens: *Et ibi igitur omnes Dauidis amici, iuxta peccati ipsius tempus recesserunt aduersantes, non tamen ipsum penitus relinquebant, verùm eminus lugentes flebant.* Qasi à fumo peccatorum expulsi, vt ingeniose idem citatus Basilius in Psal: 33. explicat his verbis: *Omni namq; in Christo credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus: velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; Sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit graue olens peccatum.* Et licet tunc Angelus Custos hominem peccatorẽ non deserat, lachrymas tamen exprimit ex fumo peccatorum. Hoc fatetur ipsamet, scriptura sacra Isaiæ 33. v. g. loquens: *Angeli pacis amarè flebant,* in quo loco S. Hieronymus, Angelos S. intelligit templi Salomonis custodes, qui ex compassionis affectu, ex charitate, & dilectione erga nos, quando peccamus, ita compatiuntur nostrum prospicientes malũ, dolentes pœnas, quæ nos post peccatum manent, vt si sensum doloris exprimere possent, flerent.

S. Basil:

Ezech: 33.

Angeli nostros lapsus grauiter ferunt.

Paulus primus Eremitarum institutor, venit quodam tempore ad S. Antonium, qui peracta mutua consalutatione, in Ecclesiam descenderunt. Verùm quia Paulus Eremita donum habuit à Domino Deo, ex facie cognoscendi vnum quemq; cõsedit in foribus, diligenter circumspiciens, qualis quisq; introisset. Interea vidit quendam introeuntem facie deformi, quem dæmones pro suo placito ad omnia illicita impellebãt, velut vt vulgari sermone loquar, cereum

Paulus Eremita ex facie cognoscebat homines.

reum nasum habentem, hunc Angelus Custos tristis à longe sequebatur. Admiratus Paulus videns alios pulchra, alios de formi facie Ecclesiam Sanctam ingredi, exclamauit: *Videte, quanta Deus fecit.* Quamdiu homo est in gratia, Angelum Custodem à dextris sibi assistentem, imo vndiq; se cooperientem habet, vt docet S. Basilius supra citatus, his verbis: S. Basil: *Quemadmodùm vrbium muri in circuitu vndequaq; hostium insultus arcent; sic etiam Angelus & à tergo, & à fronte custodit, & neq; vnius lateris partes incustoditas relinquit.* At verò dùm homo in peccatum prolabitur, Angelus S. qui priùs à dextris tanquàm in loco digniori extabat, videns peccati deturpatiua qualitate hominis faciem deformem nimis redditam, loco diabolo cedens, à sinistris, immò à longe se ponit. Quod non operosè colligitur ex illo Zachariæ 3. v. 1. Zachar: 3. *Et ostendit mihi Dominus IESVM Sacerdotẽ magnum stantem coram Angelo Domini, & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei:* accusans nempe illum de multis, varijsq; peccatis, in quibus cum reus esset, ideo Sathan à dextris tanquàm in loco digniori stabat. Et hoc insinuare voluit D Augustinus Psal:108 in Psal: 108. super illa verba: *Constitue legislatorem super eum, & diabolus stet à dextris eius.* Uerba hæc de Iuda S. Aug: proditore exponens ita dicit: *Diabolus stetit à dextris eius, quando præposuit auaritiam sapientiæ, & pecuniam saluti suæ, vt eum traderet, à quo debuit possideri.* Idem docet S. Ambrosius lib: S. Ambrosius. 3. de interpellat: cap: 11. *Adam* inquit, *dexteram suam diabolo dedit, quã extendi fecit ad interdicta poma.* Vt hinc agnoscamus, quantum peccando efficiamus malum, dùm & diabolum Angelo Sancto præferimus, & simul Sanctorum Angelorum custodiam impedimus, efficientes, vt nostrâ culpâ remittant officij sui exercitium; nostrâ malitiâ deserant actualem operationem, quâ semel destituti, dici non potest, in quanta mala prolabimur, iuxta illud D. Bernardi: *Si se à nobis boni spiritus elõgauerint, impetus malignorum quis sustinebit.* S. Bernardus. Palam faciens, nos ex offensione sanctorum Angelorum custodum in innumera prorsus mala incidere.

Altera ratio, cur Angeli super vno peccatore, pœnitentiam agente lætentur in cœlis, hæc est. Quia sicut passim dicitur, *gaudium est miseris, socios habuisse dolorum*: Sic afflictus afflictum facile consolatur dùm ambo rebus aduersis se premi agnoscunt: quia minuitur dolor, vbi diuiditur, & in plura pectora diuisus, minus cruciat. Hinc dives ille, qui superbo de stigmate Lazarum ad fores suas decumbentem, & micam panis mendicantem, non libenter aspiciebat, gehennalibus postmodùm flammis cinctus, eum in sinu Abrahæ quiescentem videns, ad se pro refrigeranda lingua mitti postulauit, clamans: *Pater Abraham mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16. Res stupenda, pendite flammam, quæ omnia deuorabat, & ipsa etiam saxa durissima instar ceræ liquefaciebat. Pẽdite cruciatus, qui omnia à toto mũdo excogitabilia tormenta longè superabant. Pendite locum, qui est infernus, omni horrore, fœtore, & venenatis bestijs plen⁹, & admiremini quomodo vnam solùm aquæ guttam ad se refrigerandum potentem iudicauit? Quòd sanè impossibile est, cum exigua aquæ gutta non extinguat, sed magis augeat grande incendium.

Diues in inferno cur Lazarũ ad se mitti petijt.

Lucæ 16

Respondet Laurentius de Aponte, Diuitem non de materiali, sed de spirituali guttula atq; diuina locutũ fuisse, quæ ad totius mundi incendium extinguendum sufficiens est. In hanc sententiam propendent D. Augustinus de q. Euangel: lib: 2. cap: 38 ante medium tom: 4. vbi dicit: *Extremum autem digiti vel minimam operationem significat, qua per Spiritum S. subuenitur.* S. Augustinus. Recte ergo infelix ille dives iudicauit, si vel vnicam eiusmodi guttulam, non dico prælibasset, sed attigisset saltem, omnes illas flãmas

infal-

infallibiliter extinguendas fuisse, omnesq; illos dolores, licet infernales, licet gehennales, penitus extinguendos. Hinc D. Chrysosthomus in cap: 4. Epistolæ ad Philippenses, omnes mundi tristitias simul positas, diuinæ comparans delectationi, vnam scintillam appellat, vasto oceano immersam, ita concludens. S. Chrysostho: *In Domino gaudens ex accidente nullo hac voluptate excidere potest, alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantã nobis afferunt voluptatem, vt ex alijs nascentem tristitiam expellant, & obumbrent; Dei verò timor hæc habet vtraq; stabilis enim est & immotus, atq; tantam emittit lætitiam, vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat.* Cuius statim rationem sufficientem affert: *Deum enim timens, & in ipso confidens voluptatu radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem; & sicut in immensum mare decidens scintilla breui facilè extinguitur, sic quantacunq; Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur, atq; perduntur.* Dives igitur inferni ignibus adustus, guttulam aquæ, verùm non materialis, sed diuinæ exposcebat, qua omnes illos cruciatus extingui non dubitabat.

Dives in inferno Lazarum habere voluit socium.

Cæterùm aliud quidpiam mihi intendisse videtur infelix ille dives cùm optimè sciret, in inferno nullam esse redemptionem vt nimirum Lazarum, quem in vita odio prosequebatur, post mortem in pœnis infernalibus socium haberet. Quasi diceret: *Mitte Lazarum de gremio tuo ad infernum, de solio sublimi ad profundum chaos.* Hic est subtilis conceptus chrysologi, qui Serm: 122. Solito acumine animaduertit, diuitem non postulasse refrigerandum se ad Lazarum duci; sed Lazarum ad se mitti: *Non se* inquit, ad Lazarum duci postulat; sed ad se Lazarum vult deduci. Profectò satius videbatur ipsum diuitem vsq; ad Lazarum contendisse; quàm Lazarum ad ipsum aduentasse. Nam si Lazarus iter egisset, flammis dives adurgeretur consumptus; si autem ipse pergeret, horrendos illos flammarum globulos extractus non pateretur. Ergo stulte Lazari cupiuit aduentum, & prudentiùs ad Lazarum suspirasset volatum. Verùm cùm dives de sæculi more nouerit, vnius felicitatem de alterius calamitate produci, ad se Lazarum venire studiosissimè flagitauit. Nam si ipse ad Lazarum tenderet, sine Lazari detrimento linguæ gehennalis sopiretur flamma; si autem descenderet, eius incommodo depelleretur miseria. Adeo mihi credite apud sæculũ insolitum est, alterum felicitate frui sine alterius detrimento, vt nullatenus dives crediderit linguæ inueniendam medelam, nisi Lazarus pateretur iniuriam. Non induxit proinde animum, vt crederet sine Lazari discrimine posse se refrigerium impetrare, ideo non petijt se ad Lazarum duci; sed deduci ad se postulauit Lazarum: quasi sine Lazari miseria nullatenus potuerit aut refrigerari lingua, aut linguæ sopiri flamma. Fatur citatus Chrysologus, *Lazarum mitte, Quo? ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta requie, de tanto silentio beatorum.* Dum igitur dives amat refrigerium, Lazaro prætendit excidium, quasi nullatenùs ipse habere posset solatium, quin Lazarus pateretur dispendium. Quia gaudium est miseris socios habuisse dolorum.

Quod cùm verum sit, quis non fatebitur per oppositum, gaudium esse beatis, socios habere bonorum. Ad quod comprobandum, recurramus ad scripturam sacram, quæ de Iobo dicit: *Et erat illi familia multa nimis.* Iob: 1. Per quam familiam aliqui intelligunt, copiosum aulicorum famulatum. Quia cùm Iob, vt refert Origenes in citatum caput, fuerit homo de genere optimo ex partibus orientis; hoc est, clarus optimis virtutum generibus, penes solas apud Deum censetur claritas, & præstantia generis. Ait citatus Origenes. *Vnde* Iob Origen: de genere optimo? Si ex Esau, sub maledictum redactus est auiditatis.

Sicx

Si ex filijs Esau, impij etiã exciterunt A ij propter contumeliam. Quomodo ergo de genere optimo erat qui de talibus nascebatur? Ruben primogenitus Iacob, & Simeon, & Leui, qui ex Isrãél sunt progeniti & de genere optimo non dicuntur; Iob verò qui ex impijs ortus est, id est, ex filijs Esau, hic de genere optimo dicitur? Ego inquit carnalem natiuitatẽ non quæro. *Non pereuntem generositatem laudo. Nam hæc apud Deum non magni penduntur. Sed de genere optimo dicitur Iob ex sanctitate, ex iustitia, ex pietate, ex misericordia, ex Dei cultura,* B *ex bonis cogitationibus: ex istis ergo omnibus bene natus dicitur esse.* Cùm inquam Iob fuerit de genere optimo, Vir magnus inter omnes orientales, meritò copioso famulantium comitatu, vtroq; latere stipari debuit. Bene equidem: Nam viris magnis magna debetur reuerentia.

Incognitus lib: 1. in Iob; Verum nodum mihi præ omnibus tetigisse videtur quidam Neotericorum, qui existimat istud copiosũ ministerium fuisse Angelos sic concludens: *Vnus enim Angelus ministrabat doctrinæ, alter pietati, alius longanimitati, alius deferebat eleemosynam,* C *& bona opera ante Deum.* Mea sententia turmatim Angeli confluebant ad Iob, præ nimio gaudio, sperantes se illum habituros socium bonorum cœlestium, id est beatitudinis æternæ. Ita plane fit, quando bene agimus, Angeli ad nos confluunt, qui nobis assistant, & nos defendant. Ita affirmat D. Basilius in Psal: 35. sic loquẽs: *Si enim in anima tua, ea quæ sunt dignæ Angelicæ custodiæ habueris, mens item in* D *te sibi opulentum fixerit domicilium per multimodam veritatis contemplationem, perq; præclara opera, quæ secundum virtutem gesseris, tibi adfuerit, necesse iam sit, vt te propter tutores, præsidialesq; custodes, qui tibi assistant, collocet Deus.* Hoc olim promiserat Deus magno Sacerdoti in veteri testamento. Zachariæ 2. n 7. iuxta voluntatem suam ambulanti. *Si* inquit *in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt.* Ambulantes dixit, numerũ multitudinis significans, ita Deus nostris se ligat operibus, ita se gratum nostris ostendit officijs, vt qui prius vno, postea ne excidamus, interdum plures; immo exercitum Angelorũ submittat. Quod cùm ita sit, considerate, quanta sit Dei beneficentia, quanta erga nos charitas, vt cùm omnes Angeli tantæ sint Excellentiæ, tantæq; dignitatis, non vnum, non duos, sed multitudinem Angelorum ad nostrum accommodet ministerium.

Bene operantibus multitudo Angelorum ministrat.

Zach: 2.

S. Basil:

Ex hac occasione quæstio subtilis oritur, ex quo nam ordine Angeli ad custodiam hominum deputentur? Aliqui doctorũ censent ex solo infimo ordine, ideoq; dici volunt Angelos, iuxta illud: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omibus vijs tuis.* Alij probabilius censent, ex omnibus ordinibus Angelos ad hominum custodiam deputatos esse, iuxta illud D. Pauli ad Hebr: 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Quod considerans S. Athanasius Serm: 3. contra Arrianos ante medium, dicit: *Ad ministerium non vnus sed ex omnibus plures ad manus præsto sunt, quos Dominus si velit àmandet: multi enim Archangeli, multi Throni, multi Potestates, & Dominationes, millies millia & decies millia, centena millia ministrorum assistunt, & apparent, qui se prõptos offerunt, vt emittantur.* Ergo non vnum, sed omnes, non solùm ex infimo ordine Angelorum, verùm etiam ex supremis Deus ad ministrandum nobis ordinauit. Pulchrè id elucidat mellifluus Bernardus lib: 2. de Consideratione, cap: 4. vbi officia Angelorum ad salutem hominum destinata sic dicit. *Angeli* inquit dicuntur, qui peculiariter ad hominum custodiam, per se exercendam destinati sunt & qui minima nuntiant. *Archangeli*, qui Regnorum, Regum, & grauissimorum negotiorum onus, sustinent. *Principatus*, qui omnibus Angelis, & Archangelis præsunt, in his, quæ ad salutem hominum, tàm priuatorum; quàm Principum, tàm

Custodes hominum Angeli ex quo ordine.

Hebr: 1.

S. Athanasius.

Officia Angelorum ad salutem hominũ destinata.

singularum personarum; quàm cõmunitatum, tum instruendo, & illuminando, tum mouendo, & præcipiendo, iuxta dispositionem diuinæ voluntatis sibi manifestatam. *Potestates* dicuntur, quia ad illos pertinet secũdùm Sanctum Dionysium, & Gregorium, ordinare quæ per totam Hierarchiam tertiam agenda sunt, ita vt executio ad istam pertineat; ad Potestates autem præcipere, & ordinare, quæ agenda sunt. *Virtutes* dicuntur, quatenus per illas, miracula, & signa exercet ad hominum gubernationem, & administrationem. *Do-* B *minationes*, sic nominantur, quatenùs spirituali & excelso modo præsunt omnibus inferioribus diuinæ prouidentiæ, & gratiæ inuisibilibus ministris, eisq; dominantur, & nulli in hoc ministerio subsunt. *Throni* appellantur, quia Deus in illis inhabitando sedet, tum vt suam maiestatem ostendat, tum vt alios ad reuerentiam, & adorationem sui excitet, vel etiam vt illos gubernet, & iudicet. *Cherubim* appellantur, quatenùs mentes illuminant. Tandem C *Seraphim*, non solùm vt in se ardẽtes, sed etiam vt alios incendentes. Ergo omnes omnium ordinum Angeli, ad ministeriũ hominum destinati sunt.

Numerus Angelorum quantus.

Ex hac doctrina, quantus sit numerus Angelorum, facile est inuestigare. Ponamus v. g. numerum incertum saluandorum, & iusto minorem, nimirũ mille milliones solùm, & per auream regulam ita calculum instituamus. Si pro vno homine possint dari decem Angeli, centum Archangeli, mille Principes, decem D millia Potestatum, centum millia Virtutum, millio Dominationum, decem milliones Thronorum, centum milliones Cherubinorum, mille milliones Seraphinorũ. Tũc pro mille millionibus saluandorũ, (prætermissis damnatis, quorum lõge maior erit numerus) dabuntur. *Angelorum*, 10, 000, 000, 000. id est, decem mille milliones. *Archangelorũ* 100, 000, 000, 000. id est, centum mille milliones. *Principatuum*, 1, 000, 000, 000, 000. id est, millies millia millionũ. *Potestatum*, 10, 000, 000, 000, 000. id est, decies millies millia millionũ. *Virtutum*, 100, 000, 000, 000, 000. id est, centies millies millia millionũ. *Dominationum*, 1, 000, 000, 000, 000, 000. id est, millies millies millia millionum. *Thronorum*, 10, 000, 000, 000, 000, 000. id est, decies millies millia millionum. *Cherubinorum*, 100, 000, 000, 000, 000, 000. id est, centies millies millies millia millionum. *Seraphinorum*, 1, 000, 000, 000, 000, 000, 000. id est, millies millies millies millia millionum. Colligantur omnes isti numeri Angelorum in vnam summam, prodibit numerus Angelorum omnium ordinum, pro mille duntaxat millionibus hominum saluandorum, 1, 111, 111, 110, 000, 000, 000. id est, millies millies millies millia millionum, cẽties millies millies millia, decies millies millies millia, millies millies millia, centies millies millia, decies millies millia, millies millia, centies & decies millies millionum. Quem numerum vix humanus intellectus capere, aut enuntiare potest.

Seraphinorum numerus.

Quod si verò accipiamus pro vniuersitate totius generis humani, tàm saluandorum, quàm damnandorum, 1, 000, 000, 000, 000. id est, decies centena millia millionũ, & vnicuiq; ex Seraphinis attribuantur 1, 000, 000, 000. id est mille milliones, prodiret numerus Seraphinorum tantùm ineffabilis, nimirum 1, 000, 000, 000, 000, 000, 000. id est, millies, millies, millies, millies millia millionum. Cherubinorum 1, 00, 000, 000, 000, 000, 000. id est, centies millies, millies, millies millia millionum. Tandem omnium in vniuersum Angelorum, 1, 111, 111. 110, 000, 000, 000, 000. id est, millies millies millies millies millia millionum. Centies vndecies millies millies millies millies millia millionum. Centies vndecies millies millies millia millionum. Centies decies millies millionũ, qui certe numerus captum humanum supe-

Cherubinorũ.

Omniũ in vniuersum Angelorum

rare videtur. Hinc non sine causa sacer textus dicit, Daniel: 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Vbi sacer textus, certo, idq; minori numero, nobis numerum, ineffabilem beatorum, tàm hominum; quàm Angelorum, videtur innuere. Quod aperte probat iustus Iob cap: 25. his verbis: Iob: 25. *Nunquid est numerus militum eius?* Vt hinc cognoscamus Dei omnipotentis maiestatem, cui tot potētissimi Principes ministrant, & assistunt, quorū minimi etiam potentia, pulchritudo, decor, & fortitudo, incomparabiliter excedit omnem potentiam, sapientiam, pulchritudinem, & fortitudinem totius mundi, omnium Principum, rerum, ac creaturarum, quæ ab Adam vsq; ad nostra tempora fuerunt, & modò sunt, & vsq; ad mundi finem erunt. Adeò, quòd pulchritudo omnium creaturarum, florum, hominum, lapidum pretiosorum, metallorum, solis, lunæ, stellarum, omnium deniq; rerum mundanarū, quæ fuerunt ab initio mundi, sunt, & erunt, respectu pulchritudinis etiam minimi Angeli, animæq; beatæ, non pulchritudo, non potentia, aut sapientia; sed mera deformitas, impotentia, & imbecillitas æstimari debeat.

Minimi Angeli quāta sit pulchritudo.

Quòd si tanta est pulchritudo vnius minimi Angeli, quid censebimus de pulchritudine ipsius Dei? Cùm enim Deus sit infinitè perfectus, profectò si in vnum cumulum omniū creaturarum pulchritudinem, scientiam, potentiam, sapientiam collegerimus, pulchritudiniq; sapientiæ, & potentiæ Dei comparauerimus, nō alud, quàm granum millij cœlo Empyreo comparabimus, & punctum impartibile toti vniuerso: Hinc meritò exclamat Apostolus ad Rom: 11. Rom: 11 *O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ* DEI, *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* An non ergo insaniunt mortales, turpitudine huius mūdi momentanea adeò illecti, vt visione pulchritudinis Angelorum, Christi, Beatæ Virginis, ac ipsius Altissimi Dei, æternùm potiùs se priuare malint; quàm ad modicum illâ relictâ, huic totis viribus inhiare, ad eāq; post decursum mortalis huius vitæ obtinendam, & clarè cernendam, vitâ immaculatâ aspirare? O cæcitatem palpabilem! O insaniam execrabilem! multorum hodiè ita viuentium in hoc sæculo, quasi futurum aut non esset, aut non melius esset; ita pulchritudine creaturarum huius mundi obcæcatorum, vt ipsius creatoris, & cælestium mentium pulchritudinis omnino obliuiscātur, aut rariùs imò rarissimè eorū recordentur; aut certè nunquam seriò de ea ratiocinentur. Cumq; in hac vita *nutriantur in croceis, & amplectantur stercora*, puta vanitatum harum; quid eis restat amplius, nisi vt tandem etiam illud Dauidicum in eis adimpleatur. Psal: 83. *Facti sunt vt stercus terræ*, quod continget, quando ob ingratitudinis crimen, ponentur *vt rota, & sicut stipula ante faciem venti* dispergendi; scilicet in rota æternitatis, & flammæ inextinguibilis. Psal: 83.

Tertia ratio, quare Angeli super vno peccatore pœnitentiam agente gaudeant in cœlis est, quia Angeli sciunt conuersionem peccatoris rem Deo gratissimam esse: quoniam cōuersio peccatorum est specialis quædam solemnitas Christi. Quòd vt faciliùs deducam, adduco huc in cōsiderationem stupendā S. Matthæi conuersionem. Cum ad se pastor ille diuinus attraxisset ouem illam errantem, puta Matthæum Apostolum, tanquàm gaudens, ac in humeris portans, in sinuq; suo fouens, statim domum eius ingressus, manducauit simul & bibit cùm illo, immò & cum multis alijs, qui nondum eius erant, teste Euangelista, Marci 2. v. 15. *Et factum est cùm accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores simul discūbebant cùm* IESV, *& Discipulis eius: erant enim multi, qui eum sequebantur.* Et ecce hinc Pharisæi contra Discipulos Christi insurrexerunt. *Quare* inquiunt, *cum publicanis & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester?* Immò vt dicit S. Lucas cap: 15. v. 1. Lucæ 15. *Murmurabant dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* En ex humana ratione scandalum, ex fulgore misericordiæ obcæcati, reputantes miseri peccatorum conuersionem fortitudine agendam, non mansuetudine, venturum Messiam more Regio gubernatorum, non pastorali. Pulchre Theophylactus in citatum scripturæ locum discurrit. Theophylact: *Hoc* inquit *exequebatur, cuius causa carnem susceperat, admittens peccatores, sicut medicus ægrotantes, sed Pharisæi verè criminosi huic pietati murmura recompensabant.* Hinc Dominus vt eos insitiæ conuinceret, statim exemplum de Pastore, & oue amissa obiecit, qua inuenta: dicit Euangelista: Lucæ 15 *imponit eam in humeros suos gaudens & veniens domum conuocat amicos, & vicinos dicens; congratulamini mihi, quia inueni ouem meam.* Cur potius sibi, & non potiùs oui congratulari iubet? nunquid non ouis bonum, nunquid non eius est salus, nunquid non ad eam attinet? ita quidem est. Sed tamen optimè respondet S. Gregorius Homil: 34. in hunc ipsum locum: S. Greg: *Quia videlicet eius est gaudium vita nostra, & cùm nos ad cælum reducimur, solemnitatem lætitiæ eius implemus.* Preclarè satis: licet enim nostra ad cœlum reductio, nostrum sit incrementum, nostrumq; bonum; tamen Christi lætitiæ complementum est, indeq; non tantùm nostra, quantum eius solemnitas, eius festiuitas.

Conuersio peccatorū Christi solemnitas.

Ea de causa S. Angeli, plus *super vno peccatore pœnitentiam agente gaudent; quàm supra nonaginta nouem, qui non egerunt pœnitentiam.* Cùm profectò magis iustum æquumq; videatur, vt plus de Domini gaudio, quàm de serui vtilitate tripudiēt. Quāuis citatus Gregorius, ideo Angelos plus gaudere censeat, quia peccatores sæpe per pœnitentiam, maiora quàm iusti operantur, egregia patrantes, dùm illi non nisi gregaria vt sic loquar. *Plus autem* (inquit ille) *de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis in cælo*

Angeli plus de Pœnitētia peccatoris; quā de sanctitate iusti gaudēt.

gaudium esse fatetur, quia plerumq; hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, & plerumq; pigri remanent ad exercenda bona præcipua; at contra non nunquàm hi, qui se aliqua egisse illicita meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt, & quia errasse se à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Quid melius dici potuit? nam hoc in dies experimur, manibusq; attrectamus. Videas religiosos in claustris ab ineunte ætate degentes, nihil penitus mali egisse; ita tamen in virtutibus tepidos, vt nullum earum eggregium dent specimen: è contra verò interdum iam ætate grandæuus quispiam peccator ad statum religiosum se confert, & mox velut saliens montes, transilens colles, validè ad superna se erigit, magnumq; in dies in virtutibus sumit incrementum. An certe non ampliorem ex isto lætitiam concipient Angeli? immò & eorum Dominus pariter cum ipsis? ne miremini: quia talis est Dei misericordia in peccatores, vt cum illis vnum veluti contra suam naturam agat. S. Greg:

In comprobationem huius veritatis sistite vobis ob oculos Magdalenam, quam Christus in vnico prorsus instanti ita perfecit, vt non solùm peccata illi remiserit quo ad culpam, sed etiam quo ad Pœnam, omnimodā ei pacem tribuens, Lucæ 7. v. 48. *Remittuntur peccata tua, vade in pace.* Lucæ 7.

Quæ verba ponderās Hugo Victorinus cap: 64. Sic ait: *Christus vt ostenderet mansuetudinem suam, & paruis cordibus daret fiduciam appropinquandi, citò veniam indulsit, pœnam nudā indixit.* Hugo. Hæc est causa, quare Christus in domo simonis Pharisæi discubuit, quare præter morem sedit, vt scilicet ex peccatrice sanctam, illibatam, purā, perfectam, suam illi tribuens sanctitatem, ac puritatem, quæ subitò ita perfecta euasit, ita pulchra in oculis Christi apparuit, vt ex animi lætitia, atq; vt sic loquar, ipsius operis stupore ex-

re exhilaratus, ſtatim ipſam laudauerit in eius præſentia moræ veluti impatiens. Laudauit fateor Redemptor noſter Ioannem, ſed illo abſente, Matthæi 11. v. 7. immò & ipſius Diſcipulis: *Illis abeuntibus cæpit dicere ad turbas de Ioanne.* Matt: 11. At verò Magdalenam Sanctam ſtatim illa præſente, vt habetur Matthæi 26. v. 10. & Luc: 7. v. 44. Vnde Domino tanta ad laudandum procliuitas? Vnde tanta ſecuritas nouæ conuerſæ? cur ſuperbiam? cur tumorem non formidat? ſanè, quia eam gratiâ ſuâ tanquam diuinus ſtatuarius vas perfectum effecerat, ita ſolidum, ita aureum, vt nihil timeret; ita tandem eius pulchritudine delectatus, vt nollet absẽtiam expectare, nollet mortem, ſed ſtatim, quaſi eſſet non in via, ſed iam in termino, & plus ſecura, quàm ipſemet Ioannes, eam laudauit, extulit, vt agnoſcamus, quanto amore proſequatur peccatores verè pœnitentes; quibus etiam in præſentia laudem tribuere non veretur.

Peccator per pœnitẽtiam fit nouus Angelus

Quarta tandem ratio, cur Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente gaudium in cœlis habeant, hæc eſt quia peccator per conuerſionem fit nouus Angelus. Quod mihi Salomon pulchrè figuraſſe videtur, ſtupenda illa templi Hieroſolymitani ſtructura 3. Reg: 6. *Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum;* Et quomodò obſecro permiſit Deus fieri duo Cherubim ex lignis, cùm in lege omne ſculptile prohibitum fuerit? ſcilicet in templi fabrica proprius humanus animus ad virtutes inſtruebatur; & ideo duo Cherubim illi proponebantur ex lignis facti, ad oſtendendum, quàm facilè ex hominibus poſſint Angeli fieri. Sic cenſet D. Bruno de Laud: Eccl: cap: 4. dicens: *Tu quoq; ſi vis Cherubim fieri, potes. Melliùs enim ex hominibus, quàm ex lignis fiunt Cherubim; & multi quidem ex hominibus Cherubim facti ſunt, vis videre Cherubim? Reſpice Paulum, omnis ſcientiæ plenum, doctorem gentium.* Bruno. Meliùs profectò & facilius ex hominibus poteſt Angelus, aut Cherubim fieri, quàm ex ligno. Nã ſi lignum artificis induſtria in Angelum efformat; faciliùs mihi credite virtutis amor nos in Angelos efformabit. Hinc Malachiæ 2. dicit ſcriptura: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malachiæ 2. Vbi Sacerdos homo, Angelus dicitur eſſe.

Et quomodò natura corporea poteſt trãſire in naturam Angelicã? Qua arte id poteſt fieri? Equidem vno virtutis propoſito. Audite D. Chriſoſthomum Homil: 33. in Acta: *Quemadmodum enim licet loqui de materia quadam, ita & de homine. Materia quædam eſt homo fieri autem poteſt Angelus, & beſtia. Nam de quibuſdam hominibus dictum eſt: Angelus Domini eſt. Nullus igitur doleat de natura, quaſi impediat, ſed de ſua electione ac voluntate. Leo ille factus eſt ex in corporeo; Ecce enim inquit, inimicus veſter ſicut leo: nos autem Angeli à corporibus.* S. Chriſoſt: Moxq; ſubdit: *Nihil igitur prohibet nos Angelos fieri ſtatim, ſi voluerimus.* Si enim alia materia, quæ modo arbos erat, poſtea fit lignum, ac deinde adhibitis mille ferri inſtrumentis, non paruo artificis ſudore figuratur in beſtiam, aut in hominem, aut in Angelum, aut in Deum. Ita planè, qui modo homo eſt, poteſt ſtatim Angelus fieri, non ſecuri, non malleo, ſed virtutum electione. Quemadmodùm enim, qui naturâ Angelus erat, vitio voluntatis ſuæ factus eſt leo, & ſerpens; ita qui natura homo eſt, bona ſua voluntate ad ſortem Angelorum accedit. Hinc illud Chriſti Domini de hominibus pronuntiatum. Matthæi 22. *Erunt ſicut Angeli Dei.* Quod conſiderans S. Zeno Serm: 24. magnalia baptiſmi expendens ita dicit: *Cùm omnium aquarum natura ſit talis, vt cùm in profundum ſuſceperit homines viuos, euomat mortuos, & euomit viuos, ex animalibus verò homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros.* S. Zeno. Proh: Dei Optimi Maximi artificium! Rudem hominis materiam ſuſcipit, & quod alij multo labore minimè facerent, vt in

vt in Angelum tranſirent, ipſe medio aquarum profluuio facit ſuauiſſimè.

Quod inde amplius elucet, quia pulchritudinem animæ, ſumma Dei ornatæ gratia Deus ob oculos ponere volens, nihil prorſus dignius inuenit, quàm vt Angelicis eam compararet ſpiritibus, Cant: 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* Cant: 1. Quomodò obſecrò, cùm non in equis, non in curribus, ſed in aquis debellaſſet Deus Pharaonem? Reſpondet Nyſſenus, per equos intelligens Angelos, quorum decori, quorum inſuper fortitudini animam humanam aſſimilauit: *Erat ergo, ait ſtatus Nyſſenus quædam virtus non cadens, ſub aſpectum, quæ per miracula, quæ fiebant in mari, Ægyptiis afferebat exitium, quàm ſcriptura nominauit equos, Angelicum autem exercitum eum eſſe exiſtimamus,* de quo dicit Propheta Abacuc 3. *Aſcendes equos, & equitatus eſt tua ſalus.* Abacuc. Angeli igitur videntes, peccatores per pœnitentiam fieri nouos Angelos, lætantur de eorum conuerſione iuxta illud ſapientis. Eccl: 12. *Omne animal diligit ſibi ſimile:* quoniam & peccatores pœnitentes, & Angeli, idem obiectũ beatificum habebunt. Quare ne Angelos Sanctos adeo noſtri amantes affligamus, agamus ſeriò pœnitentiã, vt cùm illis in æternum gaudere, & conuerſari poſſimus. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO QVARTA.

Mulier ſi perdiderit drachmã vnã, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Luc. 15.

Mulier quærens drachmam amiſſã accommodatur Reipublicæ Polonæ ab hoſtibus occupatæ.

Sollicita mulierũ induſtria, & cura circa domum adminiſtrãdam, augendam rem familiarem, & iuſto labore parta conſeruanda, laudatur frequenter in ſacris literis. Quærebatur quondam in veteri teſtamento vnicus optimæ mulieris filius ad mortem, 2. Reg: 14. *Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio dicit: Trade eum qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum pro anima fratris ſui, quem interfecit.* 2. Reg: 14. Deus bone, quos modos non tentauit hæc mulier, vt filium ſuum, ab imminente morte eliberaret, adeo vt etiam ipſum Regem importuna adire, coram illo proſterni, lachrymis perfundi, voce lachrymabili exorare nõ deſtiterit, quouſq; veniam impetraſſet. *Mulier Thecuitis ingreſſa fuit ad Regem, cecidit q; coram eo, & dixit. Serua me Rex, quærunt ſcintillam meam extinguere, quæ relicta eſt.* Si ſenſum literalem ſpectauerimus, mulierem hanc fuiſſe Thecuam, quæ pro Abſalomo fratricida Dauidem Regem deprecata eſt, euidenter conſtat ex ſacris literis, cuius precibus exoratus Dauid, paterno affectu Ammonis occiſi vindex, facilem fratricidæ Abſalomo veniam conceſſit. *Et ait Rex ad Ioab, ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & reuoca puerum Abſalom.* Si verò ad ſenſum myſticum recurrere voluerimus, mulier hæc ſignificat animam pœnitentem, cuius duo filij ſunt, ratio, & ſenſualitas, tanquam duæ partes animæ, inter quas maxima interdum exoritur rixa; quoniam ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritũ. De hac rixa dicit ſacra pagina Gen: 13 *Facta eſt rixa inter paſtores gregũ Abraham & Loth. Dixit autem Abraham ad Loth. Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te.* Gen: 13. Vbi per Abraham, ſignificatur ratio; per Loth autem, ſenſualitas deſignatur. Paſtores gregum, ſunt affectus, & motus vtriumq; inter quos rixa quotidiana. Et ideo dicit Abraham: *Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te.* Hæc eſt caſtigatio rationis ad ſenſualitatem volentis eam paci ficare ſibi. Vndeſubdit: *Fratres enim ſumus,* noli me impugnare, noli rixam commouere. Addit vlterius:

Mulier ſignificat animã pœnitentẽ.

Duo filij rationem & ſenſualitatem.

Ecce vniuersa terra coram te est. Scilicet, vt viuas ad necessitatem, non ad voluptatem, vtaris licitis, viuas discreta, quia Deus dedit terram filijs hominum, non bestiarum. Sed quia video, quod sensus, & cogitatio tua prona sit in malum ab adolescentia tua, recede quæso à me, quia duo cõtraria simul esse non possunt. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? quæ pars fideli cum infideli? Recede quæso: si enim non recesseris timeo, ne ex conuictu mores formentur. Nam, vt ait Philosophus, malignus comes facile innocenti & simplici socio scabiem, aut rubiginem suam applicat. Contra hãc igitur mulierem, id est, animam fidelem, consurgit plerumq; cognatio praua atq; peruersa, puta primi motus, qui cognatione sanguinis coniuncti sunt cum sensualitate carnis; isti videntes cognatum suum, id est, carnalem appetitum rationis discreta seueritate mortificatum, quotidie consurgunt, volentes cognati iniuriam vindicare, & scintillam rationis extinguere. Scintilla enim ratio est, quæ est, subtilis in discernendo, agilis tẽtationes diaboli præueniendo, incendens animum amore diuino. Hanc scintillam aqua concupiscentiæ carnalis, primi motus stulta cognatio & insipiens, nituntur extinguere. Anima ergo pœnitens, quam scintilla rationis remordet, & reprehendit de peccatis, ad Christum Regem ingreditur per spem procidit coram illo per humilitatem, adorat per fidẽ, & gemebunda opem implorat: *Serua me Rex. Heu mulier vidua ego sum.* Heu dicit, quia dolet peccato. Mulier, quia mollis, & fragilis: Vidua quia ab omni humano solatio destituta. Et ideo clamat, serua me Rex dolentem, fragilem, & destitutam. Serua me, quia serua tua sum. Verùm non Aberrabo, si per istam mulierẽ, afflictam Rempublicam Polonam, pacatam antea gentium Dominam, nunc rebellione Cosacorum, Tartarorũ cõspiratione, finitimorũ hostium irruptione turbatam, continuis quassatam bellis, Sueticis, Moschouiticis, Transyluanicis, velut in tristitia. Sedentem post amissam diuturnam pacem, significari ostendere conabor, & modum quo in quærenda amissa drachma vti debeat sub ministrabo.

Cognatio praua sunt primi motus.

Scintilla rationem designat.

Triplici modo vsa est ista mulier Euangelica, in quærenda amissa drachma. In primis accendit lucernam, Chrysologus reddit rationem asserens domum illius mulieris eo tempore fuisse plenam tenebrarum, ita vt in illis sine accensa lucerna nihil penitus videri potuerit. Sic quondã Ægyptios horrendis à Deo tenebris per Moysen punitos legimus, Exodi 10. quando imperante Deo: *Extẽde manum tuam in cælum, & sint tenebræ in terram Ægypti, tam densæ, vt palpari queant.* Promptus ad obedientiam Moyses, *Extendit manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus, nemo vidit fratrem suum.* Septuaginta adhuc ad tenebras addunt caliginẽ, & turbinem, sic vertentes: *Extendit autem Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ caligo, turbo, super omnem terram Ægypti, & nemo vidit fratrem suum tribus diebus, & nemo surrexit de cubili suo tribus diebus.* Horribilis profectò plaga hæc erat, in primis ob dẽsitatem tenebrarum quæ palpari poterant: deinde ob durationem, cum non per horas, sed per tres dies continuos durarent: tertiò ob earum extensionem, cum per totam Egyptum diffunderentur: quarto ob effectum, dùm non solùm visu, sed etiam motu priuarent Ægyptios. Dicit Philo lib. 1. de vita Moysis: *Tunc* aiunt *Ægyptios non esse ausos è cubili surgere, aut si necessitates naturales vrgerẽt, more cæcorum palpando parietes, ægrè potuisse progredi: nam ignis quo vtimur quotidiè, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à crassissimis tenebris, ita vt salutis oculis, summè necessarium videndi sẽsum, ceu exoculati requirerent; hoc adempto ferè cæterorum sensuum nullus vsus erat: nam nec loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, sed per silentium*

Exod. 10

LXX.

Philo

Tenebra Ægyptiacæ quã crassæ.

tium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, præsenti malo prægrauante, donec Moyse Deum exorante, lux tenebris successit, & nocti dies serenissima. Ergo teste Philone, non solùm per tres dies Ægyptij priuati visu extiterunt, sed etiam auditu, gustu, loquela, tanquã statuæ prorsus immobiles effecti, fame, timore, horrore penitùs exhausti manserunt.

In cuiusnam autem peccati pœnam tanta plaga immissa fuerit in Ægyptios, respondet Abulensis ob cæcitatem cordis, quòd nimirum Ægyptij tanta videntes Dei mirabilia, obstinati persisterent. *Fuerat* inquit, *ista plaga inflicta conformiter ad obdurationem Ægyptiorum, mentisq; cæcitatem; nam sicut ipsi tanta videntes diuina signa, non respexerunt, sed obdurato animo restiterunt, ita Deus eũ inconsuetam tenebram dedit, vt apertis oculis nihil cernerent.* Ergo Deus ad conuersionem eorum supra naturæ ordinem operabatur: cùm enim antea cœlum, terram, àërem Deo mouente, obdurati peiores Ægyptij indies fierent, iussit adesse supplicium, & castigari Ægyptios non assuetis, sed inconsuetis plagis, fieriq; miracula ad punitionem, non secus ac facta ad conuersionem.

Abulẽ:

Mentis cæcitas tenebris à Deo punitur

Non abnuo veram hanc esse causam; veriorem tamen suggerit sapiens, nimirum tyrannidem Ægyptiorum in Hebræos, eorumq; violentam detentionem in carceribus ac ergastulis, dùm eos vilissimis mãcipijs crudeliùs tractarent. *Dùm enim*, ait Salomon, *persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* Quasi diceret: ideo tenebris percussi sunt Ægyptij, quia sicut ipsi Dei Sancti populum in uinculis tyrannicè premebant; ita Deus vinculis tenebrarum eos ligauit, & sub ipsorum tectis, ac in carceribus inclusi, tanquàm serui fugitiui à Dei dominante prouidentia miserimè in ipsis iacuerunt, vt pœna culpæ eorum responderet.

Sapien: 17. v. 2.

Tyrannis nimia causa tenebrarum in Ægypto.

Respicite quæso Rempublicam Polonam, an non hæc est illa mulier, quæ perdidit drachmam pretiosam, scilicet auream libertatem, & pacem omnibus thesauris magis appetendã. Sedet nunc tristis in tenebris amaritudinis, sub hostili tyrannide gemẽs, & tot amissos filios, fulcra & columina sua deplorans, dum vndiq; in suã perniciem hostes coniurasse spectat. S. Paulus videns quotidie multos cõuerti ad fidem Christi, sic eos allocquebatur Ephes. 5. *Fuistis aliquando tenebræ, nũc autem lux in Domino.* Quasi diceret: Vos Gentiles quamdiu veri Dei honorem commutabatis in similitudinem serpentium, & quadrupedum, & volucrum, & lapidum: dicam plus, quamdiu titulum diuinitatis ipsis dæmonijs deferebatis, fuistis inuoluti crassis ignorantiæ tenebris, vt ad vnius veri Dei notitiam minimè potuissetis deuenire. At nũc postquàm conuersi estis ad Christũ, estis lux in Domino: sanctificati enim estis lauacro regenerationis, abluti estis sanguine Christi, & virtute passionis eius ad statum supernaturalem trãslati, Christum induistis, qui est lux illuminans omnem hominem; ideoq; ambulate in lumine, vt filij lucis, glorificantes Deum, qui vobis tantum beneficium præstitit, vt vos in sortem filiorum vocaret. Vos Iudæi, qui soli veteri testamento mordicùs adhæsistis, promissiones de mittendo Redemptore non benè intelligentes, neq; iam adimpletas considerantes, quamdiu Prophetas de iusti aduentu persequeremini vobis annuntiantes, quamdiu in sola lege, quæ vobis tanquam pædagogus prohibens mala, data erat, totam vestram perfectionem, & omnem gloriam poneretis, quamdiu dura ceruice, & incircumcisis cordibus resisteretis manifestæ veritati, fuistis tenebræ. At nunc postquàm conuersi estis ad Christum, facti estis lux in Domino: quia opera vestra bona, in gratia, cum gratia, & ex gratia Dei facta, ascendunt in conspectũ Dei, & tanquam lux ab æuiterno luminè

Epheſ: 5

Gentiles & Iudæi per conuersionem ad fidẽ facti lux in Domino.

minè participata illi accepta fiunt.

Antiqui Poloni dum Euangel. legeretur, euaginatis gladijs stabant

Fuisti & tu olim ô afflicta Polonia lux in Domino, dum fidem Catholicam strenuè propugnares, & fines tuos quaqua versus latè propagando, sanctam religionem disseminares. Dum sancto more maiorum tuorũ tẽpore sacri Euãgelij euaginatis gladijs, ceu lucernis splendentibus assurgeres, protestando te pro nomine IESV mori paratam esse; adeo, vt murus, & antemurale Christianitatis dici merereris. At nunc facta es tenebræ. Taces in luctu, & squalore, velut in tenebris Ægyptiacis gemens: quia hostis omnes tuas ciuitates & fortalitia possedit: quia aurum tuum, & argentum, & omnia desiderabilia abstulit. Et quid tanti causa mali? Num certè ad gentilitios ritus deflexisti? absit. nam à tẽporibus Miecislai Principis, gentilismus proscriptus, non amplius in tuis visceribus, sedem suam locare ausus est. Num ad perfidiam Iudæorum? minime: fidem enim & Deo, & hominibus inuiolabilem seruas; adeo, vt Inuictissimo Vladislao IV. apparatum bellicum contra Tartaros, immò & expeditionem contra Turcas moliente, ob semel datam Otthomanis fidem fœderis perpetui, nequaquam in id consentire volueris.

Fides Catholica in Polonia Miecislao cœpit.

Causam proinde non aliam, immissarum huiusmodi tenebrarum inuenio, præter nimiam oppressionem subditorum: qui enim per potentiam omnia gerunt, & se, & sua facilè perdunt. Imponebamus grauissimum seruitutis iugum ceruicibus nostrorum subditorum, ita vt ne exiguum tempus parandi cibi, quo lassi preficerentur eis supperet; diebus verò festis, etiam Ecclesiam adire, ne dum diuinis vacare, eis haud licitum erat, ptopter itinera tunc expedienda. Erubescite temporanei rerum Domini, qui talia audetis: non sic Deus licet absolutus Dominus, cum creaturis procedit, cuius si totam attendere volueritis æconomiam dispensationem q; qua mundum regit, & orbem moderatur, profectò

Oppressio subditorũ mala inducit.

non potentiam, sed prouidentiam admirabimini. Ita gubernat, ac si non potens ita omnia ad finem constitutum dirigit, vt solùm prouidus videatur. Populum Hebræorum ab Abrahamo descendentium voluit peregrinari, inibiq; per longa immorari tempora, numquid per potentiam hoc? nil minus: fames grassabatur per vniuersam terram Hraél, sed nc prouidentia diuina deesset, vir ex semine Hebræorum illuc præmissus erat. Psal: 104. v. 17. *Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph.* Qui audita fame ex Palestina euocauit Patrem: Genes: 45. v. 9. *Festinate, & ascendite ad Patrem meũ, & dicetis ei; hæc mandat filius tuus Ioseph, descende ad me, ne moreris.* Numquid hoc non potuit Deus in momento? potuit equidem, sed noluit, quia non potentiâ, sed prouidẽtiâ gubernat.

Psal:104

Gen: 45

Hoc ipsemet Ioseph prudenter considerans, fratres suos graui timore perculsos, in hunc modum animabat. *Nolite pauere pro salute vestra, misit me Deus ante vos in Ægyptum; non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Quæ verba ingeniosè ponderans D. Ambrosius lib: de Ioseph cap: 12. ait: *Quàm pia fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excusetur admissum, dicens diuinæ illud prouidentiæ fuisse; non impietatis humanæ, quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus sit ad vitam.* Ecce supra fratres futurus erat Ioseph ex Dei voluntate, & hi eũ adoraturi vt Dominum, nunquid hoc armis, militibus, exercitibus, miraculis effectum? nequaquàm: sed ita suauiter, vt fere casu omnia accidisse putares. Cæterùm ita omnia ad finem constitutum apta fuere, vt prudentius nihil videbitur. Venditur Ioseph, non occiditur, & dũ de occisione agitur, mercatores aduenium, hi non alio dirigunt, nisi Ægyptum, emptumq; puerum non alijs vendunt, nisi in domo Regia, Principi iuueni præsentatur, in vincula detruditur, somniant vincti, fit vinctus interpres, futurorum tandem præsagium in somnis Regi indicatur, nullus reperitur interpres, ad aulam aduocatur, constituitur totius Ægypti Princeps, & ipsius Pharaonis Pater. Interim graui necessitate vexati fratres, diuturnaq; fame pressi in Ægyptum aduolant, & frumenta sibi vendi postulantes, fratrem ignari adorant. Inuestigate hac in re Dei potentiam, & nullam inuenietis, nisi summam eius prouidentiam; vt hinc agnoscatis, non ita Deum sua delectari potentia; quàm prouidentiâ.

S. Ambrosius.

En vestrarum o Poloni tenebrarum causam, nimiam subditorum oppressionem. Aggrauastis Principes regnicolas immensis tributis: aggrauastis iudices orphanos, pupillos, viduas, & pauperes iniquis sententijs: aggrauastis nobiles miseros ruricolas diurnis, nocturnisq; laboribus supra modum: aggrauastis Præsules, sponsam vestram, & gregem Christi, lanam perpetuò tondentes, & quod nudum erat non cooperientes. Ecce nunc quoq; æquus rerum ponderator, & iustissimus omnis iniuriæ vindex Deus, tradidit in oppressionem hostium, vt Regnum sine Rege, Ecclesiæ sine Pastoribus, Subditi sine Dominis sub iugo seruitutis gemant. Agnoscite ergo in quales se difficultates conijciunt, qui nimiâ in gubernando potentiâ vtuntur. Facile potestis opprimere, pauperes spoliare, deprædari, contra ius, fasq; bona eorum eripere, priuilegia, immunitates, & quod durius est, non solum vi armisq; sed etiam negotiatione, præuentione: legumq; bellicis instrumẽtis vt ita loquar, ac pro militibus ipsis legum peritis vtentes. Uerùm scitote tantum abesse, vt ex hoc aliquid lucremini; quinimò tali modo vestra omnia perdetis, & nunc defacto perdidistis.

Hanc pœnam omnibus oppressoribus, & nimis potenter dominantibus comminatus est olim Deus per Salomonem, Sapien: 17. v. 2. *Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* Palam ostendens eiusmodi homines extorres se à diuina prouidentia exhibere, nudos constitui diuina protectione, ac proinde tenebris obfuscari, in meridie palpare. Cùm certò certius Principes, & Potentes non promereantur Deum iustitiâ, qua aliena rapiunt, sed qua sua tribuunt. Sic determinat S. Paulus ad Rom: 10. v. 3. vbi dicit: *Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Quibus verbis duplicem esse ostendit iustitiam, vnam Dei, de qua Zeno Veronensis Serm: de iustitia ita loquitur: *Quæ laborat dispendio suæ non solùm facultatis, sed etiam sopus sit, & salutis alijs magis prodesse, quàm sibi.* Alteram humanam, de qua idem Author subdit: *Quæ sua tantùm commodis attendit, licet alienis incommodis procurari non possit.* Ergo iustitia humana tota in oppressionem, in tyrannidem, in aliena eripienda cõstituitur, quod summè displicet Deo. Hinc S. Gregorius, in nulla re Principes ita placere Deo affirmat; quàm in potẽtiæ moderamine, iuxta illud Plutarchi de doctrina Principum: *Offenditur Deus ijs, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur, delectatur autem ijs, qui suam æmulantes virtutem, semet in honestate, ac in humanitate reddunt similes.*

Rom:10.

Zeno Veronẽt

Plutar:

Sapiẽ:17

Enim verò potenter dominari, pauperem spoliare, populum violenter grauare, malum est, quod si id fiat sub iustitiæ, ac legum colore, pessimum. Fingunt enim plerumq; Principes & eorum ministri, quidquid onerum subditis imponunt, totum id in obsequium Dei fieri, vt sarta, tectaq; sit catholica religio, vt ad arma suppetant sumptus, vt Turcã, & quosuis alios hostes disperdant, vt sua tueantur, tandem vt regna custodiantur. Fateor in extrema necessitate, quando iam sumptus Regij nõ suppetunt, & ærarium fisci totaliter exhaustum est, non solùm rem, sed vitam, sed sanguinem, sed filios, filiaq;

asq; populum Principi debere. Verùm frequenter sub prætextu huius necessitatis, ministri Principum, ea quæ de pauperum sanguine colligũt, in bonum suum conuertunt Quod Saluiã: ingeniosè edixit Saluianus lib: 5. gubernat: Dei. *Exactionis publicæ nomẽ in quæstus proprij emolumẽti verterũt, & in dictiões tributarias prædas suas esse fecerũt*

Mirum est, quòd Israelitæ ad Robohamum Regem venerint dicentes 3. Reg: 13. v. 4. *Pater tuus du-*
3. Reg: 13 *rissimum iugum imposuit nobis, tu ergo remitte paululum de imperio Patris tui du rissimo, & de iugo durissimo, quòd imposuit nobis.* Vbi per hoc iugum durissimum omnes Sacræ Scripturæ interpretes intelligunt vectigalia, & tributa. Ad quantamnam autem
Pineda. summam hæc impositio contributionum ascendisset? Respondet Pineda de rebus Salomonis lib: 4. cap: 24. eam fuisse sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, quæ summa facit prope duodecim nostrates millio-
Salomõ ad summã paupertatẽ deuenit. nes. Nihilominus tamen, neq; Salomon bella, neq; extraneos sumptus, neq; exercitum inde curauit, & nescitur, quomodo illas impensas pauperis poruli perdidit. Nam vt tradunt Hebræi, Salomon postea ad summam paupertatem deuenit. Rationem reddunt, quia omnia quæcunq; de subditis collegit, in luxu, in immoderatis sumptibus in fœminas, in mala administratione ministrorum absumpta sunt. Immò non solum Salomon, sed & omnes eius ministri, ad summam egestatem deuenêre. Hæc est vnica causa desolationis regnorum. Adduxistis o Poloni vestros subditos ad vltimam oppressionẽ, bibistis sanguinem illorũ, exhausistis omnem substantiam; ideo vos tenebræ incursionis hostiũ inuaserunt. Quid ergo vobis restat, nisi vt lucernam accendatis, & quæratis amissam drachmam, id est amissam pacem, & libertatem.

Quæretis forsan, quænam sit ista lucerna, qua accensa pax amissa inueniri possit. Pronuntio non lucernam Paganorum nobis necessariam esse, de qua S. Chrysosthomus mentionem facit, asserens, quòd pagani ipso die noui anni lucernas sibi præpararent, coronis odoriferis adornatas, easq; in templo dijs suis offerrent, quasi omnis futuræ felicitatis prænuntias. Quia idem citatus Chrysosthomus hunc superstitiosum modum culpat, inquiens: *Amentiæ est, lucernas coronari.* Neq; lucernam Iudæorum, de qua Aloysius mentionem facit, quòd mulier Iudæa feria sexta sole occidente, lucernam accẽdat, & in medio hypocausti ponat, quasi salutando sabbathum. Quia & hanc damnat S. Augustinus in Psal: 114. Sed vnica vobis restat lucerna Deus incarnatus, qui pro salute generis humani homo fieri voluit Sic resoluit citatus Augustinus inquiens: *Lucerna ista est deitas in carne, tanquã* S. Augustinus. *lux in testa.* Et paulò inferius subdit de Filio Dei carnem humanam assumente loquens: *Accendit lucernam carnis redimendo animam:* quia hanc velut amissam drachmam sollicitè quæsiuit. Christus ergo lucerna est, ad quam qui ambulat non læditur. Ita docet Laurentius Iustinianus cap: 5. *Tanquam lucerna* inquit, *positus est in medio Ecclesiæ, vt omnes lucem habeant, qui ingrediuntur.* Hinc Rex Israelitarum Dauid clamabat ad Dominũ 2. Reg: 22. *Saluum faciet populum tu-*
2. Reg: 22 *um Domine, quoniam tu es lucerna.* Clamate & vos Poloni ad Dominum Deum vestrum: Deus qui veniisti saluũ facere populum tuum, ne des in opprobrium hæreditatem tuam. Ecce Tartari conculcârunt sancta tua, ecce Cosaci & Moschi, Schismatis furore accensi templa tua sancta desolata fecerunt: ecce Sueci in locis tibi dicatis vbi sacra mysteria peragebantur, equorum stabula tacerunt: ecce Transyluani Monasteria, Hospitalia, & alia loca tibi dicata conspurcarunt: ecce de genere filij Iudæ auaritiam imitantes, in Patriæ perniciem conspirârunt. Tu ergo immẽse & incarnate Deus, cùm iam in hominibus non sit spes, & auxilium, in augustissimo sacramento realiter existens,

Mos Gẽtilium præparãdi lucernas.

existens, saluum fac populum tuum, & tanquam lucerna dissipa tenebras, quibus circumdati sumus.

Altero modo vsa est ista mulier, Euangelica in quærenda amissa drachma, quia euerrebat domum, o afflicta Polonia, nonne tu es hæc mulier, euerris nunc domum tuam, non scopis, sed lachrymis, dùm afflictiones à Deo immissas, sustines gemebunda. Et quid causæ, quòd Deus ita seueras pœnas de te sumpsit? nonne defectus timoris Domini. Enimuerò sic protestatur Regius vates Psal;
Psal: 13. 13. *Contritio eorum vsq; in finem, quia non erat timor Dei ante oculos eorum.* S. autem Paulus ad Rom: 3. locum hunc de Iudæis ita vertit: *Contritio*
Rom: 3. *& infelicitas in vijs eorum.* Iudæi enim Hierosolymis occidentes Prophetas sanctos, talia fecerant scelera, vt & in hoc sæculo vltimam vastitatem, suiq; regni desolationem mererentur, quæ postea subsecuta est per Titum, & Vespasianum; & in futuro fiant in felices æternaliter puniti in anima, & corpore. Quia enim Iudæi post mortem Christi, exagitabãt, incitabantq; in Christianorum cædẽ Ethnicos, ideo paulo post ipsi mutata sorte; lanienam subierunt. Cuius subsecutæ calamitatis, rationem reddit S. Paulus, loco citato versu 18.
Ibidem *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Et quia duplex est timor, vnus filialis, quem habent iusti, filiali reuerentia Deum metuentes, & virtutis, amore detestantes peccata. Alter timor, est seruilis, qualem habent improbi, qui solum formidine pœnæ à peccatis retrahuntur, Deum vindicẽ metuentes, alias facilè in omnem eruptur licentiam, nisi iste timor obstaret. Ideo S. Paulus ostendit, vtrũque hunc timorem, tàm Iudæos; quã gentiles, ante conuersionem ad Christi fidem, non habuisse, atq; eam ob causam non solùm bona non fecisse, verùm etiã in grauissima, & in enarrabilia mala pro lapsos fuisse.

Defectus ergo timoris Domini hæc grauissima, mala in patriam nostram inuexit. Maiores nostri Dei timorem in omnibus actionibus seruabant, & ideo semper victores nunquã victi, existebant; nunc autem, quia non est timor Dei ante oculos nostros, à rustica plebe expugnamur captiuamur, in seruitutem abducimur. Maiores nostri sacerdotibus omnem deferebant honorem, & ideo per vniuersum mundum glorioſi habebantur nos autẽ quia personas Deo dicatas nihili æstimabamus ipsimet nũc ignobiles manemus, & serui nostri dominantur nobis. Equidem o Poloni mei, si quid vos ad timorem Dei reuocare deberet, maximè ipsa formatio hominis, ipsius summi opi- Gen: 2.
ficis, Dei præpotentis manu facta, vt docet script: sacra Gen: 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ.*

Scio discursum moueri inter Doctores Catholicos, an etiam Angeli aliqua ex parte concurrerint ad hominis efformationem, non quidem ad eius productionem, sed ad aliquod solùm ministerium, videlicet colligendo puluerem, illumq; adaptando. S. Thõ: Et hoc admittit S. Thomas 1. p. q. S. Aug: 91. a. 2. & D. Augustinus lib: 12. de Ciuitate, cap: 24. Quòd licet facilè concedi possit; meo tamen iudicio id necessarium non est. A solo igitur Deo corpus humanum formatũ est, ipse solus noster plasma, & Pater noster est: qui in suis operibus non indagandus, sed pertimescendus est, cùm eadem facilitate, qua figulus vasa lutea, nos destruere, aliosq; efficere, ac efformare possit. Hinc rectè Rupert: monet Rupertus lib: 7. in Gen: cap: 20. *Itaq; & nos cùm legimus, quia formauit Deus hominem de limo terræ, non discutiendum nobis est, cur ita fecerit, sed illud potius timendum vnicuiq; nostrum de seipso, ne vas quod fecit ipse, dissipetur in manibus eius, & hoc abiecto faciat aliud vas sicut placuerit in oculis eius.*

Deus timendus, quia effector hominis

Corpus humanũ vndequaq; perfectum Deus fecit.

Corpus ergo humanum ita finxit, vt naturæ eius, ac dignitati conuenientius esse non posset, omnem prorsus ingratorum eliminans hominum querelam, qui ignoranter discurrentes de hominis opificio cõqueruntur, quòd non ita forte, vt

quædam animalia, nec ita nobile, vt cœlestia corpora fecerit. Quos egregiè redarguit licet orthodoxæ fidei, lumine destitutus Seneca, lib: 2. de beneficijs cap: 29. *Vide* ait, *quàm iniqui sunt diuini muneris æstimatores; & quidem professi sapientiam queruntur, quòd non magnitudine corporis æquemus elephantes, velocitate ceruos, lenitate aues, impetu tauros; quòd solidior sit cutis belluis, decentior damis, densior vrsis,* Seneca. *mollior fibris; quod sagacitate narium nos canes vincant, quòd aut acie luminum aquilæ, spatio ætatis corui, multa animalium nandi facilitate, vnde ex diuersis & dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant, & ingratiam negligentes nostri Deos querimoniam iaciunt.* Ad quam stultam eorum querelam respondet: *Quantò satius est, ad contemplationem tot, tantorumq; beneficiorum reuerti, & agere gratias, quòd in hoc pulcherrimo domicilio voluerint nos secundas sortiri, quòd terrenis præfecerũt; aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? quidquid nobis negatum, dari non potuit.* Et quid Homo in mundo secũdus à Deo. præstantius Deus nobis conferre potuit, quàm quòd secundos nos à se ipso in hoc terræ, domicilio esse voluerit? vt sic vno solùm supremæ dignitatis solio nos præcedat, ita nos tremendos reliquis efficiens, ac seipsum. Et ideo citatus Seneca rectè concludit: *Proinde quisquis es iniquus æstimator sortis humanæ, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanta valentiora animalia sub iugum miserimus, quanta velociora consequamur, quàm nihil sit mortale non sub metu nostro positũ, tot virtutes accepimus, tot artes, animum deniq;, cui nihil non eodem quo tendit momento peruium est, sideribus velociorem, quorum post multa secula futuros cursus antecedit.* Ergo etiamsi nihil aliud adesset nisi quia ab ipso Deo immediatè corpus humanum efformatum est, hoc vnum sufficiens esset motiuum ad retinendum Dei timorem.

Obliti estis o Poloni mei timoris Qui non habent timorẽ Dei, de- Domini, vitam vestram adeo insolẽter agentes, quasi nullus de superspeculator adstaret: ita tumidè in omnibus rebus procedentes, quasi iam non esset, qui vestram arrogantiam humiliare posset. Et ecce dominantur vobis inimici vestri, & qui oderunt vos, diripiunt vestras facultates; vos autem nonne opprobrio, & graui contumelia per finitima, loca dispergimini. Sic quondam cum Deus in populo Israælitico timorem suum non videret, sed omnes in omne scelus & nefas effusos, quasi infelici eorum sorti condolens, miserat Isaiam Propheram cum hac admonitione: *Vtinam obseruarent mandata Dei, & in pace manerent.* Hoc ego vobis o Poloni annuntio, seruate mandata Dei, timete eum, quia Pater vester est: honorate eum, quia Dominus vester est. Hoc vnicum à vobis requirit Ioel 2. *Si Pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus.* Quod si feceritis, & Deum vestrum in omni timore & humilitate deprecati fueritis, eripiet vos de manu inimicorum vestrorũ, & in pace manebitis. His modis olim Rex Israelitarum Dauid infensũ sibi & Regno suo placauit Deum, Psal: 66. *Voce* inquit *mea ad Dominũ clamaui, & attendit mihi.* Et quid clamasti ad Deum o magne, & pie Rex? Equidem clamauit ad Dominum nõ pro diuitijs acquirendis, damnisq; deuitandis, non pro stabilitate domus suæ, non pro felicitate temporali, non pro dignitate sæculari, denique; non pro ipsa salute corporis sui, quæ patrimonium est pauperis. Pro huiusmodi enim rebus, multi clamant ad Dominum, & plerumq; non exaudiuntur. Sed clamauit, ipsum Deum tantum modò requirens, & toto corde quærens.

feruntur à Deo

Ioel: 2.

Psal: 76.

Quod euidenter indicant sequentia verba: *Et attendit mihi.* Verè enim tunc Deus homini attendit, quãdo homo ipsum quærit, non quãdo per ipsum aliud quærit; Facile quippe est homini, quod libet desiderare à Domino, & ipsum Dominum non desiderare, quasi verò suauius esse possit, quod Deus dat; quàm quod ipse sit. Iustus ergo Rex Dauid, clamabat ad Deum, non aliud à Deo, sed ipsum Deum requirens; & ideo Deus eum exaudiuit. Sic statim in eodem Psalmo resoluit citatus vates inquiens: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui,* considerate diligenter, quid sanctus iste Rex in sua tribulatione exquisierit? Equidem non eliberationem de carcere, non ex grauissimo morbo sanitatem, non satuitatem in extrema fame, sed Deum ipsum. Vnde statim subdit: *Manibus meis nocte coram eo.* Ecce quomodo Rex Dauid in tribulatione grauissima exquisiuit Deum? Manibus, id est, sanctis operibus. Non enim aliquid corporeum quærebat, vt contrectando inueniret, quod perdiderat, vt manibus quæreret nummum, aurũ, argentũ, vestem, & quid quid aliud est, quod manibus teneri possit. Nocte quæsiuit, nimirum in hoc sæculo: nox enim est antequam affulgeat dies in aduentu clarificato Domini nostri IESV Christi. Vultis scire, quia nox est hoc præsens sæculum? Audite Sanctum Petrum dicentem. 2. Petri 1. 2. Petri 1. *Et nos habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Coram Deo quæsiuit, ideoq; addit: *& scrutabar spiritum meum.* Alij legunt: *scopebã spiritum meum.* Alij, *Purgabam spiritũ, spiritum meum.* Lyranus, *scopebam diligenter, attendẽdo ne aliquid offensi remaneret.* Glossa Interlinearis: *scopebam, & venialia peccata purgando.* Rationem tantæ Dauidis diligentiæ in examinanda proria conscientia, reddit S. Thomas à villa Noua, quòd optimè sciuerit Deum sibi infensum, facilè placatum reddi posse: *In hoc* ait, *maxima ipsi cura fuit, cùm optimè sciret, Deum his artibus emolliri.* Vultis ô Poloni mei in hac summa vestra tribulatione Deũ vobis propitium experiri? manibus vestris quærite Deum, id est, bonis operibus, benè beateq; viuendo: Interrogate vos met ipsos, vos ipsos examinate, in vos ipsos iudices estote, scientes, quia quidquid nunc parimi-

Idem.

Psal: 76.

Glossa Interlin:

S Thomas à Villa noua.

Idem.

ni, ira Dei est. Et dubiq, procul, Dei auxiliatrix dextera subitò vobis aderit. Sic ipse Deus protestatur per Propheram, Isaiæ 57. *Non in æternũ vindex in vobis ero, neq; per omne tempus irascar vobis.* Sic quondam Dauid in graui tribulatione, quæsiuit Deum auxiliatorem, & inuenit Deo ipso dicente: *Non in æternũ repellet Deus:* Quasi diceret, propter peccatum quidem paululum contristaui eum, & percussi eum, & auerti faciem meam ab illo. Sed non in æternum repellet Deus: quia necesse est, vt reuocet ad se seruos suos, necesse est, vt recipiat fugitiuos redeuntes, necesse est, vt audiat vocem compeditorum. Isaiæ 57

Tertiò tandem ista mulier Euangelica, in quærenda amissa drachma, vsa est sollicita cura, lustrans diligenter omnem angulum. O Polonia tu es illa mulier afflicta quæ perdidisti in appretiabilem drachmam, scilicet auream tuam libertatem. Et quid aliud tibi restat hodie, nisi vt orbata, & destituta ab omnibus, in solo Deo spem tuam reponens, auxilium supplex ab alto postules. Sic quondam in deploratis suis casibus Dauid Rex clamauit ad Dominum gemens: *Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem. Aut obliuiscetur misereri Deus?* Et mox diuinum auxilium sibi adesse videns, præ gaudio exclamauit: *Nunc cœpi: Hæc est immutatio dexteræ Excelsi.* Ac si diceret: modò me cœpit mutare Excelsus, modò recepi aliquid, vbi securus sim: modò intraui aliquam aulam gaudiorum, vbi nullus timetur inimicus. Modò cœpi esse in ea regione, vbi non anticipent vigilias omnes inimici mei. *Nunc cœpi, hæc est immutatio dextere excelsi. Memor fui operum Domini.* Iam videte eum spatiari in operibus Domini: loquebatur enim foris, & contristatus inde defecit spiritus eius. Loquebatur intus cum corde suo, & perscrutatus eundem spiritum suum: memor fuit annorũ æternorum, memor fuit misericordiæ Domini, quia non repellit Dominus in æternum: & cœpit iam in eius Psal: 76

ius operibus securus gaudere, secu-
rus exaltare. Intremus & nos cum
fletu & planctu Ecclesiam Dei: aga-
mus negotium nostrum corde con-
trito, per scrutemur spiritum nostrũ,
recogitemus annos æternos, & sine
dubio insperatum Dei auxilium a-
gnoscemus.

An certè vos in desperationem
conijciet hostilis victoria, quia iam o-
mnia fortalitia possedit? quia vos e-
xarmauit? quia modos omnes defen-
sionis ademit? Non vos moueat hæc
imaginatio, nec penitus vobis omnẽ
fiduciam præcludat: quia apud De-
um non est difficile etiam in paucis
& inermibus periclitantem suum po-
pulum saluare. Voluite, & reuoluite
sacras literas, & facilè comperietis,
Deum populo Israelitico ab hostibus
oppresso, frequenter maximas, ac in-
signes victorias, tum per se, tum per
infirma instrumenta præbuisse. Si-
saram enim, quem hebræus time-
bat exercitus vna mulier prostrauit.
Iudic: 4 v. 21. *Tulit itaq; Iahel vxor Haber clauum ta-*
bernaculi, assumens pariter & malleum:
& ingressa absconditè, & cum silentio, po-
suit supra tempus capitis eius clauum, per-
cussumq; malleo defixit in cerebrum, vsq;
ad terram: qui soporem morti consorti-
Ibidem. q. v. 53. *ans, defecit, & mortuus est.* Abimelech
ciuitatum expugnatorem, pariter
fœminea manus percussit: *Et ecce vna*
mulier fragmen molæ de super iaciens,
illisit capiti Abimelech, & confregit ce-
rebrum eius. Ferratæ Assyriorum a-
cies vidua opitulantè ceciderunt.
Iudith: 13. v. 9. Benadad Syriæ Rex
non à Principibus, sed ab eorum pe-
dissequis deuictus est. 4. Reg: 20. v. 14.

Vt hinc agnoscamus, oratione
magis, quàm armis pugnandum,
Principibusq; non sibi, non militibus
in bellis, sed Deo fidendum esse,
ac proinde, vt oratione, sacrificijs,
vitæq; bonitate, placatum reddere
Deum curent: Cùm hostis quò po-
tentior est, non tàm armis, quam o-
ratione superetur. Sic quondam po-
pulus Israeliticus enormibus pecca-
tis offenderat Deum: *Addiderunt fi-*
Iudic: 4 v. 1. *lij Israel facere malum in conspectu Do-*
mini. Propter quod iratus Deus ho-
stes in eos permisit: *Tradidit illos in*
manu Iabin Regis Chanaan, à quo op-
pressi sunt. Tandem in illa sua vlti-
ma afflictione, dicit scriptura sacra:
Clamauerunt filij Israël ad Dominum,
nongentos enim habebat falcatos currus,
& per viginti annos appresserat eos E-
xaudiuitq; eos Dominus, & de sum-
ma hostium tyrannide liberauit. Ait
Montanus in hunc locum. *Eodem tẽ-* Monta-
pore, quo Sabinus tyrannidem tanto ap- nus.
paratu firmabat, Israëlitica res domi e-
tiam tam humilis, atq; prostrata iacebat,
tunc eos Dominus auxiliatus, quia tunc
clamauerunt. Vt scilicet intelligerẽt,
non armis, non viribus, non potentiâ
se liberatos, sed oratione, Domino
pro eis pugnante, qui dum in suis o-
ratio adesset, priùs ille in campum
debellans inimicos descendit; quàm
ipse admoueret, suorum exercitus.
Hinc Debora ad Barac, dicebat: *Surge*
hæc est enim dies, in qua tradidit Do-
minus, Sisaram in manus tuas, en ipse du-
ctor est tuus. Quibus Deboræ verbis
Ibidem v. 14. animatus Barac; *descendit de monte*
Thabor, & decem millia pugnatorum cũ
eo, perterruitq; Dominus Sisaram, & o-
mnes currus eius, vniuersamq; multitudi-
nem in ore gladij ad conspectum Barac.
Ponderate singula verba, trutinate
numerum pugnatorum vtrinq;, vt ex
comparatione amplius Dei omnipo-
tentia manifestetur. Decem solùm
millia armatorum habuit Barac; ho-
stium autem vt scribit Iosephus lib: 5.
antiquit trecentorum millium erant
armati, decem millia equitum, & tri-
a millia curruum, conferte cum tanto
hostium apparatu, decem tantum
millia Israëlitica, & facilè vim diuinæ
omnipotentiæ expauescetis. Et ni-
hilominus tantarum virium hostes,
vix conspecto Barach cum exigua
militum manu, in fugam dispersi sũt.
Abulens: Quia vt censet Abulensis in hoc loco
q. 15. terruit eos Dominus per toni-
trua, aut per terræ concussionem, aut
per visionem Angelorum exercitus,
vt prius eos Deus de bella esset; quàm
Barac ensem euaginaret.

Produ-

Produxi itaq; vobis mulierem
Euangelicam, quæ cum accensa can-
dela, domum euerrens, & omnes an-
gulos diligenter lustrans, amissam
drachmam solicite quæsiuit, donec
inueniret. Habetis similem huic mu-
lieri afflictam & ab hostibus vndiq;
oppressam poloniam vestram, quæ v-
nicam drachmam id est, pacem & li-
bertatem amisit. Accendite ergo lu-
cernam mentis vestræ, accendite
charitatem Dei in cordibus vestris,
& quærite per deuotas supplicatio-
nes hanc drachmam, agite rem non
armis, sed humili oratione, &
Deus ipse pugnabit pro vobis
restituetq; vobis territis
hostibus, pacem, &
amissam liber-
tatem, A.

DOMINICA IV.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Duc in altum & laxate retia Vestra in capturam.
Lucæ 5.

Qualis æstas & venatio homini Christiano concessa sit
ostenditur.

AMæna æstas in iucundi-
tatem omnium animos
excitat, adeo, vt plurimi varijs ludorum spectaculis à primo diluculo ad ipsum vsq; cælum aduesperascens suos pascant aspectus. Nonnulli suaues cantus, nimiam in animis ingenerantes lætitiam frequentissimè audientes, satiari nequeant. Et vt quod res est aperiam, totum desideratæ æstatis spatium in venationibus, & piscationibus decurrant homines. Vbi quidam passerum, & auicularum capturæ vacant: alij aquaticis canibus venationi insistunt, multa in aquis venantes. Nonnulli in saltu tormentis manuarijs syluestres feras insequuntur: Cæteri denum, quod excellentius venandi genus est, velocissimas aues per æra volitantes singulari venandi dexteritate captant. Nec mirum: quòd his rebus in æstate oblectetur homo, siquidem Deus ipse nobis hæc otia fecit. Deus in prima statim hominis creatione, hanc lætam faciendi & spatiandi occasionem præbuit: *Dominẽtur* inquit, *piscibus maris, & be-* Gen: 1.
stijs terræ. Genes: 1. Et quomodò
principatum in pisces obtinet homo,
cùm illi agant in vndis? Certè venã-
do: dùm industria humana hamos
adornat, illisq; esculenta quædam il-
lecebrosa magnitudini cetorum qui
ea voraturi sunt competentia, adap-
tat: vbi industrioso cibo isto, quasi
inebriati immanes ceti, voratis ha-
mis, sursùm ac deorsùm insanorum
more iactantur, quo pacto captus ce-
tus, pelago vbiq; remenso, multoq;
conatu frustra consumpto, tandem
per hamum illum capturæ exponi-
tur, & magna laboris fatigatione do-
mitus, fameq; confectus, cum vti-
bus enectus trahitur, venatio factus
venatori, paruo magnus, imbecillo
vastus & immensus. Dominatur pro-
indè homo piscibus maris, quoniam
per rationis facultatem immanes il-
las belluas, veluti malos quosdam ac
fugitiuos seruos immorigeros, ad iu-
stam obedientiam cogit. Hinc est
quod ipsa hominis vmbra pisces in

Tẽpus æstatis venationi aptũ.

Modus capiẽdi Catos.

profun-

profundis natantes aquis pauere faciat, & vniuersa aquatilis creatura, ad vnius hominis cõspectum schema suum immutat? discursum ampliùs non habet liberum, nec audet sese superficiei maris aut stagni natando committere? Hinc est quòd Delfin, si quando vicinum sibi conspicatus fuerit hominem, etiamsi sit magnificentissimus; metu tamen corripitur. Hinc Galeotæ, Zigenæ, Balenæ, Priones, & Boues marini, atq; omnia reliqua terribilia cetorum nomina, homini tanquàm mancipia subijciuntur. Quia data est illi dominandi & venandi potestas, non tantùm pisces maris; sed etiam bestias terræ. Grãde & formidabile nomen est leonis, cuius fremitus terram tremefacit. Et cuinam tantum erit animi constantis, vt impetum illius sustineat? Nullum certè animal tantam de virtutis suæ facultate confidentiam habet, vt insultus leonis excipiat; & tamen & istum quoq; modico claustro inclusum detineri videmus. At quis illum inclusit? quis exiguum carcerem tàm magnæ bestiæ in dustriâ suâ excogitauit? Quis raritate cancellorum ligneorum respirationem illi procurauit? ne proprio anhelitu sùffocetur. Quis periculosissimos illos & dificillimos ferarum ludos instituit? Certè homo, qui facultate sua omnia superat. Et quæ in maris sunt fundo, per industriam ac rationem suam scrutatur: & quæ super terrã sunt, venatur: & quæ in àere volitant, antequàm obseruent, intercipit. Omnia proindè potestati hominis subiecit Deus, possessionemq; illius perfectam reddidit, quem quia læta mundi æstas, cuius prima hodie in orbe terreno figuntur initia, ad iucundas venationum & piscationum occupationes inuitat, Christus pariter in sua Ecclesia salutis æstatem instaurat, venatores ad recreationem animæ impellit. Hier: 16. *Mittam* inquit *eis multos venatores & venabuntur.* Nosq; omnes ad venandi studiũ stimulat, *Laxate* inquit *retia vestra in capturam* Lucæ 5. Æstatem proinde vobis hodiè in Ecclesia Christi inchoari ostendam, & qualis venatio Christianũ hominẽ deceat, exponam.

Omnia aquatilia homini subsunt.

Solus homo leonẽ domare potest.

Hieremiæ 16.

Lucæ 5.

Celebris est inter Doctores controuersia, qua nam parte anni mundus conditus sit. Et imprimis Pererius in Genesi, censet mundi natalem in Autumnum incidisse, potissimùm ideò, quia ista pars anni fructibus maturis abundat; initio autem mundi arbores fructibus onustas fuisse, constat ex eo quia Adam qui nõ nisi sex diebus paradisi delicijs affluebat, esu pomi peccauit. Alij verò vti plurimi ex sanctis patribus & scriptoribus Ecclesiasticis, asserunt verno tempore mundum esse conditum: idq; Mense Martio, quando sol est in Ariete, nimirum die 25. quod ex cõgruentia deducitur, quia eodem anni tempore & die. Dei filius suo aduentu mundum recreauit, quocirca decorum erat, eodem quoq; die mundum renasci, quo natus fuit. quod comprobat D. Ambrosius Hexaemeron lib 1. cap: 4. inquiens: *Etsi quocunq; tempore & Deo iubere promptum fuit, & terræ obedire naturæ, vt inter hybernas glacies & hyemales pruinas, cælestis imperij iussu germinans terra fœtum produceret; non erat tamen dispositionis æternæ, rigido stricta gelu in virides subitò fructus laxari arua, atq; horrentibus pruinis florulenta misceri: sed decebat principium mundi mollioribus auris fuisse, neq; enim potuissent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniuriam sustinere, sed opportuna erat omnibus verna temperies.* Dixerim ego tamen non immeritò mundum hyeme conditum esse: quia & ardens illa in pectoribus primorum parentum diuinæ charitatis fax cito friguit, & in gelidam glaciem commutata est, & amænus primæuæ innocentiæ candor rosæ instar aut lilij florens, subitò aruit, & frigescentes in sua nuditate mortalium omnium progenitores tunicis pelliceis à Deo indui postulabant, quæ ad depellendum brunale frigus, potissimùm seruiunt. Et hæc aspera hyems durauit in orbe terreno quousq;

Pererius

S. Ambrosius.

Mundus hyeme conditus.

usq; Christus non veniret in mundũ: tunc enim omnia erant florum pietatis indiga, nuda virtutum, & omnis plena imperfectionis. Sed vbi Christus venit, statim resplenduit in Ecclesia Dei pulcherrima æstas, & vbi passus est, cæperunt nouæ gratiæ fæcundari germinibus. Redijt ecce hodiè in Ecclesiam Christi amica hæc æstas, & subitò imber luxuriæ recessit, & nubila terris orta flagitiis, æstiua iam puræ conscientiæ serenitate laxantur, pullulant boni flores in terra, scilicet Apostoli Sancti, qui diuersorum scriptorum atq; operum suorum fundunt odorem. Accedunt venatores qui retia sua in capturam explicant: scilicet; S. Ecclesiæ Doctores, & Verbi Diuini prædicatores: qui scripturarum Dei & cælestis doctrinæ hamis, animos mortalium irretiunt: nec enim eiusmodi venationi vacare pernicioſum est, quam ipsummet Christum Dominum exercuisse comperio. Nam imprimis cùm adhuc puer esset, intra virginea viscera reconditus, venatus est suauissimi concentus auiculam, (Ioannẽ Baptistam loquor) deserti philomelam, qui abimatu incola deserti fuit. Annis verò maturior factus, secùs aquas Thiberiadis obambulans, venatus est Petrum & Andream, per oppida & ciuitates gressum faciens, Matthæum in cœno telonij iacentem aucupatus est, nec non infinitos penè alios doctrinæ suæ reti captauit. Sed quid loquar de illo excellentiori multo venationis genere, quod Christus in cruce exercuit? dùm latronem velut rapacem aquilam in àere existentem, corpore quidem sibi proximum, sed animo remotissimum, ardentissimis sui amoris iaculis ferijt, & velut diuinus magnes ad se traxit.

Ecclesiæ 3

Deseripsit pulcherrimè hanc Christi venationem Ecclesiastes cap: 3. inquiens: *Tempus nascendi, & tempus moriendi.* quasi diceret: ô mira Christi venatio! quâ tot diuersa contraria & inter se dissidentia, in vnum Christi sapientia coniunxit. Ecce inquit latronem eodem die cum Christo morientem! qui moritur mundo, sed à Christo venatus, nascitur Deo: mors enim in Dei benedictione natalis iustorum est, dicente Apostolo Rom: 6. *Tempus plantandi, & tempus euellendi.* ô prodigiosa venatio! Christus moriens è latronis anima culpam euellit, sed gratiam gloriæ semen abunde plantat. *Tempus occidendi, & tempus sanandi.* ô sacinus inauditũ! dùm Christo mundus letalia vulnera infligit, Christus quoq; latronis vulnera sanat. *Tempus destruendi, & tempus ædificandi.* ô ineffabile aucupiũ! dùm virus peccati destruitur in latrone, anima eius superædificatur super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. *Tempus flendi & ridẽdi:* ô inaudita Cathastrophe! dùm latro sua deflet peccata, paradisum simul cum Dei filio ingreditur; & dùm amarè plorat, plenâ eodem die æternæ beatitatis perfunditur lætitiâ: Hæc fuit Christi venatio in terris, diuina eius doctrina & miracula, quæ ille laxabat, ad cõprehendẽdos homines Christianos: docendo enim & miracula patrando, non alium finem spectabat Christus, nisi vt Deus cognosceretur & homo: Deus potentiæ infinitæ, & homo bonitatis immensæ, vtq; ea ratione prodesset omnibus & adiuuaret singulos, eorũ intellectus erudiendo, & voluntates ad se alliciendo. Agnouit hanc omnipotentem in Christi venatione virtutem D. Petrus, cùm ad imperium ipsius retia laxans, magnam & insolitam piscium multitudinem comprehendisset, adeò, vt procidens in genua ante IESVM, exclamaret: *Exi à me Domine quia homo peccator sum.* Agnouit & hodierna turba potentem venatorem Christum, adeò vt dulcedine doctrinæ eius attracta, irrueret in ipsum cum summo impetu audiendi procedens; quia sicut miracula, ita & doctrina Christi multò perfectiùs; quàm magnes ferrum, trahit voluntates hominum. Causam considerans D. Hieron: cur turba tantoperè irrueret in IESVM, dicit illam esse: quia igneum quid-

Rom: 6

Lucæ 5.

S. Hierony:

dam atq; sidereum radiabat in oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie. Alteram quoq; huius facti rationem assignat, plenitudinem virtutis in Christo existentis, siquidē ea est natura virtutis, vt omnes ei caput inclinent, omnes reuerentiam exhibeant, omnes ad se trahit. Crediderim ego tamen, potissimam rationem esse, cur turba summo cum impetu ad Christi doctrinā audiendam festinaret, quia vox diuinæ eius prædicationis, magnum aliquid latentis energiæ habet. Nam missi erant satellites à Pharisæis, vt IESVM caperent; & tamen vox Christi concionantis ita eos perterruit, vt reuersi, & cur eum non adduxissent, illud solum responderint. *Nunquàm sic locutus est homo.* Ioan: 7. Equidem quisquis ad verbi diuini auscultationem cum conatu & magno desiderio accurrit, illicò venantis Christi fit salutatis præda, adeò vt etiam doctissimus quispiā existimare non possit, auditum Verbi Dei, sibi aut necessarium non esse, aut non conducibilē. quia vnicum fidei & salutis medium est vox prædicationis, sine qua nec lapsus erigi, nec per fidus illuminari potest. Nonne sapientissimus erat Dauid; & tamen in peccato suo tamdiu mansit, donec voce Nathan prophetæ excitaretur? quam vt primū audiuit, statim compunctus exclamauit: *Peccaui* 2. Reg: 12. Contemplabatur diu Nabuchodonosor illam arborem, quæ statum mortiferæ eius noxæ & nimiæ superbiæ designabat, nihil tamen de sua iniquitate moueri potuit, donec Danielis viuam vocem audiret, quæ illum ad pœnitentiam inclinauit. Doctus erat Paulus, in lege profunde eruditus; & tamen sanguinolentam Christianorum persecutionem non aliter desistere potuit, atq; verum Christum audire, nisi voce cælitùs delapsâ: *Saule Saule cur me persequeris*, quæ vox adeò illum potenter irretijt, vt subitò quasi furibundus leo captus, mansuescere & diuinis obsecundare monitis vellet, respondens: *Domine quid me vis facere.*

Turba cur ad audiendum Iesum festinauit.

Ioan: 7.

3. Reg: 12

A Doctissimus omnium erat Salomon, ad cuius audiendam sapientiam de longinquis terris venerat Sabba, & tamen & is postquàm Verbi Diuini præcones despexit, subitò in idololatriæ tenebras aberrauit. Quia vt cunq; homo sit doctus; tamen non tā facilè suos defectus videre potest, multa legendo; quàm Christi cathedram ascendentem, & prædicantem audiendo.

Hæc retia Christi per Euangelicam prædicationem laxare deberet B ad comprehendenda ea, quibus proficere possit in perfectione. qui in labore salutis cooperari vult Christo Domino. Laxare inquàm deberet retia non in capturam auri aut argenti, sed in capturam perfectionis homini Christiano debitæ, in capturam eorum, quæ viuificant animas mortalium, atq; in æternum possunt seruare, iuxta illud: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Vrgebat hoc sanctum, & spirituale venandi studium temporibus Apostolorum Christi, nam sub memoratis hisce viris, tanta erat deuotio plebis ita populi Christiani florebant primitiæ, vt nullibi auaritia (quæ est semen Diaboli) locum inueniret, vbi se reclinare posset: siquidem post acceptam fidem, nemo domum propriam sibi ædificabat nec aliquid tanquàm suum repetebat; sed iure fraternitatis erant illis cuncta communia Scilicet vt qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem quoq; consortio fruerentur & C vitæ. Hoc est; vt quibus erat vna fides, esset quoq; vna substantia: & quibus erat communis Christus, cōmunis etiam esset & sumptus. Nefas etenim tunc pijssimi illi homines putabant, eum sibi participem non adsciscere in substantia, qui particeps esset in gratia: nec certè aliam ob causam, in tàm stricta fraternitatis charitate omnes communiter viuebant, nisi quòd optimè iudicarent, maiorem esse fraternitatem Christi; quàm sanguinis: sanguinis enim fraternitas, similitudinem tantummodò

Temporibus Apostolorum omnibus omnia erant cō munia.

modò corporis refert; Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis animæq; constituit, dicente Apostolo, Actorum 4. *Erat autem credentium cor vnum atq; anima vna.* Melior proindè est fraternitate sanguinis, Christi fraternitas. Nam illa interdùm sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine inter missione pacifica. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sæpè germanum, hæc assumit frequenter alienum. Magna hæc erat deuotæ illius plebis beatitudo, adeò, quò quisq; plures diuites habebat in Christo, nullum in sæculo reperiret indigentem: & qui æternas cogitabat diuitias, eò ipso à fratribus repellebat temporalem paupertatem. *Vendebant* inquit scriptura, Actorum 4. *Prædia & domos suas, & pretia venditorum ante pedes Apostolorum ponebant, vt erogarent prout cuiq; opus esset.*

Act: 4.

Act: 4.

Videte Sanctorum Virorum fidem, ponderate summam in pectoribus fidelium Dei & proximi charitatem, quomodo propter Christum toto spoliabantur patrimonio, & nihil sibi relinqui faciebant? Quomodò non verebantur ne esurirent ipsi, cùm timebant ne alius esuriret, ô fortunata venatio! vt Deum sibi quispiam venaretur, omnia deserebat terrena. Modo verò reperiemus ne aliquid simile inter homines Christianos? minimè: Diuisa omnia irrepserunt in Dei Ecclesiam. Et licet idem nunc quoq; Christus sit in nobis, qui erat in primis illis Christianis; non tamen idem animus. Eadem his temporibus est in populis Catholicis fides; sed non eadem largitio. Nam alter de alterius inopia nequaquam cogitat, sed verificatur iam illud Apostoli dictum 1. Corynt: 11 *Alius quidem esurit, alius ebrius est:* Cùm plerisq; Christiani non solùm de proprijs nihil distribuunt, sed etiam diripiunt aliena per vim. Non solum immensas congerendo pecunias, ad pedes Apostolorum non deferunt; sed etiam confugientes fratres suos retrahunt à pedibus sacerdotum. Et vnde hæc tanta mutatio in populo Christiano? non aliunde profectò: nisi quia rete charitatis diuinæ ruptum est, nouum verò quoddam & illicitum venandi subrepsit instrumentum: nimirum auaritia. Quia declinante iam ad occasum mundo, humana cupiditas satiari nequit, hoc diuino plenus spiritu prædixit Apostolus. Matt: 24. inquiens: *In nouissimis diebus abundabit iniquitas multorū, & refrigescet charitas.* Modò enim abundat auaritiæ iniquitas, quæ ante largitatis bonitate cessabat. nunc iam refrigescit fraternitatis charitas, quæ priùs Christi amore feruebat. Sed quid est, quòd his temporibus nostri Catholici sint adeò auari, vt mirum videatur, si aliquis post aurū non abierit, nec sperauerit in pecuniarum thesauris? vnde fit, quòd vsura tàm profunde suas iecerit radices, vt vix possibile sit eam ex animis mortalium eradicari? vnde tot defraudationes testamentorum, vt pia legata atq; vltimæ voluntates morientium ita viluerint, vt rarò ad executionem deducantur? vnde tot in numera alia peccata, rapinæ, iniustitiæ, & similia. Vnde quòd falsificatores iurium, transgressores legum, nunc potissimùm vigeant, de quibus olim nec auditum fuit. Equidem non aliunde id prouenit, nisi quia totus fermè Christianismus adeò venationi terrenorum incumbit, vt & personæ Ecclesiasticæ, non iam in animas capiendas; sed potiùs in bona temporalia, sua retia laxent. Et quod grauius: etiam retia sacra & Deo dicata, laxare non erubescunt in temporaneæ vtilitatis suæ commodum. nec iam remedium vllum à præconibus Verbi Diuini sibi afferri patiuntur: non aliter; quàm superbi illi Pharisæi, quibus cùm peccata exprobraret Christus, doctrinam illius deridebant, teste, Apostolo Lucæ 16. dùm inquit: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant auari & deridebant illum.* Quid igitur mirum? quòd & priuati homi-

Sancti propter Christū omnia deserebant.

1. Corynt: 11.

Defectu charitatis tollit vnionē inter Christianos.

Matt: 24

Fundationes piæ supprimuntur.

Lucæ 16

ti homines auari sint, siquidem sæculares Principes diuites & potentes, nimis, licentiosè laxant retia sua, non solùm in bona profana, sed etiam Ecclesiastica: dùm detinent decimas, diripiunt villas, spoliant bonis omnibus subditos, Ecclesiasticorum Salariâ seruitio Ecclesiæ dicatorum detinent, sub prætextu maioris boni, & deuotionis atq; religionis defendendæ; quemadmodùm etiam pseudopolitici facere consueuerunt. Sed non hæc Christianum hominem decet venatio, nam & in personis Ecclesiasticis nihil odibilius auaritiâ, aut ambitione: & in sæcularibus Christianis, nihil deterius rapinâ & oppressione subditorum.

Scio equidem Aristotelem inter politica sua problemata iactasse quæstionem hanc, cur spirituales personæ nimium auaritiæ laborēt? quàm resoluendo ingenioſi interpretes rationem assignant, quia inquiunt spirituales personæ, cùm eis in cælibatu viuere competat, non habent in quo suam speciem multiplicent, ac proinde in collectis opibus multiplicari & conseruari volunt. Verùm quisquis in nummis asseruatur, cælum introire nequit: sed cum rotunditate nūmorum in terreno solùm globo giratur, donec ad ima tartari deuiet. Et si spiritualibus personis multiplicatio in corpore negata est; omnis tamen in animo conceditur fœcunditas, vt in bonis operibus & virtutibus abundent, in illisq; diuites facti æternùm asseruentur. Quia sola virtus & Christianæ religionis pietas, cùm altum & sublime petat, hominem quoq; à terrenis fœcibus, ad cælorum incorruptibilitatem transferre potest. Scribunt Naturalistæ in aquis reperiri piscem quendam torpedinē, qui si piscatorem aut nauem eius tangat, manus piscatoris statim torpere facit, qualitatem quandam noxiam ex solo contactu in illum transfundens. Quisquis illicitis cōgerendarum diuitiarum modis toto inhiat animo, aut auaritiæ seipsum cōsecrat, meminerit oportet, auaritiam nihil aliud esse; quàm piscem hunc torpedinem, quem si homo Christianus captare vult, non tantum manum eius; sed & viscera, & caput, & totū corpus graui torpedinè inficiet. Hæc misera auaritiæ torpedo infecit Leonem Quartum Imperatorem, coronā ablatā ex templo S. Sophiæ, quam Mauritius Imperator donauerat; quam vbi Leo capiti suo imposuit, extemplò illum lethalis torpedo extinxit. Eadem quoq; torpedo infecerat milites illos, qui teste S. Gregorio Turonense, abstulerant thesauros ex Ecclesia S. Vincentij. Etenim subitò apparuerunt manus quorundam, combustæ, fumum exhalantes. Alij à dæmonibus oppressi seipsos necauerunt; alij verò vtero sese in flumen præcipites dederunt. Aliorum viscera infecta in pœnam thesauri ablati, & Ecclesiæ spoliatæ, putruerunt; & à vermibus consumpta sunt, vt de Iuliano Imperatore Iuliani Apostatæ consanguineo ferunt Historiæ. Simile quid accidit in Sycilia, vbi postquàm milites Ecclesiam spoliauerūt, terribilis rugitus auditus est in arca, vbi fuerunt reliquiæ S. Alberti Carmelitæ, ibiq; protinùs plurimi militum grauissimis afficiebantur doloribus, *& apertâ arcâ inuenerunt Sanctum genu flectentem, & orantem*, vt refert Palionidorus. Cauēant proindè Christiani, ne hac torpidine insatiabilis cupiditatis afficiantur. Nec enim mirum, quòd Catholici qui in bona Ecclesiastica, aut pauperum oppressiones, laxant retia, sæpiùs grauiter puniantur? siquidem & ipsi Ethnici non rarò, pœnis grauissimis eandem ob causam puniti erant. Xerxis exercitus fulminibus & tempestatibus interijt. Cambyses arenâ oppressus. Artaxerxes ab Eunucho trucidatus. Bienus Gallorum Rex proprijs manibus interemptus. Quia licet illi à templis profanis falsorum numinum thesauros abstuletint, nihilominus tamen tanquàm iniusti spoliatores prædictorum bonorum seuerè puniti sunt à Deo Viuo & verò, vt dùm canis castigatur, timeat Leo.

Cur spirituales auari.

Torpedo piscis manum piscatoris infigit.

Spoliatorum Ecclesiæ grauis pœna.

Palionidorus.

Ecclesiā opprimentes grauiter puniuntur.

Dum

Dum puniuntur Ethnici, vereantur quoq; mali Christiani. Caueant proinde Christiani hanc temerariam venationem, quæ fit cum Dei offensa & proximi iniuria, quia laxare retia in capturam terrenorum, semper est vituperabile, & quanto diutiùs homo huic captationi inuigilat, tātò magis nihil capit. Laborabat D. Petrus in piscatione, & tamen dicit in Euangelio *Tota nocte laborantes nihil cepimus*. Quid causæ? Tenebræ forsan nocturnæ impediebant, ne pisces in retia illaberentur? sic sane: Quia tunc Petrus causa lucri piscationi incumbebat, ideò nihil capere potuit. Quid etiam causæ est, quòd plurimi mercatores in hoc terrarum aut potiùs ærumnarum Oceano, cum omni solicitudine nauigantes, cum opimis vtia mercibus intereant? Quæ ratio, quòd non pauci dies & noctes insomnes ducendo, ad summam rediguntur paupertatem? Hæc vnica certè causa est: quia in tenebrosa peccatorum nocte piscari volunt, cùm tamen sine Christo, sine luce virtutum, sine die gratiæ, sine sole iustitiæ, omnis labor sit inanis, omnis conatus irritus. Nihil capere potuit B. Petrus, quamdiu sine Christi auxilio venationi temporaneæ insudabat, sed postquàm in verbo eius laxauit retia, tantam piscium multitudinem comprehendit, vt rumperetur rete. Quisquis desiderat honestari in laboribus suis, laxet retia in nomine Christi, & venationi potiùs animæ; quàm corporis inuigilet, & dubio procul tantā diuinæ benedictionis magnitudinem comprehendet, tantis virtutum cumulabitur perfectionibus, vt cælum ipsum in occursum eius inclinari velit: omnis enim fructus sit in verbo & nomine Christi; Si ei deuotionem atq; reuerentiam omnimodam in venanda salute exhibeat homo, sed non alibi hæc venatio fieri debet, nisi in Christi Ecclesia, cùm in venationibus retia in altum laxare oporteat, altum autem nihil mundus habet, sed omnia depressa & humilia: in sola Dei Ecclesia altum reperitur sublimis scilicet & imperscrutabilis scripturarum profunditas. Ibi solùm patet campus, vbi generosa capiuntur animalia, vbi in retia Apostolorū non hominis authoritate; Sed Dei voce laxata, innumera confluit præda, & hamo verbi Dei capiuntur mortalium animæ. venatorum mūdi non sunt tantæ fortitudinis retia, vt leonem magnanimū, aut pardum illaqueare possint, sola Christi Ecclesia tàm firma retia in capturam à Christo porrecta sibi habet, vt & ipsum hominem vniuersorum quæ in orbe terreno sunt dominatorem, retinere & frænare possint. Inter miracula recensēt Plinius, quòd catulus leonem Alexandri, Leonem & pardum enecauerit. Sed magis inter portenta adnumerandum esset, quòd Deus per simplicem Apostolorum prædicationem prædam salutis ex rebelli gentium & infidelium voluntate sibi parauerit. Adeò vt dixerit D. August: *etiam si nullum aliud miraculū esset præter hoc, quòd superba mundi sapientia per rudium & idiotarum Apostolorum prædicationem, inspirante Spiritu Sancto expugnata sit, satis haberet maleuolorum hominum pertinacia, quo ad veram inclinari posset fidem.* Murus erat quidem inexpugnabilis Græcorum sapientia, ad prædicationem tamen Apostolorum corruere debuit. Murus erat gentilium Idololatria, & hæc tamen non alio quam Apostolorum prædicatione extirpata est. Sola proinde Dei Ecclesia est, vbi laxare retia oporteat. Nam qui extra Christi Ecclesiam venari vult, oleum & operam perdit. Paruusne infidelium sapientum labor erat; & tamen frustra tentatus, tàm quoad veri scientiam; quàm quoad virtutis actionem quod pulchrè elucidat B. Prosper. Collat: 26. *Græciæ* inquit *scholæ, Romana Eloquentia, & totius mundi inquisitio, circa inueniendum summum bonum, acerrimis studijs, excellentissimis ingenijs laborando, nihil aliud egerunt; quàm vt euanescerent in cogitationibus suis, quia ad noscendam veritatem semetipsis ducibus vtebantur.* Quasi diceret, malè venari vole-

Lucæ 5.

Catulus leonem enecauit.

S. Augustinus.

Apostolorū sapientia mundi sapientiam expugnauit.

S. Prosper.

volebant, quia cæcum intellectum, cæcam voluntatem sequebantur, & ideò in foueam pœnarum æternaliũ sine præda prolapsi sunt, quod confirmat Apostolus Ephes 4. *Ambulabant* inquit *gentes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Paucane Hæretici extra Christi Ecclesiam degentes laborarunt? paucane passi sunt? & tamen omnes eorum pro Christo passiones inanes fuêre: eò quòd à fide semel susceptâ, & Christi Ecclesia semel resilierint, nouisq; & sensum hominis facilè corrumpentibus magistris, aurem præbuerint, quod insinuat Apostolus ad Galat: 3. inquiens: *Tanta passi estis sine causa.* Ergone Apostole Dei, Christus eorum passiones & mortificationes non acceptauit? sic est: Nam inquit D. Augustinus: contra Parm: lib: 2. cap: 3. *Extra Ecclesiæ vnitatem quidquid operantur Hæretici, quamuis magna diligentiâ & solertiâ fieri videantur; tamen nihil illis prodest aduersùs iram.* Quod pleniùs corroborat alibi in sermone de gestis Emeriti donat: tomo 7. *Extra Ecclesiam* inquit, *Catholicam totum potest hæreticus habere, præter salutem. Potest habere ordinem Ecclesiasticum, potest habere Sacramentum, quoad solum externum cultum conueniendo cum Catholicis, potest tenere Euangelium, fidem Trinitatis habere & prædicare, solam salutem non potest habere, fundere sanguinem potest, ne Idola colat, coronam tamen accipere non potest, quia quicquid operatur, extra vnitatem Ecclesiæ Christi operatur:* proinde in perditionem animæ suæ. Quia potestatem prædam conferendi, solis Apostolis contulit Christus, ac proinde qui Ecclesiam quam illi plantauerunt, deserit, syluã amænam animalibus ad venandũ refertam relinquit. Considerent igitur diligenter Catholici, si in Ecclesia Christi venationem suam exercẽt. Quoniam Christus præcepit, reddenda esse quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Illi autem non tantùm non reddunt, quæ Christi Ecclesiæ ministris debentur; sed etiam bona Ecclesiæ diripiunt. Ecclesiæ Christi iniuriam proximo inferendã prohibet, moderni verò Catholici eò iam audaciæ peruenerunt, vt non tantùm in bonis temporalibus iniuriam inferre audeant; sed etiam in bonis honoris & virtutis atq; animæ nocere, pro nihilo ducunt. Ecclesia Dei docet Principes sæculares & magnates, non habere Ius vllum in personas Ecclesiasticas; nunc verò eo iam malitiæ deuenit Potentum temeritas, vt & honores Ecclesiasticos vendere, sub prætextu cuiusdam liberalitatis non erubescant? quasi verò præmia non eò motiuo accipiant, quod beneficia contulerint. Sed quid sæculares incuso, cùm sicut ad exemplum regis totus componatur orbis; sic ad facta spiritualium personarum omnis sæcularium voluntas conformetur. Ecclesiæ verò ministrorum adeò iam nunc corrupti sint mores & æquitas, vt non vix iam Iudaicam successionem in spiritualibus beneficijs introducant? Dùm adhuc in cunis decumbenti infantulo, Coadiutoriæ, Canonicatuum Administrationes, Præbendarum, Abbatiarum Curationes, immò & Episcopatuũ conferuntur. quod tremendum est: Si enim Ethnicus Orator, & profanus Politicus alicubi exclamat: *honorem soli virtuti deberi*, quomodò nunc distributiones Ecclesiarũ Christi, generi tantumm odò & non virtuti conferuntur? nisi fortè dignitatũ promotores, de futura pueri virtute iudiciarios consuluerint Astrologos, quorum non minus vera sententia, quam Græca fides. Cùm dicat scriptura Iob 38. *Nunquid nosti ordinem cæli, aut pones rationem eius in terra,* & Prouerb: 27. inquit Sapiens: *Ignoratis qui superuentura pariat dies.* Non est hoc venari in Ecclesia Christi, quia talis venatio non fit in verbis Dei: honores quidem & dignitates Ecclesiasticas ambire malum non est, eo fine, vt alijs prosis: sed in priuatum commodum & vtilitatem summè periculosum. Quia publicus honor, & Ecclesiæ dignitas, non tantum tibi, sed

Ephes 4

Galat: 3.

S. Aug:

Secularis spiritualium mores imitantur.

Iob: 38.

Prou: 27.

sed principaliter alijs & saluti hominum debetur.

A estatem proinde iucundam habetis in Ecclesia Christi, vbi fructus omnes ad maturitatem peruenerint, venatio vobis conceditur, sed non ferarum, verum animarum, non voluptatum, sed amaritudinum; non otij, sed assidui laboris.

Laxate proinde retia vestra in capturam vestrarum, & proximi animarum: illaqueate intractabiles pisces, scilicet rebelles Dei voluntati vestras mentes: propellite feras in retia salutis, vestros nimirum animos, in obsequium Dei: & ne lassati in laboribus præmio orbati mãeatis, Deum primariò in auxilium euocate, vt qui potentiam mundi simplicitate Apostolorum debellauit, sapientiam terrenam confudit, vos quoq; potenti verbo suo, ita emolliat, vt nihil agere, nisi in Ecclesia vera, in Deo, & cum Deo, velitis. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIÓ SECVNDA.

Exi à me Domine quia homo peccator sum. *Lucæ 5.*

Plaga ex præsentia Arcæ subsecuta recensetur.

APparet B. Petrum Ethices principia nondùm profundè scrutatum fuisse, quoniam Ethica docet, hominem in summi boni assecutionem semper eniti debere, hæc enim vnica creaturæ ratiõalis est felicitas, boni sibi præfixi obtentio. Beatus verò Petrus contrarium videtur facere, quia Christum Dominũ qui est bonum super omnia bona, à se repellit: immemor forsan illius diuini effati: *Sine me nihil potestis facere.* Si sine Deo, ne minimum quid homo operari potest, quid petra Ecclesiæ poterit sine angulari lapide Christo Iesv? quid Petrus valebit sine concursu diuino? si hoc illum retardat à consortio diuino, quòd se pecca tore cognoscat, vtiq; Christus Dominus protestatur, se non propter iustos, sed propter peccatores venisse? *Non est* inquit *opus medico bene valentibus, sed malè habentibus.* Proinde non est, cur homo peccator formidet præsentiam Christi, quinimò illam sollicitè quærere debet, vt diuinâ. Excelsi dexterâ à lapsu peccati ad statum gratiæ erigatur, quia & ipsemet Christus Dominus hanc suam peccatoribus assotiationem pollicitus est: *Ego* inquit *vobiscum sum vsq; ad consummationẽ sæculi.* Quasi diceret: licet enim sæpiùs, malitia ad offensam meam inclinet; ego tamen partim dissimulans, & quasi non videns, partim vestrâ placatus pœnitentiâ, vobiscum semper commorabor. Num igitur errauerit B. Petrus, repellẽdo Christũ à se, nũ certè rectè fecerit, cõsideremus.

Sanctus Ambrosius considerans quomodò Beatus Petrus Christo dixerit. *Exi à me Domine*, dicit S. Petrum non intendisse, vt illum Christus desereret; sed quia se indignum reputabat, vt Christum in sua nauicula præsentem haberet. Vnde D. Ambrosius lib: 4. in Lucam ad finẽ: *Admirabatur* inquit *dona diuina & quò plus meruerat hoc præsumebat minus.* Planè sicut alter Centurio qui etiam dicebat: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Matth: 8. n. 8. Quod considerans D. Augustinus Serm: 74. de tempore: *Tecto* inquit *non recipiebat, corde recipiebat: quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior; colles enim aquam repellunt, valles implentur:* Vtrumq; verò Petrum & Centurionem nobis imitandum proponit, D. Gregorius Nanzian: Oratione 39. in sancta lumina, ante medium, monens vt cum puro non nisi puri consuetudinem habeamus. *Petri* inquit *tostar Iesvm à nauicula submoueamus, vt potè tali aduentu indigni, & velut Centurio ille medicinam ita requiramus; vt tamen laudabili timore perterriti, medicum in ædes nostras, non admittamus. Sed pari humilitate, quemadmodùm. Gerasent expulso dæmone, & præcipitato in mare cum grege porcorũ,* roga-

S. Ambrosius.

Matt. 8.

S. Aug:

S. Greg: Nazian.

rogabant Christum, vt transiret à finibus eorum. Matth: 8. n. 34. in quem locum D. Hieron: *Quòd* inquit *rogant vt transeat à finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, vt non nulli arbitrantur: sed humilitate, qua se præsentia Domini indignos iudicabant.* Laudabilè proindè est Christum à se repellere, ex nimia humilitate, indignum se eius præsentia & conuersatione iudicando quemadmodùm fecit D. Petrus: ad hãc enim humilitatem cælestis sponsa incitat fideles animas. Cantic: 8. n. 14 *Fuge* inquit *dilecte mi & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum.* Quid est? cælestis sponsa diuinum sponsum à se repellit, licet illi super omnes creaturas sit accepta. *Dilectus meus & ego illi.* Respõdet Rupertus, quòd sponsa cælestis fidelium animas hac suâ humilitate instruere voluerit, quomodò se indignos sponsi præsentia reputare debeant. *O vocem* inquit *dignam auditu dilecta! vocem, de corde fideli & mente humili. Hoc enim est, quod anima quælibet fidelis & sapiens dicere consueuit. Domine non sum digna vt intres sub tectum meum; non sum digna vt in me ostendas frequens aliquod præsentiæ vel visitationis tuæ miraculum. Sed fuge dilecte mi: hoc est non quæro in præsenti vita gloriã, sed desidero gratiam: non quæro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam: non quæro charitatem miraculorum, sed opto remissionem peccatorum.* Verùm expellere Christum, non ob humilitatem; sed alia de causa, impium est. Quemadmodùm fecerunt Azotij, qui cùm haberent apud se Arcam Dei captam, pertæsi malorum, quæ ex illius Arcæ præsentia eueniebãt, dixerunt. 1. Reg: 5. n. 7. *Non maneat Arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus eius supra nos, & super Dagon Deum nostrum.* Quod autem illud malum euenerit Azotijs ex præsentia Arcæ Dei, edisserit illud scriptura sacra. 1. Regum 6. *Aggrauata est* inquit *manus Domini super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretiori parte Azotum & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius: & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in Ciuitate.*

Matt: 8.

S. Hieronymus.

Cantic: 8.

Rupert:

1. Reg: 6

Ibidem.

Prima ergo plaga cecidit ex Arca Dei in Azotios, morbus quidam pestiferus & opisthotonus atq; insanabilis, scilicet in posterioribus corporis partibus inflictus, quo omnium intestina magnis cõuulsa doloribus, soluebantur. Non sine autem peculiari diuinæ prouidentiæ ratione credendum, hoc morbi genere flagellatos fuisse. Prima enim ratio est, vt quoniam Azotij Arcam Dei in profana sede iuxta Dagonem malè collocauerant; in sedibus quoq; ferirentur. Hanc tradit Theodorethus *Sedis* inquit *morbum passi sunt, vt qui arcam diuinam impiè locauerunt, nempe apud Deum falso appellatum, profluuio quoq; ventris laborarent.* Simile supplicium ob similem culpam subijt impurissimus quidam Hæresiarcha, vt docet D. Athanasius in solitariam vitam agentes, ex scriptis Hosti Viri S. *Vt olim* inquit *Azoti incolæ ausi arcã attingere, quam illis vel oculis conspicere nefas fuerit, sedium tormentis excruciati peribant: sic Arrianus quidam iuuenis, ausus sellam ligneam templi Alexandrini, ex qua docebat Athanasius conuellere, fragmento ligni inde resiliente in ventrem, intestina sua perforauit, & eadem vi, quâ solium disrumpere conabatur, ruptâ alui intestina effudit, celeriusq; quàm ipse thronum auferret, thronus ei vitam sustulit.* Sanctus verò Augustinus lib: 2. de mirabilibus scripto Cap: 7. asserit Azotios internis viscerum doloribus conuenienter fuisse cruciatos: *vt qui tabernaculi Domini interiora, id est Arcam extra limites suos protraxerant, foras quoq; prominentium fœda affligerentur clade.* Similem plagam, ob similem culpam, subijt Rex Antiochus. Hic enim Hierosolymitanum templum, omnibus internis ornamentis spoliauerat. 1. Macheb: 1. n. 23. *Intrauit* inquit textus, *in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius.* moxq; addit textus: *& percussit eum Dominus insanabili & inuisibili plagã, & apprehendit eum dolor dirus viscerum,*

Theod:

S. Aug:

1. Machab: 1.

rum, & amara internorum tormenta. 2. Machab: 9. n. 5. vt qui templum Dei omnibus spoliauerat; ipse quoq; proprijs spoliatus visceribus miserè interiret. Sic etiam ille nouæ legis Antiochus, immò Antiocho impudentior Arrius, qui non aream è tabernaculo extraxit: sed æternum filium Dei sinu, vterò, & substantiâ æterni Patris genitum esse negauit: pro hoc tanto facinore subitò laxatâ aluo, effusisq; visceribus occubuit. vt docent Socrates lib: 1. Historiæ Ecclesiasticæ. Cap: 15. Theodorethus lib: 1. Cap: 15. Sozomen. lib: 2. Cap: 18. Diuus Epiphanius lib: 2. contra hæreses hæresi 68. & Venerabilis Beda super illa verba: *Computrescebant prominentes extales eorum.* Paulo inferiùs n. 9. hoc ipsum docet: *Arrius* inquit *fusis per posteriora visceribus, cunctis finem hæretica docendi, & hæreticis digna supplicia subeundi, principium misere inuenit.* Sed consonam rationem istius pœnæ tradit Petrus Blesensis. Epistola 48. Vbi per *posteriora* intelligit futuram & durationem & propagationem. Arca ergo diuina, percussit Azotios in posterioribus, significans eos in tota posteritate feriendos. hoc est; non solùm in hac vita, sed etiam in futura: nec solum in suis corporibus, sed etiam in filijs & nepotibus. Hic certè adumbrata est grauitas peccati, quo miser homo impellit Deum, vt etiam in posteris eius offensam & iniuriam suam vindicet, mitiusq; agat cum peccatoribus in hac vita, durissimè cum ijsdem acturus in futura. Hanc pœnam comminatus est Deus peccatoribus 3. Reg: 21. n. 21. *Ecce* inquit *inducam super te malum, & demetam posteriora tua.* hoc est; filios ac nepotes tuos succidam; quia nequitia perseuerè viuentium efficit, vt dum hic in vita proficit, in sua posteritate puniatur. quemadmodùm propter Cham peccantem, filius eius Chanaan à Nõe maledictus est. Genes: 9. n. 24. Altera plaga ex præsentia Arcæ Azotijs euenerat, multitudo murium. *Nati sunt* inquit *mures & facta est confusio mortis magnæ in Ciuitate* 1. Reg: 5. n. 6. qui mures tribus potissimum rebus fuerunt pernicioſi, primò, nauibus: quia 70. in Biblijs Sixtianis transferunt *Efferbuit eis in nauibus.* In Philistinorum igitur naues tanto impetu irruebant mures, vt & merces corroderẽt, & naues perforarent, cũ summa populi iactura. Deinde pernicioſi erãt isti mures vicinis agris, quidquid enim viriditatis in illis erat, totum id depascebant. Et licet hæc murium multitudo naturaliter etiam euenire potuit: Genus enim hoc animalis adeo facillimæ & numerosissimæ fœturæ est, vt teste Aristotele lib: 6. de Histor: Animalium, Cap: 37. & Plinio lib: 10. Naturalis historiæ cap: 65. *Viceni supra centenos vno fatu in lucem editi dicantur.* Fatenturq; isti Authores, Agrestes mures tanta celeritate flauentes messes interdum populari, vt cùm agricolæ pridiè metendum statuerint, postridiè mãe accedentes ad segetem, à muribus penitus absumptam inuenirent. Verùm Azotij obseruantes, quòd quocunq; ducerẽtur Arca, mures palam sequerentur; & vbi Arca moraretur, ibi popularentur, rectè collegerunt, illam multitudinem murium, non ex malefico afflatu alicuius astri naturaliter; sed ex vltrice vi ipsius Arcæ, seu potiùs Numinis ex Arca suam potentiam manifestantis, prouenisse. Tandem pernicioſi illi mures vrbibus. *Facta est,* inquit textus *confusio mortis magnæ in Ciuitate,* nam imprimis domos corrodendo, diruebant. Quod Azotijs pro dishonoratione Arcæ euenit, hoc etiam regno Poloniæ pro execrandis sceleribus contigit. Muribus punctum est Azotum, Deus etiam flagitia summa, in hoc regno videns, non martis; sed rapinæ Athletas, velut mures quosdam permisit, qui & agros demoliti sunt murium istar, & domos corroserunt, vt ne cibus quidem colonis ad propriam sustentationem superesset: & quod grauissimum, etiam confusionem magnæ cædis fecerunt in Ciuitate,

Theodoreth: Zozomen. Epiphanius. Beda.

Petrus Blesen:

1. Reg: 21

1. Reg: 6

70.

Aristot: Plinius.

uitate. cuius rei euidens sed dolendum argumentum nobis præbuerunt oppidani Iuanouicenses, qui à domesticis militibus portã oppidi subuertentibus, multi cæsi, plures verò in ædibus sacris, ad quas velut ad Asylum profugerant. ante ipsum augustissimum Sacramentum vulnerati, sacrum innocenti sanguine conspersérunt pauimentum.

Prodigio simile est, quod refert ex Varrone Plinius lib: 8. naturalis Histor: Cap: 19. à cuniculis suffossum fuisse in Hispania oppidum: à Talpis in Thessalia: à ranis Ciuitatem in Gallia pulsam: à locustis in Africa: demum ex Gyaro Cycladum insulâ, incolas à muribus fugatos. Verùm stupebunt magis posthuma sæcula, Regnum Poloniæ magis à proprijs militibus; quàm ab hostibus direptum; templa crudelius à suis; quã à barbaris profanata: & tot facinora turpiùs patrata aliquando fuisse. Uerùm quid hos iustæ Dei iræ in nos desæuientis administros manet? nisi vt pro tantis sceleribus, similem luant pænam, & qui mures potentiam suam demolientes esse volebant, vt tandem vindice Deo, à muribus demoliantur. Hanc enim pænam susceperit pro suis malefactis anno salutis 3 4 6. impius Polonorũ Monarcha Popellus. in quem, cùm vitijs habenas laxasset, & duos patruos, à quibus salubriter admonebatur, admonitionis impatiens, occidisset: conuiuio publico indulgentem, tãta murium multitudo ex corporibus veneno sublatorum irruit, vt neq; ferro excindi, neq; flammis comburi, neq; aquis præfocari potuerint. Sed miseram edacitate exagitatæ bestiolæ, non priùs ab incepto destiterunt, antequàm miserum Regem vsq; ad ossa corroderent. Similiter & alterum huic facto simile Annales Germaniæ referunt. Fuisse quondam in Moguntina Diœcesi magnam ãnonæ caritatem, quam vt releuaret illius Vrbis Archi episcopus Hatus nomine, in ordine 37. crudele quoddã remediũ excogitauit, cõgregauit pauperes quos potuit in vnũ prędium, inclusit eos in vnam caueam, admotisq; facibus cõburi iussit, existimans pauperes instar murium frumentum corrodentes, annonæ caritatem aggrauare. Et ecce erupit subitò de terra ingens murium agmen, & in malum illum pastorem veriusq; lupum valida impressione insilijt, cumq; ille ab eorum morsibus euasurus se reciperet in quandam arcem, circumfluo lacu inaccessam, omnes illi mures quodam veluti aestro concitati enatârunt flumen, penetrârunt in arcem & miserum illum præsidem vsq; ad ossa corroserunt. Sic vos omnes quicunq; pauperum domos instar murium corroditis, idem supplicium manet, vt tandem à fœtidis & immundissimis muribus demoliamini.

Idem à muribus consumptus.

Sed quare obsecro Deus per vilissima animalia, scilicet per mures Azotios puniuit? D. Cyrillus Alexandrinus lib: 5. in Isaiam ad finem. Clemens Alexandr: in exhortatoria ad gentes circa medium, & D. Aug: lib: 2. de mirabilib: cap: 7. rationem esse putant, quia Azotij vt potè Ethnici, mures pro dijs colebant, ideoq; per mures puniti sunt. Vnde dicit D. Augustt: citatus. *Conueniens* inquit *erat vt qui misera animalia diuino cultu venerabãtur, per miserrima animalia in aduentu dominicæ legis castigarentur.* Aliã verò rationẽ tradunt S. Dionysius, & Abulensis, qui censent per vilia & abiecta animalia punitos fuisse Philisthinos, vt magis deprimeretur eorum fastus & arrogantia; Dei verò virtus ac potestas, magis attolleretur, dùm tàm vilibus instrumentis & Deus vinceret, & Azotij vincerentur. Nam vt inquit D. Chrysost: Homil: 8. in poster: ad Corynth: *Tũc maximè manifestatur Dei potentia, quãdo per vilia operatur magna.* idcircò in veteri lege per culices ac mures, integros barbarorum exercitus fugabat, & ab initio linguas solum confundẽs, magnam illam turrim Babel destruebat. Genes: 11. n. 7. Et in Bellis nunc quidem per trecentos, innumeros exercitus fugabat. Iudic: 7. à n. 19.

S. Augustinus.

S. Dionysius.

Abulens:

S. Chrisost:

Gen: 11.

Iudic: 7.

Crom: Ob Popelli crimen muriũ plaga.

Mogũtini Episcopi tyrannis in pauperes.

n. 19. Nunc per buccinas Ciuitates destruebat. Iosue 6. n. 20. Postea verò per pusillum adolescentem Dauid, omnem barbarorum aciem in fugam conuerrebat, 1. Reg: 17. n. 55 videntes ergo Azotij morbos illos, & mures, quibus opprimebantur: cæperunt apud se ratiocinari, vndenam plaga illa nascereturab astrone aliquo an ab Arca Dei? nec enim alia huius calamitatis prĩcipia offerebãt. Et videbãt quòd nõ ab astro, quia hoc sæpiùs redeũte, rediret plaga eadem, quæ tamen nusquàm antea visa fuit. Tum quia astro circumuicinas vrbes pariter aspiciente, ille quoq; simili infortunio laborarent; quæ tamen tunc ab illa clade fuerunt immunes, vt notat, Vatablus concluseruntq; facilè, à sola Arca, illa mala emanasse, atq; statim decreuerunt. *Non manet at Arca Dei apud nos quoniam dura est manus eius super nos*: 1. Reg: 5. n. 7. Sed vtinam quemadmodùm effectiuum huius plagæ principium indagârunt, ita etiam indagassent & meritorum. Profectò enim suam deprehendissent superbiam, quæ istas de super plagas euocauerit. Sic planè fit & inter ipsos Catholicos, vbi peccatores oculati sunt quidem ad pænam; sed cæci ad culpam, videntq; quid patiantur; sed quid fecerint non attendunt. Planè similes Baalamo, qui de se dicebat. N. 24. n. 3. & 4. *Dixit homo obturatus est oculus eius qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Quomodo obsecro dicit, hominem habere oculum obturatum, antequã cadat; & post lapsum apertum? Dupliciter respondet D. Gregorius. Primò, referendo ad diuersas scientias, scilicet Practicam, & speculatiuam: quasi hanc haberet, illâ priuaretur vnde libro 24. Moral: Cap: 10. dicit: *Baalam cadens in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione.* Quasi diceret: sciebat quidem speculari; sed nesciebat operari. Secundò respondet, referendo ad culpam pro diuersis temporibus ignoratam, & cognitam, id est, ignoratã antequàm puniũtur, & cognitã postquã puniũtur.

Iosue. 6.

1. Reg: 17

Num: 24

S. Greg:

A Vnde dicit lib: 15. Moral: 3. *Nescit* inquit *impius mala quæ fecit, nisi cum proeiudẽ malis puniri iã cæperit.* Veriùs tamẽ putauerim, oculum apertum & obturatum referendum esse ad culpam & ad pænam: omnes enim peccatores in hac vita habent oculos obturatos, & apertos: apertos quidem, respectu pænæ, quia pænas suas vident, sentiunt, experiuntur, & à Deo profectas esse non ignorant: immò & de illis maximè dolent, & frequentissimè conqueruntur. Obturatos tamen habent oculos respectu culpæ, quia culpas suas non cogitant, nec deplorant, nec confitentur.

Agnoscamus proinde & nos mala, quæ patimur, & cognoscamus illa à Deo prouenire; sed simul recogitemus nostra peccata, propter quæ hæc vltio diuina super nos irruit, & B. Petrum imitati, clamemus ad Dominum: *Exi à nobis Domine quia peccatores sumus.* hoc est; digni quidẽ vt patiamur hæc mala, indigni verò qui tua per cipiamus beneficia, vt tandẽ Deus. hanc nostram humilitatem respiciens, post pænam, clementiam suam ostendat. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA,

In Verbo tuo laxabo rete. Lucæ 5.

In mundo nihil fieri potest nisi in verbo Dei.

MAgna potentia est verbidiuini: in hoc creata sunt omnia, in hoc affixit orbes cælestes: *Verbo Domini cæli firmati sunt & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, in hoc tota salus nostra pendet, dùm nos præparatione beneficiorum, quibus certissimò liberantur quicunq; liberantur, ita prudenter vocat, vt conformes fiamus imagini eius. Tanta profectò efficacia diuini huius verbi, vt etiam peruersos in optimos facilè commutare possit. Quis immanior erat hostis

stis & Christi fideliũ persecutor Saulo illo Iudæo, qui à principibus Sacerdotum petierat Epistolas in Damascum, vt si quos Christianorum inuenisset, vinctos ad omnes cruciatus perduceret in Hierusalem, & ecce (inquit) facta pagina Actorum 9.) cùm appropinquaret Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: *Saule Saule quid me persequeris.* Qui dicit: *Quis es tu Domine: Ego sum* IESVS, IESVS *quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Admiremini quæso subitaneam mutationem, & rapacem illum lupum in mitissimum agnum vnica saluatoris voce conuersum circumspicite, tremens inquit scriptura ac stupens dixit: *Domine quid me vis facere.* Quid peius Nabuchodonosore potentissimo illo Babylonis Rege, qui in tantam superbiam deuenerat, vt statuam auream 60. cubitis altam, 6. cubitis latam, statueret eam, præcipiens, vt omnes honorem tanquam Deo illi statuæ exhiberent; *clamabat* inquit scriptura Danielis 3. *præco valenter, vobis dicitur populis tribubus, & linguis, in hora qua audieritis sonitũ tubæ & fistulæ, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex.* Ostendam igitur hodiè nihil in mundo fieri posse, nisi in verbo Dei.

Act: 9.

Scribit Stobæus Serm: 54. de Alexandro Magno, quòd is interrogatus aliquando, quanam ratione vix 30. attingens annum, exiguo satis tempore totum fermè orbem debellauerit? respondisset: *Consilio* inquit *Eloquentiâ, & arte Imperatoriâ.* Conuertite auditores oculos, in Christũ cæli & terræ Dominum, quid est, quòd 33. annis in mundo conuersatus, tantam ad suam fidem per traxit hominum multitudinem, vt Lucas Euangelista referat, innumeras sæpiùs turbas in eum irruisse, vt audirent verbũ eius, quid inquam tantum diuinæ ipsius doctrinæ in mentibus hominum excitauit desiderium? nisi æternum illius & omnipotens verbum cùm omnia vera sine admixtione falsitatis prædicaret; cùm consona lumini naturali, nec repugnantia rationi proferret; efficaciter propagando virtutes cum vitæ mutatione in melius. Quid efficaciter in obsequium sui tot sapientes, tot potentes captiuauerit? nisi diuini illius verbi authoritas, per Moysen Iudæis declarata, per Apostolos & Martyres gentibus manifestata, per Sybillas lumine fidei destitutis gentilibus prophetico spiritu prænuntiata, imò & per inuitos dæmones prædicta. Quid præstitit, vt omnes iam mundi partes Christiani nominis charissima vincula, magna ex parte rectè teneant credentes in Ecclesia Catholica? licet propter nostræ imbecillitatis, tarditatis, vel meritum vitæ nondùm sese apertissimè ostendat? præstitit hoc diuinum Christi consilium, dùm alta illa & secreta cogitatione, ita suadet, vt persuadeat; dùm internis inspirationibus ita agit sensum, vt accommodet assensum. Quid conseruat perpetuitatem fidei in Ecclesia Catholica? diuina Christi Eloquentia, & incarnatæ illius sapientiæ potentissimum verbum: ad cuius prouidentiam spectat suis prædicatoribus dare os & sapientiam, *cui non possint resistere & contradicere omnes aduersarii eius.* Lucæ 1. id est; contra omnes aduersarios reddere victricem eorum sapientiam; ad eius enim veritatem & authoritatem pertinet, nõ permittere, vt sub eius nomine & testimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur. Quid effecit, vt ipsa eius cruenta mors & passio plurimos ad salutem conuerteret, & Lõginum hastâ latus eius perforantem, admiranda sanguinis & aquæ effusio filium Dei fateri compulit? nisi ars vere imperatoria, imperando obcæcato intellectui diuinitatem suam cognoscere, & quã impius homo multis affecerat contumelijs, prostratâ humilitate adorare. Tanta igitur est necessitas verbi diuini, vt sine illo nemo in terris viuere & conseruari posset, nec in cælis salutem assequi. Piscabatur

Lucæ 1.

tur Petrus tota nocte; nihil tamen capere potuit. *Tota nocte laborantes nihil cepimus.* Sed postquàm in verbo Dei rete laxauit, tantam piscium multitudinem comprehendit, vt rumperentur retia.

Luc: 5.

Sed, non omnes video in verbo Dei sua retia laxare posse, nisi bonos, quia isti fructuosè per virtutum & meritorum ampliss ima stadia currendo, cũ Christo piscantur. Sed mali, quia illis atra peccati nox obumbrat, in hoc Dei verbo laxare retia nequeunt. Quantum enim laborabat Absalon, vt populum sibi deuinciret, eiusq; fauore ad Regiam Patris sedem ascenderet? *Mane consurgens* (inquit scriptura 2. Reg: 15.) *stabat iuxta introitũ portæ, & salutabat ingredientes, manum eis porrigebat, & osculum infigebat.* Sed quid profuit hæc ambitio operosa, & Regis filio indigna? quia non in verbo Dei laborabat Absalon, manibus suorum miserabiliter interijt. Hinc pulchrè S. Bernardus lib: 3. de Consideratione exclamat: *O ambitio, quomodò omnes torquens, omnibus places! nihil acerbiùs cruciat, nihil molestiùs inquietat.* Et S. Ambrosius lib: 4. in Lucam: *Ambitio vt dominetur alijs, prius seruit: curuatur obsequio, vt honore donetur; & dùm vult esse sublimior, fit demissior.* Laborant auari, sed quia non in verbo Dei, nihil capiunt: de quibus Isaias cap: 59. *Telas araneæ texuerunt, sed telæ eorum non erunt in vestimentum, neq; operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* eneruat se toties aranea in gyrum circuiens, & fila ab ore deprompta mirabili industriâ affigit, vt vel vnam muscam capiat, sed à leuissimò vento rumpitur tela ipsius: sic omnes diuitiæ, quæ cum summo labore colliguntur, in vno aliquando momento intereunt. August: in Psal: 128. *Jubet* inquit *auaritia, vt mare transeas, & obtemperas: iubet, vt te vento procellisq; committas; verbum autem Dei ante tuum ostium clamat, vt ex eo quod habes, des pauperibus: sed piger es ad faciendum ante te opus bonum, cum auaritia imperat, seruis; cum autem Deus clamat, renuis: an plus te tua voluptas trahit, quam Dei vox.* Minimè sanè: sed quia non in verbo Dei collegisti, ad Dei verbum erogare nõ vis. Verbum igitur Dei est magnum hominis ornamentum, vestit enim nos pretioso gratiæ & virtutum apparatu, monstrans rationem, quâ virtus integra conseruetur, lacerata autem reparetur, quod pulchrè expressit Amos Cap: 3. *Mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* ô quanta mala effecit fames hæc in populo illo! subdit propheta: *In illa die deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.* In quæ verba scribens Sanctus Hieronymus, dicit: *deficient* inquit, *virgines, quia verbum Domini non inueniẽt: id est, sine cælesti doctrina peribit illarum pudicitia, peribit castitas, abibunt mores honesti cum virtutibus: hic enim delicatissimus cibus quo anima viuit, omnia integra in homine conseruat.* Salomon Prouerb: 13. *Iustus comedens saturat animam suam, animæ autem impiorum esurient.* Quodam tempore Socrates quærenti Xenophonti vbinam fierent boni homines, respondit: *Me sequere vt hoc discas.* quasi diceret, per doctrinam, quæ est magistra virtutũ & morum.

S. Bernard:

S. Ambrosius.

Isaiæ 59

S. Aug:

Amos 8.

Idem.

S. Hier:

Prouer:

Socrat:

Quærite hodie Auditores ex Incarnata sapientia, vt vos doceat, vbi nam boni fieri possitis? non aliud puto dabit responsum, nisi *sequimini me:* at quomodò? per verbum eius. Verbo eius assumpti sumus ad diuinitatem, verbo quoq; illius boni, quia in Dei filios transformati fieri poterimus. Non sine causa diuinus Psaltes verbum Dei auro & argento comparat Psal: 11. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum.* Sicut enim qui aurum & argentum habent, omnia in mundo possident; Sic qui verbo Dei pleni sunt, diuites in cælo & coram Deo fiunt. Verbo Dei homines è summa peccatorum egestate ad amplas meriti & gratiæ diuinæ opes euehuntur adeò, vt licet peccaueris, licet ceciderís, si tamen sæpiùs verbum Dei audias, vireſcet anima

Psal: 11.

tua, & in pœnitentiam conuertetur. A
S. Chrysosth: *Quemadmodùm enim* inquit S. Chrysosth: *arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem; sic diuinorum eloquiorũ doctrinâ irrigatus, ad virtutis fastigium peruenit.* In hoc verbo Dei tota hominis vita fundata est.
Matt: 4. Matth: 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hoc Dei verbum ad omnia nobis efficacem præbet medicinam:
Origen: Origenes Homil: 7. in Exodum: *Si tu verbum Dei tota fide suscipis, fiet tibi ipsum verbum quæcunq; desideras* Si tri- B bularis, consolatur te, dicens. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium, dicens: *Lætamini in Domino & exultate iusti.* Si iracundus es, mitigat te dicens: *Dominus sanat omnes languores tuos.* Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: *Dominus eleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Deniq; in hoc Dei verbo conseruatio nostra sita est, instant toties pericula, minimè tamen nocent, quia ab hoc verbi diuini scuto in propriam perniciem C retunduntur. Magna venerat plaga in Israélitas 1. Reg: 30. quando Amalecitæ impetum fecerant in siceleg, & succenderant eam igni, captiuasq; duxerũt mulieres ex ea, à minimo vsq; ad magnum, vbi tanto periculo in omnem desperationem iam
1. Reg: 30 mori Israélitæ inquit scriptura. *Leuarunt voces suas & planxerũt, donec deficerent in eis lachrymæ.* Et ita amara erat vniuscuiusq; anima vt Dauidem lapidare vellent. Quid illi in tantis angustijs supererat, nisi in solo Dei verbo spes & vltimum præsidium. D Postquàm enim inquit scriptura consuluit Dominum dicens. *Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos an non?* Dixit ei Deus: *Persequere, absq; dubio comprehendes eos & excuties prædam.* Statim confortatus Dauid in Domino Deo suo. *Persecutusq; est eos cum 400. viris, & percussit eos à vespere vsq; ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam.* Ecce efficacia verbi Dei, in Dei verbo Dauid conserva-

tus à lapidatione sui populi, in Dei verbo ductos ab Amalecitis in captiuitatem Israélitas eripuit, in Dei verbo omnia pericula euasit Psal: 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Psal: 17. testatur hoc Apostolus Philip: 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Rationem dat Isaias pulchram, quare qui in verbo Dei sperant, facile ex omnibus liberantur Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Isaiæ 40. Id est, induent nouam à Domino acceptam fortitudinem, quòd pulchre apparet B in Dauide 1. Reg: 17. memorat historia sacra, quòd cùm Philisthæi contra Israélitas pugnaturi descenderent, egressus erat de castris Philistinorum vir spurius, nomine Goliath, altitudinis 6. cubitorum & palmi, qui clamabat aduersus phalangas Israél. *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen, & si percusserit me erimus vobis serui, si autem ego præualuero vos seruietis nobis.* 1. Reg: 17 Audientes autem Saul, & omnes Israélitæ sermones Philisthæi huiusmodi, stupebant, & C metuebant nimis, omnesq; cum vidissent fugiebant timentes eum nimis, spes sola & conseruatio Israél in verbo Dei erat, exiuit contra illum ab adolescentia sua bellatorem, puer adhuc Dauid exprobrans ipsi superbiam, quòd nimium in sua fortitudine confideret. *Tu* inquit *venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Dei exercituum, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te.* O magna diuini verbi efficacia! præualuit Dauid aduersùs Philisthæum in puerili funda & lapide, quia in verbo Dei pugnam inceperat, conseruauit vniuersum Israél ab vltimo discrimine, cui non erat qui resisteret; non in fortitudine: quæ enim proportio pusilli aduersùs gigantem, sed cum Deo ad certamen descenderat, cui non est difficile saluare regna etiam in infantum manibus. Sicut 1. Reg: 14. Vnus Ionathas cum suo armigero ingentem fecerat cladem in castris Philistinorũ, 1. Reg: 14 quia inquit scriptura, *tradidit eos Dominus*

nus in manus Israél. Sic 2. Paralip: 20. A
2. Paralip: 20. Ammon Moab & Syrus contra Iosaphat Regem Iudæ insurrexerant, quibus cum par resistendo non esset, à verbo Dei Regni sui conseruationem expetijt, dicens: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos, sed hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Et ecce quantum à verbo Dei accepit præsidium? *Factus est* inquit *sacra pagina super eum spiritus Domini in medio turbæ. Nolite timere, nec paueatis: non est enim vestra* B *pugna sed Dei.* Cumq; iam in pugnam descenderent, Iosaphat in verbo Domini confidens, dicit ad exercitum; Credite Domino Deo vestro, & securi eritis, & cantate Domino laudẽ. Cumq; cæpissent laudes canere, ecce vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, & percussi sunt. *Quieuitq; in verbo Dei regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.* Similiter cum Seron Princeps exercitus Syriæ, vellet debellare Iudam Machabæum ducem eximium, præparauit C se, & ascenderunt cum eo castra impiorum, filij auxiliarij. Exiuit quoq; Iudas, obuiam ei cum paucis, vt autem milites eius viderunt exercitum hostis ingentem, dixerunt: Quomodò poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam? & tam fortem? & ait Iudas: Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est, ne igitur timeatis eos, quia Dominus Deus conteret eos ante faciem nostram. Et ecce in-
1. Machab: 3. quit scriptura 1. Machab: 3. *Insiluit* D *in eos subito verbum Domini, & contritus est Seron & exercitus eius in conspectu ipsius.*

Quare habetis Audit. Hodie verbum Dei, in quo omnes sumus per vnionem carnis assumpti, in quo viuimus: nam est pabulum depraua-tæ naturæ summè necessarium: homo enim per peccatum Originale similis est bruto quo ad ignorantiam, similis equo quoad concupiscentiam. Ne ergo insolescat, frænis arcendus est; ne rebellis rationi peccati fo-

mes in præcipitia ducat hominem, verbo Dei, quod aureum est iustitiæ originalis læsæ restauratæ frænum, arceri debet. Habetis verbum diuinum, in quo mouemur: non enim quidpiam aliud positam in tenebris peccatorum animam. & in ardua diuinæ gratiæ schola languentẽ, excitare ad salutarem illum pœnitẽtiæ modum, & sedulam procurandæ salutis curam potest, nisi diuinum verbum, quod intus ita feliciter mouet hominem, vt nonnisi in ipso iustificationis motu quiescat. Habetis verbum B Dei, in quo & vita vestra & regna conseruantur. Proinde trahat vos in sui amorem tãta vtilitas verbi Dei, alliciat magna eius iucunditas, quam miratur Dauid Psal: 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Iucunditas enim huius verbi cælestem affert dulcedinem, quia ad Cælum dirigit, & in via confortat. Laxate iam feliciter retia vestra in verbo Dei, in hoc verbo Petrus Apostolus multitudinem piscium ingentem conclusit, in hoc plurimas gentes ad Deum conuertit, in hoc vos quoq; magna apud Deum præmia merendo, & in terris feliciter ab omni periculo conseruabimini, & in cælo emeritis afficiemini præmijs, nõ ampliùs alio cibo, quàm æterno illo verbo, incomprehensam transigentes æternitatem. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO QVARTA.

Exi à me, quia homo peccator sum Domine. *Lucæ 5.*

Petrus tribus de causis Christum à se exire voluit.

IN stuporem rapior, dùm audio, quòd S. Petrus, qui antea cum Christo se etiam mori paratum esse iactabat, nunc illum à se expellat. Vtiq; Moyses videns grandem illam visionem, quod rubus ardens non com-

combureretur, festinauit in conspe-
Exod: 3. ctum eius dicens: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Petrus autem Christum in sua nauicula præsentem habens, & ob hoc ingentem piscium multitudinem comprehendens, Christum à se eijcit, cum potius inde lætari, & Christum tanta eius beneficia expertus, apud se importunis etiam precibus detinere deberet. Scio non nullos rem hanc politicè magis; quàm theologicè tractando, discrimen hoc inter Moysen, & Petrum assignare. Quia inquiunt Petrus pauperculus erat pi-
B scator, in paruis semper innutritus, nondum ex alto virtutem induerat; & ideo visa piscium captorum multitudine, stupens ac tremens, tutius sibi existimauit, si à rebus magnis abstineret, si Christum tantæ potentiæ Dominum, tantorum miraculorum patratorem, præsentem apud se non haberet. At verò Moyses, quia regiè, & inter magna enutritus erat, ideò, quò maiorem rem spectabat, eò ardentius ad eam videndam ferebatur. Nunquam enim non est detri-
C mento magno, & præstanti viro, si res magnas aggredi dissimulet. Quod ingeniosè obseruat S. Nazianzenus
S. Nazianz: Orat: 1. inquiens: *Etenim sublimi viro detrimentum est, res magnas non aggredi, nec virtute ad multos propagare, sed in paruis consistere, non secus ac si magno lumine paruam domum illustret, aut virilibus armis puerile corpus obtegat: parua autem salus in eo consistit, vt paruum onus subeat, nec iis rebus, quæ vires eius excedunt, se ipsum subijciens.* Vnde
D sicut parui animi salus in eo consistit, quòd se in paruis contineat; ita nunquàm non detrimentosum est præstanti, & excelsi animi viro, quod ad magna non currat, neq; in magnis, & mirabilibus ambulet. Fugiat pusillus homo magni certaminis arenam: sublimis autem, & præstans vir magnorum triumphorum materiam auidiùs arripiat. Accipite documentum huius veritatis ex scriptura sacra Genes: 39. vbi Ioseph à fœmina petebatur, vt illum in luxuriæ barathrũ deturbaret. Quid verò ille, dicit facer textus. *Relicto in manu eius pallio,* Gen: 39
fugit, & egressus est foras. Cur potiùs animosus non stetit pro castitate, vt procacem fœminam aut verbis, aut verberibus castigaret. Sic quondam dum madianitides fœminæ traherent Israëlitas ad luxuriam; imò israëlitarum Princeps ingressus ad scortũ, dux esset cæteris nefarijssimi facinoris, videns hoc Phinees, resolutè statim de patrato scelere vindictã sumpsit. Ait scriptura loco citato. *Quod* Numer: 25.
B *cùm vidisset Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem.* Num: 24. Et cur Phinees non timuit immanitatem periculi, cùm Ioseph nec stare paulisper in cõspectu procacissimæ mulieris ausus fuerit? Respondet Philo lib: 2. legis Philo:
allegoriarum inquiens: *Ioseph vt homo iuuenis, qui non posset cum Ægyptio corpore, scilicet cum voluptate contendendo sperare victoriam, mauult fugere; Phi-*
C *nees autem sacerdos zelo Dei correptus, non fuga sibi salutem quæsiuit, sed non desistit priùs, quàm Madianitidem transfigat.* Ioseph ergo vt potè infirmo adhuc, & pusillo iuueni fuga honorifica, & vtilis erat, ne se magnis certaminibus subtraheret. Non abnuerem sanè, Petrum ideo Christi præsentiam expauisse, quod pauperculus esset, nisi optimè scirem, homines etiam infimæ
D sortis, id pro summa felicitate sibi tribuere, si personam aliquam eximiæ dignitatis domo sua exceperint. Ergo forsan ideo Christum obsecrauit, vt ab eo exiret, quòd magnitudinem præstiti sibi beneficij in captura piscium expauesceret? Legimus enim in scriptura Sacra Genes: 42. quòd filij Iacob reuersi ex Ægypto ad patrem, Gen: 42.
Cùm frumenta effunderent, singuli reperierunt in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisq; simul omnibus, dixit Pater Iacob:

Iacob. Ad conspectum pecuniarum
A omnes exterriti fuêre: quia putabant se à Deo sic demulceri. Quod consideransSaluianus ait: *Iam agnouerant* Saluianus.
castigari se à Deo, sanguinem fratris exquirente ad vltionem: nunc se demulceri ab eodem putabant. Quomodò obsecro, cùm benefico Deo eos demulcẽti id tribuerent, inde exterriti fuerint? nimirum vt conscij sui peccati in fratrem commissi erant; ita inopinatis illis diuinis beneficijs terrebantur. Scientes maxime timenda esse diuina beneficia, quando indignis
B dantur. Fateor diuina beneficia indignis maxime timenda esse, cum eis non rarò soleant cedere ad periculũ. Verùm cùm nihil tale de B. Petro cogitare possimus, vt pote cum Christo iam toto corde conglutinato, pro quo mori, & omnia acerba sustinere paratus erat, altiores istius mysterij causas inuestigabimus, quas ego tres maximè proposito meo seruientes afferam.

Vincentius S. primam istius fa-
C cti rationem assignat, summam reuerentiam, quam B. Petrus habuit erga Christum: *Laudatur* inquit Petrus, quia hoc fecit ex magna reuerentia, cognoscens diuinam maiestatem, & suam infirmitatem, per hoc etiam summæ perfectionis indignum reputans, qui licet nullius peccati sibi conscius, cum verbo incarnato familiariter procedere? & ad latus eius assidere audeat. Quæ enim comparatio hominis ad Deum, creaturæ ad creatorem? Hoc mihi feciſſe videtur spõ-
D sa Cantic: 8. sponsum suum his verbis alloquens: *Fugè dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, super montes aromatum.* Mirum est, si dilectus, quomodò illum fugere iubet, cùm ex absentia dilecti oriatur tristitia. Respondent aliqui, sponsam hæc verba in persona peccatorum protulisse. Quasi dicere vellet, vt exponit Chald:
chaldæus paraphrastes. *Fuge tibi dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, Dominator sæculi terra hac immunda, & habitet maiestas tua in cœlis excelsis, & in tempore tribulationis, quo nos orauerimus coram te, eris similis capreæ, quæ in tempore, quo dormit, vnus oculus eius est clausus, & alter oculus eius est apertus: aut sicut hinnulus ceruorum qui in tempore, quo fugit, respicit post se; ita tu contemplaberis nos, & respicies tribulationem nostram.* Quibus verbis imaginem dormientis accommodat, iuxta illud Psal: 43. *Exurge, quare obdormis Domine,* ostendens Deum nun- Psal: 43.
quam totum pœnæ incumbere, sed vno ad illam oculo, altero ad misericordiam aspicere; nec clementiam à seueritate disiungere, sed admixtã misericordiâ iustitiam exercere. Cumq; à nobis tanquàm ceruus, ob iram nostris flagitijs debitam, fugere videtur, ad nos tamen semper oculos indesinenter conuertit. Hoc palam fatetur Abacuc cap: 3. v. 2. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Abacuc: 3.
Inuens, ita misericordiæ adnexam, atq; coniunctam, iustitiam suam Deũ habere, vt hanc capere, quin illam æque accipiat, quodam modo nequeat; non secus, ac qui duarum rerum apices coniunxerit, cui vna sine altera adhærere non potest. Hinc vtraq; ista Canticorum, & Abacuc verba, locis citatis, ita coniungit S. Bernar- S. Bernardus.
dus. *Vt ergo cùm iratus fuerit, misericordiæ recordetur, rogatur ab ista apparere in misericordia habitu illo, de quo dicit Apostolus: Et habitu inuentus vt homo. Necessariè quidem: Si enim cum hoc quoq; temperamento, tanta erit in iudicio æquitas, in iudice feritas, in maiestate sublimitas, nouitas in facie ipsa rerum, vt secundum Prophetam non possit cogitari dies aduentus eius.* Moxq; subdit: *Quid putas foret, si ignis ille consumens, (Deum loquor omnipotentem) in illa suæ diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate, venisset, contra folium, quod vento rapitur, ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus.*

Hoc ipsimet dæmones, tantæ diuinæ misericordiæ subnixi, Redemptorem nostrum, Dei Filium, (licet ab eo seuera & iusta punitione torquerentur, vt moderatiùs cum illis ageret) sic acclamabant: *Quid nobis, & tibi Fili Dei?* Quasi dicerent, licet Matt: 8.

nos tantis digni simus supplicijs, verùm te summum Principem lenitas, & in inferendis supplicijs, moderatio maxime decet. Quod eleganter elucidat S. Chrysologus Serm: 16. inquiens: *Hoc est dicere, vita auctor, quid tibi cum mortuis? Habitator cœli, quid tibi cum sepulchris? odor paradisi quid tibi cum fœtore? Quos de cœlo deiecisti, quos de paradiso exclusisti, quibus nunc tollis vrbes, regiones habitabiles negas, permitte inhabitare nos vel sepulchra, & si nos persecutione tanta digni sumus, tu non es dignus iniuria.* Quo permotus Redemptor noster, postquàm de corporibus humanis dæmones expulit, in gregem porcorum ipsis met postulantibus intrare permisit.

Chrysologus.

Quidni etiam principes, Magistratus, Iudices, vitæ, necisq; ius in homines habentes, homines se esse meminerint? non quidem vt iustitiæ iura infringant, sed vt seueritatem moderentur, & duritiam mitigent: quoniam & ipsi circumdati sunt infirmitate. Egregiè scilicet laus hominis fuerit, omnia ad viuum rescare, clementiam nescire; humanitatem pietatemq; omnino exuere. Talem se hominibus exhibere solebat Elias Propheta: nam ardenti zelo feruens, & exæstuans, non nisi ad pœnas sontibus irrogandas, victricibusq; flammis eos consumendos, gladiumq; in eorum ceruices vibrandum factus videbatur. Verùm acrius eius ingenium leuiter fugillare volés Dominus, impiam mulierem Iesabel in ipsum permisit debacchari. Illum autem ferocientis fœminæ furorem metuentem, & gladium eius fugientem, sic Deus allocutus est, 3. Reg: 19. *Quid hic agis Elia?* Quasi diceret, vt exponit S. Chrysosthomus, homil: de Elia, & Petro. *Cur tu aufugisti? vbi nam est tua in loquendo libertas.* Cùm vero Elias scisciranti Deo responderet: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israél, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* S. Chrysosthomus pro sua ingenij felicitate, redarguit ipsũ, quod non eam ob causam fugerit. Sed quia humano modo Iesabel timuit, ita loquens citatus Sanctus Doctor: *Quid ad hæc Deus, statim illum redarguens: non propterea inquit fugisti Elia: nõ enim tu solus es Baal non adorans.* Statimq; concludendo discursum suum, subiungit: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal.* Palam ostendens id permissum esse à Deo, vt propriæ infirmitatis memor, & ex humana erga seipsum charitate, ac propriæ vitæ amore viuentibus innato, aliorum misereri, & compati disceret. Quasi illi Deus hoc ob oculos ponere voluerit. Itane Elia? & tu etiam tibi ipsi charus es? gladiumq; fugere, ac mortem declinare nosti? Disce ergo ex te ipso clementiam, & aliorum supplicijs misericordiâ commoueri.

3. Reg: 19. v. 9.

S. Chrysost:

Bene equidem: nam & S. Gregorius lib: 5. Moral: in hanc sententiam propendet, quod sponsa iubeat sponsum à peccatoribus fugere, sic loquẽs: *Fugit dilectus ex reprobis cordibus, ne videatur abscondi ab eis.* Verùm nulla ratione possum in hanc sententiam propendere. Si enim sponsa in persona peccatorum loqueretur, quomodò sponsum, dilectum suum posset appellare, inquiens: *Fuge dilecte mi,* cùm omnes Theologi doceant, in eadem voluntate humana pro eodem instanti temporis, non posse simul reperiri amorem, & odium respectu eiusdem obiecti. Veriùs itaq; censeo, sponsam ex nimia charitate verba hæc protulisse: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Non ergo illum à se longiùs fugere, aut diutius abesse expetijt; sed potiùs vt spõsus breui mora se illi subtraheret, quò ardentiori affectu & rediret, & exciperetur, non secus atq; hinnulus, qui si à matre tantisper absit, alacrior ad ipsam regreditur, indulgentiusq; ab ea suscipitur. Sic quondam cœlestis sponsa, suum sponsum breui mora interposita absentẽ, rursus fragrantiori desiderio reuocabat, Cantic: 2. v. 17. *Dilectus meus mihi, &*

S. Greg:

Cant: 8.

Cant: 2.

ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere, similis esto dilecte mi hinnulo, ceruorum. Hæc est expressa mens Venerabilis Bedæ, qui super citata verba: *Fuge dilecte mi*, ita scribit: *Quod ait*, Fuge dilecte mi, *non optando loquitur. Quis enim eum, quem diligit, à sua fugare præsentia velit? sed eius potiùs voluntati se conformando, memor videlicet consuetudinis ipsius, qua se in medio sæpe sermonis relinquens, transierit.* Ita planè Petrus Christum à se exire voluit, quo ex breui eius absentia, maiori desiderio inardesceret.

Beda.

Audite S. Vincentium ita loquẽtem: *Laudatur Petrus, quia hoc fecit ex magna reuerentia, cognoscens diuinam maiestatem, & suam infirmitatem.* Ergo Petrus ex summa humilitate & reuerentia erga Christum hoc fecit, ideoq; merito laudatur. Simile quid factum legimus à centurione Matt: 8. Cùm introisset Iesvs Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogãs eum, & dicens: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Origenes Homil: 5. in diuersos, hoc Centurionis factum ita elucidat: *Accedit Centurio externus generatione, sed mente domesticus; militum Princeps, sed plus Angelorum gaudium. Multi illo tẽpore pro diuersis rogabant infirmitatibus, nullus autem pro seruo, nisi iste solus: & hoc ei ad argumentum beatitudinis, & gloriæ coronam erat.* Quasi diceret: vnus Centurio licet fide extraneus, confidenter ad Christum accedens, primus curam serui sui gessit, rem sane & Deo, & Angelis gratam. Chrysologus autem, hunc scripturæ locũ ita expendit: *Cohortis Romanæ Centurio, Dux factus est militiæ Christianæ, & meritò quia ante cœpit docere, quàm credere. Videtis centurionem antequam disciplinatus subiret officium, locum magisterij fuisse sortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit causas, virtutum commendat exempla, qui nondum Christianæ scholæ ingressus est disciplinam. Rogat eum, hoc est sapere, non rogare. puer meus iacet, &c. causas pueri, quasi magister agit. Vere Centurio, qui stipendia terrena centenarium cœli mutuauit in fructum, & seruitutem militiæ sæcularis in diuinam sustulit dignitatem. Domine puer meus iacet &c. Qui vocat Dominum fatetur suam fideliter seruitutem.* Dum enim pro seruo supplicat, de illius salute solicitus, Christum appellans Dominum, Parem de se ipso curam exambit.

Matt: 8.

Origen:

S. Chrysol:

Vnde citatus Origenes, sic in persona Centurionis loquitur: *Mihi hic seruus est, & ego creatoris, Ille me super terram, & ego in cœlis magnum habeo Dominum. Si ergo eius non misereor, quomodo ille mei miserebatur? si ego huic non subuenio, quomodo ille mihi subueniet? Sic debent omnes, qui famulos, & famulas habent, cogitare, sic misereri, & condolere eis; supplicare, & curam habere de seruis, vel de ancillis suis, sicut ille beatus Centurio fecit.* Quid ergo Christus ad hanc Centurionis humilem postulationem, non qualitatem Domini aspernatus, quòd gentilis esset, nec conditionem famuli, quòd seruus, illico respondit: *Ego veniam, & curabo eum?* Attendite dignationem, verbo poterat, & imperio; præsentiam tamen suam promisit? Quid est? alibi roganti Regulo, vt ad sanandum eius filium veniret, solùm respondit: *Vade, filius tuus viuit;* hic autem in domum Centurionis libenter voluit pergere? Forsan, ibi noluit ire, ne in curando Reguli filio videretur magis diuitijs detulisse; hic verò libens perrexit, ne videretur in famulo Centurionis, seruilem conditionem despexisse, cum omnes, & seruus, & liber, in Christo vnum sint. In hanc sententiam propendet S. Gregorius homil: 28. in Euangelia: *Quid est* inquit, *quòd Regulus rogat, vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter rẽcusat; ad seruum verò Centurionis non inuitatur, & tamen se ire corporaliter pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse; Centurionis seruo non dedignatur occurrere. Quid est hoc? nisi quòd superbia nostra retunditur, qui in honoribus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sumus, sed honores, & diuitias veneramur.*

Origen:

Christus ad filium Reguli ire noluit.

S. Greg:

Christ ad filiũ Centurionis sanandũ cur venire voluit

Et paulo post ita concludit: *Ad filiũ Reguli ire noluit, ad seruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines: sola quæ circumstant hominibus pensat, naturam non aspicit; honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus est ad salutẽ serui.* Quasi impensior cura, & promptior sollicitudo erga seruos, sit nobile seruitutis stipendium. Serui igitur sanitatem cum Centurione prætulit Christus, Reguli generosæ nobilitati, & amplis diuitijs: quia & ipsemet Christus formam serui accepit, in eaq; ad sanandos seruos in hunc mundum venit.

Matt: 8. Licet igitur Centurionis seruum Christus solo verbo sanare potuerit, præsens tamen etiam sponte venire voluit, graui eius infirmitate permotus: *quia paralyticus erat, & male torquebatur.* Altitudo igitur mali Christum ad seruum attraxit, non retraxit. Vnde quia in illo seruo & magnus & vilis ostendebatur peccator; ideo præsentiam suam, Christus exhibuit, vt totus in extirpando peccato videretur, qui ob id venerat beneficentia prius anteuertens, non homines despiciens, quia seruus. Pulchrè id edixit Basilius Seleucien: Orat. 19 *Ego veniam, qui hominum studio me in hominem induxi, qui propter omnes veni, non vnum despiciam, curabo eum beneficentiâ preces anteuertens.* Infirmitatẽ itaq; Christus non despicit, imò optat videre, vt curet præsentia, licet possit potentia, quia ipse solus fert nostras videre infirmitates, vt sanet; nostram curuitatẽ, vt erigat; nostra cruda, ac rebellis natura potius illum ad se attrahit; quàm expellit.

S. Basil: Seleuc:

Verùm, quid causæ, quòd Centurio audiens dominum IESVM in suam domum venire cupientem, responderit: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Cùm vtiq; Zachæus audiens IESVM in domum suam festinare, celeriter descenderit ex arbore, & *excepit illum gaudens in domo sua.* Nam quid magis contrarium, quàm quod vnus gaudens IESVM admittat, alter illum admittere renuat. Et tamen vterq; laudabilis esse censetur, nec à perfectione deuiauit. Rẽ hanc pulchre elucidat D. Augustinus epist: 118. ad Ianuar: cap: 3. sic fatus: *Dixerit quispiam non quotidiè accipiendam Eucharistiam; alius affirmet quotidiè accipiendam Eucharistiam; alius affirmet quotidiè: facit vnusquisq; quòd secundùm fidem suam piè credit, esse faciendum. Neq; enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum alteri se præposuit, Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorũ gaudens in domo sua susceperit Dominũ, alter dixerit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.* Ecce tibi, quàm alio, imo contrario modo procedebant Zachæus, & Centurio; qui tamen in virtutis, & perfectionis culmine adunantur. Excusauit enim se centurio, & ne sub tectum eius ingrederetur Dominus, præ nimia humilitate indignum se dixit. Vnde S. Ambrosius Serm: 89. Considerans illa verba Centurionis: *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, ita in laudẽ eius excurrit. *O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuesti! Ecce Religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dùm se professus indignum, & dum ædes suas iniuriosas putat, magis eas honorificas fecit, & gratas. Magnæ enim & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cælorum esse, dum verebatur, ne hospitij sui eum angusta non caperent.* Assentitur Ambrosio D. Augustinus Serm: 74. de Tempore: *Non sum dignus vt intres sub tectum meum: Tecto non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur.*

S. Ambrosius.

S. Aug:

Hinc & ipsemet Christus, audiẽs adeo stupendum responsum Centurionis, miratus est, & sequentibus se dixit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israèl.* Quid tibi, ô Israèl, lucri ex miraculis in Ægypto editis? Quæ vtilitas in Mosaica lege, & Prophetarum oraculis Euangelium clarè adumbrantibus? Ecce homo gentilis à Testamento alienus, miraculorum ignarus, legum profanus, prophetiarum expers, Mosaycæ disciplinæ; & tamen Iudæorum fidem vera credulitate superauit. Vt ingeniosè discurrit Basilius Seleucien. Orat: 19. *Vnus Gentilis supra tuam Iudæorum multitudinem fide se extulit. Esto Gentilis discipulus: incredulos, vt credas, sequere.* Ô peregrinum Christianæ religionis gymnasium! Quid tàm contemptibile apud Hebræam gentem; quam prophanus Gentium populus? Quid in tanta auctoritate, dignitate, ac maiestate, sicut Mosayca lex, & sanctissima Prophetarum oracula? Ergo qui nec Moysi, nec Prophetis creditis, credite homini Gentili, & erroribus innutrito. Nam tanta vis est veritatis, vt in ore etiam hominis Gentilis, & erroribus assueti: fidem extorqueat. Imo etiam tanta est fidei nostræ veritas, vt vel gentili ore edocta, credulitatem inueniat in homine Iudæo, si credibilitatis motiua ad amussim expendat. Ergo ô Iudæi, qui Moysi & Prophetis, de Christianæ religionis veritate increduli estis, estote Gentilis discipuli & *incredulos, vt credatis, sequimini*: quoniam veritas ore dicentis non deuenustatur.

Matt: 8.

S. Basil: Seleuc: 19.

Iudæi à Gentilibus veritatem discere debent.

Ecce ergo Centurio gentilis homo, noluit Christum intrare in domum suam, quia cum Gentilis esset, optimè sciebat. Iudæis non licere domos gentilium intrare: Quia vt vult Lyranus, idola habebat in domo sua, quæ adorabat, & ideo domum suam indignum Christo locum iudicauit; iuxta illud Apostoli: *Quæ societas Christi ad Belial?* Proindè ex summa humilitate fecit hoc. Eandem humilitatem declarauit Petrus, rogans Christum, vt ab illo exiret. Sic concludit Chrysologus loquens: *Agit vterq; ne indignitas hospitij maneret in hospite iniuria.*

Ratio secunda.

Iam vero Aloysius Nouarinus confert Petrum id fecisse ob metum. Et quid obsecro timebat Petrus, cùm tantam multitudinem piscium cæpisset, vt naues capiendis non sufficerent: imò potius lætari debuit, non metu concuti. Sanè, quia ex magnitudine miraculi Christi potentiam cognouerat, ideo timuit, ne aliquando periclitaretur. Quod sic concipite: quando aliquis in memoriam reuocat sibi perpetrata delicta, timore corripitur, metuens pœnam. Sic miles iniustis pauperũ rapinis onustus, dum classicum canitur, dum hostis imperterrito animo aggrediẽdus est, inopinato horrore rapinarum sibi ob oculos recurrentium perterrefactus, frequenter etiam nemine persequente fugit, vel vnius folij volantis sonitum expauescens. Sic omnis homo facinorosus, potissimùm difficillimis temporibus, peccatorum multitudine sibi in memoriam recurrente, terretur, nec potest esse securus. Vt præclare discurrit Seneca Epistola 97. *Tuta* inquit, *scelera esse, secura esse non possunt.* Moxq; rationem subdit: *Prima illa, & maxima peccantiũ est pœna peccasse. Nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet mumeribus suis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est; sed nihilominus & hæc, & illa secundæ pœna premunt, ac sequuntur: timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.* Demus sanè aliquem fortunam liberasse pœnâ; neminem tamen liberare potest angustia. Malè profecto de nobis actum esset, multa namq; scelera legem, & iudicem effugiunt, nisi propria notitia, & trepida semper conscientia, carnificis exercerent officium, & quouis externo grauius incuterent tormentum.

Seneca.

Hoc agnoscens Dauid Rex, clamabat ad Dominum Psal: 50. *Quoniam iniquitatem meam cognosco, & delictum meum coram me est semper.* Quasi diceret, quocunq; oculos, & mentem conuerto, vbiq; peccatum commissum præsto mihi adest, & ita me cruciat, vt nusquam securus esse possim. Ita prorsus D. Petrus reducens sibi in memoriam præterita delicta, metuebat præsentem, dicens: *Exi à me Domine, quia peccator sum.* Quasi diceret: Ego sum Domine, qui te toties pec-

Psal: 10.

Matt: 8.

peccatis meis offendi: ego sum, qui A contra te crimen læsæ maiestatis perpetraui, dum te in domo Caiphæ, non sine graui periurio ter abnegaui, quomodo nunc in tua præsentia subsistere possum? Quantum hoc meum nefas est, quod te magistrum adeò dilectum negauerim? quis me si tecum præsentem spectauerit, non vehementer, tanquam læsæ maiestatis reum condemnabit? Et licet S. Chrysosth: tempus difficile spectans, quo Petrus IESVM negauit, non adeò illum accuset. Oration in Apostolos habita tomo 6. sic loquens: *Non sanè* B *magnoperè accusandus Petrus videtur: Nam quo tempore sol ipse fugiebat, cælũ latebras quærebat, concutiebatur terra, Petræ scindebantur, quippe, quæ creatoris iniuriam ferre non poterant, tunc Petrus defecit, tunc Petrus negauit.* Inter tot ergo temporis difficultates, vbi penè tota mundi fabrica ruebat, non mirum, quod & Petrus lapsus sit. Nihilominus ipsemet Petrus ita suum illud peccatum graue esse iudicabat, vt Christum in nati præsentem habere vehementer extimesceret.

S. Chrysostho:

Tertia ratio.

Tertiam rationem, cur Petrus Christum à se voluerit exire, video esse summam perfectionem, quam habuit Petrus. Sic docent S. Cyrillus & Nouar: *Iustus* inquiunt, *quò maioribus beneficijs cumulatur, à Deo, tantò se humilius demittit.* Comprobat S. Ambrosius, qui tantam Petri humiliationem considerans, ait: *Admirabatur dona diuina, & quò plus nouerat, eo præsumebat minus.* Explicatiùs adhuc rem istam edisserit lib: 3. de Virginitate sub finem: *Vir* inquit, *sapiens &* D *grauis, in quo esset Ecclesiæ fundamentũ, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentus; & ideo: Exi, inquit, à me Domine, non rogat, vt deseratur, sed ne infletur.* Nimirum Petrus Apostolorum vertex, & expressior Euangelicæ perfectionis idea, cum in sua naui præsentem cerneret Christum Deum, & tanto prodigio beneficè præsentissimum, humilior de huiusmodi præsentia factus, se tunc maximè peccatorem agnouit, inde profundè humiliatus, vnde credi poterat superbisse. Quia innatum est viris magnis, & Sanctis, etiam in summa fortuna, humiliter de se sentire; quemadmodum vilibus, & abiectis personis, nihil asperius, & tumidius esse solet, quàm dum surgunt in altum. Cuius rei euidens sumite documentum.

S.Cyril: S. Ambrosius.

Multis annis prole destituti Abraham, & Sara tulerunt sterilitatis notam, & non modici doloris pœnã. Fidissima & mæsta coniunx Sara persuasit Abrahamo, vt ex ancilla Agar dicta prolem suscitaret. Genes 16. Gen:16. *Dixit marito suo, ecce conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa susciptam filios.* Quæ postquàm concepit, oblita seruilis suæ conditionis, quòd esset Ægyptia de stercore prorsus in domum Abrahæ assumpta, eò superbiæ deuenit, vt Saram dominam suam pro nihilo haberet. Adeo vt Sara grauiter coram Abrahamo conquesta fuerit Genes: 16. n. 5. *Dixitq; Sara ad Abraham, iniq; agis contra me,* C *ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns, quòd conceperit, despectui me habet, iudicet Deus inter me, & te.* Mirãtur non pauci, quòd talia dixerit mulier Sancta, contra Abrahamum virũ pium, mulier inquam, sic in eum fidelis, vt peregrè cum illo proficiscẽs, nunquam eum deseruerit; mulier ita obsequens, & amans, vt ne in periculum Abrahæ vita descenderet, negans se eius vxorem, potiùs in discrimen voluerit suam adducere pudicitiam, quàm viri salutem: mulier tãdem, quæ (vt D. Chrysosth: obseruat, Homil: 38. in Genes:) vt orbitatem viri consolaretur, ancillam in vxorẽ dedit, in idem eam cubile passa intrare, vt de filijs marito prouideret. Quomodò inquam talis ac tanta mulier, ita mariti amans, concessa solatia eidem exprobrauerit, Deumque iudicem contra illum euocauerit, vt vindicaret, vt puniret, vt mactarer, quem priùs supra vitam, & vt sic loquar supra ipsam diligebat animam.

Agar occasio iurgij inter Saram & Abrahã.

Vnde

Vnde ergo tantus ignis? tale incendium? tale bellum? tanta discordia? Profecto ex reprehensione prætermissa: quoniam insolentem ancillam erga dominam suam, eamq; despicientem, licet viderit Abrahã; non tamen correxit. Sic censet S. Chrysosthomus supra citatus, vbi querimoniam Saræ exponens dicit:

S. Chrysost: *Tu autem videns hanc inde fieri temeriam, propter vteri sarcinam, & magno fastu inflari, debebas reprimere, & vlciscì eius in me iniurias; attamen quasi omnium priorum oblitus me despicis etiam* B *tu.* Cur autem Agar in tantam superbiam elata fuerit? Respondet Lyranus hanc esse causam: quia audiens Deum loquentem cum Abrahamo,

Gen: 17. Genes: 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & semini tuo post te. Daboq; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan, in possessionem æternam.* Putabat itaq; Agar, quòd tota hæc benedictio Dei, penes Ismàélem eius filium, quem C paritura erat, remanere deberet; & hinc occasio superbiæ: quia innatũ est vilissimis hominibus ad omnia Dei beneficia sibi præstita, prorumpere in quandam elationem. Econtra vero viri sancti, dum eis diuina beneficia præsto adsunt, humiles procumbunt ante Deum. Sic Abraham audiens promissiones sibi à Deo fa-

Gen: 17 ctas: *Cecidit pronus in faciem,* sic Petrus venientem ad se Christũ videns, cecidit ad genua eius rogans: Exi à me Domine, quia homo peccator D sum.

Docebat aliquando Christus turbas ad se confluentes, quantis delicijs beari in cœlo fruentur, & quantum glorificabuntur, audito hoc quidam legis peritus, dicit: Magister quoniam tàm multa te scire video, volo à

Lucæ 10 te discere: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Tunc Christus ad eum dixit: *In lege quid scriptum est, quomodò legis?* Respondente illo. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Laudauit Dominus responsum legis periti, dicens: *Rectè iudicasti, hoc fac, & viues.* Audita hac responsione legis peritus, statim intumescere cœpit, inquiens: *Et quis est proximus meus?* Hanc nactus opportunitatem Dominus, suam sub Samaritani ænigmate charitatem in vulneratum depinxit. Cùm enim incidisset in hominem à latronibus dispoliatum, maximis plagis, ac vulneribus saucium, ex equo descendit, vulnera oleo, vinoq; refouens, fascijs mollibus inuoluit, ait sacer textus. *Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum, & imponens eum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit, & altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario.* Res stupenda: vtiq; aptius charitatis, & amoris videbatur exemplum, Lazarus à mortuis excitatus, ac vitæ restitutus. Cur ergo Dominus non produxit in charitatis argumentum de mortui resurrectionem; sed sauciati curationem?

Existimo hanc esse causam, quia Lazari suscitatio solo imperio peracta est: ibi namq; voce vocauit, & nullo labore saluti reddidit: *Voce magna clamauit: Lazare veni foras: & statim prodijt, qui fuerat mortuus,* hic verò ab equo desilijt, vt ei saucium Samaritanum imponeret, hic denarios porrexit, hic sumptibus & labori[b]ꝰ saluti moribũdi prouidit. Et ideo curatio plagis onusti Samaritani luculentius erat charitatis documentũ: quàm resuscitatio Lazari: cùm in illius suscitatione sola voce euacuauerit monumenta; in istius autem curatione, proprijs laboribus vinum comparârit & oleum. Proinde si labores exsuscitationis, & curationis conferre voluerimus, facilè comperiemus, plus Christum in curando Samaritano laborasse; Quàm in Lazaro resuscitando. Pulchrè S. Gregorius ad præsentem locum alludit, inquiens: *Vocat hic Christus se Samaritanum opportunè cùm enim alloqueretur iuris peritum superbientem in lege, voluit*

S. Greg:

luit exprimere, quoniam nec sacerdos, nec leuita, & qui conseruabantur in lege, legis propositum implebant. Sed ipse venit legis consummaturus propositum. Addit:

Theophylact. Theophylactus: *Dicit, iter faciens, quasi ex proposito hoc faciens, vt nos curaret.* Quando enim venit Samaritanũ curare, quando oleum, vinumq; infudit, quando pedibus iter peregit, tunc se impleuisse charitatis studium fassus. Est enim honestus charitatis fastus, proprijs laboribus alienis mederi, & contemptis proprijs ærumnis alienis necessitatibus subuenire.

Et quid, mouitne ista cœlestis magistri doctrina, pulchro charitatis ænigmate depicta Legis peritũ? minimè sanè: imo in superbiam extulit. Dicit S. Cyrillus in Cathena D. Thomæ: *Laudatus à Saluatore Legisperitus, quod rectè respondisset, statim proripuit in quandam elationem.* Nimirum, quòd existimaret se neminem in toto mundo doctiorem esse. Quia proprium est, infimæ sortis hominibus, etiam ad exiguas hominum laudes efferri; quemadmodùm magnorum virorum est, & in summa fortuna insolentiæ ventis non abripi. Iustus siquidem quò maioribus à Deo cumulatur donis, eò magis se humiliat. Sic quondam D. Augustinus Donatistis nimiam præsumptionem exprobrabat: *Conuiuatis vt latrones, morituri vt martyres.* Quia cum vitam in enormissimis sceleribus traducerent, spem tamen salutis ex præsumptione sibi faciebant, quasi hominẽ sine fide, & bonis operibus saluari possibile esset. Non sic faciunt homines iusti, verùm etiamsi virtutibus vt adamantes fulgeant, vitam inculpatam agant, moribus optimis omnibus præluceant; tamen se in conspectu Dei pro vilissimo puluere reputant, & quantò maioribus à Deo cumulãtur donis, tantò magis se humiliant.

Quod pulchrè adumbratum reperio Cantic: 5. Declinauerat aliquando paululum sponsus, & recesserat à domo sponsæ, illa tædio correpta & moræ impatiẽs, cœpit eum per plateas ciuitatis Ierusalem, cum lachrymis, & gemitu quærere. Cumq; incidisset in filias Hierusalem, eas obtestata est, num vidissent eius dilectũ: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Illæ delineationem dilecti requirunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum, quia sic adiurasti nos?* Respondit sponsa, dilectũ suum adeò elegantis esse formæ, adeo stupendæ venustatis, vt non sit ei similis in filijs hominum. *Dilectus* inquit *meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus: caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Et quid in auro potuit sponsæ Dei placere? An pretium eius? absit: qui enim Deo maximè adhærent, auri pretium contemnũt. Sed mirata est Dei sponsa in auro illã præstantiã, qua supra omnia metalla aurum in diuersas formas, & grãdes, & tenuissimas mutatur; ipsum tamẽ idem permanet. Quo præstantia iusti hominis ad amussim delineatur, qui in quocunq; honoris gradu constitutus, idem immutabiliter permanet, ne digito quidem à virtutẽ constãtiæ recedens. Sic ingeniosè discurrit S. Nazianzenus Epistola 107. ad Sophr: Principem scribens: *Aurum alias quidem alio modo immutatur, & effingitur, in multos ornatus informatum, atq; ad multas res ab arte traductum; aurum tamen, vt est, manet: nec materia, sed forma mutationem suscipit. Eodem modo tuam quoq; probitatem, eandem erga tuos amicos manere existimantes, etiamsi ad altiores quotidie dignitatũ gradus promouearis.*

S. Aug:

S. Cyril:

Cantic: 5.

S. Nazianz:

Ergo sponsa in hoc loco, mysticũ sponsi corpus ad vitam pertinens, his verbis delineauit: *Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus, oculi eius sicut columbæ.* Quod enim in capite splendet aurum, idem ostẽditur esse in manibus. Caput Ecclesiæ est Christus, qui vt ab omni vitio & peccato, & corruptela purus est; ita aurum perfectissimum & defecatissimum dicitur. Manus Ecclesiæ sunt ad ministratores rerum temporalium, qui tunc ad vitalissimum corpus pertinent Christi Regis, quando ita ei in puritate vitæ, in innocentia, in abstinentia ab omni vitio assimilantur, vt similiter aurei esse dicantur. Ita locum hunc exponit D. Nicænus Homil: 4. in Cantica, *Quod si ergo caput hoc nostrum, nempe Christus, appellatum fuit aurum immaculatum, propterea, quod extra omne peccatum sit; itidemq; etiam hic manus vocantur aureæ; nimirum, patet hoc significari manus has prorsus esse puras, expertes peccati, alienas ab omni vitiositate. Manum autem appellamus eam, quæ ad vsus diuinitus præscriptos, publica bona Ecclesiæ administrat, cuius hæc propria laus est, vt capitis naturæ similis fiat ratione puritatis peccatum expertis.* Vnde si fuerit administrator temporalis ita expers vitiositatis, ita purus ab omni fallacia, ita fidelis vel in minimis, vt correspondeat capiti nostro Christo Iesv, certe talis non separabitur à tãto capite, verùm semper ei adhærebit, vt vitali corpori adhæret viua manus. Nam hæc est laus administratoris, in fidelitate correspondere diuino capiti, iuxta illud Diui Pauli 1. ad Corint: 4. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*

Nicen:

1. ad corint: 4.

Illud tamen magna consideratione dignum, si sponsa cœlestis mysticũ Christi corpus, id est, homines iustos in citato loco exprimere voluit, quorsum addidit illa verba: *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ sicut coruus.* Nam si iusti idem corpus mysticum efficiuntur cum Christo, eodem colore, scilicet candido vt Christus, exprimi debebant. Verùm, si rem intimiùs introspicere voluerimus, facile deprehendemus, vtrũq; colorem eundem esse, nec candidũ, seu album à nigro discrepare; sed tota iustorum, qui in virtute durant, & sibi constant, vita, vnius sine actionũ dissensione coloris est. Quid enim, *elatæ palmarum, nigræ sicut coruus,* significant? Respondet Cassiodorus: *Elatæ palmarum sunt rami productiores, & excellentiores interdum aurei coloris crispantes, & semper ad excelsa tendentes, & nunquam virorem suum amittentes.* En habetis capillorum, seu iustorum in Christo viuentium cõstantiã, qui nunquam virorem suum amittũt, sed & ad anteriora sese indesinenter extendunt, & fixi, atq; immoti in indefesso cursũ stant. Id ergo esse noueritis, & nigrum tanquàm coruum, & album tanquàm niuem esse. Scilicet, id nigri coloris proprium, ac peculiare est, vt nullam super se tincturã, siue alium colorem suscipiat: idem constantis animi ingenium est, vt sibi constet, & ipse vbiq; par sibi, id emq; sit. Audite S. Ambrosium Epist: 8. ita scribentem: *Vetus dictum: assuesce vnus esse, vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem seruans imaginẽ, quam acceperat.* Opportunè satis ad nigri coloris nullam in se tincturam admittentis imaginem; sed non minus appositè, imò plus energiæ addit Cassianus collat: 6. de *nece Sanctorum*, cap: 12. monens, non tàm rei depictæ, atq; signatæ; quàm ipsimet signatorio sigillo iusti animum fore assimilandum, vt dum alia omnia in se transfert, ipse immotus, & in sua qualitate persistens, à nullo alio trãsformetur. Rectè igitur sponsa cœlestis iustos comparauit palmæ, & coruo: palma enim teste S. Bernardo Serm: 6. de modo bene viuendi, significat hominem iustum, iuxta illud scripturæ: *Iustus vt palma florebit.* Vnde elatæ palmarum, sunt homines iusti, qui per exercitia virtutum eriguntur ad suprema. Sunt nigri, sicut corui, quia licet magnas virtutes operentur; maximos tamen peccatores se esse ostendunt: quoniam quãtò maioribus donis à Deo cumulantur, tantò se profundiùs humiliãt.

Cassiod:

S. Ambrosius.

S. Bernardus.

Ad confirmandam hanc veritatem, stabit pro mille argumentis iustus Iob, is cùm quodam tempore Deo colloqueretur, sic eum affatus est: *Auditu auris, audiui te, nunc autem oculus meus videt te, idcirco ego me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Quid est pro Deum immortalem, vir rectus, & simplex erat Iob, ita vt cum Deo, ceu cum amico loqui mereretur; & tamen viso Deo, quasi ex-

Iob: 42.

si exterritus & confusus, seipsum subtrahere, & ad pœnitentiam festinare voluit. Inuestigate si placet, de quo peccato tunc Iob pœnitentiam agere intẽdebat? Equidem de signis, quæ hominibus externa tantum intuentibus impatientiæ dederat, id est de leuibus quibusq; peccatis. Et vnde illi tanta etiam de minimis defectibus pœnitentia? Profectò, quia oculus eius videbat Deum, hoc est, vt censet Eusebius lib: 1. de demonstratione Euangelica, cap: 4. Christi imaginem, Verbi Incarnationem, ita loquens: *Nam qui antea de turbine, & nubibus illi se ostenderat, Deum vniuersi se esse iudicabat; porrò autem progressus, ita seipsum præbet videndum, vt ipse Iob tunc dicat: Audi me, vt etiam ego loquar; fomitum quidem vocis tuæ audiui prius, nunc autem oculus meus videt te, quòd si fieri non potest, vt Altissimus Deus, & inuisibilis, & ingenitus, & Rex vniuersi a mortali natura cernatur, quis tandem hic, qui sic visus est, alius fuerit præter Dei Verbum, quod seipsum ad tempus de propria magnitudine dimiserit.* Eusebi°. Incarnatio Dei maximũ ad pœnitentiam motiuũ. Ploret ergo Sanctus præterita, quæ non digna ploratu æstimabat, quando Deum solùm audierat, non viderat; at post Deum visum, post Christi incarnati imaginem inspectam, de minimis etiam pœnitentiam agebat in fauilla, & cinere.

Quibus vos hic verbis alloquar Catholici mei, peccent Gentiles, Deum turpiter offendant, qui de nomine eius solùm à longè audierunt, qui illum non viderunt. At vos, qui Deum incarnatum, passum, mortuum, qui vos sanguine redemit, & creditis, & singulis diebus in sanctissimo Sacramento videtis, etiam de minimis peccatis, seueram agite pœnitentiã. Quoniam summæ nequitiæ, ac infiniti sceleris est, post talia, & tanta credita in Deum peccare, Dominium eius spernere, diabolo se subijcere. Isaiæ 6. Clamabat olim Isaias cap: 6 v. 5. *Væ mihi* vnde tantus dolor? *quia tacui.* Quid tacuit, quid reticuit? respondet: *quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego Ahabito.* En quàm exigua peccata, labiorum duntaxat, id est, vana, & otiosa verba, vt vult origenes in Isaiam homil: 4. *Annotemus* inquit, *quia peccata Isaiæ non in factis, sed tantùm in sermonibus erant.* Origen: Aut certè, vt vult Nazianzenus in Apologia ad Patrem, *Quòd cùm alios reda gueret, seipsum nõ reprehenderet.* Nazian: Quæ omnia intelliguntur de venialibus, & leuibus culpis. Vnde ergo Isaiæ tantus de minimis delictis dolor? Respondet ipse: *quia Regem Dominum vidi oculis meis*, id est Christum. En tota ratio pœnitentiæ, addit Origenes: *Incipio nosse, quia miser sum, quando video visionem.* Enimuerò si de minimis peccatis Christo in carne viso, tantus dolor, tantus fletus in Isaia excitatus fuit. Quid nunc de furtis, stupris, adulterijs, homicidijs, rapinis, latrocinijs, & mille alijs atrocissimis sceleribus censebimus?

Ecce nos Christi sanguine viso, imò & in sacramento toties gustato, ipsum refugimus, iterumq; ad pristina vitia reuertimur, & alia multò grauiora perpetramus: Profectò feriores sumus ipsis belluis, crudeliores ipsis feris, nam istæ semel gustato hominis sanguine, ita cætera fastidiunt, vt vsq; ad mortem pro eo depereant. Tu autem ô homo Catholice, non semel, sed sæpè Christi sanguine, gustato, & mox illo derelicto, iterum ad peccata confugis. Quòd deplorat mellifluus Bernardus tract: de passione Domini cap: 3. S. Bern: *Certum est* inquit, *humão sanguini præ cæteris tantam naturaliter ineße dulcedinem, vt cùm à bestia quadam semel degustatus fuerit, illum de cætero semper gustare desideret, ita vt alijs animalibus postpositis sanguini insidietur humano, & in mortem corruat pro illo acquirendo; quantam in se credis habere dulcedinem, sanguinem filij hominis IESV Christi. Ecce sitiunt bestiæ sanguinem hominis, & non sitiam ego sanguinem Filij Dei? bestiæ quantò plus gustauerint, tantò plus sitiunt sanguinem humanum, & ego fastidiam sanguinem Dei, & hominis IESV? bestiæ corruunt in mortem suam, dulcedine sanguinis humani attra-* Bellux humanũ sanguinem appetunt.

cta? ego non festinabo ad vitam meam, & sanguinem subrubicundi IESV, & candidi? Quid ad hæc respondebit homo Catholicus, quando eiusmodi ingratitudinem illi in morte opponet Christus? quando in extremo iudicio peccata eius ipsarum bestiarum factis deteriora manifestabit. Nonne contra ipsum testificantes insurgent, non solùm Niniuitæ, qui figuram tantùm Jonæ prospicientes, vocemq; solam audientes, pœnitentiam in cinere, & cilicio egerunt. Verùm etiam ipsi Leones, Pardi, Vrsi, Pantheræ, Dracones, canes in super oblatrantes, fastidiumq; Christi sanguinis ei horribiliter objicientes. Nonne insurget contra ipsum S. Petrus, qui non nisi semel in vltima cæna gustato corpore, & sanguine Christi, tantam in eum reuerentiam concepit, vt post resurrectionem inopinatò nauem suam conscendentem, & præsentem videns, licet nullius criminis sibi cõscius, eum intueri minimè ausus fuerit, sed præteritorum delictorum recordatione confusus, vt ab illo recederet, supplex petierit. In iudicio contra impium omnes creaturæ insurgent.

Quis ergo hæc seriò, & efficaciter considerans, amplius ad peccandum audax erit? quis amplius Christum derelinquere audebit? quis amplius eà, quæ sunt mundi, quærere volet? Hinc bene Hæsichius, vt nos hospites hic esse meminerimus, atq; tales vt viuamus, illud nobis suggerit cõsilium, nimirum, vt continuò recogitemus, nos à Christo erutos esse de diaboli potestate, qui hanc vnicam ob causam in carne venit, nosq; suo sanguine, passionibus, morte. Hoc à Domino Deo exposcebat Salomon Prouerb: 30. v. 8. illis verbis: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria.* Vbi Salomon nec diuitias, nec paupertatem à Deo postulauit, eo fine, vt scilicet Deus eum sibi animum tribueret, ita eum animatum efficeret, vt tanquàm hospes & peregrinus; non verò inquilinus hic degens quotidiano esset victu contentus, quo obtento, non amplius requireret. Hunc verũ esse verborum Salomonis sensũ indicat Hebræum originale, quod pro illis verbis, *sed tãtùm victui meo tribue necessaria*, ita legit: *Fac vt ferarum more victitem.* In quo loco Rabbi Kindei existimat similitudinem duci à feris, quæ in diem victitantes non plura quærunt, aut diripiunt; quam quæ ipsis ad victum opportuna, aut necessaria. & vbi famem expleuerint, intermittunt. Quasi diceret: fac animalium more, vt victitem, quæ non plus quærunt, quàm illis in diem necessarium sit, prouidentiæ diuinæ de reliquo se cõmittendo. Ad animalia quippe Deus nos respicere monuit, Matt: 6. *Respicite volatilia cæli.* Hesich: Prou: 8. Matt: 6

Egregius profectò dicti Salomonici sensus, qui ampliùs confirmatur ex ratione, quam ibidem suæ petitionis reddidit Salomon, subiungens: *Ne forte satiatus illiciar ad negandum*, hoc est, idololatrandum: *& dicam, quis est Dominus*, illum negans, aut necessitate compulsus, id est, pauperta te inuoluntaria, & coacta, *furer, & periurem nomen Dei mei.* Quæ omnia nemo alius præstat, nisi qui non tanquam hospes hic viuens, sed vt eiuis; non propediem se demigraturum, sed in longum victurum credens, firmas hic procurat figere radices, immensas aggregare diuitias aut ita paupertatem timet, vt longi infortunij abhorrens ærumnam, nullo malo, aut furto aut periurio, quo effugiat, parcat. Verùm non sic faciunt, qui hic hospites, qui peregrini: intendentes enim iuxta doctrinam Apost: ad Hebr: 12. v. 2. *In auctorem fidei, & consummatorem IESVM, deponunt omne pondus & circumstans peccatum, & per patientiam currunt ad propositum certamen*; id est, stadium, & agonem, ad labores, ad ærumnas, vt postea accipiant terram promissionis, puta gloriam æternam. Hebr: 12

Audistis iam Petrũ tribus de causis Christũ à se exire voluisse, in primis propter summam reuerentiam, qua Christum obseruabat: tum ob metũ, quem ex recogitatione antecedenti-

um delictorum concipiebat, indignũ se reputans, apud quem Christus præsens hospitaretur. Tum deniq; ob summam perfectionem, quæ viros perfectos semper de se humiliter sentire iubet. Igitur si vultis Christum in cordibus vestris præsentem habere, reueremini eum, tanquam Patrẽ: A timete tanquam dominum, quem multoties offendistis. Perfecti estote, in humilitate persistẽtes, & Deus à vobis non exibit, sed tanquàm in filijs præsens manebit. Amẽ.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Omnis qui irascitur fratri suo reus erit Iudicio. Matth: 5

Quando nam irasci bonum sit homini, & quando perniciosum, declaratur.

IN grauem quondam concertationem euocauerat. D. Augustinum blasphemus Hæreticus Manichæus. Deum crudelitatis arguens, eumq; veteris testamenti auctorem esse negans. Scilicet ideo; quasi ibi seueris nimiùm legibus constrictum hominem viuere voluerit. Siquidem ibi Deus propter leuissimas causas pœnam mortis corporalis infligere solitus erat, prout fecit filijs Heli Sacerdotis: eò, B quòd de ollis Deo præparatis aliquid degustassent. Nec mirum tantâ amentiâ correptum fuisse Manichæũ, vt alium omninò veteris testamenti Deum esse putauerit, alium noui. Quia *omnis homo mendax* inquit D. Augustinus. *contemnit culpam & exaggerat pœnam: illam non videns mente carnali, hanc verò exhorrens carne mortali.* Quocirca D. Augustinus Tomo 6. contra Aduersarium legis & Prophetarum, lib: 1. cap: 16. grauitatem illius culpæ, quæ Hæretico leuissima videbatur, in filijs Heli, & leuitatem pœnæ quæ nimiùm grauis esse putabatur, exaggerat hoc modo. Quia A sacrificia inquit visibilia licet sint interrenis rebus exigua, magnarum tamen ac diuinarum sunt signa rerum, in quibus filij Sacerdotis Heli seipsos Deo, cuius honor in sacrificijs attenditur præferendo, grauiter delinquebant. Nam quid grauius, quid iniquius esse potuit, quam seruum Domino, creaturam Creatori, hominem Deo se præferre sed & nunc fortassè non vni Christianorum crudelis Deus esse videbitur, dùm iratum hominem fratri suo Iudicij sui tremendi reum esse vult. Sed si vel ipsum Ethnicorum sapientiæ grauissimum oraculum Senecam consuluerimus, meritò nobis iudicium Dei minitari ob iracundiã agnoscemus. Hic enim de ira scribens. lib: 1. cap: 2. inquit: *Nulla pestis humano generi plus stetit quàm iracundia.* Hæc scelerum mater, flagitiorum parens, omnium criminum nutrix. Hæc cædes & venena excogitauit, vrbium clades & gentium exitia induxit, Principum capita venalia fecit, nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix memorabilia reliquit, & solitudines per multa millia sine habitatoribus, C

S. Augustinus.

Seneca.

bus, deserta latronibus patefecit. Meritò proinde iræ affectũ pertimescere deberet homo, maximè ex omnibus tetrum ac rabidum. Cæteris enim affectibus aliquid quieti placidiq; in est: hic solus totus concitatus, armorum, sanguinis, suppliciorum, feruet cupiditate. Hinc meritò quidam Sapientum dixerunt: *iram esse breuem insaniam*, æque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cæpit pertinax & intenta, rationi consilijsq; præclusa, vanis agitata causis, & ruinis simillima, quæ super id quod oppressêre, franguntur. Non sunt proinde sani quos ira possedit. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus: tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria. Ita irascentiũ eadem signa sunt: Flagrant enim & micant oculi hominis irati, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac studẽs. Tanti proinde mali ira, vt nescias vtrùm magis detestabile vitium sit, an deforme. Cætera enim licet abscondere & in abdito alere, Ira se profert & in faciem prodit: quantoq; maior est, tantò efferuescit manifestiùs. Adèo Venenatum est hoc malum, vt ne sapientia profunda ei mederi possit. Nam dicit sapiens in Prouerbijs: *Ira sapientes perdit*, & D. Ambrosius officiorum lib: 1. cap: 21. *Resiste* inquit *iræ si potes: cede si non potes.* & Apostolus hoc ipsum inculcat inquiẽs: *Ira & omnis indignatio & clamor à vobis abscedat, cum omni malitia.* Duos proinde modos hodiè ostendam, vnum, quando homini irasci bonum est: alterum, quando ira pernicios& & iudicio Dei mulctanda.

S. Ambrosius.

Irasci aliquando laudabile esse doctissimus edixit Abulensis, vbi inquirit quomodò Saul dicatur in scripturis nimiùm irasci, quando in eum Spiritus Domini insilijt: *Quia* inquit *Spiritus Domini* D

Abulensis.

concitabat illum ad iram, & vindictam contra Ammonitas acerrimos Dei hostes, & iniquissimos populi Dei oppugnatores. Vnde Caietanus: *Hinc habes* inquit *quòd diuinus Spiritus mouet quandoq; animum hominis ad iram, siquidem idem Spiritus S. mouebat animum Saulis ad vindictam.* Immò vt Saul iustam irã ostenderet, diuinus eum Spiritus occupauit: Quemadmodùm D. Gregorius in hunc locum discurrit: *Ecce* inquit *Saul vt irasci nimis potuerit, priùs in eum Spiritus Domini insilijt.* Sed & scriptura sacra laudabili iracũdiâ, plurimos honorem Dei zelantes viros excanduisse non vituperat; sed summoperè commendat. Sic excanduerat Moyses in *Idololatras.* Exodi 32. à num: 19. Phinees in *scortantes.* Numer: 15. n. 7. Samuel in *Agag Regem Amalec*: 1. Reg: 15 n. 33 Helias in *Sacerdotes Baal*, 3. Reg: 18 n. 40. quos omnes D. Basilius serm: de Ira non mediocriter commendat, inquiens: *Seruus est animæ quidam indignatio, fortitudinem, constantiamq; ac robur ad res bene & ordine agendas præbens, quæ animam fortè voluptate delinitam ac lasciuientem veluti ferro quodam cohibens, austeriorem fortioremq; ex molli ac remissa reddit.* Nec enim si contra iniquitatem desit indignatio & Ira, satis eam odio quo decet, persequi poteris. Quamobrem sic existimo, æque circa virtutem diligendam studium habere, atq; aduersùs vitiũ odium retinere oportere. Ad quod maximè vtilis indignatio: quoniam veluti canis pastori, sic ira rationi obediens; mitis quidem ac mansueta iuuantibus eam, & à ratione reuocabilis erit. Nam canis ad vocem & aspectum alienum toruus & agrestis, etiamsi palpari se videat, domesticũ verò & amicè alloquentem timerè admodùm ac vereri videtur. Ita similiter homini proficua est ira, quæ animæ prudenti opitulatur, dùm homo quod alienum est, à se reijcit: & licet blandiri videatur, admittere nõ vult. quod autem domesticum & honestatis habitu vestitum videt, grato amplectitur animo. Et quid aliud

Caietan

Exodi 32 Num: 15 1 Reg: 15 3. Reg: 18 S. Basil:

Deus in illis verbis: *Inimicitias ponã inter te & mulierem* concludere voluit? nisi iram homini summè necessariam esse ad expugnandum omne peccatum, & fugiendum peccati periculum. Dicit enim Dauid: *Irascimini & nolite peccare.* ac si diceret (vt exponit D. Ambr: lib: 1. Officiorum cap: 21.) Irascimini vbi culpa est, cui iustè irasci debemus: quia fieri non potest, vt indignitate non moueamur aduersus vitij turpitudinem. Sed hoc mirabile est, cur Deus non inter virum aliquem robustum, & serpentẽ odium posuerit? sed inter virginem, excitando illam ad inimicitias? & iram Dæmoni inferendam? Cum virgo fragilitatis suæ conscia, facile adconspectum hostis expauescat, & irasci iam planè exanimis nequeat.

Psal: 4.

Quare Deus inter mulierem & serpentẽ posuit inimicitias.

Duplicem ego huius mysterij causam inuenio. Vnam, quia virginitatem Deus nimiùm adamauit, proinde voluit illam strenuè pugnare cũ suo capitali hoste dæmone: idcircò inter illam & Sathanam Inimicitias posuit. Proinde vt à prima statim iuuentute pugnare cum Dei hoste discat Felix certè, sancta, beata iracundia est virginum, quæ ita strenuè cum Dei hoste pugnant, vt non priùs irasci desistere velint, quàm caput eius penitùs conterere valeant. Alteram causam, cur Deus virginem ad iracundiam contra dæmonem excitauit? quia Virgines sunt custodes cælestis thesauri, scilicet ipsius Incarnati Dei Filij: ideo enim sequuntur agnum immaculatum quocunq; ierit, ne illum amittant, ac proinde sicut custos ad ingressum furis summè excandescit, sic virgines mundi ad occursum impuri tentatoris, summè excandescere debent. Nam si Virgo irasci nesciat, facile & thesaurum sibi commissum & seipsã perdet. Ferunt Historici Colchis in templo quodam asseruatum fuisse vellus aureum, quod dracones duo terribiles ignem ore fumantes circũstabant, totùm verò templum armatis militibus repletum fuit, ne quispiam hostium vellus aureum furare-

A tur. Et tamen Iason gloriæ cupidus, templum noctu ingressus, thesaurum abstulit. quomodò, cùm tanta esset custodia, templum potuit ingredi? ecce inquit Historicus erat ibi Medea Regis filia, hæc facundâ suâ loquelâ custodes decepit, ædes templi aperuit, armatum Iasonem intromisit, qui occisis vigilibus & thesaurum illum, nimirùm vellus aureum asportauit, & cum raptâ Medeâ aufugit. Irasci nesciuit Medeâ, & ecce blando Iasonis sermone capta, & thesaurum
B sibi commissum, & seipsam perdidit. Non decet Virgines impudentem imitari Medeam, sed semper aduersùs alienum & ignotum sibi irasci debent. Nam astutus est iste Iason, qui ex longinquis terris ad furandum vellus aureum venire solet, non iuuabit vigilia & custodia domestica, si in irasci nescientem virginem inciderit. Nam illa fraudulenter pro Iasone respondens, clam illum intromittet: & sic & thesaurum suum, & seipsam facilè perdet. Irasci igitur virgines necessum est, & non peccare: quia inter gratiam & peccatum assidua durat inimicitia, quæ solâ vincitur iracundiâ.

Sed & viris non minus necessaria est Ira, vt illâ tanquàm armis quibusdam potentissimis aduersùs Dei hostes vtãtur. Dicit enim Deus in scriptura: *Hostes estote Madianitæ.* Et qui sunt isti Madianitæ? respondẽt Doctores esse Idololatras, contra quos hominem Christianum irasci & velut hostes Dei odio prosequi optimum est. Sic Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli Idololatriam damnans, Leuitarum manus in cædem fratrum armauit: *Vnusquisq; inquit vestrum gladium ad latus teneat, & transite à porta in portam, & flectite per*
D *circuitum castrorum, & suum quisq; fratrem interimat: & quilibet proximum suum.* Moxq; peractâ cæde ait: *Vestras hodie manus Deo consecrastis, quilibet in filio suo, & fratre suo, & detur vobis benedictio.* Quid Phinees iustum reddidit? Nonne iusta contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac mãsuetus

suetus existens, postquàm stuprum A ne iracundiæ feruore peragere nequeant milites, dubio procul nisi rapinæ & populi magna ex parte bonis spoliati maledicta obstarent, illa efferuescens ira vindicandi honorem Dei ab hostibus profanati, recuperãdi Ecclesias sacris omnibus spoliatas, defendendi sanguinem Christianũ, & religionis atq; fidei zeloze propagandæ, ad Martyrij laureolam, & dulcem beatitudinis fruitionem eos deduceret. Sed quia frequenter magis eorum ira excandescit in opprimendos subditos; quàm in expugnandos hostes: in diripienda Ecclesiastica bona; quàm in vindicandas Dei iniurias: in concutiendos pauperes; quàm in capiendos prædones: ideo plerumq; vota eorum spes non adæquat, & Mars se inimicum præbet.

Zambrj & Salu impudter admissũ vidit; Ne tàm turpe spectaculum occultaretur, minimè tàm indignum facinus passus, irâ vt oportebat vsus, vtrumq; trucidauit. Samuel quoq; pariter Achab Regem Amalec à Saule contrà mandatum Domini seruatum, nonne iustâ irâ in medium trahens occidit? Demum Helias magnus diuini honoris Zelotes, quinquaginta supra Quadrigentos turpitudinis Sacerdotes, & Quadrin- B gentos viros sacrorum nemorum, comedentes de mensa Iesabel iusta sapientiq; indignatione in totius Israël vtilitatem, vt morte mulctarentur effecit. Non rarò proinde bonarum actionũ administra est ira, multumq; meretur homo cùm potenter irascitur, quando Dei honor vindicandus est. Patiens erat nimiùm iustus Iob, cum in sterquilinio ad graues amicorum exprobrationes, tanquàm ad proprias iniurias penitùs obmutescereț. nihilominus tamen C ad blasphemias quas in Deum vxor eius iaciebat, magnâ iracundiâ exarsit, dicens: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Iob 2. In quæ verba excurrit Lyranus: *Vir* inquit *Sanctus, quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit; tamen iniuriam Dei absq; reprehensione sustinere non potuit, quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuinæ autem vindicandæ.* Patiẽs erat Dauid, cùm Semei saxa & probra iactantem humiliter sustinuit. 2. Reg. 16. at verò, cùm filios Saruiæ ad vindictã im- D pellentes acriter obiurgauit, iratum se vehementer ostendit: ibidem cap: 10. Quem locum expendens, Cassianus lib: 8 de Institutis Manachorum cap. 7. Beatus inquit Dauid aduersus diram suggestionem eius, scilicet Abisai, indignatione piâ commotus, humilitatis modum & patientiæ rigorem inconcussa lenitate seruauit. Laudabile proinde est, & viros aliquando irasci ob iniuriam Deo illatam. Hinc concors est Theologorum sententia, cùm martia certamina si-

Iob 2.

Lyranus

2. Reg: 16

Vtilis est aliquãdo Ira, quemadmodùm dicit Salomon: *Melior est inquit ira risu.* Quia vt inquit Diuus Hieronymus. *Risus dissoluit sapientẽ, ira verò corripit & emendat.* Multis proficuus est affectus Iræ, si illo opportunè ac scienter vtantur. An nõ ampla bona operata est Ira Pauli? quam ille aduersus Corinth: exercẽdo, à maxima illos peste liberauit, per Iram Galatarum gentem, quæ ferè iam à Christo exciderat, reformauit: alioq; his plures illius Iræ Cẽsurâ correxit. Non igitur ipsum irasci malum est, vt concinit Author operis imperfecti in Matt: Homil: *Qui* inquit *cum causa irascitur, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec Crimina compescuntur.* Quid laxantem insolentiæ habenas filium, ad meliorẽ vitæ frugem redigere potest? non admonitio: quia hæc aures præteruolat: non disciplina scholastica atq; doctrina, quia tædium parit; sed paterna ira & correptio. hæc filij insolentes habenas in meliores mutat affectus, & effrænatam paululum viuendi conuersationem, compedibus timoris & reuerentiæ, ex iracundia & correptione tanquàm ex optimo pharmaco incussæ, fortiter stringit, atq;

S. Hieronymus.

Actor Imperfecti operis.

atq; ne ampliùs dilabatur cõprimit. Quid lasciuientem filiam ad modestiam reuocabit? inhonestis assuetam dicterijs ad timorata & pia conuertet verba? oculis & moribus vagam, ad constantiæ rigorem reducet? à lusibus illicitis, iocis obscænis, consessibus virginitati noxijs, ad grauitatem, honestatis perfectionem reuocabit? Non verecundia: quia hæc semel ex vultu detersa, aut mala cõsuetudine deprauata, impudentem semper reddit hominem: qui enim fines verecundiæ semel transgressus est, eum semper oportet esse impudicum, inquit Rom: Orator. Non mala in publicum sparsa fama, quia hæc vt plurimum in peiora adhuc vrget. Sed solùm ira materna & debita punitio: quæ velut medicamẽtum quoddam saluberrimum, virginis temeritatem in magnam grauitatem conuertit. Etenim Virgo quælibet similis debet esse pauoni. Pauo cum cætera volatilia eum inspiciunt, animosè incedit, at vbi spectatoribus caret, mox pedes inspiciens, miro artificio erectas pennas deijcit, & grauem patitur melancholiam. Virgo pariter quamdiu pupilla Matris eam introspicit, decenter cum omni virtutum comitatu vbiq; progreditur: adeò vt etiam spectantium oculos sua authoritate mirum in modum recreet, quod si illam aliquando contingat à cõspectu materno diuelli, & pedes suos inspicere, & ad libitum quocunq; placet dirigere, non sine magno virtutum detrimento veneranda minuitur virginitas, & melancholia imprudentis deambulationis de summo honestatis gradu deijcitur. Iusta ergo & laudabilis est aliquando ira. & mater disciplinæ. Patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos sed etiam bonos inuitat ad malum. Iracundia verò quæ cum causa fit, peccata exstirpat, à vitijs reuocat, & ad pietatem inclinat. Ac demum D. Chrysosth: in Psal: 4. illa Dauidis verba. *Irascimini & nolite peccare*, ponderans, exclamat: *Licet* inquit *iustè irasci, nam & Paulus Elymæ succẽsuit.* Actorum 13. n. 10. *Et Petrus Saphyræ*. Actorum 5. n. 9. Sed id non iram dixerim absolutè; verùm Philosophiam, Curam, Æconomiam. Irascitur enim Pater filio, sed eius curam gerens; quod optimum est. quia qui malo alieno occurrit, & illud corrigit, non iracundus, sed mansuetissimus omnium dici debet. Pariter enim & Deus irascitur, verùm quia non seipsum vindicans, sed nos corrigens: vitium nullum in eum cadere potest. Quamobrem igitur iudicium Dei vocat hodie scriptura eum, qui fratri suo irascitur? si irasci per se malum non est. ideo certè, vt ostendat iram ex passione procedentem, & non in bonum alterius, verùm in detrimentum vergentem, summè noxiam esse: quam homo Christianus, omnibus modis vitare debet. Hinc non immeritò scriptura sacra, eos qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione nominat. quia homo temerè & sine causa fratri suo irascens, ob peruersitatem suam similis atq; familiaris ipsis belluis redditur. Qui enim ad mutua inter se eiusdem generis parati sunt inferenda incommoda, iure feris & venenatis adscribi possunt, quibus ex natura continuum aduersùs homines odiũ est. Nam quis fructus temerariæ iræ? certè non alius, quàm effrænes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verba, & alia huiusmodi. ob iram certè temerariam, ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliuiscuntur, & quod grauissimum; seipsos neq; agnoscunt irati. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non acceptæ antea gratiæ, nec quidpiam aliud, quãuis summè æstimandum, in honore est. Hinc certè temerè conceptæ iræ resistendum, aut cedendum est, iuxta illud Apostoli ad Rom: 12. *Date locum Iræ*. quasi diceret: furibundo ne insultes, & irato ne occasionẽ ampli-

Ibidem. 5.

Irasci ex se malũ non est.

S Chrysostho: Actor. 13

Rom: 12

ampliùs irascendi præbeas. Et si cõtumeliam tibi intulit iratus, vince amoueq; silentio malum, & velut vndam fluentem illius iram in cordis tui penetralia ne suscipias, ventos imitatus, contra flatibus aduersis resistẽtes. Et si quẽ odio persequaris, illum æmulari, nec fieri veluti speculum irati velis, illius formam in teipso ostendens. Rubicundus ille est ob iram, tu minimè ruborem præferas, illi sanguinei oculi; tui quieti cum grauitate aspiciant, vox illi aspera; tibi mitis: nam omni contumeliâ per linguam consumptâ, ad manus tandem venitur, & pugnam, siquidem ira extra os ebuliens, certamen excitat, certamen verò conuitium, conuitium verbera, verbera demùm vulnera, ex quibus mortes sequuntur. Talis proinde ira, ab initio statim velut omnis mali origo compescenda, atq; ex animo Christianorum totis conatibus exstirpanda est. Sic Iacob fratri suo indignanti cedere maluit, quàm resistere: & à Rebecca patientiæ instructus consilio, domo abesse atq; peregrinari potiùs elegit; quàm præsens manendo excitare fratris indignationem: nec priùs domum suam reuersus est; quàm fratrem mitigatum putaret. Summisq; post modum obsequijs, amplis muneribus, fratrem ipsum sibi reconciliauit. vt ille præreptæ benedictionis non meminisset; meminisset verò delatæ satisfactionis. Propter quod magnam apud Deum inuenit gratiam. Et tu pariter homo Christiane, si præuenerit & præoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus enim tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est, in quo firmiter stare, & in summa mentis perturbatione debes. Quod si fortasse contumacia respondentis te mouerit, & peruersitas impulerit ad indignationem, si non potueris mitigare mentem; reprime tamen linguam tuam quod diuinus vates suadet Psal: 33. *Cohibe* inquit *linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*, moxq; subdit. *Deinde require pacem & sequere eam*, quasi diceret: si non prævaleris linguæ tuæ imponere frænos, tamen reconciliationis studium ne prætermittas. Nec est certè: Cur aliena malitia nos ad Iracundiam prouocet: si enim obscurum te & inglorium quispiam vocauit, nulliusq; æstimationis hominẽ; *terram te* (inquit Magnus Basilius) *ac cinerem esse dicas*. Nec enim tu melior es iusto Abraham, qui se eandem vocauit. Ignarum, pauperem, ignobilem te aliquis nominauit? *tu* inquit *vermem te esse dicas, & è stercore genus ducere*: Verba Christi reuocando: *vermis sum & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*. Male dixit te non nemo? tu benedicas. Magnũ prophetam Moysen æmulatus, qui ab Aaron & Marta verbis petitus probrosis, non ad Deum aduersùs illos interpellauit, sed pro eis orauit feruentissimè. Quoties enim verborum contumeliâ tentamur, illud potissimùm existimare debemus, periculum de nobis fieri, an Deo per patientiam adhæreamus, seu per Iram in aduersarij partes inclinemus. Quo circa dandum est tempus cogitationibus ad optimam eligendi partem opportunum. Nam sic è duobus alterum procul dubio consequeris, aut Inimicum tuæ mansuetudinis exemplo munitiorem reddes: vel certè, si despexeris, acrius illum vindicabis. Cum nihil aduersario durius esse possit; quàm te animum gerere contumelijs omnibus altiorem. Noli proinde tuam pessundare mentem, nec ab eo qui te conuitijs & omni iniuria petit, comprehendi patiâre: sed sinè illum frustra allatrare, & in seipso disrumpi, nam hoc pacto ille contumeliosus, tu magnanimus vocaberis, ille iracundus & durus, tu longanimis & mitis: illum quandoq; pœnitebit horum quæ loquitur, te nunquã benefacti aut virtutis pigebit. Quid plura? illi contumelia regnum cælorum claudet, quia contumelioſi regnum Dei non consequentur, ne pacem

S. Basil:

Psal: 21.

Psal: 33.

cem æternam turbent: tibi tacitur- A nitas idem aperiet, nam qui sustinebit vsq; in finem, hic saluus erit. Qui autem se vindicare, & par pari reddere, ac maledicenti resistere voluerit, quam quæso habebit excusationem? Quòd primùs ille fuerit & prouocauerit? sed quâ veniâ dignũ hoc? nõ enim amicº in amicũ quamuis prouocantem aut allicientem peccati causam transferens, minus in iudicio condemnabitur. Nam non victoriæ corona sine aduersarijs cõtra pugnãtibus, neq; cædes sine hostibus esse B possunt. Consideremus hic prophetam Dauid, quid ille nobis consulit? *Dum* inquit *consisteret peccator aduersum me*, non iratus sum, aut vltus; *sed surdus factus & humiliatus sum, & silui à bonis.* Tu autem quomodò ad iracundiam ob paruam contumeliam concitaris? Ecce iam vitium quod rependis, ipse patras. An in alienum malum diligenter inspicis, tuum verò neq; aquam cognoscis? sed si malum est contumelia, cur eius imitationem non fugis? si malum est Ira, C cur malum id non euitas? si venia dignum, cur irato succenses. Nam licet secundus veneris ad Iram, nihil te hoc iuuabit: non enim in certaminibus palæstram prius prouocans, sed qui superat coronatur. Quamobrem non solùm is, qui facinus aliquod graue prius tentauerit, sed & qui malis ducis ad scelus exemplum fuerit imitatus, omnino mulctatur. Non est proinde, quod nos aliena probra & conuitia ad iræ succensionem moueant. Nam si te pauperem verè quispiam D appellauit? verum respuere nequaquam debes. Si mentitur? quid ad te dicti vanitas. Quemadmodum enim ad laudes tuas, si veritatem excedũt, efferri non debes; ita nec probra in te non vere iactata quicquam dolere.

Sed graue est inquies falsò obiectam calumniam audire, & ad probra aliena non excandescere difficilè, ac prorsùs impossibile. Fateor equidem graue esse, sed magni occasionem meriti. An non percussus, æquo animo ac mansueto cædentem tulit rector cæli terræq; Dominus? qui ab omni creatura adoratus, omnia ferens virtutis suæ, percussorem non protinùs vt poterat & fas æquumq; tulit, terrâ diruptâ ad infernum impijs paratum demisit; verùm vt magna nobis mereretur, humili & miti responso benignè docuit, quales esse oporteat lacessitos, ac proinde qui magna apud Deum mereri vult, magna quoq; pro Deo tolerare eum necesse est: quæ non sustinendo, funibus damnationis facilè illaqueabitur. Ferunt Historici, deastrum quendam apud Gentiles fuisse, adeo iracundũ, vt ne leuissimam quidem molestiam ferre voluerit? habens in pectore inscriptionẽ; *nihil patiar*, quocirca omnes aues auolantes deuorabat: & ecce propter summam eius iracundiam, cum & pennas deglutiret, suffocatus est. Quid aliud deaster ille repræsentabat, quàm homines iracundos? qui cum nihil molestiæ pati velint, seipsos suffocant & illaqueant in perditionem, quemadmodùm dicit Salomon Prouerb: 5. *Impius* inquit *funibus peccatorum suorum constringitur.* Nam si homo à peccatis immunis esset, Deus non haberet funiculos, ex quibus cõtra homines pararet flagellum. Nam vnde oritur paupertas, qua chartarum lusor torquetur? non aliunde, nisi ex nimia ludendi cupiditate. Vnde importunus capitis dolor, oris graueolentia, dentium putredo; vnde quæsò fœminis accidit? non aliunde: nisi ex varijs coloribus & pigmentis, quibus crines genasq; assiduè fucare consueuerunt. Quod considerans Saluianus, lib: 4. de Prouidentia: *Exacerbamus* inquit *Deum impietatibus nostris, & ad puniendum trahimus inuitum.*

Prou: 5.

Saluian.

Quamobrẽ, ne & nos funes Deo præbeamus, quibus nos puniat & illaquet, iram alienis bonis & honori nociuam vitemus: irascamur verò vbi culpa est, ne & nos, & proximus noster peccato Deum offendat. irascamur inquam & hostibus, Deo & Ecclesiæ iniuriam inferentibus, vt insilien-

silientem in nos Spiritum Dei, & ad A iustam vindictam excitantem agnoscant, & trepident. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & B tunc veniens offeres munus tuum.
Matth: 5.

Sine concordia fraterna & amore nulla res Deo placere potest.

IN domo Dei omnia pura esse debent, omnia redolere cõcordiam, omnia charitatem spirare. In tantum enim placuit fraterna concordia Deo, vt & veterem Synagogam, & nouam Ecclesiam, non super alijs columnis; quàm super duobus concordibus fratribus ædificare voluerit? C Hinc Synagogam olim Deus fundauit super Moysen & Aaronem; & Christus Dominus suam Ecclesiam super Petrum & Andream, cuius rationem author operis imperfecti Homil: 7, in Matth: reddit: *Super fraternitatem* inquit *charitatis, Ecclesiæ rectè posuit fundamenta, vt ex radicibus charitatis exuberans quasi humor, ascendat in ramos, & hoc super naturalem charitatem: vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur.* Quasi firmum esse non posset Ecclesiæ Sanctæ ædificium, si alio D quàm charitatis fundamento niteretur. *Sola enim Charitas nunquam excidit*, teste Apostolo 1. Corynth: 13. n. 8. proinde & palatium illi superædificatum, nunquam timere debet ruiturum. Hinc laudatur Regum sapientissimus Salomõ, quòd domui suæ administrandæ, dum præfecerit viros doctos, idq; non alios, quàm fratres. 3. Reg: 4. n. 2. *Hi principes quos habebat Elihoreph & Achia, filij Sisa scriba.* Vbi imprimis Salomon do-

Author operis imperfecti.

1. ad Corinth: 13.

3. Reg: 4

ctos suæ domui præfecit, quia isti solùm digni sunt, quibus magna Prouincia gubernanda committatur, alioquin si ab imperitis tractatur, dissipanda. Fratres autem: vt nulla eos discordia separaret, quos naturalis concordia vinciebat. Scindatur enim regnum necesse est, cum gubernatores in contraria studia scindantur. Nec tantum Salomon ad temporale regimen, sed & ipse Christus ad spirituale & Ecclesiasticum, concordes etiam misit discipulos, illud eis præcipiens Math: 10. n. 9. *Nolite* inquit *possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; virgam.* Quæ verba D. Ambr: lib: de Ioseph cap: 13. expendens: *Dominus* inquit IESVS, *dimittẽs ad Euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia sine virga, vt incentiua litis & instrumẽta eriperet vltionis.* Quid enim magis cõueniebat Euangelicis prædicatoribus? quã non modo dissidiũ, sed etiam quæ dissidiũ suscitãt instrumẽta depõere. Atq; vt hæc summa concordia inter omnes homines etiam genere & cõditione dissimiles seruaretur; *Ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Gen: 2. n. 22. At cur non ex alia materia Euam coagmentauit? duplicem potissimùm ob causam: Primò, vt inter illos duos orbis Principes firmior esset Charitas, quàm ipsa natura conciliasset. Præterea vt ex parentibus adeò concordibus, nunquàm discordes inter se filij nascerentur. Hanc vtramq; rationem affert Theodoreth: Quæst: 43. in Genesim. *Voluit* inquit *Deus ex vno viro & vna muliere subsistere vniuersas hominum gentes, vt in concordiam coirent, tanquàm ex vna radice florentes.* Nam si cùm Deus hæc omnia administret, multæ tamen cædes admittuntur: quid non perpetrassent? si è diuersis patribus ortos se esse existimassent. Huius rei gratiâ vnum quidem virum è terra formauit, & ex eo vnam creauit mulierem, & ex eorum genere repleuit vniuersam terram. Quoniam igitur Deus enixè curauit, vt in-

Matth: 10.

S. Ambrosius.

Cur Deus Euã ex costa ædificauit.

Theod:

vt inter primorum parentum posteros discordia subsiliret, idcircò ostendam, ne ipsum quidem Religionis actum & pietatis oblationem, sine concordia fraterna, & reconciliatione Deo placere posse.

Triplex est hominum status in hoc vniuerso. Militaris, Ciuilis, & Ecclesiasticus, nullus sine fraterna concordia florere, aut Deo placere potest. Bellicam imprimis victoriam atq; gloriam parit, nutrit, & sustentat concordia militaris. Quam militum concordiam laudat scriptura sacra Canticorum 8. n. 12. *Mille* inquit *tui pacifici, qui custodiunt fructus eius*, quasi diceret, tui milites ô Salomon mille & ducenti, qui adsunt & patrocinantur custodientibus fructus tuæ vineæ, & seruantibus diuitias tuæ regiæ, pacifici sunt. At, quo Iure obsecro pacifici? qui armati ad repellendos hostes de vinea & regia Salomonis excubabant? non alia puto ratione, nisi quia vt hostes bello profligarent, inter se mutua pace fruebantur, ô felix victoria, sine qua nulla haberi potest concordia! Militum enim contentio opulentã hosti parat prædam, diligens autem & pacifica vnio, aduersariorum vires eneruat. Agnouit hoc magnus ille Patriarcha Abraham, qui pugnaturus olim aduersùs Quatuor Reges, non solùm veteri potentiâ; sed etiam recenti victoriâ insolescentes, collegit paucos milites trecentos tantum & octo, quibus innumeras hostium copias profligauit. Genes: 14. a. n. 12. At, quo pacto tàm paruis præsidijs innumera hostium agmina tabefecit? Existimo quia illa exigua manus, concordibus animis armata procedebat. nam si milites attendantur, isti omnes erant domestica familiaritate coniuncti. *Numerauit enim*, inquit textus *vernaculos suos*. id est, homines domi natos & magna sanguinis amoris quotidianiq; vsus necessitate coniunctos. Si verò attendantur duces; & isti erant fraterna charitate copulati: immò fratres germani. *Abraham enim* inquit textus *habitabat in cõ-*

Cantic: 8.

Gen: 14.

Ibidem.

ualle mambre Amorhæi, fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abraham. Genes: 14. n. 13. Hos autem tres germanos fratres, (inquit Lyranus) *Abraham suis copijs in tres partes diuisit, singulos singulis partibus præfecit.* Quas ergo hostium cateruas non frangeret, non pessundaret illa exigua militum manus? quàm domesticus amor & fraterna ducum charitas benè obarmauerat. Fracti erant quondam bellicis infortunijs Ciues Bethuliæ, & ab immensis Assyriorum castris laboriosa obsidione fatigati. Sed nouos iterùm de cœlo animos haurientes, irruerunt in hostes, cæciderunt, diripuerunt, & diuitibus spolijs prædiuites victores in vrbẽ ac triumphatores reuersi sunt. Quid obsecro tantas vires addidit hominibus, iam pene victis, vt de hostibus superbè triũphantib⁹, victores euaderẽt? Equidẽ nihil aliud, quã militaris cõcordia: in quã oñes cõiurati procedebãt, & quã tãquàm clypeo quodam adamãtino & prorsùs inuulnerabili armati in hostes ferebãtur.

Hanc assignat causam ipsa litera, Iudith: 5. n. 4. *Quoniam* inquit *Assyrij non adunati, in fugã ibant præcipites; fil jautem Israél vnò agmine persequentes, debilitabant omnes quos inuenire potuissent.* Vbi expresè sacer text⁹ innuit, Assyrios propter suorũ militum discordiã, victoriã amisisse; Hebræos verò propter cõcordiã suorum, eandẽ reportasse. Vnde optimi duces suos milites potiùs inermes; quã discordes esse malũt, nihilq; magis interest, quàm mutuam firmare concordiam conantur. Hinc illa quondam apud Hebræos fuit consuetudo, vt præda de hostibus capta, æqua portione diuideretur inter eos, qui in aciem prodirent, & qui ad sarcinas remanerent. Vt habetur 1. Reg: 30. n. 24. vbi Rex Dauid tale posuit edictum. *Æqua* inquit *pars erit descendentis ad prælium, & remamentis ad sarcinas, ac similiter diuident.* Simile præceptum tulit bellicosus Iosue allocutus milites de tribu Ruben, Gad, & Manasse, Iosue 22. n. 8. *In multa* inquit

Lyranus.

Iudith: 5.

1. Reg: 30.

Iosue 22.

quit *Substantia atq; diuitiis reuertimini ad sedes vestras cum argento & auro, ære ac ferro, & veste multiplici, diuidite prædam hostium cum fratribus vestris.* Quin immo & supremus legislator Deus, ad Moysen sic locutus est: Nũm: 31. n. 27. *Diuides* inquit *ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egressiq; sunt ad Bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.* At, quo Iure æqualia præmia inæqualibus meritis assignari iubentur? præsertim cùm vera sit illa patrum sententia apud Cassianum, collatione 2. Cap: 16. ἰσότητες ἀνισότητες: hoc est nimiæ æqualitates, maximæ inter inæquales sunt extremitates. Cur ergo desidiosi in vmbra, & bellicosi in sole: illi qui ad tentoria residendo voluptuosè epulabãtur, & qui cum hostibus manus conferendo, penitus fessi & vulneribus sauciati sunt, paribus donis affici imperarentur? Respondet Abulensis in locum citatum Numerorum, factum id propter bonum pacis: *Quia si* inquit *euntes retinuissent totam prædã, transeerentur manentes, & tumultuaren tur castra.* Quasi tàm vtilis sit militũ concordia, vt ad illam conseruandã etiam de Iustitiæ rectitudine aliquid remittendum videatur. Non est ergo stabilis militia, discordibus animis inter se pugnans, nisi fraterna charitate firmetur. Immò quod maximum: etiam Deo non placet, nisi adsit charitas. Charitatem fraternam milites debent habere inter se, vt munus suum Deo acceptabile ôfferant. Hoc enim scriptura sacra expressit 1. Reg: 15. n. 4. vbi de Saulis militibus sic dicit: *Et recensuit eos quasi agnos ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.* Vbi triplici de causa Deus sibi in illis militibus in tantum complacuerat, vt eos agnos appellauerit, imprimis, propter obedientiam: sicut enim agni sub pastoris virga facilè reguntur vt habetur Leuit: 27. n. 32. Ita & Saulis milites prompti erant ad omnia regis sibi mandata exequenda. Secundò, vocati sunt agni propter concordiã: Quemadmodùm enim cùm agni turmatim gregatimq; pascuntur, quocunq; vnus præit, eò statim & cæteri sponte sua sequuntur. Ita & Saulis milites concordibus animis ibant, quocunq; ab illo ducerentur. Tertiò, agnos vocauit scriptura milites illos, propter singularem mansuetudinẽ, quam ipsi in pace tenebant, & in bello etiam cum singulari fortitudine coniunctam conseruabãt, strenui quidem debent esse milites; non tamen feroces pugnare debent sed non sæuire: leones esse debent; non tamẽ vt desinant esse agni Si ergo miles est tantæ arrogantiæ, vt non regi, sed regere velit. Si est tàm ostentatiuus suarum virium, vt etiam aggrauare studeat. Si tàm est impatiens affectuum, vt odia & dissensiones plus faciat; quàm concordiam & pacem, etiamsi nescio quæ & quanta offerat Deo, despicietur in oñibus, propter defectum fraternæ concordiæ & charitatis.

Num: 31.

Abulen:

1. Reg: 15.

Sed ignorant forsan milites, qui nam sunt isti fratres, cum quibus concordiam seruare debent. num certè illi qui aut ex ijsdem parentibus, aut saltem ex eadem familia procreati sunt? num illi, qui ad omnia scelera & militarem insolentiam sibi incitamento sunt? an certè quicunq; militiæ Sacramento obstricti castra sequuntur. Verùm sciendum est, fraternitatem esse duplicem, aliam naturalem: & secundum hanc quilibet homo cuilibet frater est: quia ex ijsdem vniuersi generis humani parentibus ortum trahimus omnes: & licet natalibus distinguimur, mors tamen æquat omnes: quæ & sceptra ligonibus, & fimo diademata, & purpuras cæno componit. Alia fraternitas est Spiritualis, quæ ex vna Christi Domini fide in omnes fideles dimanat: de qua Sanctus Ambrosius Serm: 9. de vnitate charitatis sic loquitur: *Maior est fraternitas Christi, quàm sanguinis. Hæc interdum sibi inimica est, illa sine intermissione pacifica illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc propria cum gratulatione cõmunicat: illa in consortio despicit inter-*

Fraternitas duplex est.

S. Ambrosius.

dùm germanum, hæc assumit frequenter alienum. Miles ergo si in suo statu vult placere Deo, omni homini & potissimùm fideli, & suæ patriæ incolæ, concordiam & charitatem debet, quemadmodum illis interrogantibus, quid facere debeant, respondit Lucæ 7. Christus. Lucæ 7. *Neminem concutiatis, nec quenquam calumniemini, & contenti estote stipendijs vestris.* Si ergo miles es, & concussisti aliquem, recordare quòd frater tuus sit, & ne accedas ad altare Dei, donec priùs reconcilieris illi. Si calumniatus es aliquem, ne persoluas vota tua Deo, antequàm læsam cum illo charitatem & concordiam restaures. Si non es contentus stipendijs tuis, sed maiores sumptus quærendo aggrauasti aliquem; ne audeas holocaustum Deo persoluere, donec resarcias fraternũ ius, cum omni submissione, quæ aut per vim, aut per imprudentiam eripuisti, reddendo. Alioqui Deus neq; respiciet munus tuum, nec eleemosynas, nec confessiones acceptabit, quia & confessio valida esse nequit, nisi iniuriæ illatio compensetur.

Lucæ 7.

Inter alias volucres, quæ à sacrificijs remouentur, numeratur etiam Cygnus Leuit: 22. n. 18. Quare autem ista volucris & cãdore & canore memorabilis, tanquàm immunda à sacrificijs arceatur, causam reddit Mendoza, in 1. Reg: cap: 5. n. 5. quòd Cygnus non habeat vnum in certo Elemento domicilium, sed in triplici: terra, aqua, & àére circumvagetur. proinde tanquàm auis multiuaga Deo non placet. Cygnus optimè statum militarem adumbrat: candor enim eius aciẽ castrorum ordinatam expressit, cuius pulchritudo tanta, vt ipsãet Augustissima Deipara illi cõparetur. *Pulchra vt Luna, electa vt sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata.* cant⁹ suauis vitã voluptuosã præ oculis sistit, quæ nullibi magis; quã militiæ homini arridet. Deniq; magnanimitas militare robur & fortitudinem repræsentat: miles enim bonus debet esse velut columna immobilis, ad sustentandos omnes hostium impetus. Verùm quia status hic non habet certum domicilium, potissimũ verò in vno morali elemento, in Iustitia fundatum; sed passim & in terra, & in mari, & in àére vagantur: suo enim fastu vix non ipsas nubes transuolant: rapinis terram demoliuntur, voluptatibus & turpitudine viuendi, ipsam maris salsedinem longè superant. vt proinde meritò quidam Politicorum dixerit: *Nulla fides pietasq; viru, qui castra sequuntur.* Et confirmat scriptura de militibus Philisthinorum loquẽs: 1. Reg: 13. n. 16. *Egressi sunt* inquit *ad prædandum de castru* quasi iam proniores sint milites ad prædandum, quàm ad prælandum, dùm proprium lucrum potiùs; quàm militare decus aucupentur. Hinc in quodam grauissimo authore pro militia legitur, *Malitiá.* nescio, an typographi errore, an certè ex consulta authoris mutatione, ad ostendendum quòd milites ad summam malitiam sint procliues. Quid ergo eiusmodi militibus respondet Dominus, dùm illi munus aliquod offerũt? audiamus Prophetam Isaiæ 3. n. 14. *Vos depasti estis vineam meam* 70. verò habent: *Quare incenditis vineam meã,* quæ autem sint hæc incendia: subdit propheta: *Et rapina pauperis in domo vestra.* quasi rapinæ ex pauperum domicilijs in ipsius Dei templis incendia videantur. Vnde D. Chrysosth: enarratione in Isaiam ad eum locum 70. Interpretes secutus: *Expostulationem* inquit *exaggerat: non enim dicit cur conseruos, proximos, fratres, sed ait: quæ erant mei peculij, perdidistis, corrupistis; quæ mei Iuris fuerant.* Deinde ostendens quæ species istius incendij fuerit, ait: *Rapina pauperis in domibus vestris.* Neq; enim tanta calamitate euertere vineas consueuit grando, vt animam pauperis, mendici, & inopis vrere solet iniustitia & aggrauatio militaris.

Quare Cygnus à sacrificijs remouebatur.

1. Reg: 13.

Isaiæ 3. 70.

S. Chrysost:

Alter hominum status est, Ciuilis. In hoc statu quantum necessaria sit ciuilis concordia, declarauit olim Deus, quando legem illam tulit, Exodi 32. n. 14. & Deut: 16. n. 16. vt omnes

omnes Hebræi ter in anno in tabernaculum sacrificaturi conuenirent. Rationem istius legis reddit Iosephus lib: 4. Antiquitatum, Cap: 6. *Conueniunt* inquit *in Ciuitatem, in qua templũ constituunt ter in anno, vt conuenientes inuicem & epulantes, amici fiant, & vt aspectu & loquela memoriam sui semper obtineant.* Si enim alterutris impermixti sunt, extranei sibi metipsis putabuntur. Eandem rationem inculcat Theodorethus. Quæst: 54. in Exod: & Philo lib: 1. de Monarchia parte 27. vbi ostendit tàm diligenter à Deo fuisse curatam ciuilem concordiam, vt si quis fortuitò & absq; odio & inimicitijs hominem occidisset, quantumuis innocens videretur; tamen exilio à patria mulctabatur, iuxta legem diuinam. Num: 35. à n. 22. Cur autem sine culpa tunc imponeretur pæna, Respondet Lyranus: *Poterant* inquit *inter amicos defuncti seditiones & homicidia oriri, & per consequens pax communis turbari: ideo ad hoc malum euitandum, homicida à casu manebat exul ad tempus:* detrahendum enim est bono particulari, propter conseruationem boni communis. Mirabile est quòd olim apud Hebræos in portis Ciuitatis iudicia fierent, vt habetur Gen: 34. n. 20. Deut 22. n. 24 Ruth 4. n. 1. Amos 5. n. 10. Iob 29. n. 17. & alibi passim; cùm tamen iudicia in loco quieto celebrari debeant: in portis verò omnia inquieta, & strepitus armorum, & populi concursus esse soleat. Respondet elegãter. Nicætas in cap: 29. Iob: *Mos* inquit *veterum fuit, vt seniores in porta cõsiderent, & causas introeuntium iudicarent: vt ciuitatis populus esset pacificus, in quam discordes ingredi non liceret.* Acsi Iudices illi, non modo litigantium causas componerent, sed etiam multò magis ciuium concordiam fouerent: & propterea omnes pacis turbatores à primo ciuitatis ingressu propulsare niterentur. quia nihil magis Ciuitatem & regna conseruat quàm ciuium concordia. Qui enim concordiam seruat, amplissima Dei benedictione cumulatur: qui verò discordiam seminat, maledicitur. Hoc mihi expressisse videtur Moyses, qui iam moribundus cùm singulas tribus suprema benedictione impertiret, solam tribum Simeon non benedixit, vt cõstat ex cap: 33. Deut: Respondẽt ad hoc Hebræi apud Lyranum: *Quia* inquiunt *Simeon de vẽditione Ioseph primus tractauit, & reliquos fratres ad eam iniuriam induxit.* Assentitur hac in parte Hebræis Theodorethus: Quæst: 46. in Deut: graui coniectura persuasus: *Ego* inquit *arbitror eum* (nempe Simeonem) *auctorem fuisse præcipuum structarum in Ioseph insidiarum.* quod inde conijcere licet, quòd vir ille admirandus (nempe Ioseph) alios omnes fratres dimitti iusserit, hunc autem solùm comprehendi, vinciri, & in carcerem detrudi. Gen: 42. n. 25. Vbi manifestum est, Simeonem propterea quòd fraternã charitatem violasset, & perdidisse benedictionem, & carcerem inuenisse, vt istius vnius exemplo cæteri omnes à charitate violanda refrenarentur.

Ioseph: Theod: Philo Lyranus

Quare apud Iudæos iudicia in portis ciuitatum fiebant.

Nicætas

Sed quorsùm euidentius argumentum ad stabiliendam ciuilem cõcordiam quæram, præter ipsum Deum? qui non solùm Ciuitatem, sed totum etiam orbem ad concordiam conformauit. Vnum Deus fecit hominem, à quo totum genus humanũ propagaretur. Gen: 1. n. 27. At, cur non plures? quoniam celerior hoc pacto fieret propagatio? optimè respondet D. August: lib: 12. de Ciuitate, cap: 21 *Vnum* inquit *creauit hominem, non vtiq; solum sine humana societate deserendum; sed vt eo modo vehementiùs ei commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumq; concordiæ: si non tantum inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines tenerentur.* Conditurus autem Deus Euam, Genes: 2. à n. 21. inquit Sacer textus: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & ædificauit in mulierem.* Nonne obsecro perinde potuit Deus costam illam de latere vigilantis, atq; dormientis Adæ tollere? potuit quidem, sed noluit propter rationem

Theod:

S. Aug:

Gen: 2.

tionem quam affert S. Chrysosth: homil: 15. in Gen: *Ne* inquit *Adam sentiendo dolorem, mulieri exse formatæ postea doloris memor infensus fieret.* Quasi vellet Deus ab illo primo coniugio omnia discordiarum semina remouere, ne postea ad alios coniuges trãsfusa in rixas & contentiones pullularent. Hinc in prima orbis conditione, licebat coniugia copulare inter cognatos, sed postea decretum est, vt inter externos tantùm iungerentur. Vtrumq; plane diuinitus actum est: illud propter necessitatem ne periret humanum genus; hoc propter charitatem, vt non tantùm inter cognatos haberetur coniugalis concordia, sed etiam ad externos funderetur. Hanc rationem assignat D. August: lib: 15. de Ciuitate cap: 16. *Habita est* inquit *ratio rectissima charitatis, vt homines quibus esset vtilis atq; honesta concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, sed singulæ spargerentur insingulas, ac sic socialem vitam diligentiùs colligandam plurimæ plurimos obtinerent.* Quod ipsum & Tullius lib: 5. de finibus breuiùs expressit, dicens: *sic serpere extendiq; charitatem generis humani.* Quid est obsecro, quòd non omnes terræ partes omnia ferre possint. Sed

India mittat ebur, molles sua thura Sabæi:
At Chalybes nudi ferrum &c.

Vt cecinit Mantuanus, optimam rationem reddit Theodorethus Serm: 2. de Prouidentia, vbi de mari sic loquitur. *Per mare* inquit *terras diuisas videmus, etiam ceu sequestro, quæ procul inter se distant, in amicitiam coierunt. Concordiam enim humano generi inserere volens Deus, mutuâ illos operis & auxiliorum necessitate constrinxit. Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea quibus indigemus, à nobis inuicem petimus, simulq; alijs quæ ipsis necessaria sunt, rependimus nec enim aliquam terræ partem summus ille rerum administrator, cultoribus suis omnia simul ad vsum vitãq; necessaria proferre passus est, ne nullius ope indigens, copia mutuæ amicitiæ noceret.* Si ergo totus orbis concordiæ præsidijs formatus est ab ipso Deo, quis audebit Iura charitatis fraternæ & concordiæ violare? aut quis infensum sibi fratrem esse sciens, non priùs illi reconciliari volet, quàm ad Dominum Deum accedet? Hoc Euangelium Sanctum consulit: *Vade* inquit *reconciliare fratri tuo* quasi diceret: depone priùs odia, inimicitias, rixas, Iracundiam, & tunc primum tuum munus Deo acceptabile offeres. Quia teipsum magis quærit Deus, quàm munus tuum. Quemadmodùm docet D. Paulus, Rom: 12. n. 1. *Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Tale Deo munus obtulerat Dauid 1. Reg: 24. à n. 4. quando in spelunca delitescens, non Saulem eò imprudenter ingressum; sed proprium appetitum in Saulem vehementer excandescentem vicit, ac subegit: victumq; ac subactum Deo immolauit. immò suis etiam militibus persuasit, vt suam quisq; iracundiam in Saulem acriter agitatam mactaret, & sacrificaret. Vnde D. Chrysosth: Homil: 2. de Dauid & Saule mirificè laudat hãc Dauidis oblationem. *Præfuerat* inquit *illis Dauid, non vt belli dux militibus, sed vt sacerdos iamque spelunca illa erat Ecclesia,* Vbi paulo post de summa Dauidis perfectione sic excurrit: *Episcopi sortitus munus, sacrificium obtulit, idq; admirabile, dictuq; incredibile: haud quidem mactato vitulo, aut occiso agno; sed quod his erat multo honorificẽtius, mansuetudinem & humanitatem offerens Deo, atq; irrationabili animi motu mactato, occisaq; iracundiâ.* Hoc certè ab omnibus vobis requirit Deus, non vt de horreo tuo munus illi offeras: hoc enim Dei ipsius proprium est, cuius tibi ad tempus tantùm, vsus conceditur: sed vt quod in tua est potestate, hoc illi immoles. Fraudulenter egisti cum proximo, circumuenisti amicum, insidias innocenti struis, odia inter coniuges excitas, mores & vitam aliorum curiosè obseruas, & omnem tuam curam ad hoc

S Chrysost: A

S. Aug:

B

Rom: 12

C

S Chrysost:

Theod:

D

moues,

moues, vt tantùm aliquem lædas? A consídera quid in tua potestate? nónne soli affectus immoderati; vt eos comprimas, quos dùm cõércer & in proximum animo sincero propẽdes, tum primum munus acceptabile Deo reddis, quia teipsum iustificatum. Hinc Deus suos Israelitas non priùs iustificato animo sibi offerentes sic repellit. Isaiæ 1. n. 11. *Quo mihi multitudinem vestrarum victimarum dicit Dominus, Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum & hircorum* B *nolui.* Quid est hoc bone Deus? Quo hæc modo sibi constare possunt? si illa sacrificia odisti, cur imperasti antea vt tibi offerrentur? Respondet Theodoreth: in Leuit: *Quia* inquit *populus, qui longa per tempora vitam in Ægypto transegerat, dæmonibus sacrificare didicerat, permisit Deus sacrificia, vt illum ab hoc nefando dæmonum cultu vindicaret.* Sic planè & nobis forsan sæpiùs offerentibus respondet Deus, quò oblationem & vestrarum victimarum multitudinem? si cor vestrũ C est impurum, si odia proximi nondũ sopita; quæ sunt dæmonum quidam execrandus cultus, teipsum miser homo prius Deo offerre debes, quàm aliquid in honorem eius exhibeas, quia tuam ille animam, non quæ tua sunt temporanea & caduca, redemit. proinde illam magis, quàm quæcũq; munera desiderat. Quid enim est cauſæ, quòd olim Deus respexisset ad Abel & ad munera eius; ad Caim verò non respexit, neq; ad munera eius. Gen: 4. n. 4. & 5. *An quia Abel* D *obtulit primitias gregum? Caim verò nõ obtulit primitias frugum*, ita quidem censet D. Chrysost: Homil: 13. in Genes. *An quia Abel statim, Caim verò non nisi post multos dies immolauit suas victimas?* Et huius opinionis est D. Ambrosius in Psal: 35. sub initium. Verùm genuinam allegat causam Rupertus, lib: 4. in Gen: cap: 2. *Quia Abel prius cor suum, deinde rem ipsam obtulit: Caim autem rem quidem Deo obtulit, sed cor suum sibi retinuit.* Quod comprobat Cassiodorus in Psal: 15.

Isaiæ 1.

S Chrysostho:

S. Ambrosius.

Rupert:

Cassiod:

Quia inquit Caim *Creaturam Creatori obtulit, sed se quod charius est, subtraxit.* Hæc est quoq; ratio, Cur Deus frequenter repudiat, quæ illi offerimus: quia cor nostrum alienum est, à Deo. Alloquitur enim Deus hominem, *vade priùs reconciliare fratri tuo:* sed homo superbus respondet: Authoritas mea non patitur, vt hæc faciam, vt hominem vilem, abiectum, pauperem, contemptibilem deprecari debeam. Ergo ne difficilius tibi est, cùm sis homo, cum homine quoq; à te læso in gratiam redire; quàm fuerit Deo, vt pro te misero, damnato, sibi reconciliando Homo fieret? Deus clamat, *Pete veniam ab homine quem læsisti.* Lucæ 24. Quid ad hæc homo? Lucæ 24. non me inquit humiliabo: ergo iam præstantiorem te Deo facis, qui se humiliauit. Verùm si ita fratrem tuum contemnis, vt ad illum à te læsum deprecandum humiliari nolis, quomodò ad æternam gloriam accedere poteris? cùm ipsius Christi indubitata sit doctrina, qui se exaltat, humiliabitur, hoc est pro suo fastu in æternitatis pœnas deprimetur.

Tertius tandem hominum status est spiritualis, quem quanta deceat concordia, vel ipsa rerum cælestium contemplatio, cui deditas esse oportet spirituales, persõnas, suadet. tum quoq; ipse Deus satis ostendit, quando suos Prophetas viros castos allocutus est Psal: 45. n. 11. *Vacate* inquit *& videte quoniam ego sum Deus.* Chaldæus verò transfert: *discedite* Psal. 45. *ab acie belli.* quasi diceret; ponite discordias, quæ contemplationem impediunt. Et Apostolus de persõnis Deo consecratis hoc ipsum expressit: *Si* inquit *Sal euanuerit, in quo salietur?* quasi diceret; Si in statu Spirituali euanuerit sapientia, quis populum ignorantem diuinas leges edocebit? Si euanuerit humilitas, quis filios sæculi à superbia comprimet? si euanuerit austeritas, continentia, honestas, quis scelera & vitia ex con-

sortio mundi hominum proscribet? quandoquidem Christus suos Ecclesiæ pastores præire voluit fidelium gregi. Si auaritia possideat Sacerdotes, contentiones & iurgia, quis à statu Ciuili seditiones & cædes propulsabit? quandoquidem homines in hoc statu viuentes, facilè se ad spiritualium consuetudinem applicant, & quæ in illis mala aduertunt, sibi tãtò magis licita existimant. Sed opponet forsan aliquis: etiam inter Hetòés sanctitate præcellentes, ortas aliquandò fuisse concertationes: quemadmodùm inter D. Basilium & Eusebium: teste Gregorio Nazian: Oratione 20. n. 51. Similiter inter D. Chrysosth: & Epiphan: Auctore Nicephoro, lib: 12 Histor: cap: 13 inter D. Hieronymum & Rufinum, teste August: Epistola 15. ad eundem. Hieronymum. Verùm hæc dissidia non fuerunt ex mala voluntate orta, quæ fraternam Charitatem impedit; sed potiùs ex sapientiæ fœcunditate, vt quantò magis sibi æmuli fuerunt, tantò plus Ecclesiæ suis scriptis prodessent. Fuerunt & inter Apostolõs, Paulum atq; Barnabam altercationes Actor 15. n. 39. *facta est dissensio, ita vt discederent ab inuicem.* Verùm hãc dissensionem non discordia, sed suacuiq; virtus imperauit, vt pluribus gentibus à se inuicem & à Deo separatis prædicando Euangelium prodessent. Tandem & inter ipsos Angelos aliqua dissensionis vestigia in sacris literis exprimuntur. Nam Hebræorum custos Danielem allocutus: *Princeps* inquit *regni Persarum restitit mihi vigenti & vno diebus.* Daniel. 10. n. 1. dùm vterq; contendebant. Hic populum in captiuitate retinere, vt Persis prodesset: ille è captiuitate vendicare, ne inter Persas periret. Et quamuis nonnulli opinentur, sermonem ibi esse de malo Persarum Angelo: quemadmodùm Sancius in Danielem non improbabiliter argumentatur, tamen communior sententia Patrum, quos refert Salmeron, & Sucar. lib: 6. de Angelis Cap: 19. n. 13. & Pererius in Danielem, lib: 12. fuisse bonum Angelum. Quæ pugna procedebat non ex affectu, sed ex intellectu: dùm suo quisq; populo consuleret, antequàm de voluntate diuina certior redderetur.

Actor 15

Daniel. 10.

Sancius.

Pererius Salmerõ

Cùm ergo nullus hominum status sine concordia fraterna Deo placere possit, contendite Catholici, vt si læsa est inter vos mutua charitas, illam restauretis, omnem iram, odiũ, atq; malum affectum deponendo, & tunc primum offerte Deo vestra munera. Quod si in veteri lege manifestum indicium fuit illa sacrificia Deo placere, quæ cælestis flammà corripuisset: Quemadmodùm Manue offerente, *Angelus inter flammas sacrificij in cælum ascendebat.* Iudic: 13. n. 20. Dauide sacrificante, plaga pestis, quâ populus torquebatur, cessauit 2. Reg: 24. à n. 16. Heliâ immolante, ignis è cælo descendit, qui sacrificium inflammauit, 3. Reg: 18. n. 38. Et vobis certum erit diuinæ acceptationis argumentum, quòd vestrũ munus siue orationes, siue eleemosynas, siue quodcunq; pium opus Deus libenter acceptabit, si quem diuina charitas inflammauerit, vt quicquid habet aduersùs fratrem & proximum suum, totum illud deponat, & sine mora amicitiam redintegret, memor illius sapientis: *Sol non occidat super iracundia vestra.* Amen.

Iudic: 13

EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA,

Nisi abundauerit Iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.
Matt: 5.

Pharisæorum iustitia explicatur, & in quo nostra consistere debeat, ostenditur.

STatus sublimior perfectionem semper exigit maiorem, Aud. quia

quia quò quisq; sublimior, eò cæteris dignior, & cultior virtutibus esse debet. Cùm igitur lex Mosaica, & vetus Synagoga Iudæorum, longè deterior sit militante Christi Ecclesia; Lex enim Mosaica soli Moysi à Deo data per illum Iudæis promulgata fuit. Christi verò Ecclesia ab ipso Dei filio instituta, & eius sanguine sanctificata est. in lege Mosaica legalibus tantùm ceremonijs homines à maculis mandabantur; in Christi verò Ecclesia internâ Dei gratiâ à peccatorum noxis purificantur mortales. Idcirco Christus Dei Filius nouam in terris fundans Ecclesiam, nouas quoq; leges, noua præcepta in ea condere voluit, inquiens: Ezech: 20. *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, viuet in eis.* Sed quid est? quòd maiorẽ in nobis in sua viuẽtibꝰ Ecclesia exigat perfectionem, & iustitiæ abundantiam, quàm fuerit in Pharisæis? quorum adeò austera fuit vita, vt religiosorum Christianorum perfectionem præferre viderentur: assiduitas orationis tanta, vt dies noctesq; insomnes in ea consumerent: abstinentia ciborum tàm magna, vt bis in hebdomadam ieiunarent: in subleuandis pauperum egestatibus commiseratio tãta, vt magnas mendicantibus erogarent Eleemosynas, obseruatio Dei ministrorum tàm seuera, vt decimas omnium rerum vltrò offerrent: corporis mortificatio tanta, vt non in sumptuosè stratis puluinaribus, nec in molli lecto quiescerent, sed in nudis semper cubarent asseribus. Legis obseruatio tàm diligens, vt omnes transgressores morte punirentur. Hebr: 11. Paulus dicit: *irritam quis faciens legem Moysis, sine vlla miseratione moritur;* Victus & vestitus eorum non luxuriosus, sed admodùm vilis: luxus & voluptas nulla, sed assidua legum & Iustitiæ obseruatio. Non contentus tamen his omnibus æterni Patris Filius, plus requirit ab his, quos pretiosa sua morte in æternam consecrauit beatitudinem, à quo tanquàm à summo legislatore discemus

Ezech: 20.

Hebr: 11.

hodiè, quæ fuerit ista Pharisæorum Iustitia, & in quo abundantia Iustitiæ, quam à nobis exigit, consistat?

In tribus Doctores Ecclesiæ Iustitiam Pharisæorum sitam fuisse ostendunt, in naturali legis obseruatione, in externa sanctitate, & in quærenda de suis operibus gloria. Quia ergo Pharisæi omnem suam Iustitiam fundabant in hoc, ne legem per Moysen sancitam transgrederentur, putabantq; hoc solum sibi sufficere ad salutem, idcirco Deo displicuit hæc ficta illorum iustitia, quia vt S. Paulus in sua Epistola ad Galatas ostendit: Lex Mosaica nec conferebat per se salutem, nec potuit conferre; sed tãtum data fuit propter transgressionẽ, vt sub illa tanquàm sub Pædagogo viuerent homines, quousq; Christus non veniret. Probatq; hoc ipsum Apostolus Rom: 2. 20. Vera iustitia illa est; cui Deus promittit vitam æternam: *Iusti autem in perpetuum viuent.* Iam verò per solam legis Iustitiam, nemo potest iustificari Rom: 2, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* alioqui inquit (ibidẽ) Apostolus. Si per opera legis homo posset iustificaci, Christus gratis mortuus esset, idcircò iustè reprehẽdit Christus Pharisæos, quia intus euacuati prorsus erant ab omni opere bono, solùm apparentem extrinsecus præseferentes, virtutis colorem. Quod illis exprobrat Christus Lucæ 11. *Vos Pharisæi, quod de foris est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate: stulti nonne qui fecit quod de foris est, etiamquod de intus est facit.* Matt: 23 *Væ vobis scribæ & Pharisæi, similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus, & omni spurtitia: Sic vos à foris patetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi, & omni iniquitate.* Iustitia quippè, quæ Deo placet, à corde primo exire debet: quia cor est principium vitæ, veritatis receptaculum, fomentum amoris. Vis iustus esse in conspectu Dei, si externis tantùm operibus splendes, parum est: nam

Rom: 2.

Lucæ 11

Matt: 23

& corde eidem humiliari debes. 1. A
1. Ioā: 3 Ioan: 3. *Diligamus non verbo & lingua, sed opere & veritate.* Ferunt Historici in illis locis, vbi Sodoma & Gomora igne è cælo cadente exusta est,
In loco Sodomę nascuntur poma exterius pulchra, intus vacua & fœtida. nasci poma & colore & magnitudine speciosa, sed vt primum ea tetigeris, mox in fœtidum & sulphureum resoluuntur vaporem, fiuntq; & oculis ingrata, & naribus iniucunda. Quid aliud Pharisaica iustitia demonstrat, nisi pomi illius pulchritudinem? vides in Pharisæo ieiunium? color iste aspectu iucundus est; sed intus tumore vanitatis & diuini amoris carentiâ B
inflatus. Consideras orationem feruentem? res nimium delectabilis est: sed verâ fide, sine quâ impossibile Deo placere, caret. Spectas liberales Eleemosynas? non mediocriter te permouent: sed quid sine bona Intentione prodesse possunt? Vtinã Christi Ecclesia huiusmodi euacuata Pharisæis, in vera iustitia Deo placere studeat. Sed nec dùm illis caret 2.
2. Tim: 3 Timot 3. *Voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abne-* C
gantes. Sed qui sunt isti hypocritæ æterna sapientia, vt illos vitare possimus, respondet sacra pagina ibidem, *qui penetrant domos, & captiuas ducũt mulierculas, oneratas peccatis.* S. Basilius Homil: 7. in Hexam. Scribit
Polypus piscis cuicunq; rei adhæret, illius colorem assumit. de Polypo piscículo maris: inquit cuicunq; Saxo adhæserit colorem subit illius, vt piscium complures ad ipsum de improuiso nantes, tanquàm ad saxum concurrentes, paratam sese illi offerant prædam. deuorat Polypus apparenti & falso colore suo a- D
lios pisces, euertit naues, si quibus adhæserit: deuorat fucata hypocrytarum iustitia etiam iustos homines, quia difficile est illos euitare. Propterea, quòd pietatis prætextu prauitas eorum adornata, profundè lateat.
Psal: 27 de quibus Psaltes Psal: 27. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Quæ causa est Aud: cur tantis periculis hisce temporibus Poloniam nostram Deus puniat? non alia certè, nisi hæc simulata hypocrytarum iustitia. quamdiu in regno nostro vigebat feruor fidei, tamdiu angusta hæc prouincia circumquaq; latissimè suos diducebat fines: sed postquàm frigescere cæpit pietatis zelus, coarctatur ab hostibus & minuitur potentia nostra. Irrepserunt errores varij in Poloniæ gremiũ, & sua fictâ iustitiâ tepidam fecerunt Christi Religionem, dominus quoq; obdormiuit: non est qui illum euigilare faciat. fouentur hæreses, parum est? conceditur doctrina infidelitatis in templis Hæreticorum, leue est? plus acceptantur in Senatu infidelium voces contra Ecclesiam & Dei cultum pugnantes; quàm Christianorum dogmata religionem propugnantia. Nec dum satis? in ipsas Dei Sanctorumq; imagines violentas iaciunt manus, & hæc patitur Christiana Respub: sed audite prô Deum immortalem loquentem Dei filium! *Quæ societas Christi cum Belial animo fideli cum infideli.* Deseruit quondam Deus populum suum, quòd inter gentes commixtus esset: verè- C
dum est, ne propter hanc Christianorum cum infidelibus commixtionẽ, Deus nos quoq; deserat: si enim maledixit vineæ suæ Isaiæ 5. *de qua expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas:* nonne eadem Dei maledictio nos quoq; manet? nisi istas hominũ infidelitates vitauerimus. Docet S. Thom: Quæst: 169. art: 7. ad 4. Chri- S. Thõ
stianos non licere infidelibus cooperari in ritibus infidelitatis, agnoscite Poloni, nam Angelicam eius sententiæ doctrinam? quid est aliud Iudæis Synagogas ædificare? Hæreticorum conuenticula pati? nisi cooperari in ritibus infidelitatis: qui enim dat instrumenta ad aliquod opus, & media necessaria, hoc ipso illi operi cooperatur. 1. Reg: 2. grauiter Deus puniuerat Heli Sacerdotem, quòd filios propter magna eorum scelera, & propter dishonoratas Deo oblationes; non punierit: dicit enim ibi scriptura: *Quia magis honorasti filios tuos, quã me; præcidam brachium tuum, & brachium domus Patrijs tui, vt non sit senex in domo*
Isaiæ 5. 1. Reg: 2.

in domo tua. Quid nos facimus aliud, A
niſi ea quæ Deo debentur, insatiabili auaritiâ stimulati, in nostros conuertimus vsus? sed ecce vindicat suum honorem Deus, præcidit iam brachium nostrum, dùm omnes Podoliæ partes, in manus vnius domestici prædonis tradidit. Iusto aliquo Samuele nobis opus est, qui tantam Dei iram placare possit, & diligenter ac zelosè à nostris maioribus obseruatam religionem in nobis instauret, vt nostram non fictam sed sinceram iustitiam, & diuini cultus feruorem, B
clementi oculo aspiciens Deus; illud loquatur ad nos: *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum.*

Fuit secundò Iustitia Pharisæorũ fundata in sola externa sanctitate: quia in suis operibus, non tàm Deum glorificari, quàm ab hominibus videri volebant; cum tamen Deus præ-
Matt: 5. cipiat Matth: 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent Deum.* idcirco iuste Deus à nobis aliam requirit Iustitiam hanc reijciens, quia vera homi- C
nis iustificatio cùm fiat per gratiam Christi, vt potè accidens spirituale, non ad extra corpori, sed intus ipsi animæ inhærere solet. pulchrè hoc expressit Deus Exodi 26. quando tabernaculum fœderis, non intus tantùm deauratum esse voluit, sed foris etiam pellibus hyacinthinis cæli colorem referentibus coopertum. *De-*
Exod: 26 *aurabis eam auro purissimo intus & foris.* quasi vellet ostendere, hominem vt Deo placeat, & intus & extra debere esse bene compositum, vt & sanctitas in corde, & humilitas in operatione D
eluceat, proinde vt tua iustitia Deo sit accepta, totam intentionem cum operibus coniunge bonis. Non sic
Ioan: 16 quemadmodùm Iudæi, qui Ioan: 19. *noluerunt prætorium ingredi, ne contaminarentur*, falsis tamen testimonijs Christum morti tradere minimè verebantur Quid Christiani mei? differtisne vos ab illis Iudæis? dùm conuenitis ad templum causâ orandi Deum: sed odia in vestris animis aduersùs proximos fouetis. Obseruatis diligenter ea, quæ vos leuiùs stringunt; sed ipsa Dei præcepta contemnitis. S. Augu-
Quod miratus August: Epist: 119. stinus.
cap: 19. dicit: *hoc nimis doleo, quia, multa quæ in diuinis literis salubertimè præcepta sunt, minus curantur; & tamẽ multis præsumptionibus plena sunt omnia.* Opera Pharisæorum videbantur bona, sed erant nimiùm superba: idcirco dicit illis Christus. Ioan: 8. *Si fili-* Ioan: 8.
ij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Exosa est Deo hæc externa sanctitas, quia multos suo apparenti colore interficit. Scribit Plinius natural: Hi- Panthe-
stor: lib: 8. cap: 18. quod Pantheram ra odore
propter pellis pulchritudinem, & co- animalia ad se
loris varietatem, & odorem quem e- trahit.
mittit, cætera animalia adeant sollicitè, multumq; videre desiderant. Sed toruitate capitis deterrentur, verum astuta Panthera caput occultat, & sic accedentia animalia rapit, & deuorat. Quid aliud homines in omnia vitiorum genera effrenati faciunt? omnium consuetudini & cõplexioni sese accommodantes, ad sõcietatem à multis inuitantur, dùm sese sua hypocrisi Sanctos esse simulant; tamdiu sua scelera occultant, quousq; probis & innocentibus non adhæserint. Sed postquàm etiam innocens eorum conuersationem arripuerit, sensim ad omnia mala viam illi aperiunt, donec eundem in ipsa abysso demergant. Non immeritò igitur Christus monuit Apostolos suos, vt fugerent Pharisæos Lucæ 12. Lucæ 12
Attendite à fermento Pharisæorum. ideſt, longè fugite dolosum illud Pharisæorum figmentum, quo vitia sub specie virtutum venditant in vulgusq; producunt. Fermentum appellat hypocrisim, propter similitudinem, quòd quemadmodùm fermentum totam massam cui miscetur corrumpit. 1. Corynth: 5. ita simulata & externa hominũ sanctitas, suâ coopertâ malitiâ magnam hominum partem à Religione auocare, & à Deo solet. Tertiò adhuc Pharisæorum Iustitia in hoc fundata fuit, vt de suis operibus gloriam & laudem apud homines quærerent. Matth: 6. *Omnem iusti-* Matt: 6.
tiam suam faciunt, vt videantur ab homi-

nibus. idcirco Deo displicuit, quia omnis laus de foris vltrò quæsita, euacuat hominem intus à mercede, causa istius vanæ gloriæ, est superbia: quæ est veluti fons omnium vitiorũ,
S. Aug: idcirco pulchrè dicit Augustinus: Epist: 56. *Nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus, & præcessrit, & comitetur, & consecuta fuerit, & præposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & impositа quâ reprimamur: iam nobis de aliquo facto bono gaudentibus, totum extorquet de manu superbia.* Rectè igitur Christus maiorem à nobis requirit iustitiæ abundantiam, quàm fuerit in Pharisæis; vt scilicet non tantum ea seruemus, quæ Deus præcepit; sed insuper cum omni humilitate & timore ex intentione sola Deum honorandi, ea quæ seruamus, velimus implere, S. Th: & Aristot: 2. Et hic
S. Thomas. cap: 4. communiter docent, quidditatem Iustitiæ esse, non tantùm iusta, sed etiam iustè operari. quod sufficienter expressit Christus præcipiẽs Iudæis: *iustè* inquit *quod iustum est, persequeris.* quasi diceret: non satis est iusta facere, quæ etiam inuitus ac ignorans potest facere, nisi quoq; iustè agatur. Proinde non satis est, mãdata Dei custodire, nisi sciendo & cognoscendo ea instituta esse ad magis honorandum Deum eorũ obseruatione, vt Deum honores, non satis est habere præ oculis Dei præceptum, *Non occides*: nisi & in corde omnis aduersùs proximum suffocetur malitia: non satis corpore esse castum, sed oportet ne mente quoq; concupiscas. Et quia omnes humanæ operationes à fine specificari debent, si in iustitia volumus abundare, omnes nostras actiones à Christo inchoare, cum Christo agere, ad Christum dirigere debemus. Hic enim cum sit finis Iustitiæ, & opera nostra iusta reddere, & nos iustè operari faciet. Quod pulchrè Augustinus complexus est de Spiritu & litera cap: 5. di-
S. Aug: cens: *vt possit homo Dei mandata facere, Deus in homine operatur per fidem Iesv Christi, qui finis est ad iustitiam omni credenti,* id est; solo Christo per spiritum operante, & incrementum dante intrinsecùs quisq; operari potest iustitiam.

Modus operandi in homine duplex.

Duplicem modum operandi in homine ostendunt Theologi, primũ ad esse supernaturale: quando homo operatur ex gratia præueniente, cum gratia adiuuante, ad gratiam sanctificantem acquirendam, in hoc statu quoniam homo nondùm est constitutus in esse supernaturali, defectu inhærentis gratiæ, licet operetur iusta, non tamen iustè abundanter: quia non nisi meritoriè de congruo. Secundus autem hominis modus operandi est ad finem supernaturalem obtinendum, quando homo ex gratia, cum gratia, & in gratia operatur propter beatitudinem æternam: & tunc primum iustitia eius abundat, quia operatur meritoriè de cõdigno. Vidimus ergo iam totam Pharisæorum Iustitiam in tribus fundari, in naturali legis obseruatione, in externa sanctitate, in sollicitè de suis operibus quærenda gloria. Sed repudiat hanc illorum iustitiam Deus, quia ex sola lege nemo potest iustificari, nisi per fidem Iesv Christi: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt reprom:ssiones.* Spernit Christus externam sanctitatem, quia vera iustificatio non nisi à spiritu Dei & gratia Iesv Christi haberi potest. Contemnit vanam ex operibus laudem, quia homo non propterea rectè operari debet, vt laudetur ab hominibus: Sed vt Deum glorificans, cælestem gloriam apud illum mereri possit. Requirit deniq; à nobis maiorem Iustitiæ abundantiam, quæ cõsistit non in sola præceptorum non transgressione; sed & in virtutum simul æmulatione.

Quare conemini Auditores, vt in hac vera & Deo placita iustitia abundetis. Iuris periti cum vlpiano Iustitiam definiunt sic: *Est constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi.* quam S. Thomas 1. 2. q. 58. art: 1. in corpore, ita explicat: vt actus hominis sit virtuosus, in omni materia requiritur, vt sit voluntarius, stabilis,

Ad actũ virtuosum tria requirũtur.

bilis, & firmus, & Philosophus 2. Et hic Cap: 4. hoc ipsum probat: ad virtutis inquit actum requiritur primò, vt homo sciens operetur, secundò, vt eligens; & propter debitum finẽ. Tertiò, vt immobiliter. Non plus, nisi tria hæc requirit à vobis Deus, vt abundetis in Iustitia. Requirit primò constantem voluntatem, vt constanter iam velitis reformari in nouitate sensus vestri, animas vestras à malis retrahendo, & quod primus perfectionis gradus est, declinando à malo, requirit perpetuam voluntatẽ, vt illi soli immobiliter adhæreamus, & exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, idest; vt non iam mortuas pecudes more Iudæorum aut gentium; sed dignas professione Christiana victimas Deo litemus, id est; corpora nostra non morte perempta, sed mortificata in affectibus suis: quemadmodùm dicit S. Chrysosth: *Nihil*
S. Chrysost: *turpe loquatur lingua, & facta est oblatio: nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustomata.* Requirit deniq; voluntatem Ius suum cuiq; tribuendi, vt scilicet diuinum Ius, illæsum conseruemus: promptè & voluntariè persoluendo ea, quorum diuinæ maiestati debitores sumus, deinde ne Ius diuinum lædamus, omittendo deuotiones, opera pietatis, virtutum studia, quibus neglectis Iuri diuino plurimum derogamus, tandem vt diuinum Ius, si quando illud nostris prauis actionibus offendimus, studeamus reparare, partim peccatorum expiatione, partim Eleemosynarum erogatione, partim heroicis alijs virtutibus. Quæ si fecerimus, perpetuò Iure diuino, in cælesti illa sede, in omni abundantes iustitiâ, cum ipso Iurisfatore fæliciter æternumq; gaudebimus.

EADEM
DOMINICA
CONCIO QVARTA.

Vade priùs reconciliari fratri tuo. *Matth: 5.*

Sine concordia & amore proximi, nullum opus hominis Deo acceptum potest esse.

IVstè verba hæc mysterij plena attentiùs considerantes, possemus inquirere: quoniam multa Deo solemus offerre etiam ab altari remoti, videlicet preces, eleemosynas, gratiarum actiones, & alia huiusmodi. Cur inquam in ijs, dùm longè ab altari fiunt, specialiter non monemur, vt priùs reconciliemur fratribus; in donis autem ante altare oblatis statim monemur, ne illa offeramus, quin priùs reconciliatio cum fratribus fiat. Quæstionem hãc sapienter resoluit Paschasius in hunc locum dicens. *Hæc secundum historiã*
Paschasius. *impleta de cultu religionis non abhorrens, vt fides templum intelligatur, & altare Christus, antequem nostræ fidei donaria offerimus. Ille quippe est ille sublimis ara sanctorum coram Patris vultu, sub qua sanctorum animæ requiescunt. Vbi si recordãur, quod aliquid habeat aduersus nos, oportet coram eo munus nostræ deuotionis relinquere, & quem læsimus satisfacere, donec reconciliatis munus offerre liceat.*

Quoniam ergo Christus est altare, non miror, quòd ibi præcipuè moneamur de fratrum offensione tollenda: is enim est Christus Dominus, cuius vel ad vmbram non liceat accedere cum minima fratris iniuria. Hinc quondam Dauid nactus Saulem in spelunca, cùm facilè posset hostem occidere, maluit illi parcere, solumq; particulam chlamydis eius abscidit. 1. Reg: 24. *Post hæc per-*
1. Reg: 24. *cussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Et quare Dauid de tam leui re, adeo seipsum afflixit? sanè: quia magnum erat, quod particulam chlamydis abscidisset, quando

quando & caput impunè potuisset abscindere. Quod ergo in hoc facto compungatur, respondet S. Augustinus lib: 22. contra Faustum cap: 66. *Quia ibi tàm religiosus Dei timor, sacramentũ Christi in sancta vnctione seruabat, vt eius pia solicitudine trepidaret, quando exiguam particulam de veste ipsius Saulis latenter abscidit.* Considerate diligenter, quid sibi velint illa verba: *Sacramentum Christi in sancta vnctione seruabat.* Et videbitis nihil aliud esse, nisi quòd cùm Saul fuerit à Samuele vnctus, ideo in illius vnctionis oleo totũ seruabat Sacramentum Christi, cuius vmbra hoc habet, vt pro particula chlamydis abscissa, Dauidem ad trepidationem, & pœnitudinem induceret, eò quòd Christus eum ad se nõ admittat, qui proximi sui aliqualem offensam incurrit. Propterea, quia Christus est lux, Ioan: 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Illud ergo singulare habet Christus, vt tota lux hominum, vt sic cui homini illuxerit, statim illum impellat, vt non tàm sibi prospiciat; quàm alijs in perficiendo ministerio sibi debito. Quod adnotans S Nazianzen: Orat: 43. differentiam luminis nostri à diuino hanc colligit. *At nostrum lumen, non modo ortum sæpius habuit, sed etiam nocte scinditur, noctemq; vicissim aquis partibus secat, oculis concreditum; ac per aërem fusum, atq; id, quod dat accipiens. Nam oculis cernendi facultatem præbet, & primum ab oculis cernitur.* Et habetis nostri luminis proprietatem: quia *primum ab oculis cernitur.* Facit quidẽ nostrum lumen, quod oculi cernant, sed ita id præstat, vt ipsum primò cerni debeat. Proh auaritiam creati splendoris, in hoc à diuino maximè differentis, quod illud, quod præstat, prius illud sibi recipiat, nec primitias vlli cedat. At verò diuini luminis longe diuersa est proprietas, cedit illud primas alijs, & se in postremo loco ponit, quando opus est. Quod in hodierno Euangelio clarè expressit, his verbis, *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quod admiratus S. Chrysostho-

S. Aug:

S. Nazianze:

Differẽtia luminis diuini à nostro.

mus homil: 16. in Matth: in hunc modum exclamat. *O admirabilem benignitatem, atq; ineffabilem erga homines amorem Dei? Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit. Interrumpatur inquit, ministerium meũ, vt tua charitas integretur.* Ita validissimum Dei lumen, scit alteri cedere primas, & vnum illud, vbi nostris animis affulgens facit, quod nos etiam cedamus alijs primas. Contrarium autem non nisi de malignitate nostra potest venire, vt docet Plinius in Paneg: Traiani: *Non ambitio magis, quam liuor, & malignitas videri potest, summum illud purpuræ decus nonnisi præcerptum, præforatumq; transmittere.* Ea est enim humana malignitas, quæ nihil splendidum à se transmittat, quin ipsa priùs illo fruatur, & præcerptum, præforatumq; dimittat. Hic mihi in mentem venit illa Philosophorum doctrina, qui asserunt sole eclypsato stellas lucere, quoniam aliquid natiui luminis habent. Equidem sol noster, sol iustitiæ est Christus Deus noster, stellæ sunt proximi nostri, sol iste frequenter peccatis nostris eclypsatur; non priùs tamen istas tenebras vult depelli, non priùs seipsum placari, donec stellæ, id est proximi nostri, à nobis offensi reconciliati fuerint. *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Quod cur faciat, hodiè edisseram.

S. Chrysost:

Plinius.

Quod Deus antequàm munus ab homine suscipiat, priùs eum fratri offenso reconciliari velit, hæc est ratio: quia magis Deo accepta est concordia, & amor proximi; quàm oblatio. Quod pulchrè expressit S. Paulus in Epist: ad Philippen: cap: 1. v. 2. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes.* Vt inquit sitis *vnanimes*, id est, quibus vnus animus, vna mẽs, vnus sensus sit. Et hoc est, quod D. Ambrosius lib: 3. Offic: cap: vltimo dicit: *Qui est vnanimis, ipse amicus est, quod vnitas animorum in amicus sit.* Magisq; hoc ipsum expressit in oratione de excessu Satyri fratris sui his verbis: *Capi enim hic iam non esse peregrinus, vbi melior mei portio est:*

Philipp: 1.

S. Ambrosius.

est: nunquàm enim totus in me fui, sed in altero nostri pars maior; amborum vterq; animus eramus in Christo; in isto corpore enim, quod nunc exanime iacet, præstantior vitæ meæ functio, quia in hoc quoq;, quod gero corpore, vberior tui portio. Talis vt sic loquar vnanimitas inter Gregorium Nazianzenum, & Basilium quondam intercedebat, vt refert ipsemet Nazianzen: Orat: 20. de laudibus Basilij in hunc modum scribens: *Vna vtriq; anima videbatur, duo corpora gerens. Quod si fides ijs minimè habenda est, qui omnia in omnibus sita esse dicunt; at nobis certe credendum est, quod vterq; in altero, & apud alterum sui eramus.* Ergo non mirum, quòd Deo concordia, & amor proximi magis placeat; quàm sacrificia, quàm oblationes, quàm victimæ.

Nazian:

Hinc quàm sit perneccssaria fidelibus mutua dilectio, tot eam verbis, tot affectibus à nobis exigens D. Paulus, concludit omnem Christianæ rei summam, imò totius legis complementum in hoc cardine versari, ad Rom: 13. inquiens: *Qui enim diligit proximum, legem implebit, nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Statimq; addit Apostolus: *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Super quem locum scribens S. Ambrosius, verbum illud *instauratur, legit, consummatur:* id est, perficitur, seu omnibus numeris absolutum redditur, palam ostendens, quòd dilectio proximi, alijs legis, & virtutis operibus perfectionem, ac complementum, & vt ita loquar, victimam manum addat: saporem, & maturitatem iustitiæ fructibus reddat. Vnde sine illa omnia imperfecta, inchoata, & velut immatura, atq; acerba sunt. In idem recidit, quod Gregorius Magnus hom: 27. in Euãg: dixit: *Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* id est, solidum, perfectum, atq; absolutum perficitur. Nouerat

Ad Rõ: 9

hoc per bellè patiens Iob, verba illa proferens: *Fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus bonum*, quasi diceret, non sufficit iustitiæ fructus, vt opportune proueniant, quomodocunq; seminare; sed opus est, vt singillatim in charitate seminentur, alias adulterini, atq; syluestres fructus à generosa stirpe degeneres pullulabunt, Deoq; minimè poterunt placere.

Iob 3. v. 18.

Audite Origenem homil: 3. in Leuitic: eleganter id perstringentem his verbis: *Neq; enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur;* sicut & Iacobus Apostolus dicit: *Fructus autem iustitiæ in pace seminatur.* Luculentius adhuc Leo Papa Serm: 10. de Quadragesima sic fatus: *Quamuis magnum sit habere rectam fidẽ, sanamq; doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gula, lenitas mansuetudinũ, puritas castitatis; nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus edidit.* En reliquorum fructuum iustitiæ maturitatem, perfectamq; naturam, ac conditionem à charitate prouenire videtis, sine qua cum nihil possit esse perfectum, nec Deo placens Accipite istius veritatis euidens documentum ex sacris literis.

Origen.

Leo.

Duas nobis personas præ oculis sistit scriptura sacra Deo munera offerentes, scilicet Cainum & Abelem, Genes 4 *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoq; obtulit.* At quid inde? dicit scriptura: *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Symmachus legit: *Oblectatus est.* Aquila, *consolationem accepit.* Theodotion: *Inflammauit Dominus super Abel, & super munera eius.* Postea addit scriptura sacra, *ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* LXX. autem legunt, *non aduertit.* Et quæ tanti ratio discriminis? Respondet S. Augustinus lib: 15. de Ciuitate Dei cap: 7. quia Abel prius se, deinde sua obtulit; Cain verò sua, non seipsum Deo reddidit: *Videtur* ait, *intelligi, propterea Deo non placuisse sacrificium*

Gen: 4.

Symmachus. Aquila.

S. Aug:

Cain quia Deo diuidebat suum, sibi autẽ A seipsum, cor suum, voluntatem suam, quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed peruerso corde viuentes, offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorũ non opituletur sanãdis cupiditatibus, Rupert: *sed explendis.* Comprobat Rupertus lib: 4. in Geneſim cap: 4. *Cain* inquit *cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum sẽ habens in cupiditate terrena, huiusmodi portionem Deus non accipit: Abel autem cor suum offerendo, deinde rem suam, plurimam hostiam obtulit.* B

Quibus conſentanea ſunt, quæ habet S. Chryſoſt: homil: 18. in Geneſim, & Radulphus, qui ad ea Leuit: 27. verba: *Omnis æstimatio sicli sanctuarij æstimabitur?* dùm ſiclum ſanctuarij charitatem interpretatur, ſub ea vmbra hanc credit ſententiam deliteſcere; nimirum ſine charitate nullum pretium, nullamq; æſtimationem rebus quibuslibet, ſiue actionibus, etiam honeſtis ineſſe; ideoq; ſic concludit: *Non igitur glorietur Cain offerens munera de fructibus terræ suæ,* C *non confidat hypocrisis per diem affligens* Radulphus. *carnem suam, sacum, & cinerem sternens, quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris; solo sicli sanctuarij omnis oblatio nostra ponderatur; nec considerat Deus quantum à nobis accipiat, sed ex quanto; affectionibus interioribus omni ture actionum pretium datur, & quidquid sine charitate fit, pro nihilo reputatur.* Quod ipſemet Seneca Gentilis Philoſophus Seneca. lib: 1. de beneficijs cap: 6. pulchrè expreſſit his verbis: *sicut nec in victimis quidem licet optimæ sint auroq; fulgeant,* D *deorum est honos: sed pia & recta voluntate venerantium, itaq; boni etiam fere, ac fictili religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras multo sanguine cruentauerint.* Ad cuius ſenſum Plinius Iunior in Panegyrico Plinius. ſubdit: *Animaduerto, etiam deos non tã accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ & sanctitate lætari, gratioremq; æstimari, qui delubris eorum puram, castamq; mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.* Hinc illud vulgatum apud Ethnicos carmen, cuius meminit Briſſonius lib: de formulis.

Puras Deus non plẽas aſpicit manus. Alij cenſent, Deum reſpexiſſe ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem non reſpexiſſe: quia Abel cum ſumma alacritate portabat munera Deo offerenda; Cain autem portabat de frugibus terræ cum moleſtia, tanquam onus laborioſum, & quaſi mulctam affligentem. Ita reſoluit S. Basilius Seleucien: Orat: 4. *Cainus*, S. Basil: inquit, *sacrificationem mulctæ loco ducens, reiectaneis sacrificijs honorem detulit honorato, adultera mente cauponans pretium.* En principium omnis infelicitatis in Caino, nimirum *sacrificationem mulctæ loco ducens.* vt enim mulctæ acerbitatem, & dedecus alij ſubire ſolent; ita ipſe portabat dona Deo exhibenda: non honori, ſed oneri, & quidem oneri infami, vti eſt illud, quo rei mulctantur, tribuebat miſer ſacrificium, quod Deo exhibebat. Non ſic Deo ſacrificandum eſt, ſed promptè, ſed hilariter, ſed cum quadam animi iucunditate, ac ſuauitate. Sic egit Abraham, qui litaturus filium aſcendit montem ferens in manu ferrum, & ignem, aram conſtruxit, filium de ſuper ligauit, gladium ſtrinxit feriturus, niſi voce Angeli impediretur clamantis: *Ne extendas manum super puerum.* Quid felicius Patri, quàm quod viuat vnicus filius? ſed vnde ad hanc felicitatem peruenit ſenex Abraham planè, quia ſic ibat portans ignem, & ferrum feriendo filio iuxta Dei præceptum, quaſi inde triumphalem honorem reportaturus. Ait Zeno lib: 2. *In tantis* inquit, *filij casibus lætatur, & gaudet Abraham, & se Dominum promeruisse, trũphat. Accepit iam præmia, quæ mereretur diuina: vt non postulãs misericordiã mereretur.* Quia ergo promptè, quia iucundè Deo filium ſacrificare voluit idcirco gratiam inuenit; quemadmodum & innocens Abel.

Cainī munus oblatũ cur Deus non acceptauit.

Abrahæ ſtupendum ſacrificiũ.

Gen: 20.

S. Zeno

Et hoc voluit exprimere ſcriptura ſacra, palam pronuntians, quòd non priùs Deus agnum præſtantiſſimum, quem Abel offerebat, viderit; quàm Gen: 4.

quàm ipſum Abelem videret: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Et quid erat in Abele, quod reſpiceretur à Domino; antequàm eius munera reſpicerentur? ſanè erant in Abelis animo frequentia vota de offerendis muneribus: offerebat enim, & bis, & ter, & ſepties mente ſua agnum, quem poſtea opere Deo obtulit. Audite D. Baſilium Seleucien: Orat: 14. ita loquentem: *Abelis* S. Baſil: *dilucidè deprædicauit scriptura, quendã iustitiæ characterem posteritati delineans, quòd mentem Deo dono dedisset ante* B *donum, quòd Deum, qui prospicit in profectus ante visa dona, in visibilibus donarijs oblectasset.* Non mirum proinde, quod Abel rapuerit ad ſe Deum, & magni apud Deum æſtimatus ſit: quoniam ante dona opere exhibita, multis inuiſibiliter in anima offerebat. Singulis horis, ſinguliſq; momentis per tempus antecedens mente ſua mactabat Deo agnum, quem tandem ante aram manibus ſuis peremit.

Ponderate hoc Chriſtiani mei, & diſcite non quieſcere in opere exte- C Chriſtiani frequenter mente Deo munera offerre debent. riùs exhibendo; verùm quod exhibituri eſtis corporaliter ſemel, mente & animo frequenter priùs exhibeatis Deo. Hoc ſanè magni apud Deum quæſtus eſt; imò hoc ingens beneficium à Deo in nos deſcendit, quòd repetitis votis vnius operis poſſimus immensè augere mercedem. Id faciebat D. Paulus 1. ad Corit: 15. aiens: *Quotidie morior.* Quid dicis Paule: vtiq; vno ſolum die, imò veriùs dicam, momento, mortem de- D facto oppetimus? ſanè, quia quam ſemel laturus erat mortem, eam ſæpiùs in die animo perferebat, ſe crebrò mente ſua Deo deuouens, & vitam offerens; quo penè in immenſum eius merita creſcebant. Ex quo D. S. Chryſoſt: Chryſoſthomus homil: de feſto crucis in media Quadrag: Sic vnũquẽq; noſtrum monet: *Nonne tibi à natura mors decreta est? Licet tibi, si velis, millies pro Domino mori. Hic enim gratiæ mos est, egestatem amicorum ad magnas euehere diuitias, propter liberalitatẽ Do-*

mini, qui non modo rerum euentu, sed voluntate proposito, & certantium coronas metitur. Hic inquam gratiæ mos eſt, hæc eſt Dei noſtri liberalitas in nos profecta, quæ in exiguis, & paucis operibus facit abundare coronarum ſegetes; ſi quæ ſemel opere exhibentur crebris votis, & propoſitis repetitis priùs offerantur in mente. Moueat nos ad hanc pietatem ipſum Chriſti exemplum, qui ante crucis exhibitionem, myſticam crucem agebat, Matth: 26. aiens: *Hic est calix* Matt: 26. *sanguinis mei.* Qua de re Nyſſenus ho- Nyſſen: mil: 5. de Reſurrectione pulchrè diſcurrit: *Per ineffabilem* inquit, *sacrificij modum, præoccupat impetum violẽtorum, ac sese in oblationem & victimam offert, sacerdos simul, & agnus.* Quaſi diceret: incruento animo, incruentis ſignis præoccupabat priùs agere, quæ poſtea cruentiſſimè adimplenda erant. Sic in horto mente tractans negotia crucis, ſanguinem ſudabat, dicit S. Lucas cap: 22. *Factus* Lucæ 22. *est sudor eius sicut guttæ sanguinis.* Nimirum, antequam humeris crucem ſuſtentaret, mille modis eam animo, menteq; tractabat, & offerebat Patri: vt hinc diſcamus, & nos ſæpius mente offerre, quæ ſemel opere daturi ſumus.

Illa tamen mihi ratio præ omnibus arridet, quare Deus ad Cain, & ad munera eius non reſpexit: quia, nimirum odium contra fratrem habuit, & charitatem non habuit. Sic cenſet Idiota: *Ideo* inquit, *repudiauit* Idiota. *oblationem, quia iram aduersus fratrem reseruabat in corde suo.* Quod conſiderans Petrus Damianus, tandem con- Petrus Damianus. cludit: *Pensate fratres, quanta concordiæ virtus, vt etiam sine ea sacrificia Deo non placeant, quibus placatur ira Dei in peccatores.* Aureus Chryſoſthomus S. Chryſoſthom: adhuc magis elucidat, inquiens: *Ecce à discordantibus non vult accipere sacrificium: magis enim diligit concordiam fidelium; quàm munera.* Ergo Deus nec orationes, nec munera, nec ſacrificia ab illis ſuſcipit, in quibus non eſt concordia, non eſt amor fraternus, ſed inuidia, ſed odium. Hinc olim

Deus volens in homines alioqui indignos, & iniquos misericordiam suam effundere, sic eos allocutus est Sophoniæ 2. v. 1. *Congregamini gens non amabilis, priusquàm pariat visio trãseuntem diem.* Vbi S. Hieronymus illud verbum *congregamini*, seu vt legunt LXX. *colligamini* ita explicat: *Estote vobis iuxta Apostolum charitatis vinculo copulati.* Quasi Deus illis verbis hoc indicare voluerit; ideo potissimùm estis mihi gens non amabilis, quòd ad inuicem dissideatis: colligamini iam, & mutua vos dilectione copulate, vt vel hac ratione regiã clementiæ virgam extendam, debitasq; vobis pœnas, ac supplicia remittam. Huc respiciens S. Eligius dicebat: *Satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter iudicemur.* At verò nos seuere nobiscum agimus, quando à fratre dissidentes ad altare sacrificaturi accedimus cùm pro mutua, dilectione hominibus persuadenda, se & hominem fieri, & crucis mortem obire, Dei Filius non dubitaueritꝝ.

Soph: 2.

S. Hieronymus.

S. Eligi:

Agnoscite ergo, quàm sit necessaria ad promerendum, seu rẽpropitiandum Deum proximi charitas, quandoDeus, qui ad amicitiam cum homine contrahendam promptissimus, & auidissimus est: *Expectat enim Dominus, vt misereatur nostri.* Isaiæ 30 non prius de eadem ineunda cogitat; quàm is, qui ipsius amicus est futurus, mutua cum proximo dilectione copuletur. Ait S. Hilarius cap: 4. in Matt: *Nullam impacificæ orationis precem fieri patitur, sed ad altaria munera offerentes, si recordentur se cum fratribus habere aliquid simulatum, reconciliata humana pace reuerti in diuinam pacem iubet, in Dei charitatem de charitate hominum transituros.* Et quis profectò non obstupescet, remq; humano iudicio æstimans secum non philosophabitur? cur non primùm de Deo placando, eiusq; amicitia obtinenda impensius agatur; postmodùm autem ad humanam reconciliationem, tanquam minoris momenti rem homo accedat. Verùm aliter Deo visum est, qui in suam charitatẽ de hominum charitate nos venire vult; vt nimirum homo homini ad amicitiam cum Deo coniungendam locum faciat. Quam ad rem plurimũ confert sacratissimæ Eucharistiæ institutio: Dubitabit sanè non nemo, cur hæc priùs, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, quod ipsa subsequi potiùs, quàm præcedere debet, instituta sit? Respondet S. Paschasius, consultò ante passionem Eucharistiam, in qua, & cum ipsemet, & nobiscũ, vnũ omnes efficimur corpus, Christũ instituisse. vt non nisi pro concordibus, atq; vnitis se daret pretium, nec nisi vnitos atq; concordes in sua passione æterno Patri offerret. Vnde lib: 12. in Matt: super illud cap: 26. *Cœnantibus autem eis*, ita concludit: *Quatenus per hoc, antequam se daret in pretium, nos in illo, & ille in nobis, vnum corpus essemus.*

Isaiæ 30

Eucharistia cur ante pœnitentiam instituta.

Matt: 26

S. Paschas:

Alteram rationem, cur Deus priùs, hominem fratri suo reconciliari cupiat; quàm munus ab eo oblatum recipere, hanc esse video. Quia pluris æstimat salutem hominis, quàm suum honorem. Sic fatetur S. Chrysost: homil: 10. *O admirabilem* inquit *bonitatem, o ineffabilem amorem Dei! honorem suum despicit, charitatem intra requirit, interrumpatur cultus meus, dũmodò charitas tua integretur.* Imperfectus rem clariùs elucidat: *Vide* ait, *misericordiam Dei, plus aspicit vtilitatem hominum, quàm honorem proprium.* Hoc pulchrè illustrat illa gratulatio de drachma perdita, Lucæ 15. *Congratulamini mihi, quia inueni drachmã, quam perdideram.* Et cur non potius denarium, vel rem quampiam aliam, sed drachmam adducit Euangelista? Respondet S. Ambrosius: *quia in denario imago Cæsaris est, in drachma Dei.* Vt vel hinc euidentiùs appareat, quãti apud Deum hominis salus fiat, quantamq; nostræ cum suis affinitatem res habeant; vt nostrum quidẽ lucrum ad propria emolumenta ipse reuocet, nimirum cum ipse in nobis tanquam imago drachmæ insculpta sit, vt si more humano loquamur, simul

S. Chrysosth:

Imperfectus.

Lucæ 15.

S. Ambrosius lib: 5. in Lucam.

simul nobiscum deperdi, simul inueniri, & lucrifieri bonus Dominus dicatur.

Vultis vlterius documentum, legite Salomonis verba sapientiæ 4. v. 18. vbi postquàm de iusto immaturâ, sed pretiosa morte à Domino sublato, *ne malitia mutaret intellectum eius*, multis egisset, tandem insipientium ea dere ponit opinionem, inquiens: *Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.* Græca litera legit: cùm *tutum reddiderit*, seu *securum fecerit.* id est, ab instantibus, & iam iamq; imminentibus malis huius vitæ periculis, & casibus tutum receperit, quo penè modo, dum Marciam de peracerbo filij interitu consolaretur Seneca, dixissetq; *Cogita animi mille labes; neq; enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsq; in senectutem pertulerunt, sed interuersa plerumq; sunt. Aut seraeoq; sæuior luxuria inuasit, & cõegit de honestare speciosa principia, aut in popinam, ventremq; proiectis, summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent.* Subdit opportunè: *Cùm ista perspexeris, scies optimè cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitæ stipendium, citò in tutum recepit.* Pulchra exaggeratione innuens, Deum semetipsum tutum, ac securum reddere, cùm suos reddit tutos, atq; securos. Tanta profectò Dei societas nobiscum est, vt imperturbabilis Dei requies, inuulnerabilis felicitas, & vt audacter loquar, ipsemet Deus, *quem extra illum sua diuinitas posuit.* teste Seneca lib: 7. de beneficijs cap: 7. periclitari nobiscũ, & discrimini obnoxius fieri, pro nostro captu videatur.

Sapien: 4

Seneca.

Seneca.

Propositum nostrum melius illustrari non potest, quàm illo Dauidis effato, Psal: 50. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtiq;.* Vbi curam gerens pro peccato suo, & ignosci sibi volens malum, quod fecerat, quærebat omnem modum placandi Deũ. Quasi diceret: Offerrem tibi Deus meus diuitias, quibus me cumulasti, sed istæ, vt pote transitoriæ ante conspectum tuum reputantur. Offerrem sceptra, & diademata, sed cùm sis rex regum, & Dominus dominantium, à quo omnis terrena potestas descendit, ista despicis. Offerrem pinguia, sacrificia, sed tu holocaustis non delectaberis. Vos nunc omnes alloquor peccatores, quid offeretis Deo vestro, & vnde illum placabitis? sanè habetis in vobis, quod offeratis. Nolite extrinsecus thura comparare, sed dicite: *In nobis sunt Deus vota tua, quæ reddemus laudes tibi.* Nolite extrinsecus pecora, quæ mactetis inquirere, habetis in vobis, quod occidatis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Prorsus spernit Deus taurum, hircum, arietem; quia iam non est tempus, vt hæc ei offerantur. Oblata sunt, cùm aliquid indicarent, cùm aliquid promitterent; venientibus autem repromissis, promissiones oblatæ sunt. Solũ ergo cor cõtritũ, & humiliatũ Deus noo spernit.

Psal: 50

Psal: 55.

Tertia ratio est, cur Deus prius velit hominem recõciliari fratri suò quàm sibi munus aliquod ab eodem offerri: quia qui vult venire ad charitatem Dei, debet venire per charitatem proximi. Si enim rectè docent Philosophi, transitum de vno loco ad alium, dari non posse nisi per medium: certè & in moralibus hominum actionibus idem euenit. Duo sunt extrema, à quorum vno ad aliud tendere nos oportet: primum, *longè à peccatoribus salus;* alterum, gratia Dei, ad quam nemo potest venire, nisi per mediam charitatem. Auctore S. Vincentio, qui dicit: *Dispositio ad obtinendam Dei gratiam, est ipsa charitas proximi.* ergo priùs reconciliandus est proximus, vt hac dispositione præcedente Deus nostras oblationes faciliùs respiciat.

S. Vincen:

Mirum est, quòd postquam Dominus noster audiuit imaginem numismatis, quàm ei tentantes Pharisæi obtulerant, esse Cæsaris, illico eam proijciens dixit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quid causæ, quòd priùs Cæsari, quã

Matth: 22. v. 15.

Deo reddi iusserit? Respondet S. Vincentius: *Non ex maiori dignitate, sed quia priùs facienda est reconciliatio proximo.* Reddi iussit imaginem Cæsaris Cæsari, quasi indignum iudicãs, religiosis illis, ac diuinis manibus, indignum sanctissimis illis oculis, præter Dei imaginem aliam in manibus tenere, aliam prospicere. Hinc D. Paulus 1. ad Corint: 15 v. 49. clamãs dicebat: *Prius homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis, qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes, igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis.* Quasi diceret: induistis actione, conuersatione, vita, imaginẽ terreni, & expressam eam tulistis, non solùm in vestro corpore, sed in vestris Adamum omnia vestra redolentes, & cum Adamo ipsum etiam diabolum, in domibus, in corpore, in vestibus imaginem eius referentes. Nunc autem non sic, sed actione, conuersatione, vita, induite imaginem cœlestis, eamq; in corpore, in vestibus, in domibus, in penetralibus vestris reponite, ita vt vbiq; vos vestraq; Christum redoleant, Christum sapiant, non Adamum, nõ Cæsarem, non deniq; ipsum diabolum.

1. ad Corint. 15.

Eleganter hanc D. Pauli sententiam elucidat doctissimus Geometra, sic discurrens: *Sublimiori sensu homo, vt in Genesi scriptum est, factus est ad imaginem Dei, postea verò propter peccatum, & in obedientiam eiectus de paradiso, assumpsit etiam imaginem terrenam: sicut autem nummus, aut denarius habet imaginem Imperatorum mundi, sic qui facit opera rectoris tenebrarum harum, portat imaginem eius, cuius habet opera, quam præcepit Saluator esse reddendam, ac proiiciendam, assumendamq; eius imaginem, iuxta quam à principio ad similitudinem Dei conditi sumus: quibus congruentia? Paulus ait, si vt portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis, hoc ergo significat reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quasi apertius loqueretur, hucusq; portastis imaginem terreni hominis,

Geometra.

mutuis odijs vos metipsos proscindentes; nunc autem reddite proximis vestris amorem, reddite mutuam charitatem, vt opera vestra sint Deo accepta, quæ sine charitate penitus euacuantur.

Vnicum medium ad multitudinem peccatorum diluendam, proposuit Deus homini eleemosynam, Daniel 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperem.* Vbi S. Eligius Nouiomensis Episcopus homil: 8. in Cœna Domini, ostendit, ea remedia Deum omnibus præcepisse, quæ non solùm diuitibus, sed etiam pauperibus præsto esse possent, vt sic nemo excusationem prætendat, ad vitam æternam necessaria sibi deesse, qui non alia affirmat nisi vnicam eleemosynã, tàm diuitibus; quàm pauperibus eã præcipiens. Vt scilicet diuites dando pauperibus dimittant inimicis; pauperes verò vt & ipsi eam præbeãt, iniurias dimittendo, quod genus eleemosynæ nobilissimum est Auctore citato Eligio, qui dicit: *Pius* & misericors Dominus, sciens infirmitatem generis humani, sine qualibuscunq; peccatis hanc vitam non posse transigere, talia medicamenta dignatus est prouidere, quæ non solùm diuites, sed etiam pauperes, absq; vlla excusatione possent peccatorum suorum adhibere vulneribus. Quæ autem sunt ista? medicamenta illa vtiq; duo, de quibus Deus dixit: Date, & *dabitur vobis.* Lucæ 6. *Dimittite* & dimittetur *vobis.* Marci 11. *Date, & dabitur pertinet ad eleemosynam, quâ datur esurientibus, nudis, atq; captiuis; dimittite, & dimittetur vobis, pertinet ad eleemosynam, per quam indulgetur omnibus inimicis, dicente Domino, si dimiseritis hominibus peccata eorum, pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra, satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter iudicemur in die iudicij.* Vbi duo nobis consideranda proponuntur. Primũ, iniuriarum dimissionem, aptissimè dici eleemosynam, quatenus donat, ac dimittit difficiliora debita, grauiora one-

Daniel 4.

S. Eligius

Lucæ 6.

Marci 11

Paupe-res iniu-rias di-mitten-tes di-uitibus plus eis dant; quàm ab ijsdẽ accipiũt

ra onera. Vnde fit, vt generaliter loquendo, plus pauperes diuitibus dent; quàm accipiant, dùm eis iniurias condonant, quas ordinariè patiuntur. Et quoniam ad dimittendũ faciliores inueniuntur pauperes; quã diuites, hinc eorum salus magis certa; quam diuitum. Meritò igitur lætari, & exultare debent pauperes, quia licet eis pecunia ad eleemosynam elargiendam non suppetat; suppetit tamen dimissio iniuriarum, quæ est multò nobilior eleemosyna magisq; Deo accepta: nam pauperi ex dimissione iniuriarum regnum cælorum panditur ita, vt faciliùs ingrediatur, faciliùs penetret.

Loquar amplius, qui hic fratri peccanti dimittit, eiq; reconciliatur, secur⁹ potest esse de sententia cõtra se in extremo iudicio ferenda: nam qui hic peccantem in se proximum absoluit, ipsemet ibi absoluetur, vt cõcludit citatus Eligius his verbis: *Qui hæc implere noluerit, ipse sibi ianuam diuinæ misericordiæ claudit, quia quælibet reliqua opera, quæ quisq; fecerit, omnia euacuabuntur, si in eo charitas non fuerit, quæ non solum amicos, sed etiam vsq; ad ipsos inimicos.* Affirmans reliqua omnia opera euacuari, vbi odium non derelinquitur, vbi iniuria non dimittitur. Et meritò: nam quid te iactas in pauperes tua distribuere, si te ipsũ non das Deo? nunquid tua vult Deus an te? te vult, non tua, & nisi cum tuis te des, tua non acceptat. Quod illis verbis palam docuit Matth: 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,* & quæ sunt Cæsaris? nummi, quia insculptam habent Cæsaris, imaginem. Quæ verò sunt Dei? anima tua, quæ Dei impressam tenet similitudinem. Si ergo dederis Deo imaginem Cæsaris, & diabolo imaginem Dei, quomodo Deus tale munus tuum acceptabit? Erras ô miser peccator, & millies erras: corrupti enim iudicij est, plus pecuniam æstimare; quàm iustitiam qualis ergo rectitudo erit illius iusti iudicis, si ad tribunal eius te accedentẽ; peccatis onusto, & corde maleuolo, pecunijs tamen onerato, vt pecunias accipiat, teq; absoluat immeritum. Concludit citatus Auctor, *Accipit plane Deus pecuniam, & eleemosynis delectatur, ea tamen ratione, vt vnusquisq; peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat illi animam suam: nã quænam fratres iustitia est, vt aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam Deo offerat, & animam suam diabolo per iniqua opera tradat.* Despicit ergo Deus pecuniam, quia est vile quid, solã animam appetit, quâ nihil pretiosius.

S. Eligius

Matt: 22

Dices, vera hæc omnia esse, sed rem prorsus difficilem humano modo loquendo, iniuriam susceptam dimittere, præsertim homini nobili, & claro. Verùm, vt facile dimittas, vt in fratrem tuum non insurgas, vt etiam læsus non irascaris, accipe modum ex D. Basilio homil: de ira, qui expendens mansuetudinem Dauidis, dum contra maledicentem Semei non irasceretur, licet contumeliosa in eum dicta, & facta iactasset, ad verba probrosa etiam lapides adiungẽs, 2. Reg: 16. *Quamobrem cùm audisset se virum sanguinum, & iniquum vocari, minimè succensuit, sed tolerando sese humilem reddidit, ac meritam sibi infligi contumeliam putauit: ex quo duo tibi ad custodiendam animi constantiam traduntur. Primum, ne te rebus magnis parem, dignumue iudices, deinde neminem valde infra tuam esse dignitatem, atq; æstimationem putabis.* Considerate antidota, & eorum agnoscite virtutem, cur nõ dimittis lacessitus iniuriam? quia ob iniuriam fremis illatam; & cur fremis? quia rebus magnis non iniuria te dignum reputas. & cur non vis dimittere? quia lædentem infra te, te verò supra illum æstimas, tu te, quasi Deum, & illum vt vilem homũcionem reputans. Hinc ardor, hinc animus in fremissiuus.

2. Reg: 16.

Verùm ne longius excurram, rẽ vnico scripturæ sacræ exemplo concludo, 2. Reg: 10. Miserat Dauid Rex legatos ad Regem Ammonitarum, quos ille contra ius gentium, summè dehonestans, eorum barbas derasit, vestes præscindens, quo nulla illis

2. Reg: 10.

la illis temporibus ignominia maior. Quod enim maius poteſt eſſe dedecus, quàm homini ſplendido, & ingenuo euellere barbam, dimidiare veſtes vſq; ad nates, præſertim cùm teſte Lyrano, nullus tunc Hebræis, exceptis ſacerdotibus, femoralium vſus fuerit. Quos pro tanta iniuria Deus in manus Dauid tradidit, vt eos penitus contereret, ad ſummãq; eum prouehens gloriam fecit, vt auferens diadema Regis Ammon, *de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, ſuo capiti imponeret.* En quantus, en qualis triumphus? qualiſq; de inimicis Dauid vindicta? vultis ſcire, quo hoc tempore Deus fecerit? quando nimirum Dauid eius inimicus erat, quando actu cum Bethſabea verſabatur, quando adulter, actu fundens ſanguinem innoxium, tũc in ipſomet bello Deus pro illo pugnabat. Imò multi graues Auctores opinantur, Regem Dauid non priùs ad Deum conuerſum fuiſſe, niſi poſt expletam Ammonis Regis vindictã, nec priùs Nathan Prophetam ad eum veniſſe, niſi poſt triumphi gloriam. Si ergo Deus pro Dauid, qui tunc eius amicitiam diſruperat, fœdè contra illum peccans, adulterans, occidens, pugnabat inimicos eius debellans, hoſtes deuincens, copias armãs, viresq; militibus præbens, & quaſi grande peccatum Dauidis non vidēs. Si inquam Deus per naturam ſanctiſſimus, ita benignè cum inimicis procedit. tu homo cùm ſis, quomodo Dei exemplo illis non benefacies à

Apud Hebræos ſoli ſacerdotes femoralibus vtebantur.

A Deus immenſus te inimicum diligit, ac benefacit licet impio, tu impoſſibilem inimicorum beneuolentiam dicis, cùm ſis impius; quemadmodum illi. *Priùs te impium dilexit Deus*, dicit S. Auguſtinus in Gloſſa, *qui nunquam fuit impius, tu, quem & ſi iam non es impius, fuiſti tamen aliquando, quia nemo ſit iuſtus, niſi ex peccatore.* Imo Deus impio pro te parcit, & ne te lædat, ſuo benefacit inimico, & pluit illi, ne tibi pluuia deficiat, & ſolem ſuper illum oriri facit, ne tibi occidat: B tu autem pro Deo tam bono inimicũ tuum diligere non vis? nec bene facere his, qui te aliquãdo iniuriarunt, cùm pro te, & amore tui Deus etiam ſuis inimicis benefaciat.

S. Auguſtinus.

Audiſtis iam cur Deus velit prius nos reconciliari proximis offenſis, quàm ſibi munera offerri, in primis quia illi magis eſt accepta concordia, & amor proximi, quàm oblatio. Deinde, quia plus æſtimat ſalutem noſtram, quàm ſuum honorem. Tãdem, quia vult nos ad ſuam charitatẽ C venire per charitatem proximi. Igitur ſi vultis ſecuri ad altare Dei accedere, deponite omnem iram, omnia odia ex animis veſtris, & tũc Deus veſtras oblationes reſpiciet. Diligite veſtros inimicos, & diligemini à Deo, eiuſq; gratiâ & benedictione copioſè replebimini.

❀❀❀
❀❀❀
❀

DOMI-

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN, CONCIO PRIMA.

Si dimiſero eos ieiunos in domum ſuam deficient in via. *Marci. 8.*

Septem panes proponuntur ad reficiendam famelicam hominis animam.

Miſericordia ĩter diuina attributa excellit.

INter omnia Dei attributa, Principatum mihi tenere videntur; Liberalitas & Miſericordia: per illa enim ſuam inexhauſtam oſtentat magnificentiam, dùm ſæpenumerò plus elargiri ſoleat; quàm poſtulatur; vt palam fiat, plus decere Deum; quàm mortalis infirmitas auſit rogare. Sic olim petijt Abraham à Deo filium hæredem, ſed maius & excellentius donum obtinuit, quia & Filium obtinuit, ſed talem; ex cuius proſapia Chriſtus etiam naſceretur. Geneſis 15. Intercedebat Iacob Patriarcha, vt natu minimum Beniamin quem obſidem pro frumento in Ægyptum mittebat, reducem adhuc videre poſſet, annuitq; votis eius diuina potentia, quando cum obſide ſimul fratrem eius Ioſephum, paterno conſpectui & amplexibus exhibuit Geneſis 26. Orabat Fidelis Tobias, vt diuina prouidentia filium eius ſaluum reduceret; Dominus inſuper effecit, vt nõ tantùm ſaluus rediret, ſed etiam diues, & vxoratus. Tobiæ 5. & 10. Iudith poſtulauit à Deo, vt ſolueret obſidionem Ciuitatis; nec tamen id ſolùm præſtitit Deus ſed & Holofernẽ exercitus ducem, in manus eius dedit, vt proprio hoſtis gladio capite eum truncaret. Iudith: 9. Anna Elcanæ vxor, petijt filium à Deo, & non tantùm filium, qualemcunq; ſuſcepit; ſed filium Samuelem, inſignem Virum, Sanctum, & Prophetam

Gen: 25

Plus Deus præſtat quã rogatur

Gen: 26.

Tobiæ 5

Iudith: 9

A magnum 1. Reg: 1. & 2. Deniq; bonus Latro in Cruce poſtulauit à Chriſto Domino, vt memor illius eſſet in regno ſuo. *Memento* inquit *mei dùm veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. Chriſtus Dominus non ſolùm ſe memorem geſſit. ſed inſuper regnum Cæleſte eodem die Latroni pollicitus eſt. Et vnde obſecro tanta munificentiæ vis Chriſto Domino, vt ad vnam poſtulantis latronis vocem, vltra votorum magnitudinem, dona ſua ſtatim elargiretur? Putarem fortaſsè cauſam eſſe, quòd Latro ille opportunam occaſionem ad poſtulãdum eo tempore nactus eſſet, quæ plurimum refert ad obtinendum poſtulatum. Poſtulauit enim tunc, quãdo flammeus gladius ad ianuam Paradiſi appoſitus, à Chriſto remouebatur, ideoq; facilè votis ſuis fruſtratus non eſt, quemadmodùm teſtatur D. Cyrillus lib: 17. de adoratione. *Auertit* inquit *Dominus gladium qui nos inde arcebat, liberq; eſt deinde credentibus ingreſſus, ipſo omnia in priſtinum ſtatum inſtaurante.* Poſtulauit, quando clauis crucis cælorum ſeras reſerabat. ideoque illum tunc ad ianuam pulſantem, Chriſtus in Cæleſte regnum facilè admiſit: Si enim Reges mundi, eo potiſſimùm die, quo poſſeſſionem regnorum capiunt, pecunias effundere & egentibus ſe liberales præbere conſueuerũt, quid mirum, quòd Chriſtus Dominus, poſtulanti Latroni, eò die, quo poſſeſſionem regnandi acciperet,

B

C

Latronis in cruce Oratio vndè efficax.

S. Cyril:

Psal: 9. (annuente vate Psal: 9.) *Regnauit à ligno Deus*, liberalem se exhibuit? Quandoquidem & ibi iam Latro personam Latronis exuerat, & Petri assumpserat, Dei Filium liberè confitens, quem antea malitiosè homicida negauerat. Nihilominùs ego veriorem inuenio rationem, cur Deus petentibus sè tàm munificum præbet. Quia ad ostentandam suam magnificentiam, ampliora præmia largiri vult; quàm creatura audeat postulare. Si enim refert de Alexandro Plutarchus, quòd cùm Perillus ab illo exiguum pecuniæ pronubendis filiabus peteret, & ille quingenta eidem talenta donauerit: Perillo dicente, *decem esse satis* respondisse Alexandrum. *Satis erit tibi id accipere, sed mihi non satis est tibi donare, quia Alexander daturus est vt Alexander.* Sic planè nobis omnibus, satis est accipere quod petimus; sed Deo dare non est satis, Deus enim daturus est vt Rex Regum, & Dominus Dominantium de quo dicit Paulus Ephesiorum 3. *Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus*. Sed & misericordia non minus commendat Dei prouidentiam; quando Paternum animum erga mortales semper gerere eum demonstrat. quod apertè innuit hodiernum Euangelium, Deum summoperè sollicitum fuisse ostendens, circa turbam, vt eam nullatenùs ieiunam dimittere voluerit. Quòd hodiè ponderabimus Deo inspirante, considerando quid nos ieiũos & defectuosos in via mortalitatis huius facit, & quali pane nos reficit diuina prouidentia.

Licet diuina attributa sint eiusdem mensuræ, hoc est eiusdem perfectionis, & infinitudinis; tamen frequenter adeò mortales Dei misericordiam in subleuandis suis miserijs experiuntur, vt ad miserendum maiorem ei inesse propensionem, quàm certè ad iudicandum aut puniendum, vnanimi consensu fateantur. Quod eleganter admodùm exaggerat regius vates. Psalmo 114. inquiens: *Misericors & Iustus Dominus noster miseretur.* Quasi apertè diceret. Iustus quidem est Dominus, verùm duplo misericors; quia maiora sæpius suæ misericordiæ, quàm iustitiæ indicia exhibet, ideoq; & ipsi gentiles licet Dei vnitatem in essentia, non cognouerint; eius tamen misericordiam optimè perceperunt. Nam refert Pausanias apud Athenienses fuisse aram præstantissimam misericordiæ dicatam, quam specialiter ex omnibus alijs, frequentiùs, & maiori religione vniuersus colebat populus. Ex quo palam est, misericordiæ diuinæ attributum, adeò apud omnes nationes splenduisse, vt illud etiam gentiles in caliginosis errorum tenebris degentes, luculenter agnouerint. Ad quòd comprobandum existimat Seneca inuentam fuisse à Pòetis fabulam, quæ fingebat Iouem vniuersum deorum senatum consulere solitum, cùm de plectendis hominibus ageretur; cùm autem eis miserendi vrgeret necessitas, nemini consilium communicasse, præterquàm sibi ipsi; quo facto euidenter edocemur, Deo ad puniendum tarditatem, ad miserendũ verò propensionem summam inesse. Nam quod fabulosi illi auctores ferunt. Iouem ad mittendum in terras fulmina sua, priùs aliorum Deorum consiliũ postulasse. Nonne hoc ipsum præstat omnipotens Deus noster, qui etiamsi sit ipsissima sapientia, nulloq; consilio indigeat, dicente Propheta: *Quis consiliarius eius fuit?* Isaiæ 41. & tamen noluit Sodomam euertere, quousq; priùs Abrahamum consuleret; licet alioquin puniendi illam iustissima esset occasio. vtq; hoc suppliciũ differret Deus, adijt domum Abrahæ, ibique non exiguo tempore commoratus, rei quam cogitabat certiorem reddidit Abrahamum; non secus ac si consiliarium eum adhibere vellet: mille tentando modos, vt miserendi viam aliquã inueniret, & quod re ipsa misertus non sit, id non Dei voluntate, sed sua ipsorum iniquitate accidit: tanta enim illo tempore iustorum penuria erat, vt inter omnes nec

Ephes. 3

Deus ad miserẽdum prõptiss. simus.

Psalm 114

Ara misericordiæ apud Athenienses.

Iuppiter emiserendo nullum consilium iniit

Isaiæ 41

Deus de punienda Sodoma Abrahamum consuluit.

ne decem inueniri potuerint. Sed quid opus amplioribus documentis? an non hodiernæ turbæ liberalem & misericordem se nimiùm præstitit Deus? cùm nullatenùs ieiunos homines illos dimittere vellet, sed panes solicitè quæreret: quibus eos reficere posset.

Mirantur hic Doctores, quid causæ, quòd adeò misericordem se Deus turbæ illi præbuerit in reficiendo. Nonne magis congruum erat, vt potiùs fatigationi illorũ hominũ, per triduum doctrinam eius indefesso animo audientium compateretur? Nonne magis consentaneum, vt potiùs iniuriarum cæli rationem haberet? & cùm turba illa, præ ingenti solis æstu, sudaret; stans non modicam pateretur molestiam? vt inquã potiùs de commodis diuersorijs, nõ de cibis: de lassorum quiete; non de conuiuio cogitaret? sed nihil horum opus erat. Nam quos Christi aspectus recreabat, vmbra quoq; eius de sacratissimo corpore simul in circumstantem proiecta turbam, mirificè eosdem refrigerabat, vt nullam omnino vrentis solis iniuriam sentirent. Non erat opus quiete & somno, quia verbum Dei quo omnia fundata sunt, quos fideles & cupidos sui auscultatores videt, fortiùs erigit, nec vllam sentire debilitatem in corpore permittit. Sed ne ieiunus in via deficeret homo, hic iam singularis Dei prouidentia, laborare debuit, ad quã pertinet, vt omnia, quæ verbo Dei facta sunt, conseruet & nutriat. Non decebat igitur clementiam & bonitatem diuinam, vt ieiunos dimitteret homines illos. Quandoquidem nullus grauior esurientis morbus est, nulla miserabilior afflictio; quàm fames. Hæc enim omnium calamitatum caput est, & quorumuis cruciatuum genere duriorem homini adfert finem; In alijs namq; periculis vel ensis cuspide citò interibit; vel ignis impetus vitam breuiter extinguet; aut ferarum dentibus membra statim discerpta intereunt, quæ quidem morienti dolorem minimè protrahunt; At famis diuturnius malum, ocius, torquet, lentiùs tabescit, sensim occidit. Naturalem nãq; humorem absumit, calorem refrigerat; innatam ac vegetam corporis habitudinem deterit, vires paulatim debilitat, ossibus caro velut araneorum tela cohæret, coloris flos deficiente sanguine refugit, Albedinis splendor è summo corpore discedit, & pallor ac liuor insurgit. Genua infirma ac per vim tracta conspiciũtur. Vox tenuis & imbecilla, oculi infirmi in suis cauis, non secus thecis reconditi, quàm in putaminibus nuces visuntur. Ossa tantùm pelle operta, venter vacuus ac collapsus tumore, viscerumq; solita productione caret, ac dorsi tantum ossibus sustentatur & hæret. Vt proinde, qui miseram hanc corporis fame enecti faciem conniuens præteriret, dignus esset omni pœnâ, omne crudelitatis genus promereretur? inter immanissimas feras connumerari tanquàm execrãdus hominum interfector dignus esset. Nam qui morbo periculoso dũ liceat, non occurrit, eadem quâ ille, qui sibi ipsi manus infert, pœnâ multandus est. Graue proinde malum, est, ieiunum hominem non reficere. Nam quid deficientem fames non coget? Quæ naturæ leges sæpenumerò peruertere ac transgredi multis suadet, & quod grauissimum, etiam hominum corporibus atq; propinquorum vesci non rarò vrget. Fames enim molesta, Matrem quem pepererat natum impulit in ventrem malè recondere. Quam Tragœdiam Iudaica commemorat historia à Ioseppho graui auctore conscripta, quando videlicet diræ calamitates Ierosolymitanos, pœnas iustas propter impietatem in Deum dantes apprehenderunt; Perpendebat hoc prouidus vniuersi Deus, idcircò licet plerumq; alia prætereat humana incommoda, esurientes clementer respexit, & super ieiunam turbam misereri voluit, vt edoceret Christianos, quanti apud Deum sit meriti esurientem pascere. Nam & in extremo

Vmbra Christi turbam in deserto protegebat.

Fames omniũ malorũ durissima.

Fames ad edendũ carnem humanam impulit

Fames quid efficit in corpore humano

tremo iudicio, vbi iustos clementer alloquetur, ordine primum, & quasi cæteris honoratiorem, qui pauperē nutriuit accerset: & qui panem fame pressis administrauit, ante omnes promouebitur? & qui liberalis in egenos erat, præ alijs omnibus in vitā præmittetur. Misericordem se Deus præbuit hodiernæ turbæ, vt & nos hoc Dei præcipuum imitemur attributum. vt inquam egentibus concedamus parua, si magna recipere cupimus, vt soluamus veteris culpæ reatum, per exigui cibi pauperibus communicationem. Sicut enim malè edendo, maleq; cibo vtendo, Adā peccatum intulit: sic nos in fame laborantibus per cibos opitulando, à peccatis soluimur. Neq; enim Christus Dominus alia de causa adeò se liberalem hodieruæ turbæ præbuit, nisi vt nemo quantumcunq; peccatis onustus, de diuina misericordia desperaret; sed ad thronum misericordiæ confidenter adeat, miseriæ suæ subleuationem recepturus, quod pulchrè exaggerat Arnoldus Abbas tractatu de 7. verbis vt habetur tomo 6. biblioth: Sanctorum Patrum, in hæc verba prorumpens: *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas diuina clementia; sit qui inuocet, erit qui exaudiat, sit qui paniteat, non deerit qui indulgeat.*

Misericordiæ præmiū in extremo iudicio.

Arnold:

Sed eccur Deus tàm facilè mortalium compatitur miseriæ? quare tàm citò egentibus succurrit, & miseretur? Crediderim ego causam esse hanc vnicam, quòd probè Deus cognoscat infirmitatem, & fragilitatē humanæ naturæ, quæ post lapsum primorum Parentum, procliuior multò facta est ad malum. Hoc motiuum diuinæ misericordiæ insinuat Dauid Psalmo 102. dicens: *Misertus est dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; recordatus est quoniam puluis sumus.* Paraphrastes verò Chaldæus vertit: *Quoniam ipse nouit fomitem prauum, qui peccatū, suggerit.* quasi palam fateretur, Deo manifestum & exploratum est, per omnes nos peccati fomitem grassari, qui ad peccandum excitat & stimulat; quòd egregiè declarauit Timoratus Iob cap: 4. inquiens: *In Angelis suis inuenit prauitatem, quantò magis qui habitant domos luteas, quæ terrenum habent fundamentum, consumentur velut tinea.* Vbi Vir iste S. comparat potentiam perfectionis Angelicæ, cum fragilitate humana, in hunc modum: si fortissimæ Angelorum acies corruerūt, quanto, magis luto & palleis contextæ hominum domus flante tentationis vento, aut ingruēte suggestionis pluuiâ decident? cùm inferiùs superaddat Iob. *Consumentur à tinea:* vbi celebrem methaphoram tangit ad humanam imbecillitatem detegendam. Nam quemadmodùm tinea nascens ex ipso ligno, instar filij viperæ eius viscera corrodit: ita fomes peccati, in nobis originali labe infectis nascens, quantum est ex se, nisi diuinâ gratiâ impediatur, spirituale humidum radicale absumit, quo nos infirmiores & ad superandas difficultates imbecilliores reddat. Atq; hinc est, quòd D. Gregorius lib: 5. Moralium cap: 9. ea ratione autumat, hominem & non Angelum apud diuinam clementiam, misericordiam inuenisse, quia Angeli peccatum fuit ex malitia, hominis verò ex fragilitate. Hanc & non aliam famem, in hodierna turba deprehenderat Saluator noster. Videbat illos homines flagrare desiderio audiendi verbum Dei; sed mentes eorum peccatis simul grauatas cernebat, spectabat procliuitatem sequendi Deū; sed & mundi voluptates sectandi, nō minorem eis inesse cupiditatem agnoscebat. ideoq; noluit illos ieiunos dimittere, donec & pœnitentiâ corda contereret, & gratiâ animas reficeret. Nam qui sine hoc nutrimento ieiunus abit in domum suam, quæ est mors temporalis, ita in decurrendis Christi semitis deficit, vt ampliùs erigi non valeat. Non igitur ieiuna corporis membra, sed mētes potiùs famè pressas voluit Dominus reficere. Nam ieiunium corporale hominem magis corroborat, sed

Iob:

S. Greg:

Peccatū Angeli fuit ex malitia, hominis ex fragilitate.

Psal. 102

Chald:

Fames. in anima humana ex defectu gratiæ.

sed ieiunium mentis penitùs eundem extinguit. Quia homo corporis ieiunium ob amorem Dei tolerat, quod nocere nequaquàm potest; anima verò nonnisi ex defectu Saluatoris gratiæ & spiritualium donorum famem pati solet. O quam frequenter in præsentis vitæ via deficiunt conuersi ad Deum peccatores, dùm in sua conscientia sine cælesti pabulo dimittuntur; qui ne lassentur in huius peregrinationis itinere, pascendi sæpiùs essent sacro pane: septem enim panibus grauem hanc famem, Deus ex mentibus hominū euellere solet. Quemadmodùm dicit hodiernum Euangelium, *septem panes distribuit illis & saturati sunt omnes.*

Marci 8

Primus panis, domum sapientiæ.

Primus panis ad sedandam Animæ famem est donum sapientiæ, hic panis adeò necessarius est hominibus, vt sine illo ieiuni penitùs deficiant. Aristoteles sapientiam altissimarum Causarum notitiam esse dixit. Altissima verò causa vnica est tantùm, Deus præpotens, hunc nosse, perfecta sapientia est; vt dicitur sapientiæ 15. *Nosse te consummata iustitia est, & scire iustitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Deficit homo sine hoc cælesti pane, quia sine cognitione Creatoris, pecus & irrationabilè quoddam animal fit, nec aliud illi pabulum conuenit, nisi terrenum, tanquam noctuæ, & talpæ cæcutienti in cognoscendo Deo ideoq; vt differamus à pecudibus, panem sapientiæ nobis Deus obtulit, vt in hoc pane gustando, eum cognoscere incipiamus. Insipiens enim & verâ sapientiâ carens, Psal: 52. dixit. *Non est Deus*: Quid est? Ergo ne Deum ignorabat vir ille insipiens? Peccatum Auditores insipientem illum fecit, & ita oculos mentis eius excæcauit, vt licet non ignorauerit Deum esse, putabat tamen illum non videre hominum scelera, ac proinde peccare in conspectu eius non erubuit, dicens: *Non est Deus*, scilicet vindex delicti & vltor seuerus iniuriarum. At verò hominem Christianum decet ante omnia Deum scire, illum quotidiè cogitare, coram ipso contremiscere, nec agere quidpiam impudicum audere. Refert Cyrillus Alexandrinus, cùm in Græcia iactu retis piscator auream tripodem multis pretiosisq; lapidibus ornatam extraxisset. Consultum oraculum fuisse, cuinam tantum munus dari oporteret? quo respondente, *detur sapientiori*; ad Biantem Philosophum, qui reliquos præcellere putabatur, munus delatum erat, qui postea illud Cleanti, hic Periandro misit, atq; ita ad reliquos Græciæ sapientes cùm peruenisset, communi omnium consensu decretum fuit, vt omnium causarum Principi, tanquàm verum eius signum deferretur; sicq; ex aurea tripode; Græciæ sapientes venati sunt Dei notitiam. Quid aliud nobis Piscator Vniuersalis Ecclesiæ Beatus Petrus, iactu retis sui in verbo Christi extraxit, tripodem certè auream, quam ad nos omnes misit, vt ex illa tanquā vero signo, tria in Deo cognoscamus: scilicet; sapientiam infinitam. Quâ ille omnia comprehendit, & Præsentia, & Præterita, & Futura. Ac proinde si scelus aliquod Sodomiticum in occulto patrasti; nec te commissi delicti pœnitet, quod præterierit, meminisse debes, quòd & hoc in occluso commissum facinus Deus videat. Nam omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Si & nunc aliquid indecorū facis, nec quidquam erubescis, quasi Deum id videre dubites. Meminisse debes, saltem in templo illius tituli, quod Abraham ad erectum altare posuerat, *Dominus videt.* Si deniq; impudenter quidpiam te acturum cogitas. Ne hoc Deum latere puta; in tripode enim tres nodi simul existunt, & in Deo tàm præterita, quàm præsentia & futura simul lucent, dicente Psalmista. *Qui finxit oculum & aurem quomodo non videbit aut non audiet.* Vbi diuus Isidorus lib: 1. cap: 6. de summo bono dicit. *Amplius videt Deus quàm linx cauto visu muros penetrans, intensius quàm argus plurimis oculis undequaq; prospectans.* Hanc tripodem

S. Cyrill: Alexan:

Tripos aurea à piscatore inuenta.

Deus sua sapientia omnia intuetur.

S. Isidor:

Peccatū hominē insipientē facit.

Psal: 52. & 13.

auream Deus Abrahamo quoq; ostéderat, cum se in personis trium Angelorum eidem spectandum ostenderet, vt non tantùm ex hac tripode sapientiam Dei; sed etiam benignam eius patientiam agnoscamus, quod nobis scriptura inculcat Iudith: 8. Iudith: 8 *Quia patiens est* inquit *Dominus in hoc ipso pœniteamur, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus*; quasi diceret; per hoc quia Deus patiens est, ne differas ô homo pœnitentiam de die in diem: ne adijcias peccatis peccata, non post tergum ponas ipsius iustitiam, sed eo patiente, tu indulgentiam postula, dicit enim Beatus Isidorus, S. Isidorus. libr: 2. cap: 13. *Per id deteriorantur plerumq; iniqui, quòd per patientiam Dei, spatium non accipiant emendandi; quòd morâ viuendi non vtantur ad pœnitentiã; sed potiùs ad peccandi vsurpent audaciã. A malo verò in deterius vadit, qui tempus sibi ad pœnitendum indultum, ad libertatem praui operis vertit.* Reficit adhuc mentem hominis, dono sapientiæ Deus, vt in illo cognoscamus quoque potentiam in puniendis peccatis; Eccl: 12. vt docet sapiens, Ecclesiast: 12 *Impijs & peccatoribus reddet vindictam*. non dicit punier, sed reddet vindictã, vt ostendat seueram Dei iustitiam, quòd non qualicunq; modo peccatores puniturus sit; sed cruciatibus æternis, nisi resipiscant? sed ecce salubre medicamentum, ad occurrendũ tàm asperæ pœnæ nobis datur, donũ sapientiæ. vt agnoscendo Deum seuerum vindicem delictorum, nos corrigamus, & præueniamus iudicium Dei, quod suadet Propheta Psal: 2. Psal: 2: *Apprehendite disciplinam ne quandò irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Nam qui ieiunus est in hoc Dei sapientiæ dono, citò deficit in via.

Secundus panis est donum intellectus.

Secundus panis ad reficiendos homines ieiunos ne deficiant. Est donum intellectus. Nam licet homo cum sit animal rationale, habeat intellectum proprium; in cognoscendis tamen rebus supernaturalibus nimiùm debilis est, ita vt illas ex se nõ tantùm percipere; sed ne attingere quidem valeat. Quid enim est aliud hominis ratio, dum profunda tentat percurrere mysteria, quàm linter angustus & fragilis, vastis diuini Oceani gurgitibus agitatus? Quid nostri ingenioli conatus, dùm gestit diuina prospicere, nisi audax parui culicis, aut scynyphis volatus, qui altiùs solito se tollere nixus, ventorum flatibus arreptus in terram deijcitur? Animalis igitur homo non percipit ea quæ Dei sunt, nisi donum intellectus, hoc est, lumen sibi diuinitus infusum habeat, temporaneam vanitatem ostendens fugiendam, & summam Dei bonitatem suadens amplectendam. Hoc pane refectus Diuus Augustinus lib: 9. Confessionum. Cap: 1. S. Aug: efficaciam eius his verbis exarat. *Quam suauè mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudiũ Eijciebas enim eas à me vera tu & summa suauitas, eijciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior; Sed non carni & sanguini: Omni luce clarior; sed non iam sedenti in tenebris; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Asperum proinde ieiunium est, sine dono intellectus: absq; illo enim homo non cognoscit continuam pacem inter Angelos, omnimodam concordiam inter beatos, singularem vnionem inter corpus & animam, quam non agnoscens minimè curabit, cùm ignoti nulla sit cupido. Agnouit hoc perbelle D. Augustinus, & ideò dono intellectus refici summopere postulabat lib: 15. de Trinitate cap: vltimo inquiens. *Coram te Domine est* Idem: *firmitas & infirmitas mea: illam serua, istam sana: coram te est scientia & ignorantia mea, vbi mihi aperuisti suscipe intrantem, vbi clausisti, aperi pulsanti.*

Panis tertius est donũ consilij.

Tertius panis quo Deus ieiunos in hoc mortalitatis itinere reficit, est donum consilij, cum enim status hominis sit summè periculosus, vbi perpetuò iniquitas pugnat cum iustitia? ebrietas insequitur temperantiam; superbia infestat mansuetudinem; falsitas odit veritatem. ideo rectum homini consilium necessarium est, ne à virtutibus ad vitia deflectat.

Triplex

Triplex autem consilium homini necessarium est, ne deficiat in via meriti; primum, vt fugiat mala, hoc est, vt peccata detestetur, non timore supplicij; sed amore Dei dicit enim D. Isidorus lib: 2. Cap: 21. *Qui amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum, amplectendo iustitiæ bonum, nec cum delectat peccatum, etiamsi sceleris impunitas promittatur. Qui verò sola pœnâ supplicij in se vitia reprimit, quamuis non expleat opus peccati, viuit tamen in eo voluntas peccandi, dolet q; sibi esse illicitum, quod lex prohibere dignoscatur. Ille ergo mercedem boni operis percipit qui amando iustitiam facit, non is qui cum solo metu pœnarum inuitus custodit.* Alterum Consilium homini necessarium est, vt bona & benè operetur, hoc est; vt homo postquàm diuinâ gratiâ erectus est à peccato, vitam suam corrigat, & hosti scilicet; vitio terga vertens, bono quod ex Deo illi est, solidiùs adhæreat. Hoc ingeniosum antiquorum symbolum præfigurabat. Formauerant illi quondam gallum, ad cuius partem stella micans erat, & apposita inscriptio. *Nec minor inde fama est.* Quo symbolo exprimere voluit, requisitam in homine dispositionem, ad actionem bonam. victus enim gallus tacet, victor verò cantat. Sed tamen dum tacet, cogitat de victoria, & vires reassumens, nouo feruore fortiùs insilit, & victorem fugat, nec minor indeilli fama succrescit, dùm loco victorem mouendo, infugam conuertit. Sic planè, cùm homò post conuersionis gratiam viram suam corrigit, ad virtutes & Dei obsequium reuertitur, non minorem inde meretur laudem: tertiũ homini consilium necessarium, vt oculos suos humiles, non superbos, timoris & spei, non præsumptionis & audaciæ, sæpiùs figat in Deo, vt dicitur Psal: 24. Psal: 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse eripiet de laqueo venantium pedes meos.* Eleuãdi igitur sunt sæpiùs ad Deum oculi nostri humiles, vt ille paternè nos aspiciens, sperantibus & postulantibus bona necessaria distribuat.

Consilium triplex homini necessarium.

Gallus Symbolum dispositionis requisitæ ad actionem bonam.

Quartus panis est donum fortitudinis.

Quartus Panis ad reficiendos viatores, est donum fortitudinis: peregrinantibus enim & ad Deum tendentibus, necessarium est robur ad superanda tria obstacula grauissima, scilicet ad resistendum & fugandum hostem animæ. Vt dicitur Iacobi 4. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* ad superandum mundi fallaciam, vt dicitur Iacobi 4. *Quicunq; ergo voluerit* Iacobi 4 *esse amicus seculi huius, inimicus Dei cõstituitur.* demùm ad comprimendã carnem, quæ tria impedimenta nullatenùs homo vincere potest, nisi dono fortitudinis muniatur, quo destitutus deficit in via, & qui debebat esse fax beatitudinis, fit vmbraculum inferni, seruus insanientis mundi, at q; mancipium carnis.

Quintus panis est donum scientiæ

Quintus Panis, quo Deus in via ieiunos reficit, est donum scientiæ: scientiam autem veram non alia de causa Deus homini dat, nisi vt per illam tria in hac vita diligenter consideret. Imprimis enim homini seriò cogitandum est, vnde venerit, quid erit? nec enim melior, nec vtilior, nec fortunatior hominis cogitatio esse potest. Nam dùm homo vilissimũ sui principium, scilicet terram & Cineres considerat, non potest se in vanam superbiam efferre, quæ est ruina omnium virtutum, sed humilia semper meditatur, & Deo grata. Mirabile quidpiam scriptura refert Exodi. 9. Quod Moyses dùm proijceret cineres versùs cælum, tantus fuerit exortus fætor, vt nemo eum ferre posset. Exod: 9. Quid aliud cinis iste figurabat, nisi hominem sese tumidè iactantem; dùm enim cinis iste sese vltra statum suum effert ad cælum, adeò fit odibilis Deo, vt subitò plaga fætẽs & intolerabilis animæ accedat. Alterum verò & hoc dono scientiæ cõsiderare debet homo, scilicet quod iturus sit ad arctissimam considerationem, totius vitæ nostræ, vt dicitur Sophoniæ 1. *Scrutabor Ierusalem* Sopho: 1. *in lucernis & visitabo super viros defixos in fæcibus suis*, quod manifestiùs explanatur Matt: cap: 12. *De omni* inquit Matt: 12 *verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent*

reddent rationem in die iudicij. Si ergo A de his, quæ nullum hominem offenderunt, ratio requiretur, quantò magis de verbis inhonestis? cogitationibus impudicis? manibus sanguine plenis? oculis adulterij cupidis? tẽpore in iniquitatibus consumpto? Ac proindè dono scientiæ opus est, vt per illud fæpiùs consideremus peregrinationis nostræ miseriam, recogitemus annos præteritos cum amaritudine animæ nostræ, recogitemus vitæ humanæ pericula, fragilitatem propriam, & in hac fælici considera- B tione vsq; ad extremum perseueremus.

Sextus panis est donum pietatis.

Sextus Panis ad reficiendos ieiunos, est donum pietatis. Necessarium quippe est homini, vt per opera pietatis sibi amicos faciat, qui eum & in periculis huius vitæ protegant, & in iudicij discrimine tueantur. Vera autem pietas in tribus potissimùm consistit, scilicet; in dando, cõmodando, & condonando. Pietas in dãdo consistit, ne alienæ miseriæ subuenire, negligamus, atq; ne rationis C participes, brutis crudeliores efficiamur. Si enim ouium greges vnum & eundem pascunt montem, equorum multitudo eundem campum, & singula fermè hoc modo inter se victum necessarium mutuò suppeditãt; quantò magis nos decet, vt quæ sunt communia, propria ne faciamus; & quæ multis debentur, ne soli possideamus. Sed vt crescat nobiscum misericordia, vt in manus pauperum thesauros eleemosynæ deponendo, mercedem recipiamus. Consistit D hæc pietas & in commodando, vt sine spe vsuræ aut lucri, egentem iuuemus: his enim solùm promittitur retributio, Matt: 6. *Mutuum date nihil sperantes & erit merces vestra multa.* Matt: 6. Consistit eadem pietas & in condonando; Est enim præcipuũ quoddam pietatis opus, dimittere à quo læsus fueris, vt proinde frustra homines se excusare possint, quasi non habuerint, quod in pauperes erogarẽt. Est enim semper quod impertiaris, si non pecuniam, saltem gratiam; immo est hæc maxima pietas, dimittere iniuriam proximo, vt tibi quoq; Deus dimittat.

Septimus panis, timor Dei

Septimus quoq; Panis ad reficiendos homines ieiunos, est timor Dei, hoc pabulum proponit homini Apostolus Lucæ 12. *Timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam.* Lucæ 12. Vidit Beatus Ioannes Apocali: 20. Thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugiebat cælum & terra. Apocal: 20 Dei hæc erat præ- B sentia, cuius eminentiam Angeli cõsiderantes tremunt & omnis creatura expauescit; hunc & homo semper timere debet, vt & ab infernali infelicitate liberetur, & beatitudinis efficiatur particeps, quia hoc solis timoratis promissum est. Ecclesiast: 1 Eccle: 1. *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis* ne igitur & nos fames in anima premat, & ne ieiuni deficiamus in via, dùm adhuc peregriamur à Deo, ipsum qui sedulam totius vniuersi prouidentiam gerit, obsecremus; vt nos reficiat pane sapientiæ, scientiæ, & intellectus, consilij, fortitudinis, Pietatis, & timoris vt corroborati hoc pane, iustè & timoratè, per omnes mortalitatis vias incedendo, & hic dùm viuimus, per communicatam nobis sapientiã, Deum agnoscamus, velut in speculo; & post felicem decessum eundem facie ad faciem videre mereamur, Amen.

EADEM DOMINICA
CONCIO SECVNDA.

Vnde illos quis poterit hic saturare Panibus in solitudine. *Marci* 8.

Sola Dei liberalissima manus omnibus hominum necessitatibus succurrere potest.

AD tantum iam immensa Dei bonitas apud homines deuenit cõtemptum, vt omnia potentem magnæ impotentiæ ipsimet arguant Apostoli, dùm illi in saturandis quatuor millibus hominum defectum panis obijciunt. Sed quæ tanti causa dubij cælestes incolæ? iam vnum Saluatorem ex ore Petri proclamantis Deum cognouistis, *Tu es Christus Filius Dei viui.* diuinam tamen illi potentiam negatis. Respicite Iudæos, desperauerunt illi quoque de Panibus in deserto. Matt: 15. *Vnde nobis in deserto Panes?* Et tamen per quadraginta annos manna cælitus misso B saturati sunt; Intueamini iustum Danielem, coniectus ille erat in lacum Leonum, quod idolum Bel adorare nollet, desperauerat iam Rex Darius, de eius salute, nam in lacu erant septem Leones, & dabantur eis quotidiè duo corpora, & duæ oues, & tũc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem. desperauerat inquã Rex, ne per sex dies si non à Leonibus, saltẽ à fame interijsset. Venit ergo, Rex die septimo, vt lugeret Danielem, & ecce & ibi non est Deus oblitus C Danielis, sed per Habacuc Prophetã ex Iudæa in Babylonem misit illi panem, quo saturaretur; clamauit Habacuc dicens: *Daniel serue Dei tolle prandium, tolle prandium, quod tibi misit Dominus.* Danielis vltimo. Morabatur Paulus Eremita in Eremo, & ibi tamen ex misericordi manu Dei panem à Deo quo vesceretur accepit. Eia inquit *Deus nobis prandium misit verè pius, verè misericors.* Id circò ostendam nos in hac vita velut in solitudine quadam commorantes non D nisi panibus à solo Deo multiplicatis, & benedictis saturari posse.

Apostoli cur dubitabant quatuor millia hominũ à Christo refici posse.

Mirantur Doctores Ecclesiæ, cur Apostoli tot iam miracula Christi videntes, dubitauerint an Christus posset quatuor millia hominum in deserto reficere? siquidem viderant iam antea ab eodem quinq; panibus hordeaceis ad mare Tyberiadis, quinque millia hominum saturata; adeò, vt de fragmentis quæ supererant, duodecim cophini implerentur. Sed reuerares mysterio non caret; agno-

uerant antea in Christo diuinam virtutem; nondùm tamen immensam eius in homines misericordiam perspicere poterant? viderant omnipotentem; sed non intellexerant clementem fore; hodiè dubitant, non quòd eius omnipotentiam ignorent, sed vt per nouum miraculum firmissimè iam edocerentur, Deum humanæ indigentiæ semper præsto affuturum, etenim Deus quò maiorem illius in se affectum cognoscat homo, tunc potissimùm diuino suo auxilio adiuuare illum solet, cum humana præsidia deficiunt, per quod spes mortalium magis erigitur in illum, vt sine vlla formidine firmiter credant, se etiam in vltimo discrimine ab illo non desertum iri. Comprobat hoc S. Chrysosth: in Matth: cap: 15. *Non in prima* inquit *die neque in secunda miraculum fecit, sed expectauit vt omnibus consumptis, indigentiâ coacti, maiori admiratione prosequerentur.* S. Chrysost: Deus humanis defectibus non statim succurrit.

Ac proinde quoties Deus differt hominis succurrere defectibus, facit hoc vt hominem dubitantem ex omni incredulitate eripiat, & in maiorem de sua clementia spem attrahat. Pulchrè hoc Iosephus in sua historia illustrauit, vbi inquirit causam, cur Deus quando Iudæos per Moysen in desertum eduxit, per integros triginta dies fame illos premebat, nec priùs illis manna de cælo pluit; quàm triginta diebus elapsis, *quia* inquit, *quãdiu farina, quàm ex Ægypto sustulerant, durauit; tam diu miraculo diuino opus non erat, quia tunc non Deo succurrenti, sed potiùs suæ industriæ, beneficium sibi oblatum populus attribuisset.* Ioseph: Vult enim Deus vt priusquàm succurrat, appareat nostra indigentia & necessitas, ne alteri quàm ipsi præstitum adscribamus auxilium, testatur id sacra pagina 4. Reg: 4. Conspirauerant duo Deus in defensionem susannæ Danielẽ suscitauit. senes libidinoso vulnerati amore, aduersùs innocentem Susannam, vt eã coram humano iudicio mortis condemnarent, cumq; credidit eis multitudo, quasi senibus & iudicibus populi, condemnauerunt illam ad mortem, & ecce tunc primum cum defi-

ceret humanum consilium, nec vllus reperiretur, qui obiectam castissimæ mulieri calumniam falsitatis argueret, Deus suo miraculo præsto illi affuit. Cumq́;(inquit scriptura Danielis 13.) duceretur ad mortem, suscitauit Deus spiritum Sanctum pueri Junioris, cui nomen Daniel, qui exclamauit voce magna: *Mundus ego sum à sanguine huius.* Nunc primum cùm iam desperata salus esset Susannæ, cùm iam omnem spem suam in solo Deo collocaret exclamans, Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, tu nosti, qui falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cum nihil fecerim horum. Daniel infanti suo labio à Deo soluto, & separata vtriusq́; senis, inquisitione, & minimè secum concordante responsione, falsitatem testimonij aperuit, vbi exclamauit omnis cætus voce magna; *& benedixerunt Deum qui saluat sperantes in se.* Magna proinde cura est Domino de suis Creaturis, Psalte diuino loquente, *Dominus sollicitus est mei;* quod Augustinus in eundem Psal: scribens vertit. *Deus curam habet nostri,* vbi subijcit. *Qui* inquit *curam tui hbet antequàm esses, quomodò non habebit curam, cum iam es, quod voluit vt esses?*

Daniel: 13.

S. Aug:

Cæterùm quemadmodùm Philosophi docent, quòd instrumentum semper in virtute causæ principalis operari debeat in finem & bonum ipsius. Sic planè homo cùm sit diuinæ potentiæ naturale instrumentum, per quem Deus suam mundo notificare voluit maiestatem, si in suis necessitatibus diuinæ prouidentiæ præsidium experiri vult, in eius semper virtute operari debet, atque in finem & bonum ipsius, idcircò ne miremini Auditores. Si toties in nostra afflictione, licet inuoçemus Dominũ, patrocinari tamen nobis recusat, quia non in eius virtute operamur, sed in mundi; nostra potiùs quàm diuina spectando; ideo dicit Chrysost: *Ne cures tua, sed Deo ea permitte, nam si satagis, tanquàm Deo satages, si verò dimittas, Deus prouidebit.* Non operamur in virtute Dei, quoties in firma aduersus Deum spe, & fiducia hæsitamus. Augustl: lib: 1. soliloq:: cap: vltimo. *Constanter Deo crede, eiq́, totum te cõmitte, quantum potes, nihil tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit etiam si nescias.* Non operamur in virtute Dei, quoties præcepta eius transgredimur? Iosue 23. *Custodiamus solicite animas nostras, & cuncta quæ legis sunt.* Non operamur in virtute Dei, quoties iustitiam lædimus, quemadmodùm dicitur Michæ 6. *Ostẽdam tibi ô homo, quid sit bonum & quid Deus requirat à te.* Vtiq́ue facere iudicium & Iustitiam, & solicitum te ambulare cum Deo tuo, id est; diuinam in cunctis explorando voluntatem, & illi pro suo posse obsequendo. Non operamur in virtute Dei, quoties nostram agnoscendo indigentiã, toto corde ad illum non confugimus; Deus enim proijcere non debet beneficium, sed dare; quod non nisi precibus, teste Seneca emitur. Idcircò non priùs Apostolos iuuit in mari periclitantes; quàm ad illum clamarẽt, *Præceptor perimus.* Lucæ 8. Sed quicunq́; ad illum puro corde confugiũt, atq́; suas actiones tanquàm vera instrumenta in bonum illius, scilicet in gloriam dirigunt, vbiq́; illum præsto sibi adiutorem habent. Secesserat in exilium Propheta Elias propter suam Prophetiam, quam ad excitandum in hominibus Dei amorem, & cultũ prædicauerat, & ecce à coruo pastus est in sua in edia 3. Reg: 17. Proiectus erat Daniel: in lacum Leonum, sed quia ob inuocatum verum Deum, pulte Habacuc refocillatus est. Danielis vltimo. Detenta fuit in carcere per duodecim dies S. Catharina Virgo & Martyr, sed quia propter Christi fidem, ab vnica columba sustentabatur. Scitu quoq́; dignum memorat Æmilius lib: 4. historiæ Francorum, & Tyrius lib: 6. belli sacri cùm mouente Deo per Sanctum Bernardum anno 1098. Christiani profecti essent ad recuperandam terram sanctam, cumq́; Athiochiæ extremâ victus in ediâ laborarent, non in

S. Augustinus.

Iosuæ 23

Lucæ 8.

Elias à coruo pascitur

Æmilius

Homo est instrumẽtum diuinæ potentiæ.

S. Chrysosth:

in Dei honorem laborantibus necessaria deessent, rore suauissimo Cælitùs misso confortati sunt, quo consperssi ita quisq́; fatigati corporis & animi vigorem recepit, quasi nihil laboris & molestiæ toto itinere passus esset. Nec certè tantùm circa hominem prouidentiæ suæ gratiam Deus diffundit, verùm etiam vilissimis animalibus in eorum necessarijs subuenire solet. Augustl: tract: 24. in Ioãnem. *quis enim & nunc pascit vniuersum mundum, nisi ille, qui de paucis granis segetes creat.*

S. Aug:

Scribit Isidorus tom: 1. orat: 50. quòd Alcion maris auicula, in littoribus maris soleat nidificare, ouis in ipsa arena expositis, mediâ hyeme, quo tempore magnæ tempestates & congelationes maris fieri solent, nihilominus tamen diuina prouidentia ita huic auiculæ fauet, vt per integros septem dies, quamdiu fouendo oua pullos non excludat, tranquillè quiescant omnes fluctus maris: nec dum satis est diuinæ munificentiæ? concedit & alios septem dies, in omni tranquillitate maris, donec pulli crescant. Similiter Plinius scribit de coruo, cùm is parturit suos pullos, quia dissimiles sibi videt in colore: candidiores enim paulo tunc apparent, tunc deserit illos, & tamdiu nullum illis pabulum porrigit, donec plumæ eorum omnimodam nigredinem induant, vbi diuina prouidentia, in cuius manibus ab æterno omnia descripta sunt, cælesti rore pascere illos solet, teste Psalmista. *Qui dat escam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Si ita Dominus circa vilissima animalia laborat, quid circa hominem illum laborare dicemus? quem non solùm creauit, vt cætera animantia, sed pretioso suo sanguine redemit. Non deserit vllum, quisquis diuinam eius opem implorat Psal: 24. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur.* Comitatur hominem toto vitæ suæ cursu, peregrinãtem auxiliatrice sua dextera, fessum subleuans viatorem ne corruat, Deut: 1. *Portauit te Dominus Deus tuus vt solet homo paruulum gestare filium, in omni via quam ambulasti, donec venires ad locum istum* Affligit te caro ad terminum suum corruptionis, per mundi corruptelas declinans? diuina prouidentia clypeum castitatis præsto tibi ponit, vt præsentem cum auxilio Deum spectans, mortiferas mundi illecebras faciliùs euites. Premit te paupertas? diuina prouidentia, ne in tàm graui pressura corruas, æterno præmio te solatur inquiens: *Beati pauperes quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Instat fortis tentator, quem interdùm reprimere admodùm difficile est, & ecce diuina prouidentia opitulatrices suæ gratiæ vires tibi subministrat, nõ permittens te adeò vehementer tentari, vt resistere non possis, sed potiùs efficaciter adiuuans, vt vincendo tẽtatorem triumphalem æternitatis lauream merearis 1. Corynth: 10. *Fidelis enim Deus est, qui non patitur quenquam tentari supra id, quod potest; sed* (quod summè mireris) *facit etiam cum tentatione proventum.* denique quidquid malorum tibi euenire potest, in illis ita te omnipotentia diuina subleuat, vt omnia mundi præsidia superare videatur. Chrysostho-mus supra Psal: 14. *Deus suum nobis nostræ salutis amatorem significaturus, gallinarum in nobis charitatem, patrum curam, matris misericordiam, sponsi amorem profert, non quia tantùm duntaxat amat; sed quia maiora istis alia non sunt apud nos amoris argumenta.* Magnum fecerat miraculum Elisæus 4. Reg: 4. Viduæ cuidam, quæ cũ mortuo marito, à creditore debita exigente, opprimeretur, nec haberet quo soluere posset, nisi duobus filijs, clamauit ad Elisæum dicens: *Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia fuit timens dominum, & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum, quis poterit illos de manu eius eripere.* tunc Elisæus misertus præcepit illi, vt acciperet mutuò à vicinis omnibus vasa, clausoq́; ostio, parum olei, quod domi habebat, in omnia infunderet. & ecce tot vasa gutta olei imple-

Pullos corui Deus pascit.

Psalmo 135. v. 25.

Psal: 24

Deut: 1.

1. Cor: 10.

4. Reg: 4

Viduæ pauperi oleum multiplicauit Deus.

Diuina prouidentia extremedium optimũ contra omnia mala.

S. Chrysostho:

impleuit? quo vendito & creditori A soluit, & de reliquo cum filijs suis vixit. Fecit & aliud miraculum quãdo fames exorta fuit magna, dùm centum viros, viginti chordeaceis panibus saturauit? sed respicite quæso hodiernum Christi miraculum, qui septem panibus quatuor millia hominum ita abundè satiauit, vt septem sportæ fragmentorum remanerent? Vnde tanta fertilitas fuit abũdantiæ in Panibus Elisæi? 4. Reg: 4. Ibidem. *Posuit itaq; coram eis vt comederent, qui comederunt, & superfuit.* Sed hoc Propheta impetrauerat precibus à domino. *Hæc dicit* inquit *Dominus comedent & sapererit.* Christus verò potestatem suæ excellentiæ, ita septem panes auxit, vt turba hominem id operantem, Deum inuisibilem in corpore visibili cognosceret. S. Aug:: Augustinus Tractatu 24. in Ioan: *Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur, mens & exhibitũ oculis, vbi exerceretur intellectus, vt inuisibilem Deum, per visibilia opera miraremur, & erecti ad fidem, etiam ipsum inuisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus in- C uisibiliter nosceremus.*

Quare cum tanta sit fæcunditas in Christi manibus, vt exigua quæq; in immensum augere possit, qui aperiens manum suam, implet omne animal benedictione, tantùm illius beneficium ne spernemus, sed in omnibus pressuris, quæ nos vndiq; circumstant, & in omni nostra egestate, ad illum clamemus. *Quis nos poterit hic in solitudine saturare, nisi tu Deus noster.* Ne desperemus & in vltimo discrimine, quia desperationis D peccatum omnium grauissimum est, eò, quòd opponatur virtuti Theologicæ, quæ omnibus moralibus præstat, & ideò qui desperat non facilè auxiliatorem Deum habere potest. Gen: 4. Desperauit Iudas inquiens. *Maius est peccatum meum, quam vt merear veniã.* Nec ampliùs diuino adiutus est auxilio. Desperauit Caim occiso Abele, cui licet Deus vitam prolongauit, addens ad illius vitam, annos Abelis, nec tamen auxiliatricis dexteræ Dei sensit opem. Quicunq; autem in domino confidunt semper ab illo ex omnibus malis liberantur. Confidit in eo Ioseph, cùm inordinatum libidinis appetitum reginæ, in aula Pharaonis repudiaret, malens illi indignationem grauissimam inferre; quàm offendere Deum. *Quomodò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Gen: 39 Sed propter Gen: 39. istam fiduciam, non tantùm Deo opitulante ex omni periculo ereptus est; verùm etiam princeps totius regni à Pharaone constitutus. Confidebant in illo tres pueri, quos fastuosus Nabuchodonosor ob non adorationem statuæ in fornacem ignis ardentis inijcere iusserat. *Deus noster quem colimus potest nos eripere de Camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex liberare.* Daniel: 3. Danielis 3. & ecce in medio flammæ, quæ illis subtracto Dei concursu minimè potuit nocere, Deum laudando illæsi exierunt. Confidite & vos Catholici, ex omnibus periculis imminentibus, & de omni indigentia vestra facile per manus Christi liberandos. Sed discite simul ex tanto eius miraculo in pauperes misericordiam, inquit enim S. Cirillus lib: 3. in Ioan: Cap: 18. *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur, quantò plura dabis liberaliter ac misericorditer: tanto tibi plura largiùs confluent?* fæcũdissimus enim ager est manus Christi, in his manibus orbis appensus est, in his terra benedicta vberes fructus parturit; in his omnis abundantia inclusa est. vis in tuis bonis fæcunditatem, conijce eleemosynam in manus pauperum, quia isti sunt manus Christi, & multiplicabuntur in nobis omnia, quæcunq; optamus. Ad te igitur iam ô diuina prouidentia confugimus, tu & in periculis da fortitudinem; & in egestate frugum abundantiam; & in fame saturationẽ & in tentatione victoriã, & in tuo obsequio perseuerãtiam, & actionibus humilitatem, & in meritis præmium æternum, Amen.

E A-

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA,

Manducauerunt & saturati sunt. *Marci* 8.

Afferuntur rationes, quare Christus in deserto turbam panibus, liberaliter reficere voluerit.

Verbũ Dei melius quã cibus sustentat hominẽ

MIrum, quòd Christus Dominus turbam famelicam in deserto panibus & piscibus vsq; ad satietatem reficere voluerit, cùm solo suo omnipotenti verbo eos sustentare posset. Nam in quo est Dei Verbum, ibi fames nulla; sed plena saturitas. Ascenderat Moyses in montẽ, nullum secum deferens cibum; & tamen ibi mansit quadraginta die- Exod: 23 bus & quadraginta noctibus. Exodi 23. *Septima autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis.* Ex quo autẽ Dominus cæpit loqui cum Moyse, non ampliùs esuriuit ille, sed Verbo C Dei refectus potuit tot diebus manere sine materiali cibo. Rem hanc eleganter tractat Rupert: in citatum Rupert: locum scribens. *Quasi autem quæreres: Quomodò tamdiu duravit homo sine cibo? septimo autem die inquit, vocauit eum Dominus de medio caliginis. Fuerit hoc omnino humanæ possibilitatis, quòd præ auiditate cælestium epularum, sex diebus panem non comedit, & aquam nõ bibit. Caterum, nisi septimo die illum Dominus vocasset, natura hominis in semetipsa residens in breui penitus aruisset. Vocauit ergo illum de medio caliginis, cuius vox suauis ac super mel, & fauum est dulcis, & vocatione sua sic inopem hominis naturam ditauit, vt vsq; ad quadragesimum diem non solùm cibi, & potus; sed & totius humanæ conditionis posset obliuisci.* Cur ergo Dominus Iesvs, de reficienda turba, quæ solùm triduo non comederat, adeo solicitus fuit? præsertim cùm nullus astantis turbæ visus esset, qui cibum requireret. Quippe omnes intenti erant verbis Domini Iesv, quibus nullum alium cibum requirebant. Quomodò ergo non est veritus ne cibo illo saturati ad luxuriam deflecterent. Sic quondã clamabat Nòé, diluuium iam iam præ foribus ostendebat; & tamen homines illius temporis non cognouerunt, nec crediderunt, nec vllam diligentiam fecerunt, quo à dolendo illo excidio liberarentur. Et cur adeò cæci, atq; surdi in re tanti discriminis permanebant? Respondet Euãgelista Matt: 24. *Quia erant comedentes, & bibentes, & nubentes, & nuptui* Matt: 24 *tradentes vsq; ad eum diem, quo intrauit Noé in Arcam.* Vnde dùm præ manibus haberent cupiditatum fructus, minimè iram Dei venturam æstimabant. Sic fatur D. Chrysost: Homil: S. Chrys: 2. in Epist: ad Colossenses. *Vnde* inquit, *erat illorum incredulitas? Ex animo delicato, & molli. Bibebant, & comedebant, & propterea non credebant.* Quid loquar de Iudæis? Ducebat Dominus plebem illam Israëliticam per desertum sub Austri flatu, seueriori inquam disciplina, & grauioribus instituțis illum coercens, carnium esũ, C delicias, & superflua vitæ oblectamenta denegans, vt paternum erga illos animum, honestatis, & rectitudinis eorum percupidum cohiberet. Nam vt dicit Seneca lib: de prouidẽ- Seneca. tia cap: 2. *Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat: & operibus inquit, doloribus ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata; nec labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum il- D læsa felicitas, at vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit.* At verò rudis & ingratus ille populus languere per inertiam, & carnibus saginatum vitijs succumbere; quàm aduersus illa strenuè, & fortiter dimicare volebat. Hinc cælestè manna, Angelorũ scilicet panem fastidiens, carnibus Psal: 77 vesci: & saturari concupiuit: *Et tentauerunt Deum, in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis.* Quid autẽ Dominus? sanè tantæ ingratitudini infensus, illud eis grauissimum supplicium intulit, vt largiter concede-

ret iratus, quòd strictè denegabat o- A
Num:11 propitius. Num: 11. v. 31. *Ventus egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit; & immisit in castra, &c. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum, decem coros.* Videte, quẽ tantæ abũdantiæ, tantarũq; deliciarũ finẽ habuerunt Iudæi? subdit pag: sacra: *Adhuc carnes erant in dẽtibus eorum, neo defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis: vocatusq; est ille locus sepulchra concupiscentiæ.* Ecce felicitatis, & abundantiæ finem? Ecce quem in locum concepta, consecutaq; vota desiêre? nimirum in mortem, atq; sepulchrum. Hæc est felicitatis, & hæderæ natura, quæ quos amplectitur, strangulat. Hoc Regius Vates ex ventorum similitudine assecutus est. Psal: 77. v. 28. ita loquens de Deo irato, desideratas Iudæis carnes, & concupitas
Psal: 77 coturnices dante. *Transtulit Austrum & induxit in virtute sua Africum, & C pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Quasi diceret: commutauit, transposuitq; ventos, atq; eum, qui illis sub tristi specie opportunissimus, & saluberrimus erat, remouit, totoq; eiecit; illum verò, qui leuissimè, & blandissimè spirans, ipsis maximè exitialis erat futurus, vt infensos sibi grauiter plecteret, *in virtute sua*, S.
S. Hier: Hieronymus legit, *in fortitudine sua*, id est, potentiæ suæ vi, & conatu adhibito, loco eius induxit, & pluit su- D per eos, sicut arenam carnes, & volatilia pennata. Id est, pluit super eos ad faciem quidem delicias, votorum assecutionem, felicitatem; in rei autem veritate mortem, sepulchrum, & perditionem. Hinc Venerabilis
Drogo. Drogo profundè id penetrans, Deum in hunc modum orat: *Ne pluas super nos coturnices Domine, desideria carnis nostræ, quæ non nisi duobus cubitis leuantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus Sancti.* Quasi diceret: ne pluas super nos sicut puluerem carnes, quia caro puluis est, & in puluerem deducit. Ne pluas sicut arenam maris volatilia pennata, quia gaudet edacitas, pennulas mouet. Sed mox in arenam maris conuertitur; gaudet luxuria, modicum volitat, sed mox in arenam maris transit. Omnis enim dulcedo carnis in amaritudinẽ finit, modicum leuat infelicem animam; sed mox eandem in arenam aggrauat. Cùm ergo res adeo inquieta sit felicitas, cùm satietas panis ad omnia mala impellat hominem, meritò hodiè considerabimus, quare
B Christus Dominus turbam famelicã in deserto, ita liberaliter panibus ac piscibus voluit tractare.

Quod Christus Dominus ita liberaliter turbam in deserto tractare voluerit, reddit ipsemet rationem in hodierno Euangelio, inquiens: *ecce iam triduo sustinent me.* Palam fa- Marci 8.
ciens, bene operantibus, & in se confidentibus nunquam suam prouidentiam deesse, propterea, quod meritis debeatur præmium, & iustis operibus merces. Ergo quia triduò do-
C ctrinam eius audiens turba, credens omnia, quæ docebat, iam fidei meritum inchoauerat; ideo vt studium illud pietatis approbaret, copiosè eã tractare voluit. Hinc est, quòd cum Deus totus sit misericordia, & in hoc maximè procliuis, vt misereatur; ideo Christus Dominus nostro prouidens bono, hoc nobis consilium dedit, vt semper & vnicè id solùm peteremus, quod est conforme diuinæ voluntati iuxta illud Matt: 6. *Si-* Matt: 6.
cut in cœlo & in terra. Sollicitior mul- D
tò de nostra salute, quàm nos ipsi, vt ingeniosè obseruat Abbas Isaac apud Isaac.
Cassianum Collat: 9. sic pronuntians: Abbas.
Hoc quoq; nemo dicere ex affectu præualebit, nisi is solus, qui Deum credit, omnia quæ videntur, vel aduersa, vel prospera, pro nostris vtilitatibus dispensare, magisq; eum pro suorum salute, & commodis prouidum, atq; sollicitum; quàm nos ipsos esse pro nobis. Quasi diceret: Christus Dominus sollicitus est non solùm pro spiritualibus nostris commodis, sed etiam pro temporalibus: non pro necessarijs tantùm, sed etiam pro cõmodi-

moditatibus, vt scilicet commodè v- A
nusquisq; viuat pro decentia sui status; si vir nobilis, non viliter, si infimæ conditionis, non nimis splendidè.

Huius rei luculentissimum dedit
Exod:11. nobis documentum Deus Exodi 11. v. 2. quando præcepit Moysi: *Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea.* Quo fine? nunquid hæc ad victum necessaria? nequaquam: sed quia ad ornatum deseruiebant. Pronidit ergo Deus commodo Iudæo- B
rum, vt quia ingenui erant, non exirent de Ægypto tanquam serui, simulq; eorum infirmitati consulens, & concupiscentiæ seruiens, concessit, vt libentissimè exirent. Ait S.
S. Greg: Greg: lib: 28. Moral: cap: 17. *Pio, iustoq; moderamine, latenti eorum concupiscentiæ condescenditur, & vicinorum suorum vasis aureis, argenteisq; sublatis discedere iubentur.* Ex quo S. Doctor,
Homines gradatim ad perfectionẽ ducendi tale educit documentum, nimirum infirmas mentes gradatim ad perfe- C
ctionem esse ducendas, ne dum in principio nimis anguntur, perfectionem exhorrescant, statim verba hæc subiungens: *Hic diligenter considerãdum est, quòd mentes vsui vitæ carnalis inhærentes euelli ab infirmis non possunt, nisi gradatim ducta prædicatione proficiant.* Sic Deus eductis de Ægypto Iudæis ad montem Sina, quemadmodũ in Agypto alienum concesserat: ita, quasi iam in spiritu profectis eius cõcupiscentiam interdixit, præceptum ponens, non concupisces rem proxi- D
mi tui.

Verùm, vt magis adhuc elucescat, quomodò Deus non solùm nostris necessitatibus, sed etiam commodis prouidet, considerate Christũ turbæ in hodierno Euangelio compatientem. *Misereor* inquit, *super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.* Qualis obsecro fuit ista triduana sustinentia? an certè propter durum Christi ita iubentis imperium? minimè: imo propter summum præ- Matt: 15.
stitum beneficium. Ita disertè S. Matt: cap: 15. v. 30. *Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, IESVS autem conuocatis discipulis dixit, misereor super turbam &c.* O suauissimum Dei regimen! ipsam misericordiam, ac gratiarum profusionem, sufferentiam suam dixit.

Illud tamen stupendum, quod S. Christus plus cõmodo turbæ, quàm necessitati prouidebat.
Matt: loco citato addit: *Et dimitere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Quomodò poterant deficere, licet e- B
os ieiunos dimisisset? nunquid ita locus dissitus erat à vicis, à ciuitatibus, vt mutuo petere non possent, vt mendicare non valerent? Fateor mare Galilææ secus quod Christus tunc docebat turbas, parum distare à vicis, & ciuitatibus. Noluit tamen Christus ieiunos populos dimittere, quia licet commodato, aut mendicato viuere possent, nihilominus pius Dominus considerabat ibi aliquos ita timidos, vt nec commodato petere, C
aliquos ita verecundos, vt nec mendicare auderent; ideo non solùm necessitati, sed etiam commodo consulens, miraculum edidit, omnem suam potentiam mutans in misericordiam, non solùm benefaciendo, sed etiam sufferendo. Vnde fit, vt Deus dũ punit nomen Domini refugit.
cùm totus eius dominatus, atq; potestas in benefaciendo, & misericordiam profundendo consistat, Dominij titulum, ac nomen refugiat, quando vindictam sumit, quando malitiâ hominis adactus à se eum repellere cogitur. Profunde id obseruat Anastasius Sinaita, Patriarcha Antioch: lib: 7. Anagogicarum contemplat: Biblioth: Patrum tom: 6. ostendens Deũ post Adami è paradiso eiectionem. Domini nomen exuisse; & ideo autumat Euam, postquàm peperit filium, dixisse: *Possedi hominem per Deum*, non addendo, per Dominum Deum. Hinc citatus Auctor ita Iudæos
Gen: 4. alloquitur: *Quamobrem autem ô Iudæi: diuina scriptura quæ septem decim in capitibus consequenter in paradiso Deum duplici nomine nominauerat, & eum*

cum Dominum, & Deum appellauerat, statim post hominis è paradiso egressum, ipsum Deum appellauit, & non Dominum Deum. Et statim ipsemet respõdet, ideo tunc Deum Domini nomẽ exuisse ad demonstrandum, eorum qui extra Ecclesiam sunt, tantùm Deum esse, id est, inspectorem, & iudicem; eorum autem, qui intra illam, & Dominum, id est, gubernatorem, ac benefactorem.

Consultius est frequẽter communicare.

Alteram rationem inuenio, quare Christus ita liberaliter turbam in deserto tractauerit: quia illis panibus, figurabat sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, in lege gratiæ instituendum, vt hac liberali tractatione, ad frequentem eius vsum homines alliceret. Consultius siquidẽ est, frequenter, quàm rarò communicare, vt expressè docet S. Thomas 3. parte q. 80. a. 10. & in 4. q. 3. dist: 12. a. 1. quæstiunc: 2. vnde S. Ambr: lib: 5. de Sacramentis cap: 4. dicit: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quotidie accipe, vt quotidiè tibi prosit, sic viue, vt quotidiè mereari accipere.* Qua de re aurea est sententia Cirilli Alexandrini in Ioan: lib: 3. cap: 37. qui postquàm dixisset, corpus Christi in Sacramento rationẽ vnionis vitam tribuere immortalem sic addit. *Quæ cùm ita se habeant, sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesia proficiscantur, & longo temporũ spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusẽt, ab æterna se vita procul repellere, quippe recusatio eiusmodi, quamuis, ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit, quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamẽtis, magno cum fiducia ad sumendam vitam concurrere.* Vbi S. Cyrill: simulatam religionem appellat abstinentiã à communione, propterea, quòd eiusmodi homines cùm reuera ipsi malè viuere appetant, libereq; in peccatis grassari, religionem simulẽt, quia horrent, & meritò frequenter communicare, ac peccare; & ideo quia peccatum relinquere detrectãt,

S. Cyrill:

A Ne etiam peccatores ex longa abstinentia publicentur, religionem simulant.

Quocirca egregiè citatus Cyrill: infert: *Variæ sunt diaboli, multiplicesq; ad decipiendum insidiæ; nam primùm ad viuendum turpiter inducit, deinde cùm malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Christi gloria iubet, qua possent à turpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate reuocari.* Præuidet sanè pessimus insidiator, quòd si frequenter homo accedat, ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, licet peccatorum habitibus onustus, non tamen cum actualibus, virtute huius sanctissimi Sacramenti, contra habitus posset effici fortis, & ab ebrietate vitiosa reuocari; ideo simulat religionem, vt hominem magis irreligiosum, magis maculatum constituat, ac tali abstinentia à sacra communione, eundem in sensum reprobum adducat, & damnationis æternæ reum faciat, Et quid his temporibus frequẽtiùs spectamus, ita vt prorsus astutiã infernalis serpentis deplorare cogamur, qui semper contra Deum militans, ordinemq; peruertens, ac sanctissimis illius legibus obsistens; quemadmodùm illi à principio restitit, & homini in paradiso suasit, vt contra Dei præceptum cibum vetitum sumeret, vitam illi diuinam ex tali esu promittens; ita nunc quando Deus panem Eucharisticum nobis instituit, vt quotidiè sumeretur, mortem interminat si edatur, vtrobiq; mendax, vtrobiq; perfidus. Nam sicut in paradiso vitam homini eripuit, & mortem induxit ex esu; ita nunc ex sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti abstinentia idem damnum intendit. Quod videns Christus noluit ex deserto homines ieiunos dimittere, ne deficerent in via, panem Eucharisticum significans, quem dum homines diaboli astutia non edunt, certũ sibi interitum parant.

Mille artes diaboli ad decipiendum hominem

Hoc indicare voluit Salomon Prouerb: 9. inquiens: *Sapientia ædificauit sibi domũ, excidit columnas septẽ. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & pro-*

Prou: 9.

posuit mensam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia. Quænam sit hæc domus, quæ columnæ, quæ arx, quæ mœnia à diuinæ sapientiæ manu parata, varij variè interpretantur. Aliqui intelligunt naturam humanam Christi, quæ dum formaretur in vtero MARIÆ, facta est domus ad quiescendum, & arx fortissima atq; munitissima ad pugnandum. Ita Guarricus Abbas Serm: de Annunt: inquiens: *Ex Maria sapientia ædificauit sibi domum, & in ipsa paravit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptauit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, vt & domus et sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primò tabernacul um fuit ad pugnandum.* Nihil enim in natura Christi apparuit primò, quàm tabernaculum ad pugnandum, & expugnandos Dei inimicos. At verò communis sententia sanctorũ Patrũ, qui domum hanc intelligunt, Ecclesiam sanctam. Sed illud difficultatem auget, nimirum *Excidit columnas septem*; quæ enim sunt istæ columnæ, adeo firmæ, & stabiles, vt non nisi per manum ipsiusmet incarnatæ sapientiæ excidi, potuerint? Communiter enim columnæ Regiarùm solent non per manus Regis, sed per manus artificis excidi, ac dolari. Cur ergo necessariũ fuit, vt in ædificatione domus Ecclesiæ, eius columnæ non per alias manus; quàm per manus ipsius Regis, ipsius incarnatæ sapientiæ, ipsius Domini IESV excider entur?

Guarricus Abbas.

Prædicatores Euangelici sunt columnæ Ecclesiæ.

Rationem hanc opinor esse: quia istæ columnæ sunt Euangelici prædicatores, qui excidendi erant à possessione, & amore sæcularium rerum: in eoq; firmandi, vt per mundi abnegationem diuino seruirent ministerio; propterea nullis alijs manibus, nisi solius IESV excidi poterant. Ita discurrit Salonius, dùm ait: *Quomodò ergo excidit sapientia columnas? Excidit sanè columnas; quia mentes prædicatorum ab amore præsentis sæculi, velut à sua lapidicina separauit, & ad portandam eiusdem Ecclesiæ fabricam erexit.* Ne miremini, quòd vbi excidendæ essent humanæ mentes ab amore sæculi, tanto operi per se institerit ipsa incarnata sapientia, ipse Dei Filius IESVS. Hoc olim vaticinatus fuit Isaias cap: 11. his verbis: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Quomodo obsecro puer paruulus præficitur tot feris regendis? solent pueri agniculos, & vitulos ducere communiter; sed lupos, pardos, leones, etiã vir robustus tractare non valet. Quomodò ergo non potius viri strenui assignantur, qui leonum, pardorum, & luporum greges inter oues ducant, sed puer paruulus ad hoc munus eligitur? Audite mysterium, puer hic paruulus ille est, qui paulo minus, quàm Angeli minoratus est, qui solus efficere potest, ne brutæ, & ferę hominum mentes mundialibus pascuis inhærent, sed euolent ad sublimia cælorum. Profunde id ponderat. S. Greg: lib: 2. Ezech: hom: 6. ita scribens: *Puer ergo nos paruulus minat, quia is, qui paulo minus, quam Angeli minoratus est, per charitatem, quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mẽtem fixere non permittit. Vnde donus suis flagella permiscet, vt nobis omne, quod nos in sæculo delectat, amarescat, & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cæleste desiderium inquietè excitet.* Ecce solus puer IESVS, carnales, & feros hominum animos à mundo abstrahere potest, vt in sublimibus cœlorum æternæ quieti viuant, quos pane Eucharistico ideo liberaliter tractare voluit.

Isaiæ 11.

S. Greg:

Figuram istius mysterij precessisse video in Abrahamo, qui vt traheret in tabernaculum suum peregrinos, dicebat illis: *Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Cur non tauros, cur non vitulos, cur non altilia? Nimirum, iam tunc odorabatur Abrahamus efficaciam panis Eucharistici, qui validissimus omnium est ad attrahendos hominum animos. Hinc Christus Dominus Matt: 4. vocans Apostolos aiebat: *Venite post me, & faciam vos*

Gen: 18

Matt: 4.

am vos fieri piſcatores hominum. Cur quæſo piſcatores? ſcilicet, quia iam tunc meditabatur Dominus ſui corporis panem, qui verbi diuini hamo obuolutus, ineſcatum mundum ad Euangelium haberet. Dicit Petrus Chryſol: Serm: 28. *Venite, & faciam vos piſcatores hominum, vt vitalis eſcæ iactu, vt hamo cœleſtis verbi de mortis gurgite animas ad lucem tollerent ſempiternam.* Quid elegantius dici potuit? vbi hamus diuini verbi paratur, qui capiat homines, apponitur illi Euchariſtiæ diuinæ eſca vitalis, & mox de huius cibi efficacia ingens hominũ multitudo ad vitam trahitur. Quo reſpiciens Oſeas Propheta dicebat cap: 11. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & neſcierunt, quòd curarem eos in vinculis charitatis.* Vbi Ruffinus, per *vincula charitatis* intelligit paradiſum, plenum ſpontaneis epulis, quæ à ligno vitæ, & à cæteris arboribus proueniebant, vt facile intelligamus, corpus & ſanguinem Dominicum, rectè vocari funiculos charitatis: quoniam in hoc auguſtiſſimo ſacramento exiſtũt ſpontaneæ, & largiſſimæ epulæ, quibus Redemptor noſter mundum ineſcat, & arctiſſimis vinculis ad ſe vniuerſos trahit.

Chryſologus.

Oſeæ 11.

Ruffin.

Verùm ſi diuina ſapientia domũ Eccleſiæ fabricauit, vt nos in ea pane Euchariſtico liberaliter tractaret, cur nos ad eam guloſitate quadam inuitare videtur Matt: 12. *Ecce prandiũ meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata, venite ad nuptias,* præſertim cùm voluptaria ciborum Deum ſibi aduerſarium teneant. Sic Numer: 11. clamabant murmuratores Iudæi: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrig, & cepæ, & allia.* Quid ergo Deus? miſit illis multitudinem coturnicum, ſed malo ipſorum Pſal: 77. *Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos.* Cur quæſo tãta Dei ira ſuper illos? An certè nefas adeò magnum erat deſiderare pepones, cucumeres, cepas, & alia? Vnde ergo horum deſiderium tantam ruinam peperit? Reſpondet Theod: in catena Græca: *Quod autem fuerit de impijs ſupplicium ſumere, quæ ſequuntur, apertè declarant. Non enim priùs ceſſauit incendium, & illi Ægypti memoriam repetunt, in his etiam quæ appetitum potius prorirent, quam naturæ ſatisfaciant.* Quaſi diceret: cupiebant miſeri non frugalia, ſed ſuperflua alimenta, non quæ Deus naturæ neceſſaria deſignauerat; ſed quæ homines quæſierant, vt appetitus proritarent, vt incenderent cupiditates; ideo non mirum, quòd ſeuerum Dei ſupplicium ſubierint.

Matt: 12.

Numer: 11.

Pſal: 77.

Theod.

Si ſic, quomodò ergo incarnata ſapientia dicitur, immolaſſe victimas ſuas, miſcuiſſe vinum, & propoſuiſſe menſam ſuam? Nunquid Dei regnum in eſca, & potu conſiſtit? vt carnibus nos inuitet, vt vino velit attrahere? vt ſcilicet agnoſcamus, quomodo Deus auarum hominem ad ſe attrahat, veluti & ipſe auarum ſe conſtituendo. Quomodò vt guloſum, ebrium, ciborum auidum, lucretur, ſeipſum vt ita loquar, quaſi pocillatorem inſimulat. Vidit ſanè immensùs Deus auidum hominem è paradiſo ob eſcam extorrem; ideo ad eſcas eum inuitat, ad potum, ſimulans ſe ijſdem delectari, velut homo. Hinc Chriſtus Dominus Lucæ 12. v. 37. in regno cœlorum conuiuia fieri aſſerit, quibus ſeipſum affirmat miniſtraturum: *Faciet* inquit, *illos diſcumbere, & præcinget ſe, & tranſiens miniſtrabit illis.* Quid ergo? ideo ne Deum epulis delectari, aut vino inebriari dicemus? Concedit libenter Dionyſius Areopagita Epiſtola 9. ad Titum, Deum inebriari, ſed ſuo vino. *Ipſe* inquit, *etiam bonorum omnium author Deus, ebrius eſſe dicitur, propter redundantẽ, & quæ mentem ſuperet, tantæ epulationis immenſitatem: vt enim in nobis in malo eſt ebrietas, & immoderata expletio, & mentis, ſenſuumq; dimotio; ſic etiam in bono in Deo ebrietas, nil aliud intelligenda eſt, niſi redundans ſecundum cauſam, præexiſtens in eo omnium bonorum*

Lucæ 12.

S. Dionyſius.

Deus ſeipſum multiplicat, vt peccatores conuertat.

Ebrietas in Deo qualis.

immenſitas. Hoc igitur vino Deus ebrius dicitur, epulis ſaginatus, quid ergo mirum, ſi nobiſcum etiam ea communicet, vt nos ea deſideremus. Nam ſi ſpiritualia nobis diceret, non intelligeremus, non appeteremus; ideo ſub carnalibus ea velans, ad menſam, ad carnes, ad vina nos inuitat.

Quod equidem verum eſſe facilè comperiemus, ſi attente ſcripturas ſacras reuoluerimus. Quid enim Deus aliud in Canticis fecit, nonne carnalem hominem ad ſe inuitauit? ſub corporalibus ſpirituales illas ſanctiſſimas obumbrans diuitias, eò quòd tunc homines corporales, & carnales eſſent. Quid in Regum libris, none ſuperbos? Quid in Machabæorum, nonne iracundos? militariſq; gloriæ cupidos? vt ſic ad humanas voluntates, imò voluptates multiplicatus Deus, vtq; homines ad ſe attraheret, eorum amore extra ſe quodammodò factus eſſe videatur. Ita concludit S. Maximus œconomicorum cap: 86. Biblioth: Patrum tomo 7. *Iuſto quoq; pro veritate dicendum eſt audaciter, ipſum videlicet Authorem omnium, honeſto, bonoq; cunctorum amore permotum, propter excellentiam amantiſſimæ bonitatis, extra ſe effici, creaturis omnibus prouidendo, ac bonitate, dilectione, & amore quaſi demulceri, nec non vi ſuperſubſtantiali, illum extra ſe rapiente, & nunquam deſerente, ab eo, quod ab omnibus, & ſupra omnia eleuatum erat, in id de primi, vt in cunctis eſſet.* Erudite profectò: Vis etenim ſuperſubſtãtialis amoris, ita Deum perſecuta eſt, donec eum ita deprimeret, vt in cunctis eſſet, omnibus omnia factus, ſpiritualis cum ſpiritualibus, corporalis cum corporalibus: propter quod & in deſerto panibus turbam reficere, & nos in Eccleſia ſancta, corpore & ſanguine ſuo liberaliter tractare voluit, quo nihil deſiderabilius, nihil ſuauius inueniri poteſt?

S. Max:

Tertiam rationem liberalis iſtius tractationis, video eſſe perſeuerantiam turbæ, ipſomet Chriſto reſpondente: Matt: 16. *Quia ecce iam tribus autem nunquam ſolet deeſſe diuina prouidentia, quæ maximè tempore neceſſitatis ſeſe prodit.* Legimus 3. Reg: 17. quòd fame inualeſcẽte, & torrente Carith: exareſcente, factus eſſet ſermo Domini ad Eliam dicentis: *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Videte, quanta Dei prouidentia erga Eliam, zelantem pro honore Dei, sẽperq; in hoc pio negotio perſeuerantem. Surrexit; & abijt in Sarephta cumq; veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitq; ei: *Da mihi paululum aquæ in vaſe & bibam. Cumq; illa pergeret, & afferret, clamauit pòſt tergum eius dicens: Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tua &c.* Quis Eliæ paſcendi gratia, hæc à diuina miſericordia, & prouidentia ordinata fuiſſe non fatebitur? Quoniã dum terra negatis imbribus ſterileſceret, fames ſæuiret, arida ſiccitate torrens Carith alueo vacuo potum negaret, corui eſcarum baiuli non apparerent, tunc Deus ieiuno Eliæ dixit: Hunc locum deſere, & confeſtim perge ad Sarephtam ſidoniorũ vrbeculam: *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Quam vbi primũ vidit, ab ea paululum aquæ petijt, & buccellam panis; paruo quidem cõtentus, & ſi longo itinere feſſus, latrante ſtomacho præ fame, & ſiti exæſtuans.

Matt: 16.

3 Reg: 17.

Et nihilominus rem altiùs perſcrutando, non ſoli Eliæ, ſed & illi mulieri, aquæ potum, & buccellam panis Prophetæ præbenti, Deus tũc prouidit. Hoc aſſecutus eſt Abulenſis ſuaingenij ſagacitate, qui in citatum locum 9. 24. concludit: *Dicendum igitur, quòd quanquam Elias iret, vt paſceretur ab iſta muliere, magis tamen ibat ad paſcendum eam, & in hoc Deus voluit benefacere iſti mulieri valde, pluſquàm omnibus viris ac mulieribus Iſrael. Nam ipſa iam conſumenda erat fame, cum filio ſuo, quia non habebat, niſi modicum farinæ.* Ergo arcana Dei prouidentia

Diuina prouidentia in neceſſitate non deeſt.

Abulen:

dentia, cùm videretur solicita esse de suo Elia pascendo, & ipse pergeret in locum, vbi alimonia ipsi prouisa erat, non minus sollicita fuit de muliere in dura fame conseruanda. Vnde dum Propheta paululum aquæ, & buccellam panis supplex petijt, ac hians accepit à muliere paupercula, & necessitate oppressa, non tam iuit, vt ipse à muliere pasceretur; quàm vt eam ipse pasceret. Nimirum pia hæc vidua egestate summa laborans, dum alacri animo paululum aquæ, & buccellam panis, ignoto ac famelico hospiti donaret, res è diuerso vices mutauit, & beneficentiam reciprocauit, atq; escas, quas apud se non inueniebat, sibi copiosè fecit. Addit citatus Abulensis: *Elias iuit, vt pasceretur abijsta muliere; magis tamen ibat ad pascendum eam.* Nam dum mulier frustulum panis libenter daret, perennantem farinæ fontem domi paratũ inuenit, lucroso pietatis fœnore. Adeò magnum est, virum sanctum patronum habere.

Ad comprobationem huius veritatis, præcipuum locum ex scriptura sacra huc adduco. 4. Reg: 13. *Eliseus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditq; ad eum Ioas Rex Israël, & flebat coram eo, dicebatq;: Pater mi, currus Israél.* Quid est? nonne multi currus erant potentissimo Regi, multi armati duces, qui apud hostiles gentes eius gloriam æternarent. Cur ergo in vno Eliseo, morente ita deflebat, quasi nullus iam triumphalis currus ei superesset, in quo posset se super hostes efferre. Ne miremini: sciebat probè optimus Rex, se à sancto Propheta plus gloriæ habuisse apud hostes, quàm à cæteris ducibus sui exercitus. Ait Iosephus lib: 9. Antiquit. cap: 8. *Cùm Eliseus ægritudinem incurrisset, venit Israëlitarum Rex visitare eum, & dum eum, in nouissimis inuenisset, flere cœpit eo vidente, & ingemiscente, patremq; & sanctum sui regni vocare; præter eum se dicens, nunquam contra hostes armis egisse, sed illius prophetia sine dimicatione vicisse, qui dum à vita discederet. Hæ-*

4. Reguz

Ioseph:

braos inimicis captiuandos relinqueret. Ita bonus Rex non ducibus fortissimis, sed vnius S. Prophetæ Eliseæi precibus, omnes regni fortunas, & victorias, & glorias acceptas referebat. Qui si mansisset in viuis; etiam sine armis, & ducibus, sperasset Rex glorificanda sua imperia.

Adduco in comprobationem huius veritatis historiam à Paulo Orosio conscriptam libro 7. cap: 36. cùm aduersus truculentissimum tyrannum Gildum expeditionem Mascezil pararet, ita scribit: *Igitur Mascezil, tam inde à Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimi oratio hominis per fidem Christi, à clementia Dei impetraret.* Caprariam insulam adijt, vnde secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis sũpsit: *cum ijs orationibus, & psalmis dies, & noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.* Agnoscite magnanimum Principem, qui in exercitu parando, nihil priùs curauit, quàm vel à remotis insulis sibi Dei seruos adiungere, quibus victoriam sine bello potitus, maxime exaltauit gloriam suam. Modum autem victoriæ obtentæ sic enarrat. *Tertio, demum die post noctem, orationibus, hymnisq; peruigilem ab ipsis cœlestium sacramentorum mysterijs circumfusum in hostem processit: & cùm ad eos, qui primi accurrerant, pia pacis verba iactaret, signiferum quendam insolenter obsistentem, & iam iamq; pugnam excitantem gladio percussit in brachio, eumq; manu debilem ipso vulnere cõegit pronum inclinare vexillũ. Quo viso reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum existimantes, certatim sese ad Mascezilem signis tradidere conuersis Barbari. Quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum destituti, in diuersa fugerunt. Gildo, & ipse fugam molitus, arrepta naui, & in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Africam est, post aliquot dies strangulatus interijt.* Nusquam ergo ita gloriosam victoriam reportârunt Principes de hostibus suis; quemadmodùm Mascezil habuit per viros Sanctos sibi adiunctos. Ac proinde

Orosius

In bello plus valent orationes quam arma.

inde non est mirum quòd Ioas Rex totam suam spem in Eliseo Sancto Prophæta posuerit, plus eius meritis, & orationibus, quàm armis tribuẽs.

Sed videamus, quid ploranti Regi Propheta Domini responderit? *affer* inquit *arcum, & sagittam,* cumq; allata essent, iterum iussit Propheta, vt poneret manum super arcũ, quod cum ille feciſſet, superposuit Eliseus manus suas manibus Regis, iacente autem Rege sagittam dixit Eliseus: *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Siriam.* his verbis prædicens ei demolitionem Siriæ. Sed quid necesse erat manibus Regis manus superimponere? Sanè: quia ipsemet Rex profitebatur, quòd non armis sed prophetia, id est, oratione Eliseei victorias obtinuisset, quam etiam post mortem Eliseus futurus erat, ideo manus suas manibus Regis imposuit. Ad ostendendum, vt docet Lyranus, *quòd meritis eius daretur Regi signum victoriæ.* Attendant hoc Imperatores, Reges, Principes, & sciãt victorias non ex ipsis, sed ex Dei seruorum oratione prouenire: & quòd vanus sit omnis eorum labor, vana omnia eorum arma, nisi Ecclesia sancta per suas humiles, & deuotas supplicationes eisdem manus imponat. Magis enim oratiõe bella vincuntur; quàm armis. Sic de Abrahamo, eiusq; posterorum victorijs locutus est ipsemet Deus Isaiæ 41. *Vocabit nomen meum, & adducet magistratus quasi lutum, & velut plastes conculcans humũ.* palam faciens, Abrahamum, & eius posteros, non armis, non robore vicisse gentes duplo maiores, ac fortiores; quàm ipsi essent, sed oratione, nomine Domini inuocato, quod sacratissimum nomen, quam orationẽ, qoſtquàm semel, & iterum intermiserant Machabæi, ab Antiocho Rege primùm, ac iterum superati, Principem exercitus Iudam amiserunt, vt cognoscamus, quomodò victoriæ nõ ab armis, sed ab oratione sacerdotũ proficiscantur.

4. Reg: 13.

Lyranus

Isaiæ 41

Cuius rei pulchram affert rationem S. Chrysosth: Serm: de Moyse in primo tomo, quia non tam exterior, dum bellum geritur, est pugna: quàm interior, hoc est inuisibilis, nõ solùm cum hominibus, sed etiam cum dæmonibus signa conferuntur. Quod statim adnotauit in illa victoria Iosue Moyse orante. *Fit* inquit, *Moyse orante occulta pugna, manifesta victoria, latenter dimicat, vt euidenter deuincat.* Præclarè satis, duo sunt inimici, dum Catholici pugnant, visibiles alij, alij inuisibiles, contra illos militibus, contra hos sacerdotibus opus habemus; cum his pugna occulta, cum illis manifesta. Vt ergo victoria sit euidens, vt manifesta inimicorum exterorum deuictio, necesse est, vt priùs occulti vincantur hostes, qui fortiores sunt; cùm autem spirituales sint, non carnalibus, sed spiritualibus oppugnantur armis, nimirum oratione, precatione lachrymis. De istis hostibus ita concludit citatus Chrysosthomus: *hostis dum oras premitur, dum cessas erigitur.* Vnde quando sanguis Christianorum, funditur, quando bella infeliciter geruntur, victoriæ hostium non nostris armis, non illorum viribus, sed desidiæ deputari debent, quia non oramus, quia occultam non deuincimus pugnam, quia prius hostes inuisibiles non debellamus.

S. Chrysost:

Quid censetis? vincerenturne fidem Christi profitentes ab infidelibus, ab Hæreticis, à Iudæis, à barbaris, si sæpiùs in Ecclesia sancta feruentes ad Deum funderentur orationes? minimè: quoniam ipsi maiori digni sunt ira, quorum scelera ampliùs Dei prouocant vindictam Sed ideo vincunt, licet toti sint in peccatis, licet ipsis inferni digni pœnis, quia deest sacerdotum oratio, desunt populi supplicationes. Expostulabat Abraham à Domino Deo, quandonam possessurus esset terram sibi promissam, cùm iam ipse seneſceret, liberisq; careret. Cui Deus aperuit tẽpus, nimirum post quadringentos annos, hanc rationem adijciens: *Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Quas videbat Deus

Negligentia orãdi barbaris exercitus Catholicos subijcit.

Gen: 15.

post quadringentos annos complen- A das, nimirum eo tempore, quo Isrāélitæ de Ægypto egressi contra illos pugnaturi erant. Et nihilominus si attente sacras literas legere volueri-mus, videbimus in prima pugna cōtra Amalech defeciſſe Isrāélitas deficiente oratione: sic enim dicit sa-
Exod:17 cer textus Exodi 17. v. 11. *Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Isrāél: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Verùm si peccata Amalec iam cōpleta erant, si eius iniquitates Dei irā prouocabant, si iam aduene- B rat tēpus eius desolationis, quid opus erat oratione, ita vt hac deficiente impius Amalec contra sanctum Dei populum insurgeret, ac prævaleret? Causam reddit S. Chrysosth: ne videlicet humanum, & non cœleste illud certamen reputaretur. *Oratio in-*
S Chrysosth: *quit, in vltionem inimici dirigitur, cuius scelera iam interitum prouocabant, nedum Moysis oratio circa victoriæ effectus minus valeret, inimici virtus in populum Dei potentior esset; vt non tam cœleste, sed humanum certamen ab omnibus puta-* C *retur.* Ergo occisionem, ac stragem, merebantur perfidi barbari, grauissimis eorum sceleribus Dei vindictam prouocantibus; & tamen deficiente oratione superabant: quia virtus eorum per orationem non erat infracta, quæ naturaliter vincebat virtutem Isrāélis, eo, quòd Amalecitæ, viribus, ac corpore maiores, artisq; bellicæ peritiores essent. Proinde, vt Isrāélitæ vincerent, & certamen, atq; victoriam æstimarent non humanā, sed diuinam, oratio necessaria fuit, D quæ eorum inualidaret virtutem, armaq; debilitaret.

Orationis neglectus, causa omnium malorū.

Ita planè hisce temporibus, infideles Turcæ, scytæ barbari, perfidi Hæretici, digni sunt mille infortuniis, mille apud Deum pœnis, semper in se Dei vindictam prouocantes; & tamen frequenter vincunt fideles, fugant catholicos, eorumq; exercitus prosternunt: quia deest sacerdotum oratio, deest Dei offensi deprecatio negligentibus id primarijs capitibus. Nec quempiam moueat illa dubitatio, quid si peccata grauia adsint, si populus sit malus, si Princeps peccator, si Respublica plena nefandis, nūquid non pessum ibit, licet sacerdotes orent? Fateor interdum etiam orantibus sacerdotibus ob peccata enormia regna desolari. Verùm & hoc ipsum, quòd peccatores non cōuertantur, quòd tanta scelera grassentur, quòd impij in dies magis obdurētur, non aliunde procedit, nisi quia sacerdotes, quia Pontifices non orant. Sint ferrea peccatorum corda, sint adamantinæ ceruices; ad sacerdotū tamen orationes pro se fusas, vna Dei inspiratione, vno spiritus sancti afflatu emollientur, & de suis delictis pœnitentiam agent, ac Deo reconciliabuntur.

Hoc in illa horribili statua Nabuchodonosoris præsignatum video. Daniel: 2. v. 34. Cuius pedes ferreos, non ferrum, sed lapis sine manibus excisus comminuit. *Videbas ita,* ait Daniel: ad Regem, *donec abscissus est* Daniel: 2. *lapis de monte sine manibus;* id est nulla humana industria, *& percussit statuam in pedibus eius ferreis, & comminuit eos.* Huius statuæ caput erat ex auro optimo, pectus & brachia de argento, venter & fœmora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Vultis scire, quid portendebat, profecto hominem spiritualem imperfectum, cuius miserrimus status. Ita elucidat Richardus à S. Victore lib: de erudit: Richar: interior: homin: p. 1. cap: 27. sic loquens: *Per aurum potest intelligi arrogantia, per os pertinacia, per ferrum sæuitia, per testam impatientia.* Egregie sanè: nam spiritualis homo, quasi aurum cæteros omnes despicit, supra illos se eleuans, sicut aurum supra metalla: argentum, quia dulcem sonum habet, iactantiam significat; æs quod durabile pertinaciam: ferrum, quod cætera domat, sæuitiam: per testam autem quæ frangitur, impatientia exprimitur. In rei veritate ita comperimus: nam sicut nemo melior; quàm spiritualis proficiens; ita nemo deterior, quàm spiritualis defici-

deficiens, qui interdum ita in sua A persistit malitia, ac si ferreus esset; ita impatiens euadit ad correptionē, vt etiā blandæ correptionis verbum, patienter tolerare non valeat.

Ergo ne iam de his desperandum erit? minimè: licet enim nulla adsit humana, quæ eos corrigere possit industria; adest tamen diuina, suauis nimirum illa spiritus sancti inspiratio, interna illa cœlitus facta illustratio. Idcirco non ferro, non armis, non humanā conuertuntur peccatores industriā, sed diuina inspiratione, B ac inflammatione; ad hanc autem acquirendam, vnicum medium est oratio Præsulis, oratio Sacerdotis. Sic
S. Bernardus plures orationes conuertit. quondam D. Bernardus, cùm parisiis nil effecisset prædicatione, nullūq; penitus peccatorem conuertisset, ad gemitus, ad orationes se contulit, & ecce sequenti die innumerabiles ad Deum traxit. vt refert Ioan: Maior in speculo Exemplorum, verbo *conuersio,* exemplo 9. Aliud magis horrendum scribit Petrus Damianus, vt habetur in prato spirituali lib: 4. cap: C 15. fratrem mortuum, dum ad sepulchrum alij fratres ducerent, inter missārum solemnia resuscitatum, Deum blasphemasse, virginem sanctissimam maledixisse, crucem conspuisse, tandem se damnatum proclamasse. His tamen minimè territi fratres ad orationem ita instanter cōfugerunt, vt non priùs ab illa se erigerent, donec salutem fratris impetrassent. En quantum oratio sacerdotum prosit.

Hoc onus eis Deus videtur im- D posuisse Oseæ 4. v. 8. de Sacerdotibus
Oseæ. 4. loquens: *Peccata populi mei comedūt.* Quem locum varij varie exponunt. Quidam pro *Peccatis* intelligentes pœnas peccatorum, sic accipiunt, quia sacerdotes comedent, id est, luent pœnas peccatorum populi, quorum sua dissimulatione causa fuerūt. Vnde Theodoret: in hoc loco dicit:
Theod: *Metent quæ seruerunt, & fucrum peccatorum fructum vindemiabunt.* Alij verò, vt S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, pro *Peccatis* hostias intelligunt, quæ offerebantur pro peccato, dicuntq; sacerdotes peccata populi comedere, quando sæcularium peccata extenuant, quasi non magna, fragilitatem naturæ allegantes, & ita eos demulcētes, vt non sint anxij, seipsos ad satisfactionē pro eis, offerētes idq; eo fine, ne temporalia stipēdia amittant. Sic exponit S Gregorius. S. Greg: Homil: 17. in Euangelia.: *Cur* inquit *peccata populi comedunt, nisi quia delinquentium fouent, ne temporalia stipendia amittant.* Adhuc clariùs Arias. Optant inquit, *magnam peccatorum esse copiam, qua suam illis mercem cum quæstu, compendioq; suppeditent.* Audiant hæc, & diligenter considerent Principum confessores, ac consultores, qui gratiam vt aucupentur, qui emolumenta, qui dignitates, qui honores, qui commoda, qui redditus, qui tandem potentiam, & dominatum ambientes, doctrinas nouas inueniunt, ac sensui accommodatas, solicitè inquirentes vanas distinctiones, præcisiones, declarationes glossas, donec tandem velint, nolint, quod ipsi ambiunt, assirment. Quorum in hoc totus conatus, vt conscientiam Principum sedent, vt sic malum eis bonum appareat, & ipsum vitium virtus, quod ab anno 1665, per totum fermè triennium in Polonia nostra spectauimus practicari.

Alij magis accommodè ad nostrum propositum, censent ideo sacerdotes peccata populi comedere, quia per oblationes, sacrificia, & orationem illa absumunt, Deum placando. Ita exponit Alexander Papa Alexā: Papa Epist: 2. & habetur 1. q. 1. cap: *ipsi sacerdotes.* Nissen: lib: quæst: in scripturam sub finem, Theod: q. 10. in Nissen: Theod: Leuitic: cap: 10. quod deducit ex illis Moysis verbis, quibus allocutus est filios Aaron, quando totum hircum cremarunt, cùm eum debuissent edere: *Cur* inquit, *non comedistis hostias pro peccato, in loco sancto quæ sanctorum est: Nonne Dominus hoc vobis dedit ad edendum, vt auferatis peccatum cœtus, & pro eo rogetis in conspectu Domini.* Ergo sacerdotes peccata populi

Quomodo sacerdotes dicuntur peccata populi comedere.

populi comedunt, dum pro illis hostias offerunt, & Deum placant: simulq; peccata comedunt, dum ex redditibus Ecclesiasticis sustentantur. Hinc infert Theod: *Docemur* inquit, *nos qui edimus ea, quæ offeruntur à populo, & non secundùm legem viuimus, & non pro illis citra formidinem Domino supplicamus, supplicium esse laturos à Deo.* Palam ostendens non solum supplicium laturos sacerdotes, si non orant, sed si non citra formidinem supplicant Domino. Vt hinc agnoscamus, non sufficere sacerdoti tantum orare, sed necessarium illi esse, vt oret sine formidine, id est, conscientiâ purâ, minime illum reprehendente; ita vt coram Deo adstet irreprehensibilis.

Ostendi igitur Christum Dominum in deserto turbam liberaliter panibus & piscibus tractare voluisse, in primis vt ostenderet, maximè curæ sibi esse bene operantes, & seriò negotio salutis intendentes. Deinde, vt hoc facto nos alliceret ad frequentem panis Eucharistici sumptionem. Tandem, propter triduanam illius populi perseuerantiam. Igitur si & nos in hoc mundo perseuerauerimus in bonis operibus secundùm doctrinam Christi exercendis, in frequenti & deuota Eucharistiæ sumptione, Christus nos in cælesti regno beatifica visione per totam æternitatem liberaliter tractabit.

EADEM DOMINICA CONCIO QVARTA.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, *Marci* 8.

Ostenditur solos Catholicos Christum triduo sequi & sustinere.

ANtiquum, sed certum & induitatum prouerbium, etiam ipsa virtus sine promotore non surgit in altum. Legimus Ioan: 5. in spatiosis probaticæ piscinæ porticibus, triginta supra octo annos languidum, paralysi prostratum iacuisse, expectatem aquæ motum, vt in sollicitioris diligentiæ præmium, sanitatem reportaret. In illis ergo vastis quinq; porticibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, inter quos expectabat & iste diuturna paralysi languidus, sed frustrata spe, qua tam diu sanitatem ambiebat pertinaci desiderio. *Hunc cùm vidisset Iesvs iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo.* Obstupescit Theophyl: hanc interrogationé, an vellet sanus fieri, cùm in sanitatem animi votis totus suspiraret? & acutè satis respondet. *Stupenda* inquit, *paralytici constantia, annos habebat triginta octo, & quotannis liberari à morbo expectans assidebat, & impediebatur à potentioribus præuentus, nec tamen destitit, neq; desperauit: ideo & Dominus interrogauit eum, vis sanus fieri?* Meritò proinde respondit iste languidus, Domine hominem non habeo, id est ministrum, seu seruum, qui rem solicitè procuret. Quibus verbis voluit exprimere, ingentem suam calamitatem, quòd prorsus omni humana ope destitutus esset, nec vllum remedium, nisi in solo Deo haberet. Ita resoluit D. Chrysosth: homil: 36. in Ioan: loquens: *Audi ergo verba eius, & miseriam: Cùm enim dixisset Iesvs; vis sanus esse? Domine inquit hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinã, Quid hoc miserius? Quid calamitosius?* Equidem summæ calamitatis solet esse exaggeratio, quòd omnia auxilia creata dispareant, & vnus Deus auxiliator relinquatur. Et ecce, qui patronum inter homines non habuit, remedium in solo Christo inuenit, ex templo ab eo sanatus. *Et statim sanus factus est homo ille.* Simile quid hodiernæ turbæ, triduo cum Christo in deserto perseueranti accidisse video:

sine promotore virtus nihil valet.

Ioan: 5.

Theophyl:

S. Chrysostho:

Ioan: 5.

Duodecim erant Apostoli, nemo illorum ad reficiendam turbam inducebat, nemo de turba panem audebat postulare; sed ipsemet Christus vltrò hoc fecit, alloquens discipulòs: *Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quid manducent.* Obstupesco tantam Christi misericordiam, & sollicitudinem. Trium annorum vexabat fames Iràélitas; & tamen Dauid nonnisi post triennij famem remedium quæsiuit, teste sacr: pag: 2. Reg: 21. *Facta est quoq; fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini.* En quam morosæ sunt omnes creatæ potestates in ope ferenda! Dauid trium annorum famem in suis subditis passus est, antequam vllam diligentiam faceret pro tollenda illa; at verò Dominus Iesvs nec tridui fame suos affligi permisit, quin illam tolli curaret. Ita mihi credite morosi sunt mundiales Principes. Vt subueniant famelicis, & afflictis; solus Dominus Iesvs est, qui scit, & potest citò subuenire. Accusabant Iesvm falsi testes Matth: 26. illis verbis: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Multa in hoc verbo mentientes. Christus enim solum dixerat Ioan: 2. *Soluite tempum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Loquens siue de suo corpore reali, siue de mystico. Ergo cùm ab hostibus discerperetur, dicebat: *Tribus diebus excitabo illud.* Et cur non potius dixit, ædificabo, seu reædificabo, sed *excitabo.* Nimirum, quia in vocabulo ædificandi, & reædificandi quædam morositas operis latet; vbi autem agebatur de Christi membris, siue proprijs, siue mysticis ab hoste dilaceratis, remediandis, quidquid morositatem sonaret, fugere voluit, & id solùm, quod citissimum, ac instantaneum auxilium potest significare, vsurpauit. Cùm proprium Christi sit non morari; verùm sua auxilia accelerare. Ait Origenes homil: 35. in Matth: *Non Iesvs destruit templum; sed quod alij destruunt, ipse ædificat; siue templum proprium corporis, quod à Iudæis fuerat trælitum morti; siue templum testium suorùm, & omnium, qui ex insidijs impiorum propter pietatem occisi sunt: Nec dixit reædificaturum se templum; sed resuscitaturum: sermo enim ædificationis non ostendit subitaneum opus; suscitationis autem ostendit.* Vbi ergo agebatur de fouendis membris Christi, & ostendebatur Iesvs afflictis suis opem ferens, meritò abstinuit à verbo ædificationis, vt quod longas temporis moras præseferret; & suscitationis vocabulum assumpsit, quod instantaneum ostendebat auxilium. Scitu profectò Dominus Iesvs omnes abrũpere moras, & citissimè suis subuenire. Quatriduum egerat Lazarus in sepulchro, cùm ad illum venerunt sorores eius cum multis Principibus Hierusalem, & Iesvs. Quid tunc? *Ait Iesvs: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet: quatriduanus est enim. Dixit ei Iesvs: Nonne dixi tibi; quia si crederis, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem.* Ecce duo aderant de functo Lazaro, Martha soror eius, & Iesvs. Martha moras nectebat, impedimenta apponebat, vt diutiùs frater eius in carcere sepulchri detineretur: Iesvs autem nihil moratus, sepulchri lapidem iussit amoueri, vt à morte Lazarum quamprimum euocaret. Idem hodiernæ turbæ in deserto contigisse video, moras nectebant Apostoli, difficultatem in acquirendo pane obijciebant, *Vnde ememus panes?* At verò Dominus Iesvs nihil moratus, præcepit: *facite turbam discumbere*, quam satis liberaliter refecit, eò quòd triduo eum sustineret. Considerabimus igitur, qui nam sunt homines triduo Christum sequentes.

Marci 8

2. Reg: 21.

Matt: 26

Ioan: 2.

Origen:

Ioan: 11.

Rem propositam seriò mihi cõsideranti, occurrunt in primis Turcæ, religionis Christianæ infensissimi hostes, num etiam ipsi Christum triduo sequantur? sed frustra, quia triduo Christum sequi, est credere mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod de Turcis, & quibuslibet alijs barbaris nullo

Mysterium Trinitatis naturaliter cognoscere impossibile

nullo modo potest verificari, sola naturali ratione nitentibus. Cùm lumine naturali impossibile sit deuenire in cognitionẽ mysterij sanctissimæ Trinitatis, secluſa omni reuelatione, vt constat ex scriptura sacra Matth: 11 *Nemo nouit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et cap: 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Et 1. ad Corint: 2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neq; Principum huius sæculi, quam nemo Principum huius sæculi cognouit.* Vbi loquitur Apostolus de mysterio Incarnationis, quod sanctissimæ Trinitatis, mysterium includit, ac supponit.

Et ratio euidens hanc veritatem suadet: quia omnis cognitio naturalis, quam de Deo habemus, aut habere possumus, ducitur solum ex creaturis à posteriori, & per effectus. Nullus autem effectus, qui referat nobis Deum vnũ in essentia, & trinũ in personis potest haberi: quoniam omnia Dei opera ad extra, sunt communia tribus personis diuinis, & omnino indiuisa. Iam verò Deus ad extra non operatur vt trinus, sed quatenus vnus: & ideo Dei opera ad extra, nos ad trium personarum diuinarum notitiam perducere nequeunt, neq; vlla ex illis ratio peti potest, quæ Deum esse vnum, & trinum simul in personis demonstret.

Mysterium itaq; Sanctissimæ Trinitatis est supra rationem naturalem: quia omnis naturalis cognitio, qua Deum in hac vita cognoscimus, originem trahit à cognitione rerum creatarum. Sic expresse docet S. Paulus ad Rom: 1. *Inuisibilia* inquit, *Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Res autẽ creatæ, non emanant à Deo, quatenus est trinus in personis; sed quatenus est vnus in essentia. Atq; sic res creatæ, non ostendunt nobis pluralitatem personarum, sed vnitatem essentiæ, & ea quæ ad vnitatem spectant: ac proinde nulla est ratio à solo lumine naturali ducta, quæ saltem probabiliter mysterium Trinitatis suadeat. Sicut ergo à natiuitate cœcus, per odorem rosæ, in notitiam eius pulchritudinis deuenire non potest, propterea, quòd odor non à colore, & figura rosæ, in quibus pulchritudo est posita, sed à substantia emanet. Ita pariter homo ex notitia rerum creatarum non potest deuenire in notitiam altissimæ Trinitatis, sed solius essentiæ: quoniam res creatæ à Deo, non vt est trinus in personis; verùm vt est vnus in essentia, proficiscuntur.

Ad Rom: 1.

Quod si quispiam dixerit, in homine esse imaginem Sanctissimæ Trinitatis, iuxta illud Gen: 12. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Sed per imaginem naturaliter cognoscitur id, cuius est imago, scilicet prototypon: ergo naturaliter possumus inuestigare, & cognoscere mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Respondeo enim: esse quidem in homine imaginem Sanctissimæ Trinitatis, sed imperfectam, quæ minimè sufficiens sit, vt ex ea Trinitas diuinarum personarum naturaliter cognoscatur, idq; ideo, quia ista imago naturaliter non apprehenditur, vt imago Sanctissimæ Trinitatis, sed vt est, quædam res in se. Post reuelatum tamen mysterium SS. Trinitatis, ista imago conducit ad explicationem huius mysterij. Nã in homine dicitur esse imago Trinitatis, tum ideo: quia in humano animo sunt tres potentiæ, sicut in Deo sunt tres personæ. Tum præcipuè ideo: quia sicut Pater intelligendo producit verbum: & Pater ac Verbum producunt spiritum sanctum, qui est amor productus; ita humanus animus intelligendo producit Verbum mentis, & idem animus cõcurrente verbo, seu specie expressa, producit amorem.

Gen: 2.

Imago Trinitatis in homine imperfecta

Neq; valet quòd Turcismus ex omnibus aliquid credat, v.g. ex Iudaismo circumcisionem, ex veteri testamento plurima. Ergo Turcismus videtur cognoscere, mysterium Trinitatis, & consequenter sequi Christum in triduo. Respondeo enim Turcas nullo modo fidem diuinam habere; nam licet credant aliqua, quæ etiam nos credimus; illa tamen non credunt, vt à Christo dicta, seu quatenus ad nostram fidem pertinent, sed quatenus à Machomete dicta, & probata sunt: & ideo nullo modo credunt mysteria fidei.

Turcæ quomodò multa credunt ex veteri testamẽto.

Quid de Iudæis censebimus? sequunturne Christum in triduo? Profectò non, quia Christum Redẽptorem non agnoscunt. Licet enim ante Christi aduentum, non fuerit necessarium necessitate medij explicitè credere mysterium Incarnationis, seu Christum futurum verum Deum hominem, aut sua morte nos liberaturum à peccatis, vt expressè docet Apostol⁹ ad Ephes: 3. v. 3. vbi dicitur, mysterium Christi, seu Incarnationis, & mortis ipsius non fuisse cognitum superioribus sæculis, quemadmodũ Apostolis reuelatum erat. *Quoniam* ait Apostolus, *secundùm reuelationem notum mihi factum est, sacramentum in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius.* Et ideò v. 9 subdit Apostolus, sibi commissum esse gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Proinde ante Christi aduentũ sufficiebat implicita fides in Christũ mediatorem, quoniam ante aduentũ Christi, non fuit expressa reuelatio de Christo. Quod palam docet Concilium Tridentinum Sess: 6. cap: 6. dicens, *quibusdam sanctis reuelatum fuisse specialiter mysterium Incarnationis, proinde in communitate sufficisse implicitam fidem: quoniam medium omnium necessarium, publicè debet omnibus promulgari.* Christus autem in lege veteri tali modo non fuit promulgatus, teste Apostolo ad Galat: 3. vbi dicit: *Priùs autem, quam veniret, fides, sub lege custodiebatur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.*

Ad Ephes 3.

Concil: Triden:

Ad Galat: 3.

Nihilominus in lege Euangelica omnes adulti tenentur ad habendã fidem explicitam de mysterio Incarnationis, iuxta illud S. Ioannis: *Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Et infra: *Qui non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Hinc Actorum 8. S. Philippus Eunucho baptismum postulanti conferre noluit, quin priùs expressis verbis professionem fecisset: *Credo Filium Dei esse IESVM Christum.* Imò & ipse Christus à cæco Ioan: 9. multisq; aliis passim in scriptura exactè requirebat, vt distinctè & explicite in se crederent. Cùm ergo Iudæi nullo modo profiteantur fidem Christi, etiam implicitam, vt pote non credentes Christum venisse, ideo non sequuntur Christum, nec possunt saluari. Ecce vobis clarissimum signum reprobationis Iudaicæ. Ille populus cantatissimus ob prælia, qui tot nationes subiugauit, qui tot duces validissimos parturiuit, qui tot hostium spolijs diuinas ornauit aras: ille qui etiam captiuus eos viros edebat, nimirum Mardochæos, qui Principi Amano reuerentiam negabat, ne aliquem præter Deum videretur adorare, postquà Dominum IESVM morti dedit, ita à Deo despectus est, & repudiatus, vt ab omnibus nationibus contemnatur.

Ioan: 1.

Act: 8.

Iudæi reprobati.

Adeò vt meritò huc adducere possim verba illa Hieremiæ cap: 2. v. 13. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus.* Quasi diceret, vt exponit S. Hieronymus: *More desolatorum mœstitiam indicate, ciete pluuias, quasi lachrymas, fulgura, & tempestates excitate, quasi indices doloris, & vindices iniuriæ creatoris.* Theodorethus, Hugo, & S. Thomas, per *cælos* intelligunt Angelos; per eius *portas*, Angelorum Principes. Quasi Deus animata, & inanimata, Angelos, Angelorum Principes, ipsos cælos, astra, lunam, solem euocaret ad plorandum, flendum, mœstitiamq; declarandam, non quamcunq; sed talem, vt exarescere, & quasi ad nihilum præ tristitia redigi videantur. O magnum malum, quod tales meretur ploratores, talẽ

Hieremiæ 2.

tristitiam, talem mœrorem. Vultis A scire, quodnam illud sit? procliuitas Iudaici populi ad Deum deserendum. Addit ibidem statim Propheta: *Trã-site ad insulas cethin, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusce modi, si mutauit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt dij; populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Hinc stupor hinc iusta cœlorum, Angelorum, totiusq; elementaris machinæ admiratio, populum illum à Deo electum, custoditum, protectum, pro quo tanta, ac talia ab eo patrata, qui viderat, palpauerat, attrectauerat miracula, prodigia, portenta in eius facta obsequium, tanta postea facilitate, tanta promptitudine ad alios se conferre Deos, ad alia falsa numina, Deo verò, veroq; derelicto numine.

Idem.

B

Quid mirabilius? seu quid stupore dignius? quàm populum specialiter Deo consecratum, ab eo recedere. Christum sibi primario missũ abnegare, & omnia eius voluntati contraria facere. Vt ingeniosè obseruat S. Chrysost: homil: 1. aduersus C Iudæos, asserens talis illos peruicacitatis fuisse, vt appositè semper nollẽt, quod velle Deum cognoscerent; & è contra vellent, quod Deus nollet. *Judæi* inquit *fecerunt, quæ Dei placitis aduersata sunt: etenim cùm illos volebat ieiunare, tunc incrassabantur, dilatabantur q; rursus vbi non volebat eos ieiunare, mordicus tenebant ieiunium: cùm vellet eos sibi victimas offerre, ad simulachra properabãt; cum non volebat eos festum diem celebrare, studio festum diem agebant.* Et quæ iam maior po- D tuit esse ingratitudo; quàm Iudæorum, Deum verum deserentium, & Christum de suo sanguine natum, nõ agnoscentium? propter quod eos brutis animantibus comparat Isaiæ 1. v. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Super quem locum scribens S. Hieronymus, dicit: *Non comparauit eos canibus, quod sagacissimum genus animantium est, & pro paruo cibo domorum, tecta defendit.* Si ergo in ipsa Christi natiuitate Iudæi ob summam ingratitudinem, boui, & asino stolidis comparati sunt animalibus, post Christum passum, mortuum, post tanta, ac prope modum infinita beneficia cui comparabuntur.

S Chrysosth:

Isaiæ 1.

S. Hieronymus

Vnde meritò S. Paulus populum Iudaicum alloquitur. Ad Rom: 3. *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est, per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* His verbis ostendens, sacrificia boum, & ouium in veteri testamento, fuisse typum sacrificij crucis; remissionem autem peccatorum, non per opera, sed per fidem in sanguine IESV Christi, qui est propitiatio delictorum, etiam in veteri lege olim commissorum, factam esse. Proinde vanam esse gloriationẽ Iudæorũ, ac gentiũ ita probat. Illa iustitia, quæ præbet occasionẽ de proprijs operib^9, & virtutibus gloriandi, nõ est vera, sed illa tantùm, quæ omnẽ iactantiæ, & sanctorum operum fiduciæ occasionem amouet. Sed iustitia legalis præbet occasionem gloriandi, quoniam inani superbia inflabat Iudæos: ergo non erat vera iustitia. Nemini enim, etiamsi iustus sit, licitum est, gloriari in seipso, quia ex se nihil habet, sed omnia ex gratia Dei; omnis autem gratia Dei gratuita est: vnde etiam ipsa merita iustorum sunt dona Dei gratuita, quia non possent esse merita nisi vim merendi ex gratia Dei haberent.

Ad Rom: 3.

Vnde Apostolus de inani gloriatione Iudæorum addit, *Exclusa est.* Quod ex eo probat; quia in veteri lege triplicia præcepta fuerunt, quædam cerimonialia, quæ præscribebãt omnes cerimonias, pertinentes ad cultum diuinum, nimirum, quomodò sacrificia offerenda. Quorum tria genera fuêre, holocaustum, hostia pacifica, & hostia pro peccato. Holocaustum totum comburebatur, quia erat peculiariter institutum ad protestandam maiestatem, & bonitatem Dei, vt habetur Leuit: 1. *Oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum, & odorem suauissimum Domino.*

In lege veteri triplicia præcepta.

Leuit: 1.

Hostia

Hostia pacifica, quæ duplex erat, v- A na gratiarum actionis pro acceptis beneficijs; altera voti pro impetrãdis, vt habetur Leuitici 7. in tres Partes diuidebatur, vna pars incẽdebatur ad honorem Dei, altera cedebat in vsum sacerdotum, tertia in vsum offerentium ad significandum, quòd dona Dei conferantur per ministros, idq; non sine cooperatione eorum, qui illa accipiunt. Hostia deniq; pro peccato, offerebatur aut pro peccato alicuius priuati hõinis, & sic vna pars, comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat sacerdotibus, ex eo, quia remissio peccati fit à Deo per ministerium sacerdotum. Aut pro communi peccato populi, vel specialiter pro peccato ipsius sacerdotis, & tunc tota comburebatur: quia & ipse sacerdos censebatur esse reus. Hæc igitur cerimonialia legis iam euanuerunt, quia erant mere figuralia; adueniente autem veritate, figura eius cessat. Quædam verò fuerunt iudicialia, quæ præscribebant C certam formam conseruãdæ iustitiæ inter homines. Et hæc pariter abrogata sunt, in quantum habebant vim obligandi in lege veteri, licet possint de nouo institui in lege noua, quantum ad illa, quæ Christianorum regimini conducunt. Quædam deniq; fuerunt moralia, vt Deum esse colendum, proximo non esse faciendam iniuriam: & hæc remanent, quia sunt de lege naturæ, quæ est immutabilis, continenturq; summatim in decem præceptis Decalogi. Cùm ergo Iudæi, & cerimonialia, & iudicialia legis amiserint, non habent vnde glorientur: & cùm non habeant fidem diuinæ incarnationis, in qua mysterium Trinitatis includitur, ideo Christum triduo non sequuntur, nec possunt æternam beatitudinem adipisci.

Sacrificiorum in veteri lege tria genera.

Cerimonialia legis euanuerunt.

Moralia legis nõ sunt sublata.

Iam verò de Arianis quid loquar? Profectò & isti non sequuntur, nec sustinent Christum in triduo. Et quid est Christum in triduo sustinere? nisi baptismum suscipere in trina immersione, quæ significat triduanam Christi sepulturam, & trinitatem personarum. Baptismum enim omnibus ad salutem necessarium esse, declarauit ipsemet Christus generaliter pronuntians: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: Ergo baptismus omnibus in vniuersum ad salutem necessarius est. Vnde S. Augustinus, cap: 9. ait: *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, morte præuentos peruenire posse ad originalem indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Et quidem baptismus, non solùm est necessarius ad salutem necessitate medij, sed etiam necessitate præcepti diuini. Nam omne mediũ per se necessarium ad salutem, si subest arbitrio nostro, est quoq; necessarium necessitate diuini præcepti. Quoniam nihil magis debuit cadere sub præcepto diuino, quàm illud, sine quo vita æterna haberi non potest, supposito, quod sit in facultate arbitrij nostri, cuiusmodi est baptismus. Et hoc præceptum obligat omnes adultos, habentes copiam baptismi, licet iam sint per gratiam spiritualiter regenerati, qualis erat Nicodemus teste D. Augustino tract: 11. in Ioannem. Cui tamen Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto.* Idemq; censendum de sanctificatis in vtero materno: quia tales consequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali, sed non consequuntur characterem, quo Christo configurentur, alijsq; Christi membris conformentur. Hæc est expressa doctrina S. Thomæ in 4. dist: 6. q. 1. a. 1. quæst: 3. vbi sic loquitur: Sanctificatus in vtero debet baptizari propter tres rationes, primò, propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda diuina sacramenta. Secundò, vt per baptismi perceptionem passioni Christi etiam corporaliter conformetur. Tertio, propter bonum obedientiæ, quia præceptum de baptismo omibus datum est, & ideo ab omnibus impleri

Ioan: 3.

S. Augustinus.

B

D

S. Thõ:

Trina ablutio baptismalis, quid significat

debet, nisi articulus nessitatis Sacramentum excludat.

Hinc etiam patres S. Paulus vocat baptizatos, palam ostendens nũquam homines potuisse saluari etiam ante Christum, nisi fierent membra Christi per fidem eius futuri aduentus, & per figuram baptismi, 1. Corint: 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transieruut, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* At quomodò baptizati, cùm nondum baptismus fuerit institutus? Respondet Theod: quòd in typo: *Ilia* inquit, *erant nostrorum typus: mare enim imitabatur piscinam, seu lauacrum, nubes autem gratiam Spiritus Sancti. Moyses verò sacerdotem, virga autem crucem, Israël verò significabat eos, qui baptizantur; persequentes verò Ægiptij implebant figuram dæmonum; ipse autem Pharao erat imago diaboli.* Ergo ipsi solùm materialiter, nos in illis spiritualiter, ipsi in figura, nos in re, ipsi corporalem gratiam acceperunt, nos spiritualem, ipsi corpus, nos animã per baptismum saluamus. Transitũ igitur Israëlitarum per mare, vocat Apostolus baptismum.

Sed quid obsecro trãsitus ille cõmune habuit cum baptismate, in baptismate aquis immergimur; in illo autẽ trãsitu nulla fuit immersio Israëlitarũ, quin potiùs sicco pede trãsierũt. In quo ergo cõueniũt trãsitꝰ ille, & nostrum baptisma? Nimirũ, quia per transitum illum liberabantur Israëlitæ à morte, & ibant in vitam, in quo præclare ostendebatur virtus baptismatis, cuius aquæ fidelibus halãt vitam. Ita S. Basilius Seleucien: orat: 3. *Baptisma vocat Paulus viam per mare. Erat enim mortis, quæ in aquis oppeteretur, effugium.* Proinde vbi mors effugiebatur, euidentissimè inuenitur baptismi Christiani similitudo: nam omnes Christiani per aquam fugiunt mortem peccatorum, & currũt ad vitam. Hinc Matt: 28. dicebat Dominus Iesvs suis discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Et cur infidei in gressu fontem aperuit? cur voluit suos ab aqua initiari? Respondet D. Irenæus lib: 3. cap: 19. *Quia sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos lignum aridum existentes primùm, nunquàm fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia: corpora enim nostra per lauacrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatem receperunt, anima autem spiritum; vnde & vtraq; necessaria, cum vtraq; proficiat in vitam.* Profecto sicut arida ligua, non nisi de aquæ humore reuiuiscunt; ita nos aridi minimè animamur in vitam, nisi de aquæ beneficio. Quæ autem planta homine aridior? Haud dubium, quòd peccator omnium fructuũ sit aridissimus. Et ideo necessarium habuit plantari, iuxta fontes aquarũ, vt spem vitæ reciperet.

Quomodo ergo Ariani Christũ in triduo sequi, & sustinere possunt, cùm baptismum à Christo institutum penitus euertant, asserentes in primis, nos posse non in solius Dei nomine, sed etiam in alio baptizari ex hoc fundamento. Quia inquiũt legimus aliquos in baptismate Ioannis baptizatos, Actor: 19. Ergo inquiũt falsũ est, non posse nos, nisi in solius Dei nomine baptizari. Verùm, turpiter errãt: cùm enim varia sint genera baptismatum, varij quoq; sunt illi, quorum nomine ea baptismata fieri possunt. Sic baptismus Ioannis, fuit in nomine Ioannis, quia ab illo institutus; ideoq; ex ipso nomen, & auctoritatem habebat. At quid hoc ad baptismum Christi? qui cùm sit institutus ad salutem, & remissionem peccatorum, non potest nisi in eius nomine conferri, qui sit prima causa salutis & remissionis peccatorum. Hoc probat S. Paulus 1. ad Corint: 1. v. 13. his verbis: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Scilicet quia trãtus Apostolus intellexit, non in hominis alicuius etiam sanctissimi nomine Baptismum conferri posse, sed in solius Dei nomine, qui est præcipua salutis nostræ, & remissionis peccatorum causa. iuxta illud, Marci 2. v. 7. *Quis potest peccata remittere nisi Deus?* & Iob 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?* Ex quibus verbis manifestè patet, Christum esse verum Deum; siquidem in nomine eius baptizamur, & in nomine eius consequimur remissionem peccatorum. Simulq; patet, spiritum sanctum esse verum Deum, siquidem etiam in nomine spiritus sancti baptizamur.

Asserunt præterea Ariani, Baptismum aquæ non esse necessarium paruulis ad salutem, ex eo fundamento, quia paruuli renasci non possunt, cùm actum fidei, quo nos renasci sacræ literæ docent, non habeant. Siquidem credere non possunt. Verùm inepte satis, cùm etiam paruuli ex spiritu renascantur, efficianturq; filij Dei. Quod autem actum fidei non habeant, hoc non obstat: quia talis modus renascendi per fidem propriam, adultorum duntaxat proprius est, qui fidem ex auditu concipiunt. At verò paruulis alium modum renascendi prouidit Christus, videlicet ex aqua, & spiritu sancto, ipsorum naturæ, & ætati conuenientem. Vt quemadmodùm alieno actu peccatum contraxerant; ita aliena fide, (puta fide Ecclesiæ) à peccato liberentur, & renascantur in Christo, recipiendo baptismum, qui est fidei vera professio. Et certè falluntur Ariani, quod putent idem esse renasci, & credere, cùm actus credendi solùm sit mediũ ad natiuitatem spiritualem; non est autem ipsa essentia filiorum Dei. Nã si in actu credendi essentia filiorum Dei consisteret, tunc sublato, aut cessante actu credendi, cessarent quoq; homines fideles esse Filij Dei, quod ita absurdum per se est, vt alia refutatione non egeat. Quis autem credat, homines cùm actu de fide non cogitant, sed alijs occupantur, desinere esse filios Dei; & cùm iterum credere incipiunt, iterum incipere esse Filios Dei. Quandoquidem nemo desinit esse Filius Dei, nisi per peccatum, & spiritus sanctus per quẽ efficimur Filij Dei, habitat in nobis permanenter tanquàm in tẽplo suo, donec per peccatũ à nobis excludatur, vt passim docet scriptura sacra. Cùm ergo Ariani, baptismum non suscipiant in trina immersione, cum Trinitatem sanctissimam in eo non exprimant, vt pote Christo, & Spiritui Sancto diuinitatem auferentes, manifestè sequitur Arianos nõ, sequi nec sustinere Christum in triduo.

Transeamus iam ad Hæreticos, an etiam ipsi Christum sequantur, & sustineant in triduo, cum Christum confiteantur? non equidem: nam Christum triduo sequi, est assentiri omnibus fidei articulis, Christum profiteri, inhærere doctrinæ Ecclesiæ, tanquàm infallibili, & diuinæ regulæ. Sed hoc Hæretici non faciunt, quia voluntariè dissentiunt alicui articulo fidei: ergo non sequuntur triduo Christum. Hinc Theologi concorditer docent, in Hæreticis non manere fidem Theologicam infusam. Quod palam docet script: sacra 1. ad Timoth: 1. vbi docetur, Hæreticos naufragari, seu naufragium fecisse circa fidem. *Quidam* ait Apostolus *circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus, & Alexander.* Vbi Apostolus Hymenæum & Alexandrum vocat infideles, eò quòd circa fidem naufragauerint, hoc est, aliquid contra fidem, obstinatè tenuerint, etiamsi in reliquis articulis fidei rectè senserint. Vnde S. Chrysosth: homil: 5. in eandem Epistolam, citatum scripturæ locum explicans docet, *Sicut is, qui naufragium fecit, amissis omnibus nudus euadit; ita eum, qui ex fide excidit, nihil sibi ex eius donis, ac virtutibus retinere.* Cùm ergo iuxta Apostolum, omnis Hæreticus naufragium fidei faciat, manifestè sequitur eum, neq; fidem, neq; alias virtutes infusas amplius retinere.

Neq; sanè obstat, quod Hæretici non videantur dubitare de infallibilitate, & veritate diuina, eiusq; reuelationis; quis enim audeat negare hanc propositionem: *Quicquid Deus dixit, verum est,* proinde ipsi dicenti

Transitus maris confertur cum baptismo.

1. Corint: 10.

Theod:

S. Basil:

Matt: 28

S. Iren:

Ariani tollunt baptismi necessitatẽ

Modus renascẽdi alius adultorum, & paruulorum.

Marcia

1. Cor: 1.

Job: 14.

1. ad Timot: 1.

S. Chrysost:

Fides supernaturalis non manet in Hæreticis.

Dubitare de rebus fidei dupliciter contingit.

centi credendum esse. Sed solum A dubitant de quibusdam, an illa à Deo dicta, aut reuelata sint, per quod vtique non discredunt, proinde Hæresim non committunt. Ergo fidem habitualem videntur retinere. Respondetur enim, quod dubitare de reuelationis diuinæ authoritate dupliciter contingat. *Primò speculatiuè*, seu vniuersaliter, & sic nemo dubitat. *Secundò practicè*, seu in particulari, & sic multi de illa dubitant. Quatenus videlicet hæc reuelatio B proponitur nobis ab Ecclesia per pastores eius, quod cùm Hæretici contemnant, multum confidentes priuato spiritui, ideo Hæretici redduntur, hoc est pertinaciter electiui priuata authoritate eorum, quæ credere debeant, tanquàm dicta à Deo. Ergo cùm Hæretici dubitent de veritate diuina, de rebus ab eo reuelatis, cùm non inhæreant doctrinæ Ecclesiæ sanctæ, non sustinét triduo Christum, nec cùm eo beatitudine æterna C per illam incircumscriptam æternitatem fruentur.

Christianorum constitutia in fide.

Soli ergo Catholici in triduo Christum sequuntur, & sustinent: quia omnia à Deo nobis reuelata, & per Ecclesiam sanctam ad credendum proposita, infallibiliter credunt. Nã post Christum natum, post Saluatoris aduentum, post ipsius legem promulgatam, sic in Christianorum cordibus lex Christi inhæret, sic pro eius depereunt amore, vt potiùs vitam millies, quam eam deserere libeat. D Imò, quod magis stupendum est, hoc non solùm in iustis, & sanctis hominibus; verùm etiam in peccatoribus, omniq; prorsus sorde repletis cernimus. Ait S. Gregorius lib: 25. Moral: cap: 10. *Nonnulli fidem medullitus tenent, sed viuere fideliter nullatenus curant.* Videas equidem pleroſq; scelerum sordibus nõ solùm infectos, sed submersos omnino & obrutos, bibere vt aquam iniquitatem; & tamen ita constantes, ita firmos in articulis fidei, vt potiùs millies vitam sibi eripi patiantur; quàm vel latum vnguem ab illa discedere. Hinc bella gerunt pro fide, calorem, frigus, æstum, gelu, soles, pluuias, temporum asperitates, & alia omnia damna libentissime ferunt, licet alias peccatis onusti, ob fidem.

S. Greg:

Vnde quæso eis tanta charitas, vnde tãtus feruor inmeritis, nisi ex Christi gratia, ex Christi sanguine? Ait Domin⁹ per Oseam, de Christi gratia in suã prophetizãs Eccl: *Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali: & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Mira dignatio Dei nostri, excellens donum, stupenda in fide stabilitas, perseuerantia in credendo; licet alioqui fide indigni simus, permittere peccata; non tamen fidei consumationem. Ita pronuntiat ipsemet Dominus per Hieremiam Proph: cap: 5. v. 10. *Ascendite muros, & dissipate, consummationem autem nolite facere.* Inquirite diligenter, quinam sint animæ muri, & videbitis non alios, quàm virtutes, quàm bona opera, quã actiones sanctas? Hos muros ascendere, & dissipare, iusto suo iudicio Deus permittit. Patitur enim vt Christiani virtutes deserant, in peccata labantur, vt super eos ascendat, dominetur q; inimicus; verum tamen ne consummationem faciat, id est, ne tollat fidem, sed stabile semper remaneat fundamentum. Quod ex sola Christi gratia procedit, cùm aliter peccata ex se requirant. Concludit S. Hieronymus: *Audiat hoc ecclesia, quod citò muri, & propugnacula eorum dissipentur, qui non habent spem in Domino, & præuaricantur in eum, sed tamen fiat consummatio propter clementiam Iudicis, & non propter merita delinquentiũ.* Præclare satis: si enim Deus nostra attenderet demerita, si Catholicorũ peccata, si vitam, si conuersationem, si scelera, iam pridem à nobis auferre debuisset fidem, & consummationẽ facere; non facit tamen, sed stabilis, firma, inconcussa semper fides remanet. Vnde hoc? nisi ex summa bonitate iudicis, & Christi, ex eius clementia, quam nisi attenderet, iam pridem fidem à nobis abstulisset. Audite

Oseæ 2. v. 16.

Hierẽ: 5. v. 10.

S. Hier.

Christi gratia in peccatoribus fidem conseruat.

dite S. Chrysosthomum homil: 60. A ad populum Antiochenum ea de re ita loquentem: *Si Christus nos attenderet, & non infinitam suam bonitatem, iam à nobis abstulisset diuina Sacramenta: dignos nos hac pœna efficimus, & indignos ipsis Sacramentis. dùm ea suscipientes minus dignè, & illa, & Christum traducimus, & quantum in nobis est, fama & honore priuamus.* Ob quod Christus fons omnium bonorum nostrorum dici debet, ob quod illi immensæ gratiæ agendæ sunt,

Fidei constantia induxit Deum ad dissimulanda peccata,

Profectò si vitam, si mores, si cõ- B uersationem, si peccata tandem Catholicorum hominum considerem⁹, quare Deus sic illos sustinet, sic defendit: quare non vltimo afficit supplicio, prorsus attoniti hærebimus. Nihilominus si inuestigare voluerimus causam, solam inueniemus fidẽ, quia firmi in illa, quia fideles, quia rectè credentes persistunt; ideo parcit illis Deus, ideo dissimulat, quasi non videns ea, neq; attendens. Hinc illud nobis consilium dat S. Paulus instruẽs nos, quomodò aduersus dia- C bolum armari debeamus, illud nobis consilium dat: *Induite vos armaturã Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Et paulo post dicit: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ne scilicet debilem putaremus hostẽ, atq; ideo minimè timendum. Nam in inimico quatuor sunt valde timenda, potentia, nequitia, calliditas, auxiliantium multitudo. Da aliquem ista omnia possidentem, & do tibi inuincibilem, do timendũ: hæc omnia D simul in summo gradu possidet dæmon. Ait Apostolus loco citato: est potens dum Princeps, & non simplex, sed potestatem habens, dominãs, regnans, puniens virtutem exercens.

Ad Ephes 6.

S. Greg: Dicit S. Gregor: lib: 32. Moral: cap: 10. *In quantum ergo aliqui dæmones inducunt aliquos ad rebellandum Deo, dicuntur Principes; in quantum verò habent potestatem puniendi illos, qui eis subijciuntur, dicuntur potestates.* Inimicus ergo noster ita potens est, vt non solus sit, sed multis vallatus exercitibus peccatorum hominum parentiũ ei, & ad nutum obsequentium.

Singulis vitiis singuli præsunt dæmones.

Vnde rectè Origenes, ordinem contemplatus dæmonum in nostra contemplatione, affirmat in quolibet vitio vnum esse dæmonem Principẽ, cui multitudo aliorum obsequitur, & tamen super hos Principes vnum superiorem ponit, cui intensissimè omnes obediunt. Sic homilia 15. in Iosue. Postquàm dixit, singulis hominibus singulos esse dæmones adtentandum, & pro varijs vitijs, varios etiam dæmones, hæc subdit: *Sed puto magis, Principem quidem fornicationis spiritum vnum esse, innumeros verò esse, qui in hoc ei officio pareant, & per singulos quoq; homines diuersi spiritus sub eo Principe militantes, ad huiusce modi peccata eos sollicitent, similiter & iracundiæ spiritum Principem vnum esse, innumeros verò sub eo degentes: Similiter & auaritiæ, sic & superbiæ, & cæterorũ malorum: tamen reor omnium Principem velut eminentiorem quendam in nequitia, & in scelere celsiorem, qui totum mundum, quem isti ad peccata singuli quiq; per peccatorum species pro parte sollicitãt, solus velut omnium Principum dux, & totius nefandæ malitiæ magister exagitet.* Quomodo ergo homo insultus dæmonum vincere, ac sustinere poterit? cùm ille vnus sit, ipsi innumeri; ille à seipso dissitus, ipsi concordes; ideo dum est in peccato Deo rebellis, ipsi obsequentes, ille simplex, ipsi astutissimi; ille caro, ipsi spiritus; ille rarò ad bonum suum intentus, ipsi semper ad eius perditionem; equidem non aliter nisi diuina fide armatus.

Origen:

Et ne forsan putemus, cor dæmonis esse molle, mite, compassiuũ, statim occurrit Scriptura Sacra Iob: 41. sic loquens: *Cor eius indurabitur tanquàm lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Quid durius? Quid fortius? cor rigidum, & hirsutum, signũ est fortitudinis teste Plinio lib: 11. cap: 37. *Cùm cor carneum sit, sine osse, præterquam equi, & generis cuiusdam boum, in quibus officula quædam fortitudinis, & sustentandi causa inueniuntur.* At in dæmone, quem Iob sub specie Le-

Iob: 41.

Plinius.

piatan depinxit non officula, sed lapideum, imò ferreum cor, & malleo ductum, imò velut ipsa incus, quæ ex continuo ictu durissima euadit. Quo nobis indicat vim, potentiamq; dæmonis, nullis cedentem difficultatibus, nullis externis viribus, & aggressionibus, ita in damnum constipata nostrum, vt semper dura, inflexibilis ysq; in finem nos tundat, percutiat, cædat indesinenter, inceſſanter. Dicit enim S. Basilius homil: 15, in Ps: 61. v. 1. *Non contenti prima irruptione, secundam & tertiam inuehunt, donec sic animam prolapsi subuertant, vt similis sit parieti inclinato, & maceriæ depulsæ, qui mox, vt alterutram inclinat partem, prorsus necesse sit, dissolutus vt concidat.* Verùm pace dixerim S. Basilij, dæmones non tantùm secundam, & tertiam; verùm etiam centesimam, & millesimam irruptionem inuehunt, ita continui, ita duri, ita perseuerantes semper ad ruinam nostram sunt. Deus bone, quis illis resistet? nos molles, illi duri; nos carnei, illi ferrei; nos corde blandissimo, & vt verius loquar, incudineo. Sanè, nisi nos fides diuina subleuaret, etiam ad vnicam diaboli irruptionem concideremus.

S. Basil:

Et hoc inde procedit, quia dum sumus constantes & stabiles in fide, licet peccatores, licet impij, licet multorum criminum rei, ad Deum liberum habemus recursum, & facilem accessum, qui fidem sanctam, donum suum præstantissimum in nobis firmiter permanere cernens, illico periclitantibus succurrit. Ait S. Paulus ad Hebr: 6. v. 28. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmã, & incedentem vsq; ad interiora velaminis.* Egregiè profecto, spem firmam, tutam, ac immobilem anchoræ comparauit, quam si in saxo eijcis, reijcis; si in portu, figis. Ergo ne homo diabolicis tentationibus succumbat, fide sancta muniri debet: neq; enim illum spes in homine posita liberare poterit.

Ad Hæbræ: 6.

Sic quondam Sennacherib 4. Reg: 19. superbè suos legatos miserat ad Ezechiam Regem Israelitarũ: *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, neq; dicas non tradetur Hierusalem in manus Regis Assiriorum.* Vultis scire, in quo impius iste Rex nimiùm confidebat? causam aperit sacra pagina hæc subiungens: *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in sublimitate Libani, & succidi sublimes cedros eius, & electos abietes illius & ingressus sum vsq; ad terminos eius, & saltum Carmeli ego succidi, & bibi aquas alienas, & siccani vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas.* In solis ergo curribus fidebat, quasi iam plenam victoriam obtinuisset, vt exponit Lyranus inquiens: *quia licet adhuc ista non fecerat, tamen ex superbia cordis reputabat se certitudinaliter facturum.* Si igitur homo gentilis tantam spem ponebat in suo apparatu bellico, quantò magis nos eam in Deo vero, & sanctis eius Angelis, nostris custodibus figere debem⁹. Quod cùm negligamus, meritò affligimur, & castigamur.

4 Reg: 19.

Gentilium fides in rebus terrenis.

Fides ergo sola nos cum Deo cõiungit, fides tanquàm scutum inexpugnabile nos protegit. Hinc D. Paulus ad Hebr: 11. dicit: *Fides est sperandarum substantia rerum.* Vbi licet non rigorosè definiat fidem; eam tamen describit ab effectu, vt explicat concilum Arausicanum, docens hanc descriptionem factam esse ab Apostolo per officium fidei primariũ. Et ideo, quando dicit Apostolus: *Fides* est substantia rerum sperandarũ, non debet intelligi, quòd fides sit de genere substantiæ, in quantum videlicet est prima inchoatio, & fundamentum quoddam quasi totius vitæ spiritualis; quemadmodùm substantia omnium accidentium, spes enim, & ipsæ res sperabiles à Domino Deo innituntur fidei catholicæ, sine qua iuxta scripturam sacram, impossibile est placere Deo, & aliquid à Deo sperare, inducíq; ad rectè operandum, sperando præmium laboris à Deo. Proinde fides non formaliter, sed causaliter est substantia sperandorũ: quis

Fidei descriptio.

quis enim quidpiam speraret à Deo, nisi fide crederet promissa sibi esse ab eo pleraq;. Vnde S. Augustinus in prædicta definitione, loco *sperandorum*, ponit sperantis. & quidem melius: quoniam fides fulciendo sperantem, in incerto alioqui ex se præmio laboris in hac vita, est quodam modò substantia eius, in qua ille firmiter stet, seu subsistat.

Ad Hebræ: 11.

Bene itaq; S. Paulus descripsit fidem, inquiens: *Fides est sperandarum substantia rerum.* Vbi per substantiam intelligitur *subsistentia*, & *existentia*: quoniam fides, quando viua, feruida, & efficax est, ita futura prospicit, ac si essent præsentia; vnde mentis oculis eis repræsentans illa, talem confert subsistentiam, quasi oculis cernerentur. Supra quam dùm spes fundatur, ita fortiter, ita fixa, ita immobilis permanet, ac si hominem in cœlo de facto constituat, vt ingeniosè aduertit S. Chrysosthomus in Psal: 54. ita scribens: *Per spem iam sumus in cœlis, etsi è mundo, etsi è vita nondum excesserimus iam sumus in promissis.* Quia verò non ita firmiter Catholici Deo credunt; idcirco nec firmiter in eo sperant. Vnde cùm eorum fides non sit subsistentia, id est, quasi rem subsistentem eis repræsentans, inde fit, vt nec in eum firmiter, solidè, ac fortiter sperent, sed remisse; è contra verò mali fortiter sperant, quia apertè vident, hinc ampliùs illi in vanis suis; quàm nos in vero Deo nostro speramus, debili nostra totum hoc, constante fide, & ideo omni reprehensione digni sumus.

S. Chrysosth:

Sennacherib blasphemus cur non occisus ab Angelo

Mirantur vehementer Doctores, quòd Deus sennaheribum licet blasphemum noluerit occidere, sed solum exercitum eius. Causam reddit Abulensis 9. 30. asserens id factum esse, *ad inferendam maiorem ei pœnam*. Tum, ex morte suorum, tum ex ignominioso reditu, tum ex amissione rerum acquisitarum, tum insuper ex morte inferenda à proprijs filijs in ipsomet suo regno. Verùm aliam ego rationem reddo, dicoque Deum noluisse occidere sennacherib

bum, vt miser agnosceret, in quibus confidebat, cur se contra Deum erexit, & ex illismet infelicem se factũ, à quibus felicem se æstimabat, ad exemplum & doctrinam omnium posterorum, vt intelligamus eò nos miserabiliores futuros, quò fidentiores in rebus humanis, imò eò in ærũnis, ac miserijs prolixiores, quando non in Deo, sed in hominibus, in rebus vanis, & caducis spem collocamus.

Stupendum est, quod Pincerna Pharaonis Ioseph oblitus, ita cõstans in obliuione toto biennio permanserit, nec priùs sibi in mentem reuocauerit eius beneficium; quàm somnia vidisset Pharao. Dicit scriptura sacra: *Post duos annos vidit Pharao somnium.* Tunc primum magister Pincernarum recordatus est Ioseph Regem alloquens: *Confiteor peccatum meum. Iratus Rex seruis suis, me & Magistrum meum retrudi iussit in carcerem, Principis militum. Vbi vna nocte vidimus somnium præsagum futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, audiuimus, quidquid postea probauit re euentus: ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce.* Quid causæ tam diuturnæ obliuionis? Respondet Philo, vt per hoc ingrati hominis ingenium, & simul Dei voluntas declararetur, ita concludens: *Nemo ingratus beneficiorum meminit, vel quia Deo visum est, iuuenem non humana, sed diuina ope ad felicitatem prouehi.* Verùm, vt ille æstimaretur ingratus, & Dei auxilium innotesceret, nonne sufficissent tres, aut duo menses? ad quid ergo biennium? Existimo ad culpam hominis confidentiæ expiandam: quoniam plus in homine, quàm in Deo confidebat, qui post somnium enarratum, tanquam mercedem sui memoriam exposcebat. Genes 40. *Tantummodò* inquit *memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum, & innocens in lacum missus sum* Considerate diligenter, & perpendite extremam in hoc homine con-

Gentilium fides in rebus terrenis.

Gen: 14.

Philo.

Gen: 40.

ne confidentiam. Postulabat ille solam memoriam à Pincerna, nihil dubitans de voluntate, ita fidebat in illo, misericordiam ab eo expoſcens, ac ſi Deus eſſet. eductionem à Pharaone expoſcebat, quaſi ab illo ſolo penderet, ac tandem innocentiam allegabat, ac ſi iam de re acta, & velut nihil ampliùs, quam ſuggeſtio deficeret: idcirco per biennium punitus eſt, vt inde miſericors euaderet, vnde ſperabat ſe feliciorem futurum.

S. Chryſoſth: Hæc eſt mens S Chryſoſtomi homil: 6. in Epiſt: ad Titum loquentis: *Ioſeph in vincula coniectus, cùm carcerem egredi properaret, tunc maximè immorari permiſſus eſt, audi namq; ipſum dicentem, memento mei apud Regem, meritò & hoc ipſe paſſus exiſtimatur, quoniam dixit, memento mei, vt diſceret in hominibus non eſſe confidendum, ſed ſpem omnem in Deo dirigendam.* Vt hinc addiſcamus non in homine, ſed in ſolo Deo fidendum eſſe.

Oſtẽdi igitur, neq; Gentiles, neque Iudæos, neq; Arrianos, neq; Hæreticos, ſed ſolos Catholicos Chriſtum triduo ſequi ac ſuſtinere, ob fidem ſanctam in Baptiſmo ſuſceptam. Proinde ſi volumus cum Chriſto in æternum regnare, fide firma ambulemus, vt ſic ad Deum accedere, & illi poſſimus placere. A.

❋❋

DOMINICA VII.
POST PENTECOSTEN.
CONCIO PRIMA.

Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos. *Matt: 7.*

Paradiſus à Chriſto plantatus eſt Eccleſia ſancta; arbores verò ſunt iuſti homines.

Gen: 1. NVllam arborem otiosã & infructiferam Deus eſſe voluit in hoc pulcherrimo mundi opificio, ideoq; dixit Geneſis 1. *Germinet terra lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus ſuum.* Vbi ad hoc Imperium opificis, ſine vlla mora protinùs ones ſyluæ denſabantur, omnes arbores erumpebant, & quæ petere cælum altitudine ſolent abietes, pini, cedri, cupreſſi: & quæ non alta petunt omnes etiam frutices frondoſæ denſæq;; & quæ coronaria vocantur.. Roſæ, Lauri, Myrthi vniuerſæ, temporis vno momento, cùm antea non eſſent, extitêre: ſingulæ proprijs inſignitæ formis: nec dum ſatis: ſed vt palam fiat, quantum Deus fructiferis delectetur arboribus, ſuperaddit quoq; ſcriptura. Plantauit quoq; Deus Paradiſum, & collocauit in illo omnifariam pulchritudinem arborũ, quæ & gratiſſimæ eſſent aſpectu, & iucundiſſimum ſui exhiberent vſum. Sed quid opus erat Paradiſo, cum iam terra frugiferis vbiq; conſita eſſet lignis? Quare ergo ſeparatim, præter ea plantarũ genera, quæ iam producta erãt, ſingulares ac ſingulari ſtudio quoſdam arborum hortos, ab ipſo Deo conſitos ſcriptura refert? Magna profectò nouæ iſtius plantationis diuinæ neceſſitas erat, vt ibi Deus plantaret Paradiſum, vbi nulla eſſet ventorum vis, nulla tempeſtatum intemperies, nulla grando, nulla fulgura, nullæ procellæ ac turbines, nulla fulmina & tonitrua; vt cum vulgaria terræ ligna facile hyemalis glacies frondẽtibus folijs ſpoliet, veris nimia humiditas eadem ad putredinem deducat æſtatis feruor creſcẽtes fructus adurat, autumni ſiccitas eoſdem ab arboribus decidere faciat; vt inquam præſtantiores in Paradiſo arbores ab ipſo Deo plantatæ, melioti temperie, & tempeſtatum inter ſe pacifica conſonantiâ, ita ſingulæ propria venuſtate ornatæ perpetuò aſſeruarentur, vt nec præcedens à ſequẽte incommodi quicquam ac inſidiarum metuere poſſet, nec verno deco. B ri ſubſequens æſtas noceret, neq; æſtiui vel autumnales fructus præ ſenio defluerent. Plantauit igitur Deus Paradiſum in Edem versùs orientis plagas, id eſt; in delicijs. nam *Edem* delicias ſignificat. Huius profecto plãtationis hodiè meminiſſe Chriſtum video, cùm totum ſuum Euangelium fermè de ſolis arboribus, & fructu earum deprædicet. Sed quoniam nomina arborũ iſta non tacentur. Quid plantati à Deo Paradiſi & arborum C nomine intelligi debeat, diuino ſuffragante ſpiritu ediſſeram.

Quare ipſe Deus paradiſum plantauit.

S. Aug: Hieron: Hilari? Iſidorus

Veterem illum Paradiſum tertio creationis die conditum, velut auguſtum quoddam palatium, in quo Adam cùm Eua tanquàm Rex cum Regina habitaſſet, vniuerſali aquarum diluuio interijſſe, non pauci Doctorũ probabiliter opinantur. cùm adeò tunc aquæ inundauerint ſuper terrã, vt quindecim cubitis ſupra omnes montes eleuarentur. Extare verò illum etiam nunc, probabiliſſimũ pu- D tant. Diuus Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, Iſidorus, tum propterea, quòd Elias & Enoch ibi habitare dicantur à Sanctis Patribus: magna tamen ex parte immutatum, & ab inundantibus aquis deſtructum eſſe fatentur. Huic profectò ſententiæ ſubſcribendũ ego hodie cenſui: tum ideò, quòd Chriſtus Dominus velut prouidus hortulanus in terras veniens, vt ruinam illius antiqui Paradiſi reſtauraret, nouum & multò præſtãtiorem producere voluerit, in quem bonum Latronem primum introduxit, inquiens: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiſo.* Non enim hìc nomine Paradiſi, amæniſſimus ille orientalis hortus intelligi poteſt? ſiquidem Chryſtus eo die non deſcendit in terreſtrem Paradiſum, ſed potiùs in limbos inferorum aſſerente id Apoſtolico ſymbolo. *Deſcendit ad inferos.* Neq; etiam poteſt intelligi nomine promiſſi illius Paradiſi regnum Cælorum? cùm illo die non fuerit Chriſius cælum ingreſſus, ſed poſt quadraginta dies. In nouum igitur Paradiſũ introduxit Latronẽ Chriſtus Dominus die mortis ſuæ, ſcilicet in claram viſionem eſſentiæ diuinæ, quam latro Chriſtum confitens finito mortalis vitæ curſu, videre meruit. Hic eſt nouus Paradiſus à Chriſto plantatus, ſcilicet clara Dei viſio, quæ regnum eſt Chriſtianorum, cælum fidelium, paradiſus iuſtè viuentium. In hunc Paradiſum nimirum ad videndum Deum raptus Beatus Paul?, tantâ fuit perfuſus lætitiâ, vt omninò ignoraret, num in corpore, num extra corpus illum viderit; vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et quo nam pacto patriam æternam conſpectui noſtro conſpicuè proponere potuit Deus, vt nos hinc ex iſto reuocet exilio? quàm dùm Paradiſum hunc nouum mira amænitate omnem appetitum creatum exſatiantem, credentibus promiſit. Exodi 33. *Oſtendam* inquit *tibi omne bonum.* (id eſt me ipſum) Quaſi diceret: Quæ hic in terris vobis iucunda ſunt ô homines, non ſunt ſolida, & perfecta bona: ſed triſtibus permixta. Nam verè in omnibus humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſincerum ſit, ſed confeſtim lætitiæ & hilaritati conglutinetur mæſtitia: coniugio viduitas: puerorum educationi, cura & ſollicitudo: fecunditati aborſus, vitæ ſplendori ignominia, proſperis ſucceſſib? diſpendia: delicijs faſtidium: ſanitati infirmitas. Florida & iucunda eſt roſa, ſed homini triſtitiam infligit. Nam quotieſcunq; florem hunc conſpicimus, peccati noſtri admonemur.

Exodi 33.

mur, propter quod terra vt ſpinas & tribulos proferret, condemnata eſt. Delicata eſt vernantium florum gratia, ſed citò tranſitoria ac breui momento deſiderantes deſtituit. Etenim terreni Paradiſi flores, in ipſis adhuc manibus conſtituti marceſcũt. In ſolo Paradiſo à Chriſto plantato, florum ſplendor non eſt momẽtaneus, ſed conſtantem habent iucunditatem, elegantem aſpectum, infinitum oblectamentum, inſatiabilem fragrãtiam, & colorum elegantiam refulgentem. In Paradiſo enim Chriſti, B vbi dulci præſentiæ diuinæ fruitione recreantur Angeli, creſcentes ad æternitatis beatitudinem roſas, non perturbant impetus ventorum, non flauefaciunt neomeniæ, non glacies horrida congelat, nec ſolis inflãmatio torrefacit: ſed flatus quidam ad menſuratus tenuem & iucundam reſpirationem adfert, leuiter illos, qui florebant ſicut Lilia in conſpectu Dei placidè afflans, ac in domabilem tẽpori gratiam ipſorum conſtituens & conſeruans.

Et quibus obſecro plantis conſitus eſt Paradiſus Chriſti? certè non alijs, niſi iuſtis & fidelibus, dicente id in Euangelio diſcipulis ſuis Domino.

Ioan: 15. *Vos eſtis palmites, & Pater meus agricola eſt.* Atqui Pater æternus non alium excolit agrum, non alium plantat hortum, niſi cæleſtem Paradiſum? vbi ſe benè meritis clarè videndum proponit, igitur & homines quos excelſi dextera plantauit, non ſunt plantæ niſi ipſiuſmet viſionis diuinæ. Hoc ipſum comprobat Deus per Prophetam. *Ego inquit plantaui vineam electã fructiferam & totam veram.* At vbi fructifera magis vinea, quàm in Paradiſo Chriſti? vbi omnia perfecta ſunt, omnia tempeſtiua & matura, non paulatim accepto incremento adducta; ſed beatificæ viſionis vigore cõſumãta florent. Agnouit hoc magnus ille ſacræ paginæ ſcrutator Diuus Baſilius, qui Homilia 8. Hexameron hominem, hoc ipſo cæteris viuentibus præfert, quod animam illius viuentem non terra produxerit, vt iumentorum, reptilium, atq; ferarum, ſed ipſemet Deus creauerit quaſi præſtantioris multò quàm terreni paradiſi plantam. Vnde dicit Diuus Baſilius. S. Baſil. *Planta cæleſtis homo eſt, qui quantum figura formaq; corporis cæteris animantibus antecellit, tantum & dignitate animæ præſtat.* Nam qualis eſt animantiũ quadrupedum forma? Caput illis ad humum eſt pronum, ad ventrem ſpectat, voluptatem omnibus modis appetit, caput autem hominis ad ipſum cælum erectum eſt, vt oculi eius res ſupernas perpetuò conſpiciant. Quodſi aliquando & homo carnis affectionibus ſeipſum ſubiecerit, ſi ventri & voluptati temporaneæ deditus fuerit. Iam tunc deſinit eſſe planta Paradiſi Chriſti; ſed comparatus iumentis ratione carentibus, illis perſimilis efficitur. Alia enim cura decet hominem, quàm iumenta mente deſtituta: nimirum res ſupernas explorare, quærere vbi Chriſtus Saluator noſter collocatus eſt, pergere mente ad res ſublimes, C atq; cæleſtes, terrenis deſpectis & poſt habitis. Planta cæleſtis Paradiſi eſt homo, qui pietate & virtutibus abundat maturoſq; meritorum ſuorum fructus in Chriſti Eccleſia Deo præſentat. Hoc docet Diuus Ambroſius libro de Paradiſo. Capite 3. S. Ambroſius. *Eſt ergo* inquit *Paradiſus terra quædam fertilis, hoc eſt, anima fecunda præſentem ſemper in ſe Deum retinens per gratiã.* In terreno illo Paradiſo erat fons quidam limpidiſſimus, qui fœcundam illam terram irrigabat; in cæleſti D Paradiſo fluuius quidam multò nobilior profluit, ipſemet Dominus IESVS Chriſtus, fons vitæ æternæ, qui animas fidelium velut ligna fructuoſa, abundanter irrigat, vt maturos fructus proferant in vitam æternã. Vnde ad hauriendas iſtius fluminis aquas incitat Salomon Prouerbiorũ. Prou: 5. 5. *Bibe* inquit *aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus.* Quaſi diceret; ſcaturiat ô homo ex tua virtutibus exercitata, & plena voluptatis gratiæ anima, delicatiſſimus ille torrens inceſſanter Chriſtus IESVS, fœcundet virtutes animæ tuæ, eminẽtiſſimo merito pullulantis. Mirabilis profectò erat fons ille terreni Paradiſi. Nam diuidebatur in quatuor fluuios Nomen vni erat Phiſon Geneſis. 6. ſecundùm Græcos Ganges dictus, qui abluebat omnem terram Euilath, ſiue totam Indiam, vbi eſt aurum optimum, vbi naſcitur carbunculus & lapis praſius. Nomen ſecundi Geon ſeu nilus, qui circuit Ægyptum, & totam Æthiopiam. Nomen tertij Tygris, qui fluit contra Aſſyrios. Quartum verò flumen eſt Euphrates qui B ambit Meſopotamiam. Ex anima pariter pietate & religione cultâ, fons quidam promanat gratiæ ſpiritualis, vt irriget diuerſarum fructus virtutũ, quarum pariter, ſicut fontis Paradiſi ſunt quatuor initia; vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum Iuſtitiæ. Hæc ſunt quatuor fluenta virtutum hominis Catholiciſſimi, ſi prudentiam habet homo, bona arbor eſt, & bonos progenerat fructus, ſcilicet aurum, C ſplendidum, carbunculum, pretioſum lapidem praſium. Et quod purius aurum cogitari poteſt innocentia conſcientiæ, mentis integritate? quæ omnia bona & timorata anima parturit, dùm ne in ſeruitutem diaboli incidat, libertatem in Chriſti gratia ſpatiantis retinere vult. Libertatem ſuam illæſam ſeruare volentes olim Romani inquit Capaccio. libro 2. effingere ſolebant ſerpentem, ſuper altare cum inſcriptione; *libertatis populi vindex*, quid aliud timorata hominis anima facit, vt inuiolatam ſuæ D innocentiæ libertatem retineat? ſerpentem in cruce affixum, ob oculos ſibi frequenter ponit, cum inſcriptione: *libertatis conſcientiæ vindex.* quo Capacio ſpectaculo ita deterretur à peccato, vt ne in vanam cogitationem deflectere velit. Quid enim aliud Ioſephũ illum Ægypti proregem terruit, vt detracto ſibi pallio fugere maluerit; quàm occultum cum Regina adulterium patrare? certè Dei ipſius præſentia; quam ſemper in corde ſuo ſpectabat. *Quomodo* inquit *poſſum ego*

A *malum facere & peccare in Dominum meum.* Geneſis 38. Noluit offendere Regem; ſed principaliter Deum, caſtitatem ſuam conſeruare plus adamans 5. Gen: 38. Dicit enim Beatus Iſidorus. S. Iſidor. *Amanda eſt pulchritudo caſtitatis cuius deguſtata delectatiò dulcior inuenitur; quam carnis, caſtitatis namq; fructus ſuauitatis eſt & pulchritudo inuiolata ſanctorum. Caſtitas ſecuritas mentis eſt, & ſanitas corporis.* Quod agnoſcentes plurimi gentilium perpetuam veneris abſtinentiam exercuerunt, ne virtutem libidine frangerent. Luxuriоſa namq; vita carnem citò debilitat, fractamque celeriter ducit ad ſenectam. Pulchrum Epigraphe non nemo poſuerat ad roſam; *Ante fugam fugit*: vix enim roſa ad perfectum deducitur, & ſtatim munitur aculeis, quodſi contingatur, mox contacta defloreſcit. Caſtitatis profectò ſuæ quiſque cuſtos eſſe debet? ſed talis vt ante fugam fugiat, hoc eſt; vt quælibet virgo ſuæ virginitatis amãs muniatur ſeuerâ cuſtodiâ, veluti pũgentibus quibuſdam ſpinis, vt nulli ad eam pateat aditus, vt caueat ſemper & trepidet ad ingreſſum viri, ad loquelam garrulam, ad geſtus laſciuos, ad cogitatus inhoneſtos, ad deambulationes liberas & ſolitarias. Hic enim eſt primus arboris bonæ ramus aurum parturire, id eſt; conſcientiæ puritatem, vt germinet ſplẽdidum carbunculum, ignem ſcilicet diuinæ charitatis,

Secundus de Paradiſo manabat fluuius Geon, iuxta quem lex data erat Iſraèlitis, cùm eſſent in Ægypto conſtituti, vt ex Ægypto recederẽt, & ſuccincti lumbos ederent agnum, quod inſigne erat temperantiæ. Ex anima profectò fideli hic alter fluuius dimanare debet, ſcilicet temperantia, vt omnes corporis paſſiones penitùs aboleat, vt abluat, corpus abiectum, & carnis vilſſimæ reſtinguat incendium. Tertius ex Paradiſo manabat fluuius Tygris, qui contra Aſſyrios egrediebatur, ad quem prævaricator Iſraèl captiuus eſt ductus. Hic fluuius velocior dicitur eſſe omnibus. Lex Iſraélitis data de exitu ex Ægypto.

mnibus. Quid aliud est animi fortitudo, nisi velocissimus quidam ex anima fidelium dimanans fluuius, præuaricantia corporis vitia citò captiuans, & hominem dirigens ad superna. Quartum flumen cor hominis irrigans est iustitia, quæ omnem pascit animam. Nulla enim virtus abundantiores videtur habere fructus, quàm æquitas atque iustitia, quæ magis alijs; quàm sibi prodest, vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. Fæcunda proinde mater est omnium virtutũ, iustitia. Nam reliquas virtutes, licet illæ magnæ sint, aliquid tamen imperfectionis comitatur. Nam prudentiam subsequitur malitia; fortitudinem iracundia; temperantiam luxuria: at verò vbi iustitia est, ibi concordia virtutum omnium. Quatuor proinde in terrestri Paradiso fluuios ex vno fonte scaturire: voluit Deus, vt ex illis omnibus biberet homo. quatuor etiam virtutum flumina exhibuit suis fidelibus Christus, vt dulci illorum potu recrearetur anima, prudenter operando, à vitijs omnibus abstinendo, fortiter tentationes superando, & iustè ac sine nocumento proximi bonis temporaneis vtendo. In Paradiso terreno præ alijs arboribus, peculiares fuerunt duæ, altera lignum vitæ dicta; altera scientiæ boni & mali, quarum admirabilis quidam effectus erat. Arbor enim vitæ comesta secundùm fructus suos, communicasset immortalitatem, seu perpetuitatem in viuẽdo corporaliter, quia restaurasset humidum radicale, mira puritate & sinceritate, caloremq; alioquin debilitandum, actione & reactione in alimentum corroborasset. Iam verò arbor scientiæ boni & mali, eam vim habebat, vt beneficio illius comestæ didicerint experientiam boni & mali primi Parentes, cognoscendo nimirum quid sit bonum & malum, tàm Morale; quàm Physicum. In Paradiso Christi duas quoq; arbores plantatas videmus, nimirũ lignum vitæ, sacratissimam nostri redemptoris crucem: quæ omnes mortales viuificat, in pristinum amissæ gratiæ statum eosdem restaurans. & Beatissimam virginem ceu arborem scientiæ boni & mali, vt illius suffragio acquirat homo scientiam boni illius summi, Dei nimirum Præpotentis, acquirat quoque experientiam mali, vt cognoscendo malum morale, quod Dei ipsius offensiuum est, illud totis viribus fugiat. Hæc certè erat vnica scientiæ boni & mali arbor. Nam vtramq; scientiam boni contulit, contulit scientiam boni, dùm incarnatam illam peperit mundo sapientiam, contulit & scienciam mali, dùm caput serpentis conterens modum ostendit, quo infernalis potentia superari debeat. Hæc eleganter disertissimus Philo Iudæus edixit, de opificio mundi, & lib: 1. Allegoriarum. *Paradisum* inquit *puto quidẽ innuere animi principatum, qui quasi infinitarum arborum variarum opinionum est plenus; per arborem autem vitæ significari pietatem quæ maxima est omnium virtutum, per quam anima efficitur immortalis.* Arbor autem dignoscendorum bonorum & malorum, designat prudentiam in medio positam, quâ naturæ contraria diiudicantur.

Sed quid est, quòd scriptura dicit Genes: 1. *Plantauit Deus Paradisum, & posuit illic hominem, quem finxerat.* quare alibi homo conditus, & postea in Paradisum translatus est? rationem scriptura assignat, *vt* inquit *operaretur & custodiret illum.* Non gratis igitur Deus Paradisum homini terrestrem conferre voluit; sed pro labore & dignis operibus. Figura hæc salutis erat humanæ. alibi nos Deus omnes formauit, quia in hoc corruptibili mundo, vbi simul corruptione eius peccaminosa inficimur omnes. Paradisum autem nobis Christus parauit in cælo. Et gratis ne illuc nos misericordissima eius dextera transferet? minime: tantum enim præmium nonnisi dignis debetur meritis, cùm & ipsamet veritas dicat, *Venite ad me omnes qui onerati estis & ego reficiam vos.* At, vbi homo

Iustitia alijs virtutibus perfectior.

Ligni vitæ & scientiæ fructus.

Crux S. est lignũ vitæ.

Philo Hebræ

Gen: 1.

homo laborare debet? certè in vinea Christi, in Ecclesia sancta; hic enim si homo creuerit in arborem bonam, dubio procul ad plantandum cælestẽ Paradisum transferetur, quia non decet in amænissimo illo Paradiso, nisi fructiferas arbores collocari. Arbor igitur bona & cælesti Paradiso digna est solus homo iustus in Christo Iesv feliciter renatus, cuius fructus non sunt alij, nisi verba & opera, cùm homo pius nihil aliud loquitur, nisi quod decet sanctos, & vt sermonibus suis multis prodesse possit, vt dicitur Matt: 15. *Luceat Lux eius coram hominibus.* Operacius sunt rectè viuere, nulli nocere, & vnicuiq; ius suum reddere. Et quid magis decet Christianum hominem, quàm recta viuẽdi ratio? vt homo attendat sibi ipsi, ne mortalibus, vt sempiternis incumbat: & ne sempiterna, vt citò transitoria despiciat. Si rectè viuere vult homo, spernere debet carnem, quia hæc citò præterit; animam verò curare vt pote rem immortalem, siquidem corpore molliter se habente, necesse est, vt mens eneruis ac debilis ad proprias actiones existat. Contra verò anima bene habens, ob cælestiũ meditationem, bonarumq; actionũ exercitationem, ad propriæ magnitudinis sublimitatem euecta, facit vt corporis habitudo tabescat. Quid magis vtile, quàm nemini nocere? cùm etiam concupiscendo aliena graviter peccemus. Frustra proinde ob diuitias tumes, aut propter progenitorum gloriam superbis, quia sic inferiores contemnendo, multis noces? frustra patriæ aut formosi corporis gratiâ, aut propter publicos honores exultas? quia sic non paucis ad te accedere verentibus, haud modicum noces. Proinde ne noceas, aut fastu tuo alios prætereas, meminisse debes, quia mortalis es; quia terra es, & in terram ociùs reuerteris? aut saltem illos inspicias oportet, qui in simili honore fuêre? vbi nam sunt ciuili potentiâ præditi? vbi inuicti illi rectores? vbi qui Panegyres instituerunt? vbi sunt illustres equestri certamine victores? duces? Satrapæ? Tyranni? Nonne omnia cinis & fauilla? Nonne eorum memoria in paucis est ossibus? Inspice sepulchra si discernere valeas, quis seruus fuerit, quis Dominus; quis pauper, quis diues? discerne inquam si potes eum, qui in custodia vinctus retinebatur, à rege: fortem à debili, formosum à turpi?

Non est igitur, cur alijs ob generis splendorem, aut honorum eminẽtiam, contemptu aut oppressione noceas? Quid magis proficuum homini Christiano, quàm æquitatem seruare? cùm iustitia Dei, non nisi iustos in cælestem Paradisum sit admissura? si igitur deest tibi auri & argenti splendor; non tamen ob hoc via alienum violare debes, quia lunam habes, quæ tibi auri loco copioso lumine lucet. Si desunt tibi aurei currus, quibus veharis? non ideò contra fas & æquum aliena appetere debes? cùm tibi pedes dati sint proprium vehiculum ac tecum genitum, desunt tibi cubilia eburnea, in quibus placidas noctes traducas? Nec tamen ideò alienis muneribus abduci debes, cum habeas humum ebore omni pretiosiorem, super quam etiam liberam ac dulcem captare potes requiem? Deest tibi augustum palatium, intra quod decumbas? sed cælum habes in enarrabili astrorum pulchritudine supra te coruscans. Hæc enim omnia terrena sunt. Præstantiora autem reperies, ad quæ animum adijcias. Nam propter te Deus homo factus est, Spiritus Sanctus datus, mors deuicta, resurrectionis spes firmata, præcepta Dei posita, vt vitam tuam instruant ad Deum: regnum cælorum monstratum est, corona iustitiæ parata, hæc potissimùm spectare debes, & vt in cælestem Paradisum admitti merearis, his solùm in præsenti animum tuum oblecteris necesse est? Si enim in terrestri Paradiso, postquàm homo ad terrena deflexit, ex illo statim pulsus est in exilium? quantò magis, qui solo nomine Christianus, & Deum ipsum obliuiscitur,

Idem 15.

non tantùm post decursum mortalis vitæ non transferetur ad Paradisum illum cælestem; sed etiam turpiter eijcietur; si iam nomen eius in albũ æternitatis relatum erat. D. Ioan: Apoc: 9 Apocalyp: 9. verbo: 2. testatur se vidisse fumum, & obscuratum solem. *Ascendit* inquit *fumus putei; & obscuratus est sol & aër de fumo putei.* Quid obsecro tantum excitare potuit fumum, vt solũ ipsum obscuraret? stella cadens de cælo, scilicet homo miser in peccatum lapsus: tunc enim de cælo cadit, quoniam conscientia pura illi erat cælum, sed postquàm datæ sunt ei claues putei, licentia scilicet & libertas peccandi, effrenata subitò fumo malæ vitæ obscurat solem & àërem, quia peccata peruersorum hominum & superborum obscurãt solem, id est Ecclesiam; & sanctis & iustis caliginem quandam inducunt. Quemadmodùm inquit D. S. Augustinus. August: *Nocent Catholici qui malè viuunt, & sibi & nomini quod gestant, & proximis suis, malis exemplis eos scandalizando.* Et quis est malus iste Catholicus? certè peccator quilibet, qui quamdiu in peccatis mersus est, velut arbor mala, nullum fructum bonũ facere potest, cùm in statu peccati nihil mereri valeat. Nomine tamen mali Catholici; Hæreticum & Hypocritam in fide intelligit S. Gregorius Nazian: Greg: Nazian: inquiens. *Contumelia est fidem in corporis superficie, non in corde habere.* Licet enim hoc proprium sit virtutis, vt opes suas occultet, teste Theodoretho. Theod: simia tamen virtutis hypocrisis, etiamsi portet virtutis insignia, ac subtiliter virtutẽ imitetur, vt malitiam suam occultet, quales sunt hæretici: Bernardus. vt inquit D. Bernardus, qui nocere; quàm vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, sed serpere. Hi sunt falsi Prophetæ à quibus maxime attendendum est: Hierẽ: 23 dicitur enim de illis Hierem: 23. *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem, prophetabant in Baal & decipiebant populum meum Israël.* Decipiunt enim Hæretici populum Dei, sub prætextu veræ fidei, falsam introducendo sciẽtiam; quâ tanquàm veneno infi-

A ciunt regna, & in eis varias causant turbationes ac tumultus.

Hinc grauissimè plerumque puniuntur Principes, qui falsam religionem in suis prouinciis tolerant: summè verò remunerantur zelozi in fide Reges, qui perfidis subditis minimè conniuent: quod innumeris exemplis palam fit. Imperator enim Theodosius fuit pientissimus, cuius Filij erant duo Arcadius & Honorius. Dum verò regnaret Arcadius, Gayna Dux exercitus potentissimus, sed B religione Arianus, moribusq; barbarus, petijt ab Arcadio, vt sibi & sectæ suæ asseclis Arianis, concederetur Constantinopoli, aliquod templum, in Exercitium deuotionis suæ; Sed Arcadius animosè id denegauit, contemnendo quæcunq; pericula, quæ ipsi, & imperio euenire possent. Furore correptus & percitus Gayna, noctu non paucos milites de suo exercitu misit, ad incendendum Imperatoris palatium. Et ecce vident Angelos custodientes & defendere paC ratos prædictum palatium, quo spectaculo perterriti, re infecta abierũt. Ecce quomodo Arcadij Deus zelum remunerauit? E contra verò Honorius, dùm videret Romam in periculo positam, tum propter Alaricum Regem Gottorum, qui Attillam Imperatorem esse voluit, spreto Honorio legitimo Imperatore: tum quòd nouerat Romæ multos adhuc fuisse Ethnicos, plures item Donatistas ex Africa, à quibus etiam non minus periculum imminebat Romano Im- Lex pro infidelibus lata pernicioſa. D perio, ne adiuuarent partes Alarici, & Attilæ: Quare Honorius vt omnium beneplacito seruiret, lege & statuto publico, libertatem conscientiæ Romæ promisit; & ecce mox eo ipso Roma ruinam pati cæpit. Tandem errorem suum recognoscẽs Honorius, legem illam abrogauit, vt iniquam: & tunc primum omnipotentis dextera suffultus, cum Alarico prælium commisit, eumq; cum ingenti exercitu, & cæteris aduersarijs feliciter vicit, atque Romam pacatam reddidit.

Princi-pes pro-fide ze-lozi à Deo pre-mian-tur.

Arcadij Imperatoris palatium Angeli defen-dunt.

Reco-

Recogitate hic paulisper, cur his A cessit? Nonne in prima statim mutemporibus, eo iam calamitatis Regnum Poloniæ deuenerit, vt nec inter ciues Patriæ concordia, nec domi pax, nec militiæ fortuna reperiatur? certè propterea, quòd nos omnes, quos Christus ad Cælestem plantauerat Paradisum, Deum ipsum deseruerimus, & nimia capti auaritiâ, non Polonia Iudæos & Hæreticos fouens affligitur. modo subditos Christianos Iudæorũ perfidiæ locare, sed etiam Synagogas extruere; hæreticis templa antiquitùs à pia Christianitate Deo & B Christo dicata, adiudicare; Arianis & tot alijs sectis liberum blasphemiæ in Deum Doctrinæ exercitium concesserimus? quo facto iratus Deus, nos à primæuo illo religionis zelo recedentes, per ipsos etiam ab Ecclesia Catholica auulsos affligère decreuit, cùm ipsi nihil abominabilius execranda hæresi esse possit. Quid enim afflixerat olim Boleslaum Regẽ Poloniæ in Prussia, & exercitum eius? nisi conniuentia, cùm leuiùs, quàm par esset Christiano Principi, violatã C & neglectam ab ipsis religionem Boleslaus ferret. Videntes enim Prussi impunè sibi cessisse primos ausus, sublatis animis, factaq; manu valida, crudeliter Polonam ditionem vastârunt ac diripuerunt, ingentesq; pecudum ac hominum prædas abegerunt, vt refert Cromerus Libro 6. Crom: Idem accidit regno Bohemiæ, vbi Vencedissimulãte Hæresim Venceslao duolaus to lerans decimo Rege Bohemiæ, ad tantam Hæreti turbationem regnum deductũ erat, cos, vi-tam, & vt ipse Rex & regno & vitâ priuatus D regnum extiterit. Quare regum Galliæ adamisit. hæc vsq; tempora fluctuat, nisi ob Hæreticorum impietatem, & regum Galliæ conniuentiam? Quis vngariam subiecit Turcarum Imperatori? nisi hæretici? Regem verò Stephanũ, quid erexit & in Regia sede collocauit, atq; ex equèstri statu principẽ, Stephanus ob zelum religionis Catholicæ in Regiũ throniũ euectus in Palatinatum, deinde ex Palatinatu in regnum promouit, multisq; victorijs & triumphis immortalem fecit, in Moschouia & Polonia: nisi zelus pietatis? quo armatus nunquàm in Palatinatu Transyluaniæ hæreticis

Sed vos Catholici mei cautiores estote, & quamdiu extra paradisum existitis, ad illum transferri satagite. Paradisum enim vobis monstraui cælestem, quem ipsemet Christus plantauit, sed extra hunc omnes creati sumus, nec aliter in illum nisi omnipotentis dextera, quemadmodum primus Parens noster transferri possumus. Non hic exultent fæminæ, quia mater illarũ Eua in Paradiso creata est, quia & hæc inter fæcũdas illas arbores aberrauit, dicente scriptura. Gen: 1. *Et adduxit eam Deus ad Adam,* Gen: 1. ideoque & illis sedula cura adhibenda est, vt cùm frequẽter aberrare soleãt, à primæua sua innocentia, quam in mundi paradiso acceperunt, feliciter ad Saluatorem IESVM reducantur. Non vereantur mundi Principes, ex

1. Cor: 5 v. 13. *auferte malum ex vobis,* inquit Diuus Paulus, ne tota Respublica cladem patiatur, expelite Hæreses, ne aulam inficiant, ne serpant, vt cãcer, errores eorum. Diabolus enim per infideles, rãquàm per sua instrumenta venenum propinare Christianis satagit. *Videns enim* (inquit Cy- S. Cypr. prianus de simplicitate Clericorum) *diabolus idola derelicta, & per numerum credentium populorum sedes suas ac templa deserta, excogitauit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani Nominis titulo, fallat incautos. Hæreses inuenit & schismata, quibus subuertere fidem, & veritatem conatur. Quia quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit & decipit noui itineris errore: rapit de Ecclesia homines, vt cùm sit mala arbor, non nisi malos fructus producat.*

Christi vinea malas arbores & plerũque noxios fructus infidelitatis producentes, extirpare. Si enim Deus olim Regem Ezechiam, præ omnibus alijs exaltauerat, & dotauerat, eò quòd contriuisset idola atq; statuas & simulachra. Si Regem Iosaphat, & Aza in summa pace & quiete regnare fecerat quòd omnem idololatriam è regno Dei propulsassent. Et Principes Christianissimos, si malas arbores Hæresim introducentes exciderint, dubio procul augebit victorijs & triumphis, atque in summa tranquillitate thronum eorum stabiliet. Sed & vos omnes cùm sitis plantæ Cælestes, si eieceritis omne malũ è cordibus vestris, transferet in Paradisum cælestẽ, vt ibi florere, & beatificâ illâ visione æternum frui valeatis. Amen.

Reges fidem promouentes à Deo exaltantur.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Non potest arbor bona malos fructus facere. *Matt: 7.*

Ecclesia sancta est arbor fructifera nouem ramis distenta.

MIrabitur fortasse quispiam, cur æternus ille Architectus, omnẽ mundi perfectionem arboris bonæ vmbrâ tegi voluerit? num ideò, vt delicatis arborum fructibus faciliùs ad se ipsum alliceret hominẽ? nam & in prima statim creatione, iisdem ferculis hominem, tractare cæpit, inquiens: *De omni ligno comedes.* Sed & ex fructibus bonæ arboris, quàm multi euentus mali? *Accessit* (inquit, S. August:) *Mundi totius Mater Eua ad prohibitam arborem, & ecce vt primum vetitum decerpsit pomũ, dolendum toti mundo intulit lapsum.* Quæ causa tanti mali? vtiq; arbor illa bona erat, cur igitur tàm noxia peperit mala? respondet S. August: *Arbor erat felix, sed vitio Euæ fructum habuit mortis.* Sed benè est Auditores, iustè mundi perfectio in arbore collocatur, quia primus illius lapsus, qui ab arbore cæpit, in arbore quoque in qua Dei Filius pependit, sanatus est. Beata (arbor) cuius brachijs pretium pependit seculi, quâ vita mortem pertulit, & vita mortem protulit. Hãc igitur arborem bonam, quænam sit, ex hodierna Christi doctrina inuestigabimus, vt saluberrimis eius fructibus pasti, post hæc terrena mala, nunquàm marcescentia æternitatis poma gustare mereamur.

S Aug:

Bonam hanc arborem, esse ipsã Dei Ecclesiam, pulchrè descripsit Psalmista Psalmo 1. *Erit tanquàm lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hæc arbor fæcundo sanguine Christi irrigata, præstantes cælo parturit fructus omnibusq; terrenis ægritudinibus vim medendi habet; quinimò & à morte hominem eripere potest. Scribit Cardanus de rerum varietate lib: 12. cap: 56 Matrona quædam Regia, occisum filium suum à Cemetho rege scotorũ, sic vlta erat. Parari iussit statuam miro artificio, in cuius manu pomum, aureum gemmis nitens hærebat, occulto nexu, quod quisquis tetigisset, statim iaculis plurimis ad mortem saucrabatur. Carpsit pomum Rex incautus, & ignarus doli, sed mox confossus illicò interijt. Quid infernalis ille animarum hostis facit, nisi aureum pomum, mundanas scilicet delicias gemmis nitens, id est; momentaneis voluptatibus inspersas proponit homini, quibus immersus homo, veneno earum intus latenti interit, nec alibi quàm in hac arbore, scilicet; in Christi Ecclesia medicinam quærere potest, cuius remedijs saluberrimis ab omni mortifero casu reseruatur. Arbor hæc nouem ramusculis dilatata, vt sic in nouem Angelorum choris, magnam illam restauret iacturam, quàm superba Luciperi Altissimi solium conscendere volentis ambitio, & inordinatus appetitus causauit. Primus illius ramus est vnitas, Deus enim hoc maximè appetit,

Psal: 1.

Carda:

Cemetũ Regẽ pomũ perdidit

Deus maxime vnitatem in hominibus appetit.

tit, vt simus vnum cum illo; id circò, hanc vnitatem in Adamo pulchrè expressit Genesis 3. quando illum velut suam imaginem propriam, his vocibus compellaret. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis?* Vnitas autem ista Ecclesiæ cum Deo, duplex est, numerica & continuationis: vnitatem numericam habet, quia ab initio mundi vna semper fuit, Dei Ecclesia numero, licet status illius tendentiæ, ab imperfectione ad perfectionem fuerit varius: plane sicut hominis ab infantia ad pueritiam, inde ad adolescentiam, & hinc vsq; ad senecturem, eadem est numero essentia, licet status diuersi. Habet insuper Ecclesia Dei vnitatem continuationis, quia semper vnita est cum suo Capite Christo, ad Ephæsios 4. *Vnus Deus Pater omnium, qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis.* Est vna, quia in vnum finem vltimum tendit scilicet ad gloriam æternam. *Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Ibidẽ. Est vna ratione eorundem mediorũ, quia omnibus in Ecclesia Christi viuentibus, tria tantùm remedia eadẽ numero proposuit Deus. *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.* Ibidem. Est vna, quia singulis Ecclesiæ Christi membris, vniformem gratiam misericors Deus conferre solet. *Vnum corpus, & vnus spiritus:* id est; æquali virtute omnes viuificans. Est vna, quia ab vno tantùm capite Christi vicario regitur.

Gen: 2. v. 22.

Vnitas Ecclesiæ cum Deo duplex.

Ephes: 4

Ibidem.

Secundus istius arboris (scilicet Ecclesiæ) ramus est, sanctitas; sancta est ratione Authoris sui scilicet Christi; qui hanc militantem Ecclesiam, omni puritate & immunitate à peccato ornare voluit. Ephes: 5. *Vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata.* Sancta ratione finis; finis enim hominis quis alius? nisi regnũ Cælorum? quod nemo coinquinatus intrabit, sed mundus & impollutus mente & corpore. quisquis in hac arbore in simplicitate & humilitate crescit, sanctus est. Primo Corinth: 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia Carnali conuersati sumus.* Est sancta ratione carentiæ mortalis peccati in multis membris; si enim aliqua natio per synecdochen dicitur bellicosa à præcipua parte sui, cur nõ & Ecclesia Christi, tot Martyrum, Confessorum, Eremitarum, Virginũ, mira in cælis sanctitate fulgens? Est sancta ratione doctrinæ, sine vllius admixtione falsitatis propagatæ; quid enim sanctum magis in mundo doceri potuit? quàm id, quod per spiritum Dei promulgatum est, sicut doctrina Ecclesiæ Christi. *Nolite cogitare quomodò aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora.*

Ecclesia ex quadruplici fonte sancta est.

Ephes: 5.

1. Corint: 12.

Tertius frugiferæ huius arboris Dei Ecclesiæ ramus est, esse Catolicum & vniuersale. Ecclesiæ enim Dei ita nomen Catholicum conuenit, quemadmodùm docet S. August: libro contra Epistolam fundamenti cap: 4. *vt inter tot hæreses, licet omnes ita diuersas scisse fides se Catholicos appellare velint, quærenti tamen peregrino vbinam ad Catholicam deueniatur nullus audet, aut domum ostendere.* Est hæc arbor verè vniuersalis, quia in omnes fermè mundi populos & nationes distenta.

Ecclesia sancta debet esse catholica & vniuersalis.

S. Aug:

Quartus istius fructiferæ arboris ramus est, esse Apostolicum: ab his enim veluti à laboriosis hortulanis, suum Dei initium sumpsit Ecclesia, cùm plurimi repositis idolorum cultibus, infidelitatum erroribus, Christo velut primæ radici implantarentur Ephes: 2. 14. *Nunc autem in Christo IESV, vos qui aliquando eratis longè facti estis prope in sanguine Christi.* Ab his sincerâ Dei prædicatione verbi, Ecclesia propagata est. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis Deus eorum erit.*

Ephes: 2.

Quintus istius arboris ramus est, esse Hierarchicum. Hæc enim Dei Ecclesia quid est aliud nisi multitudo hominum non confusa, sed rectè ordinata, quæ matutinæ instar auroræ

Ecclesia quo-modo Hierarchica.

creuit, pulcherrimis floribus, velut A lunæ radijs adornata est: virtutum odore toti mundo suauitatem dedit miram: & vbertate frugum totum mundum fæcundauit, in suis crescentibus surculis, velut castra in militibus exactam ordinationem retinens. quam pulchrè descripsit B. Ioannes in Apocal: 21. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt Luna electa vt sol, terribilis vt Castrorũ acies ordinata.* Idcircò Christus Matt: 5. illam vocat Ciuitatem super montem positam *Non potest Ciuitas abscõdi super montem posita.*

Apoc: 21

Matt. 8.

Sextus istius arboris ramus est, certa salus: extra hanc enim Dei Ecclesiam nemo saluari potest, quod pulchrè docet B. Petrus, cùm Ecclesiam Dei arcæ Nòéticæ comparat, propter paucitatem saluandorum, quia plures in falsas sectas, & ex ipsismet Catholicis in mundi concupiscẽtias abeunt, ac proindè quemadmodum in illa Arca Nòética nonnisi octo animæ, quæ in illa inclusæ erant, saluæ factæ sunt ab omni aquarum C inundatione: omnes enim extra illã vbiuis terrarum existentes interierũt illo vniuersali diluuio; sic planè quicunq; in Dei Ecclesia piè & in timore Dei viuunt naufragium salutis facilè vitare possunt; qui verò extra illam in montibus vanitatis, & in errorum adumbratione morantur, inopinato infernali diluuio facilè suffocantur. Testatur hoc ipsum Esaias Cap: 60: *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium: Gens enim & regnum quod* D *non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur.* ô verè fæcunda arbor, ad hanc gentibus in animæ periculo refugium conceditur, vt in eius ramis nidificẽt, prima recepturæ fidei fundamenta. ad hanc mortuis in gratia peccatoribus, aditus liberè patet; vt illius gratissimo Sacramẽtorum fructu refecti, internam animæ sanitatem, peccato labefactatam, restaurent. ad hanc omnibus inter varias mundi fluctuantis procellas periculosè naufragantibus, recursus

Isaiæ 60

Ad: t ir: vt in illa sine vllo discrimine nauigantes, omnem aduersùs hominum animam, pugnantis mundi euitare queant casum. Sed quisquis ab hac arbore auulsus est, facilè euitare volens scillam, in vorantem incidit Charybdim, teste Augustino lib: 4. de Symbolo cap: 10. *Non habebit* inquit *Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem* S. Aug:

Septimus istius arboris ramus est, visibilitas; Ecclesia enim Dei ita omnibus visibilis & nota esse debet, vt quilibet sanctitatem viuentium in hac Dei Ecclesia spectans, istâ euidẽti notitiâ ad illam amplectendam permoueatur. Isaiæ 61. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit dominus.* Similiter Cap: 2. *Erit in Nouissimis diebus præparatus mons domus domini, in vertice mõtium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Isaiæ 91

Octauus istius arboris ramus est, infallibilitas: Dei quippe Ecclesia, cùm sit Mater virtutum, religionis & diuinæ fidei propagatrix, magistra morum, veritatis fons, debet esse in rebus fidei falli & fallere nescia. 1. Ephes: 3. *Scias quomodò oporteat te in domo conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & fundamentum veritatis.* Veritati inquiunt Philosophi, nihil contrariatur Christi Ecclesiæ tanta veritas est vt illi nihil contrarium reperiatur, nisi potiùs illis metipsis, qui malè de Deo credunt. Sed vt vmbra solem non lædit; sed ab illo euacuatur; Sic Christi veritas non vulneratur ab incredentium perfidia, sed potiùs illam quotannis magis ac magis euacuat. Matt: 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Hinc August: Epist: 118. inquit. *Insolentissimæ insaniæ est, disputare contra id, quod vbiq; tota frequentat Ecclesia.* Et Epist: 119. *Ecclesia inter multam paleam multaq; zizania constituta, multa tolerat; hæc tamen quæ sunt contra fidẽ, non approbat, nec tacet, nec facit.* 1. Ephes: 3. Matt: 16 S. Aug:

Nonus istius arboris ramus est, indefectibilitas: non deficit Ecclesia, Dei

sta Dei, etiamsi augentur tempora, & A crescant multorum series annorum; planè sicut homo non deficit etiamsi excedit pueritiam, adolescentiam, iuuentutem: ita Ecclesia &c. non deficit in antiqua duratione substantiali, quia nunquam interrumpitur in legitima & continua successione pastorum; non deficit in suis perfectionibus, quia semper est efficax doctrinis, miraculis glorioſa, Dei donis præclara, diuina protectione secura, felicitate temporali illustris. Non deficiet & hæc fæcunda arbor in B parturiendis fructibus, ad ipsam vlq; consumationem sæculi. Nec quenquam in dubium vocare debent illa Christi dicentis verba. *Quando filius hominis veniet, putasne fidem inueniet in terris?* id enim Christus exaggeratiue propter paucitatem credentium protulit. Nam Dei Ecclesia in sua fide immutabilis durabit etiam tempore Antichristi, sed in paucis. Hi sunt Ecclesiæ Dei rami, in quibus pulcherrima nascuntur poma; omnes C scilicet in aqua & spiritu sancto regenerati, fidei veritate rubicundi, & virtutum operibus conspicui. Sed fructus ex arbore bona pullulans, non diutiùs conseruari potest; quàm vigorem arboris in se retineat, crescit arbor per humorem, è terra attrahit, & quo diutiùs conseruetur, rorem semper nouum è cælo expectat nimirum arbor hæc Dei scilicet Ecclesia; singulis ferè momentis cælesti rore è Christi latere manante irrigatur, ideoq; homo cùm sit istius arboris fru- D ctus nobilissimus, vt crescat, spiritus sancti gratiâ frequenter abundè perfundi debet; hæc sola vitalem animæ humorem subministrat; hæc dulcem salutis rorem secum affert; idcircò Petrus Damianus in Sermone 21. de spiritu Sancto dicit: *Quique fideles arbores sumus, intra sanctæ nemus Ecclesiæ, summi istius agricolæ dispositione plantati, sed non aliter crescere & pretiosas pietatis opes fundere possumus, nisi diuinæ gratiæ fœcunditate irrigati.* ideoq; diuinus Psalter Psalmo 142. clamabat ad Dominum: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.* Quasi diceret: sicut arbor sine aquis facilè arescit, & variatur, nec quicquam salutiferè operari potest. Quod respiciens S. Augustinus, dixit: *Complue me ad faciendum fructum bonum.* Arbor inquit Plinius lib: 11. vt sit frugifera, tẽpestatibus vexari debet, frigidisq; potiùs; quàm calidis afflari ventis. *Aquilone* inquit *maximè gaudent*; quisquis verum se arboris huius Dei Ecclesiæ fructum agnoscit, inter medias afflictiones, varijs Dei permissionibus vexari debet. Dicit Plinius, *qui* inquit *asseruit hyemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit: his enim cùm blanditur Auster, facilè defatiscunt.* Dei Ecclesia, cruentis cædibus, persecutionibus tyrannicis, tormentis inenarrabilibus creuit; ab hac arbore turpe est fidelem hominem degenerare, cùm non procul à proprio stipite poma cadere debeãt; non pro tali homine vota facit, qui prosperam semper à Deo fortunam optat; mundanæ quidem vitæ hæc prodest, sed saluti æternæ plurimum officit. Siquidem tribulatio & aduersitas, magis hominem in virtute stabilit ac cõfirmat. pulchrè hoc proclamat sapientissimus Seneca, lib: de Prouidentia Cap: 4. *Quid miraris bonos viros, vt confirmentur, concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incurrat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit, fragiles sunt quæ in aprica valle creuerunt.* idcircò Zachæus ille non in vrbanam, sed in syluestrem arborem, ascendit in sycomorum, vt in illa citiùs insalutari suo desiderio matureſceret. Inquit S. Ambrosius lib: 8. in Lucam. *In illa vidit Christum, & inde consecutus est salutem.* S. Aug: Plinius. Seneca. S. Ambrosius.

Petrus Damiã:

Psal: 142.

Quare habetis Auditores fructiferam arborem, Dei Ecclesiam: nouem ramis pulcherrimis latissimè distentam. Vnitate indissolubili cum Deo: mira sanctitate, tàm in Dei gratia; quàm in operibus pietatis. Vniuersalitate, seu per vniuersum orbem propagatione sui; Apostolicâ funda-

fundatione, ordine in omnibus prudentissimè disposito; necessitate salutis: quia extra illam nemo saluari potest. Visibilitate & notitiâ omnibus clarâ: infallibilitate, & indefectibilitate: in hac arbore nos omnes naſci Deus voluit, vt facilius excelsis eius ramis eleuati, cælum quæreremus, Verus enim homo in Christi Ecclesia, è Christi sanguine genitus, cælestia tantùm appetere debet. vt inquit Seneca: *hoc argumentùm habet homo diuinitatis suæ, quòd cum cælestia delectent.* Proinde accurrite celeriter ad hanc sublimem arborem, cuius summitas cælos tangit, accurrite & in tam pretiosis eius ramis nidificate domos, in quibus anima voluptatib⁹ hisce terrenis misere afflicta, recreari possit. ¦Non potest hæc arbor fæcunda, simul & sterilis esse, proinde non patitur incolas mundum amantes, sed qui in illa mãere vult, soli Deo vacare debet, vt fructum multum afferat. Et si cui blandientis mundi auster, suo lætiori afflatu, vitalem animæ vigorem exsiccauit, conscendat hanc arborem, plena enim est cælesti rore: & si quem fructum suum agnouerit, eundem diuina gratia reficere non desistet. surripite ex hac arbore maturosde communibus suffragijs fructus, & vestram illis extinguite peccatorum sitim. gustate sæpiùs cum magno desiderio, tàm fæcundæ arboris poma, vt immortalitatem ebibentes, amissam in Paradisi pomo animæ immortalitatem, ex delicatis hisce Ecclesiæ pomis, recuperetis; illaquè æternæ beatitudinis poma, in cælesti Paradiso per omne æuum gustare mereamini. Amen,

Seneca.

EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA,

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem, sunt lupi rapaces. *Matt: 7.*

Producitur quinq; modi dignoscendi verũ amicum à falso.

NIhil magis cuipiam in mundo cauendum est, quàm ab homine, qui pietatis colore, fictis fraudibus multos decipit? quoniam talis, lupo rapaci deterior est. Et ideo sacrum Euangelium de eiusmodi hominibus dicit; intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quasi dicere vellet, non qualescunq; lupi, sed ij, qui vt auidiores ad rapiendum, maximè timendi, & cauendi sunt. Profectò res inaudita, vt homo in specie lupi possit incedere, vestimentis ouium indutus; quoniam nullibi maior repugnantia apparet, quam inter ouem & lupum. Nam tympanum ex corio lupi factum vbi pulsatur, mox alterum ex pelle agni formatum, etiamsi distet, aut mutum reddit, aut disrumpit. Quod Philosophi in antipatiam naturalem referunt, & in qualitates valde contrarias, secumq; pugnantes etiam in exuuijs vtriusq; animalis. Siquidem tam à corio, quã à chordis lupinis, ad agninas per aërem grauiùs commotum, deferuntur noxiæ exhalationes, per quas corrumpuntur, & dissoluuntur. Qua etiam ratione plumæ aquilinæ, aliarum volucrum plumas exedere, ac dissoluere dicuntur. Verùm, quinã sint isti lupi rapaces, varij variè exponunt: aliqui enim intelligunt, cum Tertulliano, spiritus, & sensus subdolos, quibus consonat accurata Iobi sententia cap: 27. v. 4. *Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Vbi recto Iob, viro sancto peius visum fuit, mendacium meditari, quàm loqui, ingeniosè id obseruante S. Gregorio Magno lib: 18. moral: cap: 4. vbi dicit: *Sed in eo hoc, quod ait, loqui, & postmodùm subdit, meditari, magna distantia est. Nonnũquam enim peius est mendacium meditari, quàm loqui.* Et quare obsecro peius sit? cùm loqui ad opus externũ referatur; meditari verò ad cogitationem? Quis autem asserere audeat, plus veneni cogitationi; quàm operi inesse? quoniam opus externũ, præter consummatam malitiam, quã habet, totum etiam in se cogitationis virus

Matt: 7.

Lupus cum omne nunquam conuenit.

Iob 27

S. Greg:

virus imbibat. Cæterùm, vt video, optimè præfata Iobi locutio subsistit; quòd loqui ad manifestum, seu apertum mendacium, quod præcipitanter fieri solet; meditari verò ad falsitatem studiosè compositam, & veritatis fuco ac lenocinijs adornatam, quà faciliùs decipias, referri debeat: hæc autem quò plus studij, & noxij artificij habet, eò inuisior ac peior cẽsetur. Ita concludit citatus Gregor; inquiens: *Nam loqui plerumq; præcipitationis est; meditari verò studiosæ prauitatis. Et quis ignoret in quanta distantia culpa distinguitur, vtrum præcipitatione aliquis, an studio mentiatur.* Hinc apud Dauidem homines mentientes in statera notanter arguuntur, Psal: 61. v. 8. *Mendaces* inquit *filij hominũ in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Indicans eos homines, qui iustitiæ prætextu, quam statera designat, mentiuntur, & dolos struunt. Ait Sanctus Hylarius: *in eo mendaces, vt decipiant in stateris sub iustitiæ nomine iniusta peragentes.* Quasi diceret eos, qui meditatas, & artificiosè libratas veritatis specie fraudes, & mendacia componunt, atq; adornant, quò ipsorum damnum incuitabile, & immedicabile virus sit. Bene equidem: lupi rapaces in vestitu ouium, sunt homines fraudulẽti, & hypocritæ, qui sunt similes Hyenæ, de qua multa mirabilia referunt naturalistæ. Est enim animal paruũ, sed rusticum, noctu sepulchra perfodiens, & cadauera mortuorum vorans. Voces hominum affectat, stabula pastorum, & auditu assiduo addiscit vocamen, quo exprimere possit imitationem vocis humanæ, vt in hominẽ accersitum de nocte sæuiat. Vomitus quoq; humanos mentitur, falsisq; singultibus sollicitans, ita canes deuorat, qui venantes, si vmbrã eius dum sequuntur contigerint, latrare nequeunt, voce perdita. Varietas multiplex inest oculis hyenæ, & colorum mutatio, nunquam in aciem oculorum, sed in obtutum facili mutatione contendit, in eius ore gingiua nulla, dens vnus, & paruus, qui vt nunqnam retundatur, naturaliter modo clauditur. Hyena quodcunq; animal ter lustrauerit, mouere se non potest. De hac dicit Dominus per Hieremiam capite duodecimo: *Facta est mihi hæreditas mea, quasi spelunca hyenæ.* Ita planè hypocrita est animal bestialiter viuens, paruum simulatione, rusticum operis deformitate, nocte simulationis sepulchra perfodiens. Penetrat enim domos mulierum, per sermones & seductiones euocat innocentes, atq; sic cadauera peccatorum vorat, voces, id est, laudes hominum affectat; stabula pastorum, id est, loca vbi prædicatur, sequitur, vt auditu assiduo quid addiscat prædicare, suaq; prædicatione homines ad se accersitos decipiat. Vomitus quoq; humanos, id est, peccatorum confessiones mentitur, accusat se peccatorem, cùm non credat esse, falsisq; singultibus, id est peccatorum confessiones mentitur, accusat se peccatorem, cum non credat esse falsisq; singultibus homines sollicitat, vt eum sanctum credant, quem ita gementem viderunt. Immò etiam ipsos viros iustos aliquando decipit, nimiùm fictæ eius deuotioni credulos. O quanta in oculis hypocritæ oculorum varietas! interdum eos eleuat ad cælum, & supirat, interdum ad terram, & gemit. Neq; sola oculorum commutatio in eo est, verùm etiam colorum: nunc enim pallidus est, nunc niger: nunc habet vestes despectas, nunc compositas: nunc placet abstinentia, nunc displicet. Quæ diuersi coloris mutatio, interioris instabilitatis signum euidentissimum est. Alij per falsos prophetas, & lupos rapaces in vestitu ouium venientes, moraliter intelligunt carnales affectus, quæ vt hominem seducant, fragilitatem, & infirmitatem postponunt, rerum abundantiam ostendũt, prophetizant pacem, magnam esse Dei misericordiam prædicant, quæ ideo submurmurant, vt animam peccatis alliciant. De talibus plorans Hieremias capitulo 14. dicit. *A. a. a.*

Psal: 61.

Hyena mirabile animal.

Hieremia

Hypocrita bestialiter viuit.

Hypocritæ inconstantia.

Falsi Prophetæ sunt nostri carnales affectus.

Domine Deus, Prophetæ dicunt, non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit. In quo triplici *a* notatur triplex dolor, nimirũ cordis, oris, & operis, siue corporis. Meo tamen iudicio, per falsos Prophetas Euangelium sacrum voluit exprimere, docentes, & prædicantes falsam doctrinam, cùm ad hoc munus assumpti non sint à Domino Deo. Nam missio Dei præcipue ad Ecclesiasticum ministerium, tàm in veteri testamento, quàm in nouo duplex est, scilicet ordinaria, & extraordinaria. Missio ordinaria, solet fieri per homines sed non nisi diuinitùs ad id deputatos, & legitimam iurisdictionem habentes. Iam verò extraordinaria à solo Deo, taliter missi fuerunt Moyses, Elias, Eliseus, &. alij Prophetæ, ad docendum, & arguendum populum: taliter & nũc in Ecclesia sancta veri prædicatores, qui non ex proprio arbitrio, sed ex determinatione Ecclesiæ omnia docent. Quod cùm formales Hæretici non habeant, quoniam per infidelitatem suam, fidem infusam amiserũt, meritò falsi Prophetæ dicuntur, iuxta illud Hieremiæ 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Palam ostendens, quòd missiõ omnino sit necessaria ad prædicationem ex eo: quia prædicatores fidei legationem obeunt pro Deo, & quæ ab illo mandata acceperunt, ea ad homines deferunt, pacis sunt nuntij, & mediatores, quorum nihil suscipi potest, nisi à Deo agendi sit, & dicendi potestas. Nihilominus, quoniam in vsu communi per falsos Prophetas, & lupos rapaces in vestitu ouium venientes, intelliguntur hypocritæ, & falsi amici, ideo non absre considerabimus, quomodò verus amicus à falso dignosci possit.

Hier: 23

Amicus verus à falso quomodo cognoscitur.

Quinq; potissimùm modos dignoscendi verum amicum à falso inuenio Primum modum suggerit sapiens, Ecclesiastici 6. *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei.* Alia versio legit: si paras amicum, para illum tentando, seu proba illum, & ne facilè ei credas antequàm eius prudentiam, fidem, beneuolentiam, taciturnitatem, aliasq; veri amici conditiones exploraueris, iuxta illud tritum prouerbium: *Dilige amicum, priusquam diligas.* In quo certe Reges imitari debemus, qui vini tormentum illis adhibent, quos in primam amicorum cohortem adsciscere student, vt ingeniosè decantat Horatius illis versibus:

Reges vino amicos probant

Reges dicuntur magnis vrgere culullis,
Et torquere mero quos perspexisse laborãt.

Quid elegantius dici potuit? si enim nauis in tempestate probatur, an firma eius sint latera; vasa antequàm emuntur, & priusquàm illis vinum infundatur, aqua imponitur, cur obsecro & veram amicitiam nobis explorare non licebit? Præsertim cùm id consulere videatur sacra pag: Ecclesiastici 6. loquens: *Est enim amicus secundùm tempus suum.* Ratione suggerens, cur quasi ad lapidem Lydium, amici explorandi sint: quia nimirum multi inconstantes sunt, quibus vel ob hoc ipsum minimè fidendum. Inter hos censeri debent, qui amicitiam suis commodis metiuntur, & tam diu eam colunt, quamdiu ex illa opes, aut honores aucupari posse sibi persuadent. Ubi verò fortuna amici mutauerit vultum, protinus & ipsi amicitiam aliò vertunt, similes auibus illis, quas Liuius vernas vocat, puta ciconijs, hirundinibus, & alijs huiusmodi, quas aura mitiore æstiua, apud nos videmus nidulari, & cantui indulgere. At verò ingruente bruma, quam tum ex àëris, tum corporum suorum affectionibus percipiunt, Ægypto, vel alijs apricis ac tepidis regionibus commigrant. Pulchrè id expressit Auctor ad Herennium lib: 4. *Vt hirundines* inquit, *æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt; ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt; simul atq; fortunæ hiemem viderint, omnes deuolant.*

Ecclc: 6

Inconstantes amici similes vernis auibus.

Vnde meritò de tali simulato amico addit sapiens: *Et non permanebit in die tribulationis tuæ.* Neminem

minem latere arbitror, animalium medullam in ossibus, herbarum succum, potissimum verò conchylia augeri luna crescente; minui autem decrescente. Tales sunt simulati amici, qui dum amicorum opes, aut facultates incrementum capiunt, hederâ tenaciùs illis adglutinantur. Quod si facultates eorum attritas viderint, ad alias necessitudines se aggregant. Ferunt Naturalistæ argentum viuum ita adhærere auro, vt ab illo nunquã seiungatur, nisi in igne vehementissimo liquetur; ita plane simulati amici, dùm nos prosperos vident, semper nobis copulantur; at vbi ignis calamitatis afflauerit, subitò recedũt. Proinde sicut fornax aurum, sic aduersitas verum amicum probat. Hinc illa querela patientis Iob de suis necessarijs, qui ab eo recesserant, cùm sagittæ Domini in ipso essent, quarum indignatio ebiberat spiritum eius. *Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* Aptè quidem: nam quemadmodum torrens inde dicitur; quod æstu torreatur, & exarescat, qui hyeme aquis defluentibus supra modum intumescit, & augetur; ita fratres Iob, & multi amici tempori seruiunt, quando nulla eorum necessitas est, tunc suam operam magnificis verbis spondent, & cui se amicos simulant, eum vltra sydera extollunt. At verò cùm maximè eorum subsidio opus est, nõ comparent.

Argentum viuum auro firmiter adhæret.

Iob: 6.

Equidem res est rara, amicus fidelis, & in tempore afflictionis persistens, qualis fuit Damon, & Pythias Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati, qui adeò fidelem inter se amicitiã iunxerant, vt cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus morti adiudicaret, atq; is tempus ab eo, quo priusquàm periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrasset, alter vadem se pro eius reditu dare non dubitauit. Euaserat iam periculum mortis, qui ceruices gladio subiectas habuerat; at verò eidem caput subiecerat, cui viuere licebat. Idcirco omnes, præcipuè autem Dionysius, nusquam antea visæ atq; ancipitis rei euentum auidè expectabant. Appropinquante tandem die definita, nec illo, qui abierat, comparente, vnusquisq; stultitiæ tàm temerarium spõsorem damnabat; qui tamen de amici constantia minime dubitare potuit. Et ecce eodem planè momento, atq; hora à Dionysio constituta, qui eam acceptauerat, superuenit. Obstupefactus tyrannus vtriusq; animũ, supplicium fidei remisit, insuperq; eos rogauit, vt se quoq; in societatem amicitiæ tertium sodalitij gradum intima culturum beneuolentia reciperent. Meritò equidem, quoniam vnus fidelis amicus stat pro mille thesauris, cuius præcipuum indicium est, animam suam pro amico ponere, si id necessitas exposcit, iuxta illud 1. Ioan: 3. v. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Amicus fidelis rarus.

Damonis & Pythiæ cõstans amicitia.

Ioan: 3.

Conceperat ingratus, & degener filius Absalom superbos animo spiritus, vt in Dauidem patrem proditionem dolosè texeret, quo sibi coronã infaustissimam maturaret. Qui calidis consilijs, atq; fallacibus blandimentis, ita omnium sibi deuinxerat animos, vt ad quidquid vellet, arbitraretur proiectos. Vnde eò deuentum est, vt Absalom in patrem acies armauerit, & sanguinem genitoris sitierit. Adeò, vt Dauid non aliter, quam fuga sibi consuleret: *Surgite fugiamus: neq; enim erit nobis effugium à facie Absalom.* Quid censemus? quot in illa affictione Dauid amicos expertus est? Paucos equidem: ita vt etiam à suis consanguineis, & subditis penitus derelinqueretur. Vnicus tantum modo inuentus est Chusai Arachites, qui fugienti Dauidi veste scissa, & cinere conspersus obuiã prodijt. Ait Lyranus: *In signum magnæ tristitiæ scidit vestem.* Statim rationem reddit: *quia Chusai erat vir probus & fidelis amicus.* Nec dum satis: etiam ad Absalonẽ descendit vt consilium Achitophelis eluderet, inquiens: *Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium. Congregetur*

2. Reg: 15.

Lyranus

2. Reg: 17.

ad te vniuersus Israël, & irruemus super eum, in quocunq; loco inuentus fuerit, & operiemur eum, sicut cadere solet ros super terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem. Placuit Absalomi consilium; verùm cùm aduersæ acies conferrent signa, cessit in partem Dauidis victoria: fugit Absalom, & licet patris mortem non perpetrauerit, parricida habetur, & nota criminis parricidalis inuritur à S. Ambrosio Apologia 1. pro Dauid cap: 6. & apud Glossam. *Parricida*, inquit *filius regnum patrium violenter* B *inuaserat*. Verùm quoniam patrem non occidit, cur parricida vacatur? parricida namq; Patris dicitur interemptor: ergo si vitam non abstulit, nec vocabulum ignominiosum impleuit. Nihilominus iustè parricidam vocat D. Ambrosius, quia licet occisio non sit subsecuta; voluntas tamen occisionis exarsit. Ergo Dauid licet tantus rex in sua afflictione vix vnum chusai fidelem amicum inuenit, qui Absalomum ad cedem hiantem eluderet.

Alter modus cognoscēdi verum amicum à falso est, quando is tuum honorem, ac boni nominis reputationem tanti æstimat, quanti & sui ipsius. Hinc scriptura sacra verùm amicum validum protectorem appellat, Eccl: 6. v. 14. *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum.* Quia verùs amicus non solùm consilio, auxilio opibus amico succurrit; sed etiam cum propria iactura vitam atq; honorem amici tueri paratus est. Ob quod sapiens loco citato v. 16. verum amicum medicamentum appellat: *Amicus* inquit *fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Quia nimirum verus amicus, & fide præstans, animi ægritudines blandis alloquijs lenit, aut curat, tristitiam & molestias pellit, hærentem in salebris difficultatum consilio eripit, ne laboribus, aut incommodis fractus succumbat, opportuno auxilio succurrit, iam iamq; casurum in graues corporis aut mentis calamitates sustentat; lapsum verò subleuat, A vitæq; restituit, monitis, correptionibus, exemplis, verbis salutaribus recreat. Atq; sic verè est medicamētum vitæ, non solùm huius caducæ, & perituræ; verùm etiam æternæ. Et ideo est pharmacum immortalitatis: his enim antidotis, & medicamentis vitæ amicum parat, & conseruat immortalitati.

Verumtamen fateri omnino debemus, talem amicum nancisci, non esse humanæ opis, industriæ, sed diuini muneris; ideoq; subiungit citatus sapiens: *Qui metuunt Dominum, inueniunt illum.* Vnde infert Ianse- Solus Christus verus amicus. nius eius modi amicum solum Christum esse, qui verba vitæ æternæ habet, quem nemo deserere debet. Hic solus est protectio fortis, quem qui inuenit, inuenit thesaurum, cuius beneuolentia nihil est præstabilius, cuius societati nihil præferendum, qui medicamentum est & medicus vitæ, cuius sacratissimum corpus pharmacum est immortalitatis. Hanc veræ amicitiæ iconem pulchrè delineauit Icon amicitiæ. C Lilius Geraldus Syntag: 1. Histor: Deorum. Pinxit iuuenem detecto capite, tunica rudi indutum, in cuius fimbria scriptum erat, *mors & vita*: in fronte, *Æstas & Hiems*: habebatq; latus apertum vsq; ad cor, & brachiū inclinatum, digito cor ostendens, in quo inscriptum erat, *Longè & propè*. Suberat autē picturæ hæc expositio: *Forma iuuenilis* indicabat amicitiam semper virentem; *nudum caput*, fidele obsequium; *rude indumentum*, tolerantiam laborum; vita & mors, societatem perpetuam; *Æstas & hiems*, prospera & aduersa; *latus apertum*, candorem, simplicitatem, indicium cordis, sinceritatem amoris; *longè & propè*, eiusdem in omni loco constantiam.

Perpendite an hæc omnia possint cuipiam quadrare, præterquàm soli Christo, qui detecto capite nos omnes è cruce sancta aspicit, vt tanquā caput hominum, & Angelorum, gratiam viuificantem in omnes, qui sunt membra eius influat. Tunica rudi indutus est nimirum specie humanitatis

Eccl: 6. v. 14.

Amicus est medicamētum vitæ.

tatis nostræ, qua tegens inaccessam A *vnde sit.* Quis crederet Iesv genus ignorari à Hierosolymitanis, & publicari à Chananæis? sanè ex pau- S. Basil. pertate, quam spontaneè Christus perferebat: illud enim hominum ingenium est, vt si afflictus sis, & pauper, citiùs à tuis, quam ab extraneis ignoreris. Pulchrè D. Basilius Seleucien: Orat: 20. Sic discurrit. *O quot Judæorum myriadibus personatis, ab ijs ipsis, qui sanati, Christus sibi reponi illud audit: Hunc nescimus vnde sit. Mulier verò Chananea etiam ante curationem, fide alata ad ad Euangelistæ dignitatem peruenit.* Sanè vbi Deus incarnatus sub vili, abiectoq; & egeno habitu graditur in mundo, licet multa commoda præstet, facilè à suis ignoratur, etiam dum prædicatur ab alienis. Quod frequenter in mundo plurimi hominum sinistra fortuna pressi experiuntur, qui licet antea fuerint vtilissimi; dum tamen egeni & afflicti, Iob 19 apparent, citiùs à cognatis, quàm ab Cat: extraneis ignorantur. Sic quondam Græca, opulentissimus Iob despectum se fuisse fatetur, cap: 19. *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Derelinquerunt me propinqui mei. &c.* In catena Græca legitur: *A me fratres mei recesserunt, cognouerūt alienos, quàm me. Non me suum vindicauerunt proximi mei.* En, dum Iob ad paupertatem deuenit, dum vxor eius stipem emendicaret, nulla memoria fratrum, aut propinquorum eius facta est. Nusquam enim pauperis persona ita nota est apud propinquos, sicut apud extraneos.

Alterum quoq; non minori consideratione dignum, quòd cùm, filia à dæmone vexaretur, mater nō filiæ, S. Chry- sed sibi à Christo misericordiam ex- sosth: poscceret: *Miserere mihi Domine fili Dauid.* Sanè quia in calamitate filiorum maternus dolor maximè solet eminere. Sic censet D. Chrysosth: homil: 27. ex varijs, in Matth: *Vide* ait *prudentiam, non dixit: miserere filiæ meæ, sed miserere mei. Miserere mei spectatricis diuturnorum laborum, & malorum, quotidie cruciatus meos video.* Nec certe videtur esse dolor, qui possit,

Eccl: 6. S. Dionysius

Matt: 15. v. 22.

comparari dolori matris aspectantis filiam in truculentissimi dæmonis potestate. An non hoc fuit Mariæ spectaculum, videre Filium in potestate tenebrarum, videre Filium de Spiritu Sancto conceptum à diabolo, à Iudæis, & gentilibus, & peccatoribus omnibus machinatam mortem pati. Quis tantæ Matris dolorem posset contrutinare? Prodeat in medium Marcus Attilius Regulus, crudelissimè à Carthaginensibus, teste Cicerone 3. Officiorum, vigilando necatus. Is nudus positus erat medius in ferrea Machina, omni ex parte acutissimis cuspidibus plena, ne liceret dormienti tantisper ad partem aliquam inclinari, quin crudeliter punctus cogeretur, in somnis clamare. In hoc certè tormento posita fuit B. Virginis anima, dum in cruce patienti IESV astaret, vt ne per momentum breuissimum somni solatium capere posset, ac respirare. Vt enim in maximis doloribus insomnis vigilaret, cogebant eam Apostolorum fuga, & negatio. Ait Philippus Abbas lib: 3. in Cantic: cap: 26. *Petri negatio, nudatio Ioannis, fuga omnium grauiter strepuerunt, & quiescentem Virginem suscitari ad vigilias coegerunt.* Quasi diceret, si à carnificibus Iudæis in aliquâ partem vellet Maria inclinari, non posset nisi in filij sui discipulos, qui fugientes, & negantes, cogebant eã in crudeli via perseuerare.

Marci Attilij reguli crudelissima mors.

Philipp: Abbas.

Ita planè mulierem Chananeam, maternus in filiam affectus & continuus isq; vehementissimus ex eius calamitate dolor compulit, vt Christum incessanter, & importunè obsecraret: *Miserere mihi Domine Fili Dauid.* Sciebat sanè ita Deum, ad exaudiendum homines promptum, paratumq; esse, vt nullum sit tempus, quo non præsto sit, vt nos exaudiat. Id expertus Regius Psaltes, Psalm: 4. num: 1. ait: *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus.* Quid est *cùm inuocarem?* nisi illico, omni tempore, in quacũq; hora, nulla mora interposita, nullo impediente. Eleganter id perstringit D. Chrysosthomus tom: 1. in citatum Psal: inquiens: *Non adstitit miles, qui expellat; non satelles, qui tẽpus interrumpat; non est nunc tempus accedendi, veni postea; sed quando veneris stat audiens, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, etiamsi in foro, etiamsi in via, etiamsi in cubili, etiamsi intus in magistratu fueris, nihil vetat, quominus tuam petitionem audiat, si ritè voueris.* Ponderate singula, & aspicite, quàm inexcusabilis sit homo Christianus non orans, cùm nullum tempus, imo nullum exercitium ab oratione illum impedire possit, non forum, non magistratus, non infirmitas, cùm & in foro, & in magistratu, & in cubili Deus omni tempore adsit. Addit citatus Chrysosthomus: *neq; enim opus est ianitoribus, qui te introducant, neq; dispensatoribus, custodibus, aut amicis.* Palam ostendens, quòd licet nos peccatis grauati simus inimici, Deus tamen ita nobis præsto est, vt ad orãdum amicis non indigeamus.

S. Chrysosth;

Deus ad exaudiendum homines semper paratus.

Verùm si ita Deus promptus est ad audiendas hominum orationes, quare Christus nõ statim mulierem chananæam exaudiuit, sed arcano silentio ad speciem eius preces dedignatus, & luctuosam limis oculis intuitus: *Non respondit ei verbum.* Nonne, quando subornati inuidiâ, & ardentes maleuolentiâ manus in Dominũ hostes iniecerunt, & Petrus educens gladium, percusserat seruum summi Sacerdotis, auriculamq; ei amputauerat; Christus Dominus pro sua benignitate, non solùm oratione non exoratus, imò potiùs iniurijs appetitus, & discipulum increpuit, & vulneratum sanauit? attestante Euangelista: *Cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Lucæ 22. v. 51. Cur obsecro adeò citò etiam non rogatus aduersarium petulantissimum sanauit; preces autem mulieris Chananeæ distulit? Semel enim & iterum experta fuerat IESVM inexorabilem: imò etiam ab illo seueriùs repulsa illis verbis: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel.* Adeò vt indignati Apostoli dicerent: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Rogantes vt eam

Matt: 15

Lucæ 22

eam dimitteret non vacuam, sed plenam optata salute.

Mirantur hic non pauci, quid sit? Mulier ista nihil petierat ab Apostolis, vnde ergo illi ragatores facti sunt apud IESVM pro ea? cùm hoc pro alijs non legantur fecisse? Viderant mortuum hospitem suum Lazarum; & tamen non rogabant pro illo, cur modò rogant pro fœmina Chananæa? sanè, veri erant Christi amatores, & ideo tunc rogabant, quando videbãt seuerum, & rigidum, metuentes, ne cui Dominus seuerus videretur, sed vt magis eius misericordia appareret. Ait Paschasius lib: 7. in Matth: *Discipuli* inquit, *pro hac Dominum interpellant, pro amore pijssimi Magistri, ne quasi cuipiam durus videretur, imò vt misericors fieret, exorabant.* Quasi Dei causa periclitaretur, vbi duricies sola exhibebatur, cùm Dei spiritus à nulla re magis; quàm à misericordia commendetur. Vnde, non qui seruiunt diuinæ iræ, sed qui misericordiæ diuinæ extorquendæ, ij ex parte Dei esse censentur. Accipite huius rei luculentissimum testem D. Synesium qui epistola 57. ita dicit: *Non enim calamitatum instrumenta molitur Deus, sed sua sponte, & natura ad hoc accommodatus in promptu habet. Et quoniam tu ad id idoneus es, hoc est, quòd te à Deo penitus abscindit: Ita vas aliud inhonoratum, aliud pretiosum est. Abrahamum humanitas Dei conuiuatorem fecit: flagellum detestandum, iræ enim minister est. Pœnarum verò administræ naturæ à Deo sunt prorsus auersæ. Etenim quod destruendi vim habet, cõditori haud dubio repugnat.* Pulchre citatus Doctor in armarijs Dei vasorum differentiam assignat, quòd alia sint in honorem, alia in cõtumeliam. In honorem sunt vasa illa, quæ semper misericordiam propinant, quæ nihil aliud præstant, quàm benignitatis, & humanitatis ministeria. Talis fuit Abrahamus sollicitus semper pro humanitate exhibenda, pro iustitia etiam de Sodomis repellenda. Is adeò pretiosum vas fuit, vt potuerit seruire conuiuanti Deo. Vas autem in contumeliam illud est,

Paschasius.

S. Synesius.

quod iræ deseruit, quod à Deo maximè alienum est, nec vllo magis quispiam se à Deo abscissum ostendit; quàm si semper inueniatur prõptus non ad aliud, nisi ad pœnam inferendam. Tale vas fuit Saul Rex Israelitarum, qui nihil aliud, nisi mortem Dauidis intendebat.

Quod ergo mulierem Chananæã Christus non statim exaudierit, nisi quòd per Apostolos expostularet: *dimitte eam, quia clamat post nos.* Hoc inde colligo, quia tunc exaudita est, quando per se accessit, ac per se expostolauit. Videns enim interpellatione Apostolum nihil Christum moueri, ipsa per se accedens dixit: *Domine adiuua me* Et licet Christus Dominus ei asperiùs responderit, *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; illa tamen fortius instabat: *etiam Domine; nam & catelli edunt de micis.* Tunc primùm Christus, non solùm misericordiam præstitit, sed etiam laudauit mulierem, respondẽs: *O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Et quomodo Apostoli non replicarunt Christo, quod antea velut contra rationem mulierem arguerit? Equidem: quia non suum, sed alienum negotium agebant, doctrinam porrigentes, homini non ita aliorum orationibus, licet alias sancti, & amici Dei sint, fidendum esse, vt ipse nihil faciat, nec per seipsum accedat. Nam licet sancti, alijq; iusti homines pro nobis orent; plerumq; tamen sine nostra cooperatione difficultates non vincunt, instantias nõ soluunt. Pulchre id edisserit S. Chrysosthomus supra relatus, dicens: *Nõ ita eum per alios placamus orantes, sicut per nos ipsos, cum enim nostram expectat amicitiam, omnia etiam facit, vt nos ei confidamus, quando viderit hoc nos per nos ipsos facientes, tunc maximè annuit; ita etiam fecit in Chananæa, non annuit, cùm Petrus & Iacobus accederent; cùm ea autem permaneret, quod petebatur, dedit protinus.* Ergo Deus quando nos ipsi oramus licet inimici, licet peccatores, facilè nos audit, quia nostram amicitiam expetit, volens, vt ei soli,

Matt: 15

Aliorũ orationibus pro nobis debemus cooperari.

& non

& non alteri confidamus'.

Tertius modus dignoscendi verum amicum à falso, quando nobis palam in faciem veritatem dicit. Et cui obsecro veritas magis dicēda est, quam amico? cùm id scriptura sacra
Eccl: 19 pronuntiet, Ecclesiastici 19. v. 13. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Palam ostendens, tunc amico veritatem dicendam esse, quando fama non bona de ipso spargitur; vel dum quis cognouerit illum peccasse: tunc enim seruato ordine correptionis fraternæ, arguendus est de crimine, quod fecit, aut fecisse cēsetur- Sed nunc iam irrepserunt pessima tempora, vt veritatem loqui nemo audeat, blandiri & assentari vnusquisq; velit, quo homines decepti magis in scelera ruant. Loquimur passim dulcia, & amara cogitamus, aures mulcemus verbis, & corde proditionem struimus, vt meritò de nobis verificari possit illud poetæ: *Impia sub dulci venena melle latent.* Sic quondam Iudas fidelem se Christo discipulum simulabat, & intus audebat proditionem. Quod vtiq; tolerabile esset, nisi Christus, quod futurū erat, infinita sua sapientia, scelus ipsius, volens eum ad pœnitentiam flectere, prædixisset tempestiuè. Dùm enim mensæ suæ accumberet cum di-
Matt: 26 scipulis suis, dixit: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens ait? Qui intingit mecum manū in paropside, hic me tradet: Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: nūquid ego sum Rabbi.*

Obstupescite, Audientes Apostoli, signum traditoris, trepidabant de seipsis, & contristabantur valde, solus Iudas & intrepidus & alacer agebat. Audijt Iesvm proditionis fecisse mentionem, audijt signum proditoris datum esse. & tamen quasi nihil sibi diceretur, cum alijs interrogabat. Quæso, cur miser ille vidēs manifestam Dei proditionem, & signa proditoris ad oculum mōstrata, A durissimaq; intentatas minas, non potiùs obstupuit? cur ausus est inter Apostolos stare, & in paropsidem immittere manum suam? Nimirum ea est conditio peccatoris obdurati in malitia sua, vt etiam inter signa manifesta sui facinoris; adhuc præsumat se posse latitare. Quod prorsus obstupescens D. Leo Serm: 7. de S. Leo. passione, ita Christum alloquitur: *Ecce innocentes condiscipuli tui, ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi non edito impietatis authore, formidant; contristati enim sunt non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus rerum esset, quod in se quisq; nouerat, quàm quod ipsa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum, abuteris Domini patientia, & abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo euidentiore terreris. Cumq; se à cibo alij, in quo iudicium Dominus posuerat, continerent, tu manum non detrahis à paropside, quia animam non auertis à crimine.* Quid impudentius cogitari potest? C dum signa, atq; indicia proditoris proponerentur à Deo, impius Iudas ad signa accedere non est veritus, persuasus se vel inter illa latere posse. Ita passim de seipsis homines præsumūt, qui in suis sceleribus obdurescunt, à quibus nollent auerti.

Sic olim fratricida ille Cain, post occisum Abel fratrem suum, requisitus à Deo, & de scelere perpetrato in- Gen: 4. terrogatus, *vbi est frater tuus*, adhuc negabat respondens: *Nescio, nunquid custos ego sum fratris mei?* Quæ verba considerans victor Mauritanus, lib: de pœniten: apud S. Ambrosium, dicit: *O insaniam detestabilem! o audaciam singularem! Et credidit sine conscio crimen publicari non posse.* Hæc sanè Maurita nus. est scelleratorum hominum audacia, quòd nunquam credant posse sua facinora reuelari: quia solùm fidunt secreto in facinoribus obseruato, vt etiam inter signa euidentissima à Deo proposita intrepidi adstēt, quasi minimè possint publicari. Et hoc passim faciunt simulati amici, qui aliud corde premunt, Iudam proditorē imi-

imitantes. Quod diuino spiritu nos A
Eccl: 6. edocere voluit sapiens. Eccl: 6. v. 9. loquens: *Est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam: & est amicus, qui odium, & rixam, & conuitia denudabit.* id est, suscitabit iurgium, in quo probra, quæ stante amicitia in te cognouerat, aliis patefaciet. In quibus verbis duo genera mobilium amicorum scriptura sacra nobis ostendit. Primum eorum, qui timore aut ira in transuersum acti, facilè dissuunt contractam B amicitiam; alterum eorum, qui magis capitales sunt, & noxij, qui nimirum odium latens per verborum rixas manifestant. De his dicit Pro-
Hierē: 9 pheta Hieremiæ 9. v. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, &*
Prou: 29 *occultè ponit ei insidias.* Et Prouerb: 29. v. 5. *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico, rete expandit gressibus eius.* Sic Iudas scelestus, dum Christo amicum se ostenderet, dum præsto vbiq; esset, dum ad palatum loqui C videretur, sacrilegam proditionem machinabatur.

S Chrysosth: Et vnde obsecro perfidus Iudas ad tam nefandum scelus peruenit? Equidem ex defectibus exiguis, quòd cùm pecuniam victui necessariam asseruaret, exigua interdum surriperet, vt docet S. Chrysosthomus homil: 77. in Matthæum, quod factum est ad leuium noxarum cautelam; vt scilicet nemo se illa friuola ratione consoletur, quâ vniuersa proteruitas in animam inducitur. Illa inquam D ratione nemo vtatur dicens: Quid hoc est, aut illud? quoniam ex tali imaginatione mille mala oriuntur. Veterator enim diabolus cum sit, magna malitiâ, multa operâ ingenti studio, & quadam condescensione ad perditionem hominum vtitur, incipiendo vt plurimum à minimis. Audite hac de re D. Chrysosth: S. Chrysost: ita loquentem: *Mirabile quiddam, atq; inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata esse, quando parua, & vilia. Illa enim vt auersemur, ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt, dum contemnitur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Et post pauca opportunè ad præsens institutum subdit idem S. Doctor: *Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est, nisi enim putasset paruum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset. Iudæi quoq; nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsq; ad eadem Domini lapsi non fuissent. Hac viâ omnia scelera fieri videmus: nemo enim repente ad extremam improbitatem insilijt. Habet quippe insitum quendam anima pudorem, atq; innatum, quem subito calcare, atq; proijcere non potest, sed sensim atq; paulatim per negligentiam perit. Hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cùm vltra quàm oportet, viui, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto simulachra, & statuæ adoratæ sunt: hoc pacto deniq; fornicatio, & cætera vitia dominantur.* En quanto periculo leuiores noxæ negliguntur, quo ad enormissima quæuis extruitur scala, atq; aditus facilè sternitur, quod in Iuda proditore, Deicidis Iudæis, & idololatris bruta impietate pertinaciter stolidis videre licet.

Hoc exprimere voluit Regius vatès Psal: 89. v. 5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Genebrardus exponit: *Eorum anni erunt ea, quæ pro nihilo habentur.* Tertullianus legit: *Nullificamina eorum anni erūt* LXX. vertunt, *veritates*, seu *nihilum*. Et quænā sunt obsecro, quæ pro nihilo habentur? sane ea, quæ censentur *vanitates*, *nullificamina*, & *nihilitudines*. Ita resoluit Sanctus Gregorius Nyssenus in opere recens latinitate donato & edito, in hunc modum loquens: *Pulchrè & ingeniosè appellat peccata nihil: nam qui peccat, solet quodam modo pronihilo peccatum ducere: & pro quouis scelere perpetrato defensionē instruere, vt cuius in quocunq; malè commisso promptum sit dicere. Nihil est cupiditas, nihil ira & alia huius generis nihil sunt, cùm sint naturæ quædam motiones.* Hæc est misera hominum vita, vt sce-

Psal. 89. Genebrardus Tertull: Gregor: Nyssen:

leris excusationem crudè præmaturam obtendat, scelerosa flagitia tanquam nihilum reputet, & impudentiùs audeat parrare.

Matth: 4. v. 3. Perbelle id cognoscens dæmon, Christum quadraginta diebus ieiunantem tentans aggressus est. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* In qua tentatione duobus contrarijs seipsum lugulauit diabolus. Si enim ad imperium eius Christus poterat lapides in panes conuertere: ergo frustra tētauit eum, cum tantæ potestatis esset. Quòd si non poterat id præstare, tunc frustra Dei Filium suspicatus est. Verùm demus etiam gratis, quòd Christus duros lapides, transmutasset in recentes panes, quid inde malitiæ extorsisset dæmon à Christo? nonne multò maiora miracula ediderunt Prophetæ? Vnde S. Ambrosius hanc tentationem examinans dicit: *Dic vt lapides isti panes fiant. Aliud explorantis, aliud tentantis est: & Deo se dæmon profitetur credere, & homini conatur illudere.* Non ergo intendebat dæmon, vt Christus arroganter tumesceret, aut se reuerenter è genu adoraret; verùm id solum lucrari expetijt, vt Christo illuderet, dum in re modica, & exigui nimium momenti sibi adnuit, eiusq; inutili suasioni spōte obsequitur. Audite S. Cæsarium, homil: 5. ad Monachos ita scribentē: *Inter hæc quodammodo exultat aduersarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, vt in minimis deformiùs vinceremur.* Minima ergo dæmon obtulit Christo ad sui nutum præstanda, vt qui maxima contempserat, turpiùs in minimis vinceretur: nam in minimorum victoria maximè aduersarius noster exultat.

3. Ambrosius.

S. Cæsarius.

Quartus modus est, dignoscendi verum amicum à falso, quando amicus ex amicitia nullam vtilitatem quærit. Hinc Tullius de amicitia concludit, pulcherrimam illam esse amicitiam, quæ per se, & propter se expetitur; non verò quia fructuosa est. Talis amicitia præualet omnibus rebus caducis, quia etiam post A mortem durat, & vitam tàm corporalem, quàm spiritualem conseruat. Vnde Cicero postquàm definiuisset amicitiam, esse omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia, & charitate summam consēsionem, subiungit: *Qua quidem haud scio, an excepta sapientia, quidquam melius sit homini à dijs immortalibus datum.* Diuitias alij præponunt, bonam alij valetudinem, alij potentiam, alij honores, nonnulli voluptates. Belluarum quidem hoc extremum est; illa verò superiora sunt caduca & incerta, posita non tam in nostris consilijs; quàm in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonū ponunt, præclarè illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam gignit, & continet: neq; enim sine virtute amicitia vllo pacto esse potest. Tandem post multa amicitiæ encomia concludit: cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ ferè singulis, diuitiæ vt vtare, opes vt colare, honores vt laudere, voluptates vt gaudeas, valetudo vt dolore careas, & corporis muneribus fungaris. Sola amicitia omnes prorsus res continet, quoquo te verteris, præsto adest, nullo loco excluditur, nunquàm intempestiua, nunquàm molesta est. Proinde non aqua, non igni, non àére, vt communiter dici solet, in plurimis locis vtimur, ita, vt amicitiâ, quàm qui seruat, auro, imò potiùs omni pretio possibili æstimandus est. Non quemadmodùm ij, qui tamdiu se amicos gerunt, quamdiu epulis sui amici pascuntur, gnatones & parasiti, vt Damocles & Aristippus, amici ollares, capti nidore culinæ, vt dicit Iuuenalis Sat: 5. canibus similes, qui blandiūtur dum supperunt ossa, quæ arrodāt, nec ideo amant, cui se fingunt amicos, quia amicus est, sed quia sibi vtilis.

B

C

D

Amicitia omnibus bonis præponderat.

Duplicem amorem ponunt Theologi, vnum concupiscentiæ; quo amamus bonum aliquod, quia nobis bonum est; alterum amicitiæ, seu beneuolētiæ, quo amamus personam, & id quod ei bonum est. Qui ergo diligit

Amor duplex.

diligit amore beneuolentiæ, propterea, quòd sit amicus. iuxta illud anonymi Pòētæ: *Verus amicus est, qui me plus, quàm mea quærit. Falsus amicus erit, qui plus sua, quàm mea quærit.* Cuius ratio est, quia verus amor non vtilitatem, sed personam quærit. Venerant filij Iacob ad Iosephum fratrē suum in Ægyptum, munera portantes in manibus, quæ ei offerrent; ille autem nec ad munera respexit, nec illa admisit, solam Iacobi Patris sui fortunam, & salutem inquirens. Ait sacer textus: *At ille clementer r. salutatis eis, interrogauit eos dicens: sanusne est Pater vester senex, de quo dixeratis mihi.* Quia enim verè amabat patrem, & fratres suos; ideo non ipsorum bona respiciebat, sed ipsos. Reuocate vobis in memoriam si placet duorum fratrum parabolam ex D. Luca 15. quorum senior maxime irascebatur de fratris prodigi reditu, timens ne forte paternæ substantiæ nouus hæres fieret. Cui irascenti Pater respondit: *Fili, tu semper mecū es, & omnia mea tua sunt, Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit.*

Gen: 43.

Lucæ 15

Expendite verba illa, *omnia mea tua sunt*: Si enim filius reuixit, quomodò omnia sua bona seniori filio adscribit? cur filio reuiuiscenti partem non reseruat? sanè: quia ille erat rediuiuus iste filius, qui in reditu suo non bona patris, sed ipsum Patrē respiciebat. Nam sicut verè amabat patrem; ita bonis cedebat, vt patrē sibi seruaret. Erudite in hunc locum discurrit Chrysologus Serm: 4 *O omnia* inquit *mea tua sunt. Hoc est dicere: Patere illum redisse patri: permitte patri filium suscepisse: nec ille aliud, quā patrem quæsiuit, qui veniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari. Sint tibi omnia, illi sufficit pater.* Equidem verus patris amator, non patris, fratrisue bona aspexit; sed solum patrē requisiuit, vno illo incolumi potitus, contentus extitit. Sic quondam dicebat amatrix illa: Cantic: 3. *Tenui eum, nec dimittam.* Iacob autem Genes: 32. *Non dimittam te, nisi benedixerit mihi.* En Iacob Deum tenens expectabat eius benedictionem, cùm sponsa nullum de benedictione verbum fecerit. Quia nimirum illa amabat, & non benedictionem, sed dilectum quærebat. Ita concludit Bernardus Serm: 79. in Cantica inquiēs: *Tenui eum nec dimittam. Et sanctus Patriarcha: Non te inquam dimittam, nisi benedixeris mihi. Ita ista non vult eum dimittere, & fortè magis, quàm Patriarcha id non vult, quia nec benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum; hæc autem non sic. Nolo inquit benedictionem tuam, sed te. Quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram?* Ita sanè verus amicus non quærit vllam vtilitatem ex amico, nō honores, non promotiones, non priuata commoda, sed solum amicum: quia amor amicitiæ est propter se.

Chrysologus

Cantic: 3.

A

B

C

S. Bernardus.

Cantic: 2. Cantica 2. ocinit sponsa cœlestis: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* LXX. vertunt: *In vmbra eius concupiui, & sedi.* Arabicus legit: *Cōcupiui obumbrari vmbra eius.* Superquem locum S. Bernardus Serm: 48. scribens dicit, his verbis mysterium Eucharisticum adumbrari, ostendēs verbum sedere idem esse quòd *discūbere*, quæ vox conuiualis est: *concupiscere* autem, edulij appetentiam indicat: sapor fructuum dulcedine designatur; *vmbra* verò & sacramenti obscuritatem, & propinquitatem ad corpus manifestè innuit. De hac enim vmbra Origenes in citatum locum scribens ita loquitur: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi. Fac igitur inquit, cùm vmbra dignus fueris, vt possis capere vmbram eius, & effectus: veniet ad te corpus eius, ex quo vmbra nascitur, tunc & senties fructus eius dulcedinem dicens: Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Nam ne obscuritas huius sacramenti, quod est mysterium fidei, credulitatē obfuscet, obscuritatis lenocinio vti debemus ad Eucharistiæ fidem. Hæc certè obscuritas, vmbra est, sub qua sedere, seu discumbere in hac mensa iubemur. Si enim dignus fueris, vt possis capere vmbram eius,

Origenes

D

veniet ad te corpus eius, ex quo vmbra naſcitur, tunc̃q; ſenties fructus eius dulcedinem dicens: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Sponſa igitur dicit: ſub vmbra illius ſedi, quẽ deſideraueram, oſtendens ſe verè amicam Dei fuiſſe, quem diligebat, non ideo, quòd ei multa bona conferret, ſed quòd Deus, & ſummum bonum eſſet.

Quintus tandem modus eſt, cognoſcendi verum amicum à falſo, quando ille nihil magis curat, quàm animæ noſtræ ſalutem: hanc enim ſimulatus amicus floccipendit, & negligit vt docet S Gregorius lib: 2. Moralium. Antigono Macedoniæ Regi apparuit in ſomnis ſpecies Mithridatis auream meſſem deſecantis, quod cùm in partem ſiniſtram accepiſſet, ſe ab eo regno deturbandum augurans, eum morte perimere intendebat. Cùm autem id Demetrio filio ſuo indicaſſet, eum ſacramento adegit, tacitum habiturum. Spopondit ille ſe ita ſtrictè ſecretum ſeruaturum, vt neq; verbo, neq; nutu illud aperiret. Nihilominus arcta amicitia cum Mithridate inita vrgebat affectum, ad auertendum imminentẽ ei mortem. Quid ergo factum? vt & patri iuramentum ſeruaret, & amico de vita periclitanti non deeſſet, trahens ſecum Mithridatem, ambulanſq; cum eo iuxta mare, in littore ferro imæ lanceæ exarauit: *Fuge mitridates.* Quod ille intelligens profugit in Pontum illicq; regnum perpetuò tenuit. O vtinam tales amicos haberemus, qui nos in omni occaſione præmonerent ſincera adhortatione in cordibus noſtris exarando: Fugite mundi vanitatem, fugite peccandi occaſiones, ne anima veſtra in æternum pereat.

Produxi itaq; vobis quinq; modos probandæ amicitiæ, verumq; à falſo amicum dignoſcendi. Igitur ſi firmam, & æternùm cùm Deo veſtro amicitiam vultis colere, fugite ſimulatos amicos, qui ad ſpeciem tantùm vobis blandiuntur, & peſſima quæq; ſuadent. Fugite pſeudopoliticos ſub ſpecie veritatis mendacia loquentes, & ſolius Dei, apud quem nulla eſt tranſmutatio, amicitiam quærite, ſi cũ illo felicẽ illã beatitudinem vultis poſſidere. A.

DOMINICA VIII.
POST PENTECOSTEN.
CONCIO PRIMA.

Redde rationem villicationis tuæ. *Lucæ 16.*

Villicatio hominum eſt rectè operari.

IN Tribunal regium citamur hodie omnes Dei mãdato Catholici mei. Et præco Euangelicus validâ voce toti mundo terminum tactum inclamat, vt ante maximum Chriſti Iudicis auditorium, & omnes gentes Orthodoxæ fidei lumine deſtitutæ; & omnes qui habitant orbem, ideſt; qui in gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ vocati, & admiſſi ſunt; & quicq; terrigenæ, ideſt; qui terrena tantũmodò ſapiunt & diligunt, totaq; mẽte carnis voluptatibus dediti ſunt; Filij hominum, id eſt; qui virtutum aliquod exercitium habent, & rationabiliter in Dei cultum ſuas actiones dirigunt: ac deniq; ſimul in vnum dives & pauper, ideſt; & ij, qui in omnibus ſuperabundant, & quibus plurima neceſſaria deſunt: vt inquã ſine

Ante iudicium Dei omnes comparebimus

ſine vlla exceptione, in primo inſanti compareant, procedant, directè reſpondeant. *Redde inquit rationem villicationis tuæ.* Et quæ villicatio hominis, niſi tàm bonorum naturæ; quàm fortunæ vſus? vt de omnibus ſuis proprijs factis rationem reddat homo. Sed vt quid Domine formaſti hominem, vt præeſſet piſcibus maris & volatilibus cæli? Quare poſuiſti omnia ſub pedibus eius, vt & illis quæ in terra, ac mari, atq; àere reperiuntur, pro placito ſuo trueretur. homo? ſi tàm ſeueram poſtea cum illo rationem facturus eras. Sed nũquid olla dicet figulo, *Quare me ſic formaſti?* nunquid & homo ſciſcitari poterit ex ſuo creatore. Quare me ſic legibus tuis arctare voluiſti? Omnia quidem Deus in manibus noſtris poſuit, verùm ad vſum tantùm, non ad poſſeſſionem: ideoq; cùm non ſimus Domini, ſed tantùm vſuarij rerum omnium, quoties illis tanquàm nobis ad tempus commodatis malè vtimur, toties ad reddendam Deo rationem obligamur. Cùm igitur miſer homo nihil habeas proprium, quod à Deo non acceperis, quomodo de mutuò acceptis ſiue fortunæ, ſiue naturæ, ſeu gratiæ bonis tãquàm de abſolutè tuis gloriari, & ſuperbire audes? quomodò illis ad libitum, & voluptatem abuti non pertimeſcis? quomodò de ſollicita & prudenti eorum diſpenſatione, & adminiſtratione non cogitas? quomodo de reddenda Deo omnium. & ſingulorum ratione quotidie non deliberas? quomodò bona fortunæ, opes, diuitias, honores, ad luxum ad voluptates, ad vana & noxia conquirenda diſſipas? quomodò naturæ bona, ingenij acumen, animi induſtriã, memoriæ vires, transfers ad ſcelera, ad flagitia, ad fraudes, ad iniurias? quomodò gratiam Dei in vacuum recipis; nec fidei, nec charitatis, nec ſpei fructus vllos profers? quaſi ante tremendum Chriſti tribunal ſtandum tibi non eſſet, vbi non iam ſecundùm allegata, vt fit in mundi huius tribunalibus; verùm etiã minimas quaſq; mentis cogitationes, iudicaberis. Vnde ſolo lumine naturæ inſtructus Pythagoras optimè dixit: *Duorum inquit temporum tibi habenda eſt ratio ô homo! mane & veſpere: in altero gerenda proſpice, in altero reſpice, quæ geſſiſti.* Quod & grauiſſimus ille Philoſophorum Seneca lib: 3. de Ira Cap: 36. diuino planè ſpiritu edixit, inquiens: *Animus quotiatè ad rationem reddendam vocandus eſt, & conſummato die interrogandus, quanam parte melior factus ſit.* Nam hac conſuetudine excutiendi totum diem, nihil melius. Siquidẽ poſt recognitionem ſui ſequitur trãquillus, altus, & liber ſomnus. Antequàm igitur in hoc tribunali cõpareamus, conſiderabimus quæ ſit noſtra villicatio, & quando, ac de quo reddenda nobis erit ratio Iudici Deo.

Deus omnia homini ad vſum conceſſit.

Pythagoras.

Seneca.

Villicatio noſtra in perpetua quadam negotiatione conſiſtit, iuxta Chriſti doctrinam Lucæ 19. *Negotiamini donec veniam*: quaſi diceret: toto vitæ curriculo lucrum quærite nõ pecuniarum; ſed animarum veſtrarum: ditari enim mundi opibus parum eſt? quia de mundi huius diuitijs dicit ſcriptura Ezechiel: 7. *Argentum eorum foris proijcietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit.* Sed ditari in anima, iuſtitiâ, & pietate, aliiſq; virtutibus, magnum eſt: quia tale lucrum non eſt auferibile à fideli negotiatore, vt dicitur 1. Timoth: 6. *Diuitibus huius ſæculi præcipe diuites fieri in bonis operibus.* Quod conſiderans B. Fulgentius ad Gallam: Epiſt: 2. cap: 9. diuitias animæ quæ fiunt per gratiam Ieſu Chriſti propter bona opera abundanter homini infuſam, longè præſert diuitijs corporis, quæ fiunt in auro & argento, vbi in hunc modum diſcurrit B. Fulgentius. *Beatus* inquit *fuit Iob, cùm in diuitijs iuſtè viueret, ſed beatior, cùm in paupertate patiens extitiſſet. Beatus fuit, cùm decem filios in circuitu menſæ ſuæ ſpectaret; ſed beatior, cùm vna cunctorum ſimul orbitate percuſſus in Dei dilectione permanſit immobilis. Beatus fuit in corporis ſoſpitate, ſed beatior eſt factus in vulnere, beatior in aceruo ſqualoribus pleno, quàm in*

Lucæ 19

Ezech: 7.

1. Timot: 6.

S. Fulgentius.

in palatio ebore, & marmoribus strato. Præstant igitur animæ diuitiæ corporis opibus, quod in diuite & Lazaro cui ad oculum non patet. Dives ille inducbatur purpurâ & byſſo, epulabatur quotidie ſplendidè, ſed inanis erat in illis ſuis epulis, pauper in multitudine diuitiarum, nudus in pulchritudine veſtium, infirmus in ſanitate corporis, famelicus in ſatietate ventris, miſer in gaudijs, deſolatus inter amicorum colloquia, deiectus in obſequia ſeruulorum. At verò Lazarus qui vili & laceratâ operiebatur veſte, ad fores decumbebat omnium ludibrio expoſitus, premebatur fame, ne micas quidem de menſâ diuitis cadentes impetrare valens: Fuit tamen in paupertate dives, in miſeria beatus, in infelicitate felix, in vulneribus ſanus. Et licet ſine domo, quia ante oſtium decumbebat; non tamè ſine domino, quia oderat protector è cælo qui eum ab omnibus cæli & mũdi iniurijs tutaretur. Licet ſine veſte; lacertâ tantùm opertus; non tamè ſine fide, quia lumen virtutum & gratiæ adera., quod eum in animo cæleſti habitu pulchriùs ornaret: licet ſine bona valetudine corporis conſpiciebatur; non tamen ſine robore charitatis quæ eum firmabat potentiùs, ne vnquam in Deo amando deſiſteret. Licet affligebatur ſine cibo; non tamen ſine Chriſto, qui præſens affuit vt eſurientis animam omni dulcedine ſatiaret. Licet canibus fuit obiectus, in quem etiam fæces non rarò effundebantur: ſed aderat è cælo Angelus, qui ſe eidem ſocium exhiberet, quem humana arrogantia deſpiciebat. Licet deniq; non reficiebatur de micis quæ de menſâ diuitis cadebant, ſed cæleſtem panem viſceribus ructabat internis. Optima proinde, & Chriſtiano homini digna villicatio eſt, totis viribus lucrum animæ quærere, quomodò in Chriſti gratia ſemper creſcere poſſis, quæ ſola vltimum augmenti terminum nõ admittit. Sed & qui iuſtus eſt, magis ac magis eum iuſtificari ſuadet; & qui ſanctus eſt, ad maiora ſanctitatis incrementa permittit. Sed peſſima negotiatio, quæſtum diuitiarum ſæculi ſollicitè affectare, vt dicit D. Paulus 1. ad Timot: 6. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* Nam quid tibi marſupium ære grauiſſimum proderit? Nonne cum illo peribis? nonne aurum tuum terra eſt, & inutile lutum? cum corpore luto & ipſum ſine vſu iacebit. Qui enim in lautitia & omnibus delicijs molliter agunt, purpuram & byſſum induunt, quotidiè ſplendidè in conuiuijs ſe exhilarant; pro virtute verò labores ſubire detrectant: ij non viuent in futuro ſæculo, ſed longè vitâ videbunt, in camini flammâ cruciatus. Quod eleganter ipſemet Deus Ezechieli prophetæ inſinuauit; inquiens: Ezechiel: 5. *Sume gladium acutum & capillos tibi rade, & aſſumes ſtateram ponderis & diuides eos. Tertiã partem igne combures in medio Ciuitatis, tertiam gladio concides, tertiam verò aliam diſperges in ventum.*

Quid ſibi obſecro vult iſta Cerimonia in radendis capillis? in ſenſu literali ſignificabatur in iſta prophetia ruina Iudæorum. Quòd ſcilicet alij à chaldæis comburẽdi, alij gladio occidendi, alij in captiuitatem abducendi erant. At verò in ſenſu myſtico deſignantur impij homines, & mundi diuites, qui ſuis bonis abutuntur in malum, & temerè illa profundunt, ideoq; diuitias ſæculi comparat ſcriptura cum capillis, qui dùm multum creſcunt, nimiſq; multiplicantur, facilè oculorum aciem impediunt, & reſecari propterea debent. Sic diuitiæ & bona temporalia, ſi magno augeantur incremento, niſi inſtar capillorum diminuantur, & in pios vſus conuertantur, aciem mentis penitùs obtundunt, ne cæleſtia quis appetat, aut concipiat animo. Inſuper oſtenditur, quomodò peruerſi homines trifariam ſuas opes vt plurimum malè diuidunt, aliam enim partem illarum in ignem mittunt, quando facultates ſuas in carnis illecebris atq; voluptatibus conſumunt ne libidinis ſuccenſi: dùm nec pauperibus Elèemoſynas erogant, nec domeſticorũ curam habent. Alteram verò partẽ gladio diuidunt; in rixas, iurgia, & lites, diuitias, diſſipando. tertiam demùm in àérem proijciunt, dùm quod ſibi à Deo ad honeſtum vſum conceſſum eſt, illud, totum non niſi in vanitatibus collocant, & in oculorũ concupiſcentijs, ſumptuoſis ædificijs, veſtimentorum luxu, venationibus, aleis, chartarum ſtudio conſumunt, & quod maximè Dei offenſiuum deplorat Apoſtolus [Matth: 25. *Diſſipant bona à patre accepta cum meretricibus.* ô quàm multis iucundum & ſuaue eſt, ſuas facultates prodigaliter viuendo conſumere, epulando, luxuriando diſſipare: ſuaue illis eſt alienas facultates diſſipare, & in proprios plerumq; ac ſuperfluos vſus cõuertere. Sed cum opibus conſumptis debitis onuſti, ad reddendam rationem citantur, tunc etiam coram Iudicijs huius ſæculi impletur os eorum calculo: cùm verò ad tribunal Chriſti ſiſtere debebunt, ibi primùm erit horror, vbi reddenda tibi ratio erit, quare temporalia bona, quibus moderatè tantùm vti debueras, luxuriosè diſſipaſti? quare pupillorum, & viduarum tuo patrocinio concreditas opes, fraudulenter appropriaſti tibi? quare oblationes Deo & Eccleſijs factas, aut malitioſe detines, aut iniuriosè vſurpas? peruerſa enim eſt hæc villicatio, dùm virtute fiditaris deſtituitur. Quòd pulchrè declarauit Deus, dùm ad fabricandum Arcæ tabernaculum elegit Beſeleel & Ooliab architectos, quos inprimis Deus vt tanto muneri obeundo idonei eſſent, ſapientiâ inſtruxit, dicente ſcriptura Exod: 36. *Dedit eis Dominus ſapientiam & intellectum, vt ſcirent fabrè operari.* In ſuper D. Auguſt: ſanctos quoq; eoſdem fuiſſe affirmat. *Notandum* inquit *eſt, quòd operum effectores ſancti quoq; erant.* Et vnde quæſo colligitur ſanctos fuiſſe? inde profectò: quoniam fideles erant in diſpenſandis donarijs populi. Tradiderat enim illis Moyſes omnia donaria filiorum Iſraél, ex quibus liberaliter oblatis poterant ſi vellẽt multum auferre; quod tamen minimè fecerũt, ſed illa omnia quæ ſuperflua erant deferebant Moyſi, inquientes: *Plus offert populus, quàm neceſſarium eſt.* Architecti ſumus omnes Catholici mei, qui perpetuò arcæ tabernaculum fabricare debemus in noſtris conſcientijs, vt ibi gratia Dei aſſeruetur, ſed vt affabrè operemur hoc tabernaculum, ſapientia Dei nobis primùm neceſſaria eſt, vt ſciamus non tantùm bona; ſed etiam benè operari ſcilicet ex præcognitione finis vltimi, Dei ipſius præpotentis, cuius honor in omnibus noſtris actionibus præcipuè attendendus eſt, nam & gentiles multa bona operati ſunt, Socrates diuitias ſpreuit, Plato voluptates contempſit, Bias paupertatem adamauit, Seneca mores Chriſtianos & vitam planè religioſam coluit, quia tamen tanta hæc bona ignorantes Dei ſapientiam faciebant, proinde non benè, vt pote in laudem potius propriam; quàm in honorem veri Dei omnia ordinando. ideo omnia hæc cum illis euanuerunt. Catholicis verò neceſſaria eſt Dei ſapientia, vt vanam de ſuis operibus gloriam non quærãt, ſed potiùs de Deo illis benè meri ſtudeant. neceſſaria eſt inſuper & ſanctitas, vt ſint fideles in diſpenſandis alienis bonis. Nam ſiuè tui ipſius curam geris, tamen quia villicus es Dei, & tuis facultatibus tanquàm ſub dominio Dei collocatis, moderatè vti debes: ſiue tutorem agis, caue ne de alienis bonis ditari ſtudeas? ſiue theſaurarium regni geris, & hic ſedulò perpende, ne Rẽpub: defraudes? ſiue munus Iudicis ſuſtines, & hic ſerio trutina, ne à ſanctè & fideliter iudicando munera te abducant? quia ſic iniqua tua villicatio erit. Proinde ne in ſeuero Chriſti Tribunali condemneris, neceſſe eſt, vt illud de te verificetur, quod ſponſa de ſponſo ſuo dixit in Canticis: *Manus eius aureæ tornatiles plenæ hyacinthis.*

In diſceptationem apud Doctores hic ſcripturæ locus venit. Cur ſponſa

Pauper felicior diuite.

1. Timot: 6.

Ezechiel 5.

Diuitiæ capillis excrescentibus ſimiles.

Matth: 25.

Philoſophi qui rectè vixerunt.

Qui aliena appetunt, ſtrictam rationem Deo iudici reddent.

Exodi 36

S. Auguſtinus.

Dei ſapientia & ſanctitas Catholicis ad iuſtè viuendũ neceſſaria.

sponsa de Christo non dixit, caput eius aurum optimum, dentes aut labia eius aurea; sed tantùm manus. Propterea inquit Nyssenus, *quia opus tornatile ad instar globi, nihil detinet in superficie, sed quidquid apposueris, decidit.* Tales manus habeant fideles dispensatores, vt nihil sibi retineant, sed omnia in commodum Domini sui expendant. Sed quotus quisq; Christianorum talis est? non pauci fortassè hodiernum villicum imitantur, & astu panem quærunt. Plurimi ex alienis bonis ditari volunt, & quare, ideo reuera: quia vnusquisque se Dominum esse temerè iactat. Placet titulus dominij omnibus, sed res ipsa nulli competit, præterquã Soli Deo, cuius est orbis terrarum. vocari Illustres, Magnanimos, vnicuiq; arridet; cùm tamen omnes conditione naturæ pares voluerit esse Deus. Vt decantat regius vates Psalm: 38. *Quoniam* inquit *aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut & omnes Patres mei.* Extulit te fortuna in altum, ne tamen adorari te ab inferioribus patiaris? sequendo doctrinam Principis Apostolorum, qui Cornelio volenti eum adorare, respondit: *& nos* inquit *sicut & tu homines.* Actorum 3. Egregium aliquod opus ingenio tuo præstitisti, ne tibi id attribuas? cùm vsu fructuarius tantùm sis, non Dominus. hic enim solus fidelis dispensator est, qui facultates Domini sui sibi non vsurpat, quemadmodùm faciebant Apostoli, stupenda in oculis mundi patrando. Vbi Princeps Apostolorum populo spectanti respondit. *Quid admiramini aut quid nos intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hũc ambulare.* diuitijs abundas, nec tamẽ ideo pauperem contemnere debes? quia omnis opulentia, vel tibi de super allata est, proinde non tua, sed mutuata: vel casu accidit, proinde facilè à te auferibilis est: quod enim præter naturam est, nec nobiscum nascitur, nec perennat, nec transfertur. Nam quid potentiam in orbem induxit? quid oppressionem excitauit? quid licentiam nimiam, contemptum legum & Regum inuexit? diuitiæ: dùm illis homines tanquàm proprijs vti cæperunt. Sed nefarius iste vsus plurimas Respub: perdidit: dùm enim homines bona quibus abundant, propria esse pertinaciter iudicant, facilè, nec in extremis discriminibus Reipub: subsidium ferre volunt, sicq; & ipsi & eorum diuitiæ in potestatem hostis deueniunt. Sic interijt vrbs nobilissima Constantinopolitana, & à Christianis ad Turcarum possessionem translata est, simulq; populus Christianus, cum suo Imperatore Paleologo perijt. Quid est quod modo Polonia olim per vniuersum orbem victorijs & triumphis veneranda, ad resistendum solis latronibus & prædonibus vires amiserit? quæ antea & Othomanorum potentiæ, magno terrori erat? Hoc solum illam impotentem reddidit, & penitùs enernauit, quia antea Poloni non ex præscripto legum, quæ tunc nullæ erant, sed ex arbitrio Principũ suorum, paucis contenti erant, & ijs duntaxat, quæ ad victum quotidianũ sufficerent; & imperio Principis spõtè omnes regebantur, atq; suum quilibet reuerebatur superiorem. Nũc autem leges augentur, & mutantur in annos: subditi Regibus pares esse volunt, atque ad suam quisq; libertatem viuit; irrepsit arrogantia tanta, vt omnes Domini velimus appellari, re ipsa autem miseri, captiui, & vix iam non mancipia existimus. Ecce quantorum origo malorum est, vsurpatio Domini temeraria: dùm nos villicos esse obliuiscimur, vt ad nostrum fastum totum fermè corruat regnum, & dum bona temporalia nobis collata aut male disponimus, aut auarè cumulamus, miseri & omnibus spoliati manemus. Quærit Politicus Christianus, cur in omnia regna nunc ita irrepsit auaritia, vt omnes iam priuata tantùm bona spectent, & commoda publica negligãt, adeòquè sollicitè in congregandis diuitijs laborant, ac si cum illis perẽnaturi essent. Et rationem dat, quia homines in Regno sũt corpus quoddam,

Nissenus

Psal: 38.

Act: 3.

Diuitiæ tẽaciter asseruatæ Respublicas perdunt.

Moderni Poloni ab antiquis discrepãt.

Auaritia vnde.

dam, corpus autem cùm sit terrenũ, omnia imbibit & absumit velut sponsia. Nam Princeps in regno capitis locum obtinet, ideoq; sicut in corpore humano caput humoribus & spiritibus vitalibus præ reliquis membris abundat, sic Principi multæ necessariæ opes, vt & egenos subleuet, & potentum gratiam muneribus sibi conciliet; cordis verò locum obtinet Senatus, à quo omnia bonorum & malorum operum procedunt initia, ac proindè sicut cor est in continuo motu, multoq; àere indiget, quo refrigeretur; sic planè & in Senatoribus continuus auaritiæ motus fit, dùm quotidiè ex inferiore sella altiorem curulem ascendere volunt, fatigatiq; in isto motu refrigerari non possunt, nisi auri sacra fame. nam apud illos, quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Rursus oculorum, aurium, & linguæ officia sibi vendicant Iudices & præsides prouinciarum, oratores ac cæteri officiales, ideoq; cùm semper circumspiciant vacãtes in regno honores, ideo satiari non possunt. nãC cùm sint oratores, quicquid illis libet facilè obtinent; nec tamen sibi vnquàm sufficere putant. Milites verò habent se veluti manus, quia armis bono Reipub: cooperantur, quocirca etiam rapinas perpetuò exercent, quia manus ad congregandum sibi opes iniq; non ad pugnandum fortiter datas esse putant. Præterea priuati, qui aulam vbiq; sequuntur, & Principi vbiq; assistunt, sunt velut latera, quibus quantumuis imponas, parum est: sed opum, non onerum. Deniq; thesaurarij stomacho assimilantur, & intestinorum referunt imaginem: quia assiduo boni cõmunis prouentus vorant; & tamen vacui sunt. Et merito optimè dixisset Politicus, vnumquemq; hominem stomachum esse, nam sicut per stomachum quotidiè transmittuntur cibi, nusquam tamen impletur; sic hominibus licet in momenta & horas accrescant opes, omnia hæc in illis auaritia velut calor in stomacho absumit. Hæc villicatio quæ tantùm fit circa temporalia, periculosa est: nam eiusmodi omnes villici citabũtur ad reddendam rationem, non semel, sed bis, inprimis in hora mortis, vbi hõo aut æternæ gloriæ adiudicabitur, si in gratia Christi ex hac vita decedat. aut perpetuis cruciatibus, si in peccato ad terram vnde exixit, reuertetur. & ad hoc iudicium paratum semper debere esse hominem docuit ipsemet Christus Matth: 25. *Vigilate, quia nescitis diem neq; horam.* Et quare homo ignorat horam mortis suæ, quâ deante acta vita rationem redditurus est? ideo sanè, quia mors, silentegressu & strepitum non faciente passu venit, Deus quoq; quò minimè speratur, ad exigendam rationem adesse solet. vt dicitur Isaiæ 30. *Subitò cùm non speratur veniet contritio eius* & quare non sentitur aduentus istius Iudicis? ideo certè vt dixit quidam gentilium, quia Dij laneos pedes habent, vt non sentiantur, dùm ad puniendum veniunt, & tamen licet ibi homo totam calculationem reddendæ rationis suæ in ictu oculi peraget, totum nihil ominus iudicium fiet secundùm iudicialem processum. Aderit enim Actor, qui causam vrgeat, scilicet ipsum peccatum, vt dicitur Genes: 4. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* Aderunt Procuratores pro & contra, scilicet cogitationes propriæ, inter se inuicem accusantibus aut defendentibus rationibus pugnantes. Afferentur libri processuum atq; scripturarum, scilicet; cor ipsum peccatoris & memoria, vt dicitur Ieremiæ 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo super latitudinẽ cordis eorum.* Aderũt deniq; & testes, scilicet; ipsamet conscientia, quæ semper reclamabat, quoties homo ad peccatum accedere debuerat, vt dicitur ad Rom: 2. *Testimonium illis reddente conscientia eorum.* Frustra igitur homines Deo improperare possunt, quasi ex passione iudicet, quia iudicat ex ratione. *Redde rationem villicationis tuæ.* Vbi Deus ostendit se ex ira non punire, sed locum defensioni tribuere. *Redde* inquit *rationem,* quasi dice-

Respub: corpori similis.

Thesaurarij cur stomachosimiles.

Matth: 25.

Isaiæ 30

Gen: 4.

Hierẽ: 17

Rom: 2

Deus nõ exira, sed ex ratione iudicat ac punit.

diceret: cùm omni horâ, omni momento vocaris ô homo, ad reddendam rationem ideo tempestiuè te præpara, & resiste eis qui te infamant apud Deum; scilicet peccatis, & hæc ratio reddenda est vnicuiq; in iudicio Dei particulari, scilicet in ipso puncto mortis, sed nec dùm satis: & in altero enim tribunali comparere debebit homo ad reddendam rationem, scilicet in Iudicio vniuersali, in quo omnis creatura rationalis comparere debebit. idq; iam determinatâ horâ, quia in ipso noctis silẽtio; *Media nocte* inquit *scriptura clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* in loco certo, quia in valle Iosaphat, ad certum quoq; signum, quia ad clangorẽ tubæ Archangeli. Quærunt hic aliqui quorsum vniuersalè iudicium cum toto mundo peragetur? cùm quispiam in ipsa diuisione animæ à corpore, iudicio particulari iudicatus sit, iamq; aut beatifica fruitur visione, aut tartareis pœnis torquetur. Sed certum est, ideò futurũ, vt manifestentur omnia opera bona iustorum, & mala damnatorum, vt damnati videntes præmia iustorum, corporum gloriam, quâ propter bona sua opera à Deo præmiati sunt, tantò maiorem in se excitent dolorẽ, quod propter momentaneam carnis voluptatem tàm inappretiabilia dona amiserint, proinde ad maiorem iustorum commendationem. Deinde vt iusti summam agnoscant Dei misericordiam, quòd illis contulerit finalem in gratia perseuerantiam, quam impijs negauit, sine qua nusquã salutem consecuti fuissent. Quærunt insuper aliqui, cur non in clara luce peragetur hoc iudicium, sed in nocte? & politici quidem huius mundi, putãt ideo, vt scilicet grauissimi peccatores, tremendum iudicem spectãtes, faciliùs subterfugiant, & alicubi se occultent: in nocte enim facilis fuga, cæterùm falluntur grauiter, quia tunc nullus locus erit fugæ, vbi tempus aduenerit extremæ iræ. Noctu igitur peragetur vniuersalè Dei iudicium, quia tunc vmbræ è sepulchris excitabunturi, ipsa scilicet corpora defunctorum, quid enim aliud est homo mortuus, nisi puluis & vmbra, ideoq; cùm vmbris non sit aptior locus, quam nox tenebrosa, iudicium, in nocte peragetur, vt in istis resuscitatis vmbris, & lux gloriæ pulchriùs refulgeat, & flamma ignominiæ manifestiùs atq; horribiliùs emicet. In hoc Dei iudicio vnusquisq; nostrum, redditurus est rationem suæ villicationis, de omnibus videlicet & quæ intra nos sunt, & quæ infra nos, & quæ supra nos. Reddenda primùm nobis ratio erit de his quæ intra nos sunt, scilicet de ipsa anima & potentijs eius. Requiret enim Dominus à nobis animas mundas, vt potè in lauacro sanguinis sui emundatas. Vnde quilibet Christianorum de nulla re magis sollicitus esse debet, quàm de anima, quia hanc Deus principaliter in potestate hominis posuit vt dicit Propheta Psal: 118. *Anima mea in manibus meis semper.* ideoq; necesse est, vt anima sit in manibus nostris, velut res aliqua pretiosa diligenter custodita & tractata, vt quæ purgata sacro fonte & Christi sanguine est, sit semper casta, munda, & sancta. Celebre exemplum custodiendi animam præbuit nobis Beata Paula Romana, dicens: *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurissõ & ceruſſa & stibio sæpè depinxi: Affligendum est corpus, quod multis vacauit delicijs, longus risus amaro compensandus est fletu; mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda, & quæ viro ac sæculo placui, iam Christo Domino placere desidero.* Comprobat hoc ipsum D. Paulus 1. Corinth: 9. *Castigo* inquit *corpus meum & in seruitutem redigo.* Et cur magne Apostole? Itane Dominum offendisti? respondet: *ne reprobus efficiar.* Et tu Christiane quisquis es, siue te peccatis nõ esse grauatum putas, castiga corpus, vt mundus sit spiritus tuus: in seruitutem redige, vt sit obediens Deo. Sic enim castam & mundam animam conseruabis, cuius ornatus non alius, nisi fides & virtus, temperantia & patientia, pietas & charitas. Hæc eam in candidam byssum, in niueam albedinem vestiunt: his virtutibus candidior lacte, rubicundior rosis exstabit. His redimita perfectionibus, cũctis cæli ordinibus gratiosa, Christo vera sponsa, Deo Patri fidelis filia, Spiritui sancto dignum domicilium apparebit. Reddenda nobis ratio erit & de potentijs animæ, scilicet de intellectu, si eo non ad Dei honorem, sed in carnis, aut mundi, aut proximi malum vsi sumus vt dicit Propheta Psalm: 100. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* quasi diceret: bonum præmium paratum est ijs, qui rectam rationem in suis operibus sequuntur. Carolus VI. Galliarum Rex, in bellicis signis ad Pantheram efformatã, tradebat sibi legendum *Mens sibi conscia facti.* puta, victoriam conferet, vel casum, nã bona conscientia semper triumphat, mala ruit: certè & homo ad intellectum posset optimè hanc inscriptionem referre: *Intellectus sibi conscius.* Nam intellectus semper ad bonum inclinans, desideratũ præmium referet, in malum verò deuians; pœnas luet? reddenda erit ratio de voluntate, si in iram excandescens sæpius ferebatur. Nihil enim grauius homini, quàm temerè & nimium irasci, vt dicitur Eccles: 27 *Graue est saxum & onerosa arena, sed ira stulti, vtroq; grauior.* Ad sepulchra antiquorum virorum sculpebantur Leones, Tauri, Serpentes, agnelli, & similia. Vt ex ijs appareret, cuius naturæ & morum esset sepultus. Quâ sculpturâ, non vitia, aut intemperantiam virorum significabant; sed virtutes illorum exprimebant. Per leonem significabant, quòd seueritate depositâ mortuus fuerit mansuetus. per Taurum eius temperantiam in vita denotabant. per serpentem Prudentiam. per agnum Innocentiam. Felix certè sæculum, vbi signis virtutum sepulchra mortuorum exornabantur. nunc autem stemmata tantum ad magnatum sepulchra affigũtur, vt nihil virtutis deprehendi possit; sed tantùm merus fastus & arrogantia. Hinc Lucianus refert in Dialogo Deorum, quòd timenti veneri ne ob scelera à seuioribus dilaniaretur, responderit cupido: *Confide mater, Leonibus enim ipsis iam familiaris factus sum, & sæpenumero conscendi eorum terga & apprehendi iubas.* Certè & Catholici licet antea multa patrauerint scelera; si tamen postea ad virtutes conuersi, in timore Domini cum fiducia starent, responderet illis Pater cælestis: ne timete filij mei, iã enim ego leonum infernalium ora compressi, & vobis familiaris factus sum. Reddenda nobis erit ratio, & de appetitu ipso, si aliquando illicita concupimus. Vnde dicitur Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Reddenda erit ratio & de scientia, si eam homo aut neglexit, aut in malum cõuertit. Vnde dicitur Sapientiæ 1. *Sapientiam & scientiam qui abijcit infelix est, at multo infelicior, si illâ abutitur in detrimentum proximi, aut sui* Vndè rectè quidam Neotericorum dicit, vos ea quæ Deus aut natura, aut ars aliqua, ad obsequium dedit, in vestrũ dedecus damnumq; conuertitis. potum ad ebrietatem & crapulam, valetudinem ad voluptates, formam corporis ad libidinem, robur ad iniurias, ingenium ad fraudes, scientiam ad superbiam, eloquentiam ad discrimen, vestitum ad pompam, otium & quietem ad vitium, ne dicam ad exitium. Præterea reddenda nobis erit ratio & de ijs, quæ infra nos sunt, id est; de omni verbo otioso, & de omni commodo, imò de terra, & aquis ipsis, si rectè his, iustè & religiosè vsi fuimus. Demum & de ijs quæ supra nos sunt, rationem à nobis Deus requiret, id est; de Sole, Luna, Stellis, & àére. Qui enim facit Solem oriri super iustos & iniustos, non aliud desiderat ab eis, nisi vt iustus de bono accepto iustificetur adhuc; iniustus verò recedat à malo.

Habetis igitur vestram villicationem non aliam vobis propositam, nisi vt rectè operemini, iustè & sanctè viuendo in hoc sæculo. habetis & tẽpus

Iudiciũ vniuersale ad quid.

Iudiciũ vniuersale cur noctu peragetur.

Psal. 118.

Paula Romãa.

1. Corit: 9.

Psal: 100

Eccl: 27.

Lucian:

Eccle: 18

Sap: 1.

pus duplex, quo de hac villicatione A vestra requiretur ratio, scilicet; Iudicium particulare, quod fit cum singulis hominibus in puncto mortis, & Iudicium vniuersale, in quo totus mundus sistere debebit; & Angeli, & homines, & iusti, & damnati, non sine magno tremore. Vbi de tribus potissimum vobis ratio reddenda erit, & de ijs quæ sunt intra vos, scilicet de Intellectu & voluntate, appetitu atq; cogitatione. & de ijs quæ sunt infra vos, scilicet de omni commodo ex aquis & terra percepto. & de ijs quæ sunt supra vos, id est de ipsa astrorũ illuminatione. Villicate ergo sed in timore Domini, lucrum non diuitiarum, sed animarum quærẽdo. vt pro fideli & deuota negotiatione, illud audire possitis: *Euge serue bone, quia in his fuisti fidelis, super multa te constituam.* Vt inquam à dextris' Filij Dei constituti, pro apportato virtutum lucro, mercedem gloriæ æternæ obtineatis. Amẽ.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN, CONCIO PRIMA.

Cœpit eijcere vendentes & ementes. *Lucæ 19:*

OStenditur, quanta reuerentia debeatur Ecclesiæ, & quantum Deus offendatur eius profanatione obstupesco prorsus, dùm hodiernam seueritatẽ à Christo Domino in vendentes, & ementes exercitam considero. Nec immeritò: multoties enim Christus, grauissimas calumnias à Pharisæis' passus est, multa sustinuit opprobria, frequenter sui honoris & famæ iacturam subijt; & tamen nusquam ita B seuerè se gessit; quemadmodùm in eijciendis mercatoribus de templo. Alij blasphemum vocabant: imo etiam dum in crucem actus esset, scribæ,& Pharisæi, horrendas in blasphemias aduersus eum erumpebãt, Marci 15. v. 31. *Prætereuntes blasphemabãt eum, mouentes capita; similiter & summi sacerdotes.* Et quod durius, etiam latronum alter dolorum impatiẽtia, & ingenita peruersitatis malitia, sacrilega lingua furebat, ac mitissimũ Dominum dicterijs execrandis dehonestabat; & tamen Christus Dominus ne verbum respondit. Alij dæmonium habentem appellabãt: *Nõne benedicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* & tamen Christus non exarsit, sed mitissimè respõdit: *Ego dæmonium non habeo.* Cùm esset Dominus Iesvs in templo docens, adduxerunt scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio; dixeruntq; ei. Magister hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses nobis mandauit huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Iesvs autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, forsan hoc facto prodere volẽs acres accusatores. Tandem, cum vnus post alium omnes abscessissent, remaneretq; solus Iesvs, & mulier in medio stans: *Mulier nemo te condemnauit?* Ioan: 8. Qua respondente: Nemo Domine. Dixit Iesvs: *Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare:* Ad quæ Ioannis verba tacitè alludens Chrysologus, pro sui acumine ingenii notat, quàm sagaci ingenio, & pertinaci inquisitione Christi dicta, & facta Iudæi discutiebant. *Sed iudicatur* Chrysologus

tur inquit, *hic solus, qui solus iudicarẽ noluit, ne puniret: improba seueritate discutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit: cùm solus innocens inuenerit omnes reos, ad iudicium pietatis immensæ suscipere maluit, quam rogare sententiã.* Damnatissima igitur ab humanis oculis sistebatur Christo fœmina, impudicitiæ rea: at ille non discussit reatum, non euulgauit infamiam, testes non examinauit, ream de crimine non interrogauit, non ambiuit reatum inuenire, qui solus iudicare noluit, ne puniret. Et licet ipsius Christi vita, improba seueritate discuteretur, ac sinistrè traduceretur, ipse vt etiam adulteræ largiretur veniam, nil quæsiuit, sed impunè feminam abire permisit. Nil quæsiuit, non quasi ignorare vellet, sed quasi optaret humanam oculorum censuram cohibere. In deserti stadio tartareus' luctator esurientem Christum adorsus est, vtq; an esset Deus exploraret, lapides in panes conuertendos ei obtulit: *Dic vt lapides isti fiant panes.* C Matt: 5. Matth: 5. signum panis petijt, quia signum ieiunij pertimescit. Et quoniam impudens inimicus nescit semel vinci, ad multiplicem vincentis triumphum: *Statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te.* Miratur S Basilius, ad quid diabolus demissionem Christi affectauerit. Quod enim diaboli lucrum fuisset, quòd Iesvs Angelorum manibus sustentatus, deorsum à po- D S. Basil: pulo videretur descendere? *Profectò* ait Basilius Seleucien: *Si ad Deũ, quem nouerat, loquitur, quomodò proposita sui deiectione territare conatur? siquidem Dei natura neq; altitudinem nouit, neq; profunditatem.* Proinde consilijs suis se diabolus prodidit, dùm lapsus quæreret, præcipitia imperaret. Ita suis suadet, ita suis prouidet semper, ita suos eleuat, vt de alto validiùs in ruinam præcipitet. Verumtamen subdolam huius signi petitionem ita perstringit Chrysologus' Serm: 13. *O signum! mitte te deorsum: conuenientiùs dixerit: Si Filius Dei es, ascende ad cœlum: cùm sit hominis vtiq; ad terram cadere, Dei sit ad superna conscendere.* Nihilominus cùm sublimissimus naturâ suâ Deus non habeat, quo possit ascendere, eo forsan modo ascendere poterit, si se comparatus demittat, & humilis deorsum descẽdat. Hinc diabolus exploraturus de Christo, an verè Deus esset, non inidoneum captans signum, non ascensum, sed descensum à Christo requirebat, quòd statim citatus Chrysologus argutè subiungit: *Sicut* inquit, *se diabolus consilijs suis prodit, ita responsione sua Dominus se releuat dum ait: Nõ tentabis Dominum Deum tuum. Se vtiq; Dominum, se vtiq; Deum intelligi voluit, hæc dicendo: qui non de pinna templi tantùm se dedit ad terram, sed è cœlis se ad inferos vsq; iactauit.* Quo circa diabolus non cæcatus suis ausibus, deorsum cadere expetijt Christum, vt inde occultæ diuinitatis signa captaret, & ab humili vltro descensu, manifesta deitatis indicia explorata haberet. Quoniamergo ita mitissimus erat Christus in respondendo, vt suos calumniatores, & maximos persecutores, ne verbo quidem aspero læserit, quid eum ad ita durè tractandos mercatores, de temploq; eijciendos compulit? præsertim cùm non pertineret ad speciem hoc factum ad Christum, qui nulla tunc publicâ iurisdictione fungebatur. Equidem nihil aliud, nisi zelus templi sancti, & honor diuini numinis. Ait Beda: *Discipuli videtes in eo hunc seruentissimum zelum, recordati sunt, quia zelo domus Patris Saluator eiecit impios de templo.* Scilicet non poterat Christus pati illam profanationem sancti Dei templi, cum in eo homines diuini timoris obliti, auaritiæ inhiarent, lucra illicita quærentes, & postposita pietate, ac Dei honore, terrenas negotiationes exercentes. Non poterat tolerare emptiones ac venditiones in domo Dei fieri. Considerabimus itaq;, quanta reuerentia debeatur templis Domini, & quam grauiter Deus offendatur eorũdem profanatione. Chrysologus Serm: 13. Beda.

Præsentia Christi in Sacramẽto Euchariſtiæ deducitur.

Sanctis Dei templis omnem deberi honorem, vel ex eo facilè poſſumus colligere, quòd ibi Chriſtus in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento præſens permaneat. Quòd manifeſtè docet ſcriptura ſacra, in primis Ioan: 6. vbi dicitur: *Panis quem ego dabo caro mea eſt.* Et poſtea v. 53. *Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et iterum v. 55. & 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Inſuper: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè potus.* Quæ verba expreſsè intelligũtur de hoc Sacramento, vt definitũ eſt in Concilio primo Epheſino, in Epiſtola ſynodali contra Neſtorium. & in Concilio Tridentino Seſſ: 21. cap: 1.

Error Hæreticorum de præſentia Chriſti in Sacramento.

Reſpondent Hæretici, hanc manifeſtam veritatem mordicùs impugnantes, qui aſſerunt, corpus & ſanguinem Chriſti ſolùm contineri in Euchariſtia ſignificatione, & figurâ. dicuntq; Chriſtum in citatis ſcripturæ locis, non loqui de Euchariſtia, & conſequenter non loqui de manducatione corporis ſui ſecundùm veritatem, ſed loqui de fide ſuæ incarnationis, proinde de manducatiõe corporis ſui ſecundùm fidem. Probant ſuam reſponſionem primò authoritate D. Auguſtini, qui lib: de doctrina, cap: 16. docet illa verba: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, flagitium iuberè, ſi propriè accipiantur. Et tractatu 25. in Ioan: cap: 6. dicit: *Quid paras dentem, & ventrem, crede & manducaſti.* Et tract: 26. explicans illa verba: *Si quis manducauerit ex ipſo, non morietur*: dicit, *non morietur intus, non foris, qui manducat corde, non dente.* Et in Pſal: 98. in perſona Chriſti ſic loquitur: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis.* Vnde inferunt, corpus & ſanguinem Chriſti non contineri verè & realiter in Sacramento Euchariſtiæ, ſed tantum ſignificatione, & figurâ.

Verùm, iſta reſponſio Hæreticorum non poteſt ſubſiſtere, in primis ex eo: quia communis Patrum, & Eccleſiæ ſenſus, citatum S. Ioannis caput interpretantium, oppoſitum docet. *Præterea*: quia verba ſcripturæ ſacræ, propriè ſunt accipienda, quando nihil obſtat, iuxta communẽ regulam ex D. Auguſtino lib: de doctrina cap: 16. Iam verò nihil, quòd ſufficienter ad præſens obſtet, Hæretici poſſunt afferre. *Deinde*, quia in citato capite promittitur panis, quem Chriſtus daturus erat, qui præter Euchariſtiam alius non aſſignabitur: Si quidem incarnatio iam data fuit. *Inſuper*, quia cùm in citato capite dicatur: *Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Manifeſtè cõſtat, Chriſtum fuiſſe locutum de pane, quem Patres Iudæorum non habuerunt; qui tamen Chriſtum vt obiectum fidei habebant. Tandem, quia Chriſtus non ſedauit ſcandalum Capharnaitarum, manducationem corporis Chriſti ſecundùm veritatẽ intelligentium; quod tamen non operoſe porerat feciſſe, ſi aliud intendiſſet, quàm verba propriè accepta ſonabant.

Refutatur error Hæreticorũ

Ioan: 6.

Explicatur intẽtio D. Auguſtæ

Quantum verò attinet ad probationem ex D. Auguſtino deſumptam. Hic primo loco ſolùm vult, quo illa verba, flagitum iubeant, ſi de propria & vulgari corporis Chriſti manducatione accipiantur, nimirùm de mãducatione, qua ipſum corpus Chriſti dilaceretur, comprimatur, diſtrahatur, conteratur, concoquatur. Quoniam in manducatione Euchariſtiæ, nulla rei ſignatæ, ſed ſolius ſigni fit fractura, compreſſio, diſtractio, contritio, concoctio. Chriſtus enim ſemel mortuus, ampliùs non moritur, & ſumptus ab omnib⁹ integer perſeuerat. Secũdo autẽ, & duobus ſequẽtibus locis, ſolùm ſignificat, quòd fructuoſa & vitalis euchariſtici panis manducatio, non conſiſtat in externa Euchariſtiæ manducatione, qualem præſtare poſſunt glyres, & mures. Verùm præterea, debeat eſſe mãducatio interna, ac ſpiritualis, quæ requirit fidem in dilectione operantem,

tem, vt pote manducatio ſigni ad fidem pertinentis: quia ſacramenti, & quidem ſacraméti, ac ſigni viuorũ. Tandem vltimo loco non amplius indicat, quàm non manducaturos fideles corpus Chriſti in ſua ſpecie, ſcilicet panis, & vini. Imò ipſemet D. Auguſtinus lib: 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap: 20. & Serm: 24. de verbis Domini, & Serm: 20. de Apoſtolis, alibiq; ſæpiſſimè, diſertè docet, quòd in illis verbis: *Niſi manducaueritis &c.* loquatur Dominus de Sacramẽto menſæ ſuæ, & de mãducatione corporis ſui in Euchariſtia.

Pſal: 21.

Et certè, quis hanc veritatem nõ videt vel in ipſa Eccleſia ſancta, quæ ſemper magnam reverentiam adhibuit Euchariſtiæ ſacramento, cultum latriæ eidem exhibendo. Quod reſpiciens D. Auguſtinus in Epiſt: 120. illud Pſal: 21. adducit: *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* Et S. Baſilius lib: de ſpiritu cap: 27. inuocationem Euchariſtiæ ponit inter apoſtolicas traditiones: vnde in Canone Miſſæ oramus ad ſacramẽtum dicentes: *Agnus Dei &c.* Hinc S. Dionyſius cap: 3. Hierarch: eccleſiaſt: orabat ad Sacramẽtum Euchariſtiæ dicens: *O diuiniſſimum Sacramentum intelligentiæ noſtræ oculos tuo lumine comple.* Propter quod Eccleſia ſancta prouidit, vt maxima puritate ac reuerentia hoc Sacramentum à fidelibus ſuſcipiatur. Et ideo conſecrati ſunt ſacerdotes, qui in magno honore habẽtur apud populum. Huc reſpiciens D. Gregorius Nyſſen: lib: de ſancto baptis: ad initium ſic dicit: *Panis eſt initio communis: ſed vbi myſterium ſacrificauerit, corpus Chriſti dicitur eſſe, & eodem modo vinum, cùm ſit res exigui pretij ante benedictionem, poſt ſanctificationem, quæ à Spiritu S. procedit, ſanguis eſt.*

S. Dionyſius.

Gregor: Nazian:

Hinc D. Petrus monet nos, vt cum firma fide accedamus ad ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, credentes ibi Chriſtum verè & realiter tàm ſecundùm humanitatem, quàm ſecundùm diuinitatem contineri. 1. Petri 1. n. 7. *Modicum* inquit, *nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, (quod per ignẽ probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione IESV Chriſti, quem cùm non videritis, diligitis, in quem nunc quoq; non videntes creditis.* Quaſi dicere vellet, in hac vita, & ſi illum credatis nobiſcum eſſe; tamen cùm hoc non cernatis, in ipſum creditis, firmiter tenentes, eum in ſacramento Euchariſtiæ vobiſcum eſſe. Ita enim altus, ita præclarus eſt Chriſti modus exiſtendi in hoc ſacramento, vt ipſimet Angeli, quaſi ſibi non ſatisfaciente Chriſti præſentia in cælo, veluti altius quid, deſiderabili⁹ quid, imò vt ſic loquar, auguſtius quid appetant, totis viribus deſiderent, anhelent ipſum in hoc Sacraméto proſpicere. Vnde in liturgia S. Iacobi dicitur: *Taceant omnes mortales, ſtent cum metu, ac tremore: Rex enim regum Chriſtus exit, vt macletur, & detur in cibum fidelibus, eum verò chori Angelorum antecedunt.* Et certè quid mirum: ſi enim vt refert Sophronius Oratione 1. de Chriſti natiuitate, iuſti, & Prophetæ, & Angeli, locum natiuitatis Chriſti videre deſiderant; quanto magis ipſum in hoc Sacramento, ſub ſpeciebus illis diuinis, modo ineffabili exiſtentem cupiunt videre.

Sophronius.

Hinc non quælibet in hoc Sacramento adhibenda eſt fides, ſed plena, vt docet S. Thomas opuſculo de Sacramento, cap: 15. illud D. Pauli ad Hebr: 10. v. 22. allegans: *Accedamus in vero corde cum plenitudine fidei, hoc eſt, plena fide credentes, quæ non videmus.* Talia quippe in hoc ſanctiſſimo Sacramento pro nobis effecit Chriſtus, vt proſus inſaniam dixeris, aut ſi loqui fas eſt, ipſum inſanire. Refert ſcriptura ſacra 1. Reg: 21. quòd cùm Dauid fugiens Regem Saul, peruenisſet ad Regem Achis, videntes eum, & cognoſcentes Satrapæ Philiſtinorum, dixerint: *Nunquid non iſte eſt Rex terræ Dauid.* Quo audito ille expauescens, ſibiq; timens, finxit ſe inſanum eſſe. *Immutauit os ſuum coram Achis, & collabebatur inter manus eorũ.*

Ad Hebr: 10

1. Reg: 21

1. Petr: 1

S. Aug: S. Augustinus legit: *Et ferebatur in manibus suis.* Quem videns Rex Achis, insanum iudicauit: *Et ait Achis ad seruos suos, vidistis hominem insanum?* Scilicet ex eo insanum reputauit, quia collabebatur inter manus seruorum eius. Argutè id considerans D. Augustinus, docet Dauidem in hoc facto præcessisse figuram Christi in Sacramento Eucharistiæ existentis, ita loquens: *Quomodò intelligitur in ipso Dauid secundùm literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando cõmendans ipsum corpus suum ait; Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Vnde cùm adhuc in terris vivens de hoc Sacramento sermonem faceret, pro insano reputabatur. Addit citatus Doctor: *Quasi insanus reputatus est Dauid, quando dixit Achis, arreptitium hunc mihi adduxistis: & Christus dicens; nisi quis manducauerit carnem meam, quasi insanire videbatur.* Vnde teste S. Epiphanio lib: 1. tom: 1. cap: vlt: & lib: 2. tom: 2. cap: 51 multi ex numero eorum, qui in Christum Dominum credebant, ipsumq; sequebantur, vt Dei Filium; tamen cùm de hoc Sacramẽto loqueretur, quasi insanum eum iudicabãt.

Vultis scire causam? hæc est: quia non plena fide, quia non mortua ac penitus extincta ratione accesserũt; sed cum illa; & ideo dicebant litigantes, id est, disputantes, arguentes, differentes, rationem inuestigantes: *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum.* Credebant ergo, sed cum discursu, ac ratione; atq; ideo non plenè, vnde inquirebãt, *quomdo.* Dauid insanus reputatus est, verùm à quo? ab Achis. Quid sibi vult Achis. Respondet in Glossa Rabanus, *quomodo est.* Ab istis proinde Christus insanire reputatur, qui sunt Achis, qui sola ratione metiri, inuestigare, discutere, inquirere volunt præsentiam Christi in Sacramẽto; scisciantes, quomodò est hoc Sacramentum? atq; hinc meritò insanire dici possunt. Regi Achis dicit Augustinus supra citatus, videbatur Dauid insanus, id est, stultis, & ignorantibus, qui dicunt se in Christum credere. At quomodò? solo sensu suo, viua, non mortua ratione, discutiunt, trutinant, arguunt, syllogizãt cum fide, propter quod & fidem amittunt, à quibus etiam Christus, se subducit, ac recedit. Hinc Paschasi lib: de corpore & sanguine Domini cap: 1. actum fidei Sacramenti Eucharistiæ, comparat illorum actui, qui Christo in cruce sancta pendenti crediderunt vt Deo, jn quem si priùs nõ credidissent, fidem diuinam in eum non habuissent: *Si vidisset quis Christum in cruce, in specie serui, quomodò Deum illum intelligeret, nisi per fidem prius credidisset? ita & in hoc corpore, vbi species alia monstratur, quomodò carnem Christi videat, nisi per fidem veracius credat.* Vnde manifestè elucet, quo fidei actu ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum accedere debeamus; illo nimirum, qui sit plenus, totaliter mortua ratione. Addit citatus Paschasius: *Si naturæ ordo requiritur, succumbit ratio, & tamen manet extra rationem facti veritas, quia dubietas mentis, licet bonæ vitæ sit, qui accipit, excludit, ne ad huius sacramenti intelligentiam pertingat.* Palam ostendens, totum hoc negotium sola fide constare.

Paschasi

Hinc facilè possumus concludere, ita Christum Dominum in hoc sacramento delectari, ita in illo existere, idq; pro maximis delitijs reputare, vt plus se in illo adorari ac tãgere per fidem delectetur; quàm apertè in suo corpore glorioso. Quod facile colligi potest ex illis Christi Domini verbis ad Magdalenam Ioan: 10. v. 17. quæ ad pedes eius procumbenti respondit: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. Reconditus huius sermonis, est sensus,* ait S. Cyrillus lib: 12. in Ioannem cap: 50. *latetq; in eo non paruum mysterium.* Et meritò quidem, cùm obscurum illum reddat. Quare autem Christus noluit, vt eum Magdalena tangeret rationem reddit Euangelista sequentibus verbis: *Nondum enim ascendi ad Patrem*

S. Cyrill.

Ioan: 6.

Patrem meum. Quasi diceret, vt ingenioſe obſeruat S. Augustinus, post ascensionem me tanges, ad alium ipsam remittens contactum, augustiorem, penitiorem, secretiorem, ac ipsimet iucundiorem, scilicet ad sacramentalem in diuinissimo Eucharistiæ Sacramento, dicens: *Noli me tangere:* quia glorioſum iam possideo corpus, & nondum ascendi ad Patrem meum; tanges me postea, postquam ascendero, multo delectabilius iucundius, mihiq; suauius in sacramento existenti, ac in viscera tua intranti. Quoniam post Christi ascẽsionem, nullus alius corporis eius contactus remansit, nisi per species sacramentales.

Quod palam facit, nullum fuisse maius miraculum, quàm Eucharistiæ Sacramentum. Magnum extitit fateor miraculum, quando 3. Reg: 19. v. 7. Elias propheta fugiens Iesabelem tyrannissam, ab Angelo confortatus cibum in figuram huius sacramenti sumens, ita ab illo erectus, & animatus extitit, *vt in fortitudine cibi illius ambularet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsq; ad montem Dei Horeb.* Magnum inquam fuit miraculum, sed à cibi substantia, quæ potuit confortare vitam Eliæ. At verò in Sacramento Eucharistiæ, maius miraculum, imò infinities stupendũ, in quo duo concurrunt mirabilia cõtra naturæ vsum, videlicet, quod accidentia etiam sine subiecto corpus nutriant verè, ac confortent. Simul quoq; corpus verum sub illis existẽs, nutriat, & reficiat, non iam corpus, sed spiritum. Quid maius dici potest? quod Dei opus huic simile? Pone vnum magnum comedere panem consecratum, grandem ebibere calicem vini, ita homo sustentaretur, ita alimentaretur, ac si ibi substantia panis esset, & vini, cùm eadem prorsus albedo, quæ nunc licet sine sua substantia visum disgregat, atq; alterat, eadem simul cum alijs diuina virtute alteraret, & nutriret, quod maius prodigium ostendi potest? Verùm non sufficit hoc, sed corpus illud diuinum sub ijsdem accidentibus contẽtum, talem in se vim, virtutemq; obtinet, vt non corpus, sed animam ita reficiat, ita sustentet, ita animet, vt ad montem Dei Horeb possit homo peruenire, scilicet ad montem paradisi Dei altissimi. Audite S. Thomam Doctorem Angelicum, opusc: 59. cap: 6. ita loquentem: *Corpus autem Christi propter excellentiam sanctitatis, & puritatis, & propter vnitatem diuinitatis, ita est spirituale, quòd in ipso perfectissimè concurrunt, & conueniunt ratio cibi propter corporalitatem, & ratio spiritus propter sanctitatem, & puritatem, & vnitam diuinitatem.* Hinc aurea illa D. Bernardi sententia: *Corpus Christi ægrotis est medicina, peregrinantibus dieta, debiles confortat, valentes delectat, languores sanat, sanitatem seruat, fit homo mansuetior, ad correptionem patientior, ad laborem feruentior, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelã, pronior ad obedientiam, deuotior ad gratiarum actionem.* Profectò neminem credo ita barbarum & rudem esse, quem verba hæc non emolliant, atq; ad compunctionem deducant. Quoniam ergo Christus est præsens in sacramento Eucharistiæ, præsens in altari, præsens in templo sancto suo & secundùm diuinitatem, & secundùm humanitatem, quis Sanctis Dei templis omnem reuerentiam non persoluet?

S. Thomas.

S. Bernardus.

1. Reg: 19

Accidẽtia Eucharistica verè nutriunt

Christi Domini iussu discipuli laxarunt retia in capturam, quòd cũ fecissent, concluserunt multitudinẽ piscium copiosam, ita vt rete eorum rumperetur. O stupor, o prodigiũ! tum Petrus multitudinem piscium concluſit copiosam, quando non verbo suo laxauit rete, sed Christi: nam quando suo, licet per totam noctem laborasset, nihil cepit. Lucæ 5. v. 5. *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Vbi Hugo Cardinalis, *in verbo tuo dicit, non meo.* Quod applicans ad prædicatores prosequitur dicens: *Contra illos est hic locus, qui fabulas suas narrant in prædicatione, vel sibi adscribunt, quod legunt, & prædicant.* Et isti enim

Lucæ 5.

Hugo Card:

laxant retia in capturam, id est explicant scripturas, non in hominum capturam, sed ranarum; id est diuiciarum, vel dignitatum. Ideo licet per totam noctem laborent, nihil capiunt; quemadmodum & Petrus, quando non in Dei verbo, sed suo, nō Dei iussu, sed sua voluntate; non Deo gubernante, sed proprio imperio laxauit retia, nihil cepit: At vbi Deus gubernauit, Deus iussit, & ipse in Dei verbo non suo laxauit rete, tunc non vnam, sed duas impleuit nauiculas, vt sciamus non nostra industria, sed Dei prouidentiâ omnia nobis prouenire. Quod cognoscentes discipuli, & illud miraculum obstupescentes, annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt adiuuarent eos; inquit Euangelista: *Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Miratur Dionysius Carthusianus quare Apostoli in illa felicitate inopinatæ vbertim capturæ, non clamarunt potius validè, vt plerumq; fieri solet, aduocando alios piscatores in auxilium; sed annuerunt, id est, nutu capitis, & manuū attraxerunt. Et respondet: *quia præ IESV reuerētia nihil loqui audebant.* Bone Deus, quia Christus in nauicula Petri erat præsens, Apostoli non modò loqui, sed ne mussitare quidem audebant; nunc autem o tempora, o mores! in templo sancto, in quo Deus corporaliter inhabitat, turpissima colloquia, visus insolentes, detractiones, calumniæ, dicam amplius illicitæ negotiationes, & multa alia nefanda, quæ etiam calamus horret, in præsentia Dei in sacramento existentis fiunt, per quod profanantur loca sacra, & Dei maiestas palam impudentissimè contemnitur, quod anteactis sæculis quouis sacrilego scelere atrociùs puniebatur.

Lucæ 5. v. 7.

Dionysius Carthusian:

Apparuerat quondam Deus Abrahamo, tristi admodùm vultu obambulanti, quæsiuitq; quid esset causæ tanti mæroris. At ille cœpir sterilitatem vxoris Saræ, & suam senectutem incusare, quòd magnis à Domino Deo cummulatus diuitijs, filiū bonorum suorum futurum heredem non haberet. Respondit Deus: *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.* Hoc audito addit sacra pagina: *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Torsit multorum capita iste locus. Aliqui enim censent Abrahamum risisse in cordis secreto propterea, quod præ rei arduitate dubitaret, an eiusmodi pollicitationes implendæ forent. Quod deducunt tali modo, quia postquàm visitauit Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit, quæ locutus est, illaq; concepit ac peperit filium in senectute sua, tempore, quo Deus ei prædixerat: *Vocauit Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac.* Quod nomen risum significat, vt sic ambigentis risu Patris dubietatem corriperet. Hæc est mens Claudij Marij victoris lib: 3. in Genes: qui super illa verba: Et risit dicens in corde suo &c. *Sed tamen ignoscam dubijs, puerōq; futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* Nimirum Abrahamus prope centenarius à Deo audiuit, Saram nonagenariam ei pariturum filium, in effœta iam diu ætate, atq; ideo de pollicitatione dubius fide, præ dubietate risit. Proinde quando Deus suam promissionem adimplens, promissum Abrahamo donauit filium, qui appellatus est Isaac, id est *risus*, hoc ipso videtur innuere, vt ipsum nomen in tenella infantis carne insculptum, pristinam diffidētiam risu expressam, iugiter reprehenderet, vtq; Abraham dubietatem olim suam in puero descriptam crebrò legeret.

Nomen Isaaci Abrahami risū arguit.

Verior tamen multorum sententia mihi videtur, qui censent, Abrahamum minimè dubitasse de diuina promissione. Hoc aperte docet S. Paulus ad Rom: 4. v. 18. de Abrahamo ita scribens: *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret Pater multarū gentium.* Quibus verbis S. Paulus fidem Abrahæ vltra sydera extollit, quod contra spem rationis naturalis, contra spem carnis crediderit, firmiter omnipotentiæ diuinæ. Nam cùm Abraham expertus esset centum annorum sterilitatem, & Saram nonagenariam iam effætam, etiam in iuuentute sterilem fuisse, non fuit in ipso causa naturalis vlla sperandi, semen suum sicut stellas cœli fore multiplicandum, atq; sic in sola Dei promissione acquieuit. Ad quod magis illustrandum addit Apostolus loco citato v. 19. *Et non est infirmatus fide*: ex hoc maximè laudans Abrahamū, quòd cùm sciret se per senectutem minimè idoneum esse ad generandū; infirmitatem tamen suam fide firmauit, vt crederet se posse per Deum, quod sciebat per naturam fieri non posse. Moxq; subiunxit: *nec considerauit corpus suum emortuum.* Et hoc propter magnam Abrahæ fidem addidit Apostolus: quoniam vera fides nihil naturæ considerat, cùm omnipotentem Deum cognoscat. Si ergo Abraham contra spem in spem credidit, ob quod pater credentium dici meruit, quomodò de facta sibi promissione potuit dubitare? Cecidit proinde Abraham in faciem suam, *non ex derisione, quia increpatus fuisset à Deo sicut Sara, sed hoc fecit præ cordis exultatione, inquit Lyranus.* Quod magis adhuc elucidat S. Ambrosius lib: 2. de Abraham cap: 1. inquiens: *Cecidit Abraham, quia reuentiam exhibuit Deo: noluit enim aperto vultu lædere faciem, licet ille risus declarauit lætitiam viri iusti.* O Catholici mei Abraham senio confectus coram Angelo, Dei personam repræsentante, in faciē cecidit, quasi indignum se reputans, qui in conspectu Domini stare posset. Nos verò tanta Dei nostri incarnati beneficia experti, eiusq; pretioso sanguine empti ac redempti, præsentem in augustissimo sacramento toties ore sacrilego sumimus, & quasi ibi non esset, in templo Domini, velut in iumentorum stabulo impudenter nos gerimus, propterquod ipsis Atheis & Gentilibus deteriores dici meremur.

Gen: 17.

Ad Rō: 4

Lyranus

S. Ambrosius.

Iucundum Seraphini apud Isaiā cap: 6. nobis exhibuēre spectaculum: assistebant Domino excelso throno insidenti, crispatas aēre expandebāt pennas, desiderio vidēdi Dominum; oculos verò alis arcebant, quasi luminum periclitantes naufragio. Ait Propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Sedet profectò summus Deus in excelso maiestatis throno, vt rem mundi consultissimè tractet, ac diuiniori prouidentia gubernet. Assistunt augusto Diuinitatis eius solio seraphini, velut honorarij Dei stipatores, & faciales ministri. Et cur obsecro ad quietam stationem senæ alæ singulis assignantur? Imò si singuli duabus alis volant, quo pacto stare dicuntur? Aut enim immota statio agilem volandi motum impediet, aut rapidus volandi motus stationem inquietabit. Vtrumq; ex alterutro validè reda rguitur; aut nō volare dum stant, aut non stare dum volant. Vtrumq; nihilominus scriptura sacra illis attribuit, quod considerans Dionysius Carthusianus ita fatur: *Et duabus volabant, id est, per duas medias alas ad omnia diuina obsequia promptissimè ferebantur, ascendendo ad superiora, & descendendo ad inferiora: ista, iuxta imperium Dei.* Quasi diceret isti Seraphini Deo in maiestatis suæ throno sedenti, ita stantes assistebant, vt de præsentissimo Dei vultu tanta exundarent gloria, vt propriam faciem duabus aduersis alis mysticè contegerent; simulq; duabus alis ad omnia diuina obsequia promptissime ferrentur.

Isaiæ 6.

Seraphini ante solium Dei & stant. & simul volant.

Dionysius Carthusian:

Vultis vlterius scire, cur Seraphini coram sedente Deo stent? meo sanè iudicio dicuntur stetisse, non sedisse, vt nos doceant, qualem reuerentiā debeamus exhibere præsēti Deo in Sanctissimo Sacramēto; velant autem faciem ob summam reuerentiam

rentiam tantæ maiestati debitam, quasi fulgorem diuinæ præsentiæ ferræ non valentes. Audite Theophylactum in cathena cap: 12. Lucæ. *Seraphim* inquit, *velari dicuntur, propter excellentiam diuini splendoris.* An certè putatis, non idem fieri in Ecclesia sancta, quod in cœlo? mihi credite, descendunt Angeli Sancti de cœlo, & stant ante SS. Sacramentum. Testis istius veritatis luculentissimus est S. Nilus ad Anastasium scribens, quòd cùm venisset constantinopolim, ingressus Ecclesiam S. Chrysosthomo missam celebrante, viderit Angelos descendentes, & ante Sacramentum altaris procidentes: *Delapsa sunt* inquit *virtutes de cœlo, stellis candidiores, nudis pedibus, magna reuerentia totum altare circumsteterunt.* Erubescite Catholici mei: Angeli Sancti stant cũ magno tremore, Deum in Sacramẽto præsentem adorantes; nos autem plerũq; ingredientes Ecclesiam sanctam, nec in genua procumbere volumus. Quod admiratus S. Chrysosthomus homil: 15. exclamat: *Stat sacerdos offerens orationem cunctorum, tu autem rides, non colligis te ipsum, nil cogitas.* Hoc innuere voluit Haias Propheta cap: 2. *Et erit in nouissimis diebus mons supra verticem montium domus Domini, & fluent ad eum omnes gentes.* Quid est mons domus Domini, nisi Dei Filius ante sæcula natus, ad quem in sacramento existentem, omnes debemus confluere, eumq; proni adorare. Quia quando itur ad Ecclesiam, non itur, vt picturas, & celaturas auro ornatas homo videat; sed ad Deum colendum, & cum tremore adorandum.

Theophylact: S Nilus S. Chrysosth: Isaiæ 2.

Iam quantum Deus irreuerentiâ domus suæ, templi nimirum sanctissimi offendatur, perpendamus. Describens Nahum Propheta ciuitatem populosissimam Ninijuen, dicit eam propter templum Domini, non eo, quo par est, cultu ac honore obseruatum, funditùs perijsse. Cùm enim se Ninijuen intra muros clauderet aduersus hostes suos, sic de illa dicit: *Porta fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.* Nahum 2. Septuaginta legunt: *Portæ ciuitatum apertæ sunt, & regalia conciderunt*: quoniam simul cum templorum religione amissa, necesse est, vt amittantur regna, & perdantur. Ait S. Hieronymus in citatum locum. *Quid iuuat claudere portas, quas Dominus referat? Apertæ sunt porta Niniues, quæ ad instar fluminum habebat ciuium multitudinem: & templum, idest regnum eius destructũ est, & miles captiuus adductus est.* Stant proinde regna, dùm in eis stant religiosè tractata tẽpla; vbi autẽ cœperint templa à religione cadere, necesse est, vt & ipsa regna in ruinam abeant. Sic apertè loquitur Eusebius in Cathena Græca super cap: 2. Lucæ. *Magnum erat Assyriorum regnum, longissimo quoq; tempore floruit: à Nemrod enim inchoans, ad Nabuchodonosorem vsq; perdurauit, nec prius deletum est, quam Hierosolymis Dei templum violasset: hoc enim facto, Medi statim Assyriorũ regnum dissoluerunt.* En totum illud Assyriorum regnum aureũ, quod in aureo capite monstratum fuit Nabuchodonosori, Daniel: 2. tandem perijt ob profanatum Hierosolymitanũ templum. Dicit Eusebius: *Non prius deletum est, quàm Ierosolymis Dei templũ violasset.* Vna proinde cum templo Dei ab Assyrijs violato, & profanato, corruit totum illud aureum imperiũ, quod tot sæculis florentissimè duraverat: quia tamdiu stant regna, quãdiu stat religio templorum, & sacri altaris.

Nahum 2. S. Hieronym. Eusebius. Mar: 11.

Enimuerò tantam Christus Dominus noster de templo conceperat æstimationem, tantam poscebat illo sanctitatem, honestatem, decorem, decentiam, vt non solum ab illo vendentes ejecerit, ac ementes. Sed vltra hos specialiter adnotat S. Marcus cap: 11. n. 8. *quòd non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum.* Quod de vasis, quæ mercandi gratia inferebantur, intelligit Beda, in hũc locum scribens. Et quid indecens erat, vas per templum transferre! quid tàm enorme? vt ob hoc etiam eiusmodi homines, templum illud spelun-

speluncam latronum feciſſe affirmauerit Redemptor noſter? Fateor, nec indecens, nec malum, vecors æſtimaret prudentia, ac cogitatio humana, quæ cùm ad ſupremam, & ineffabilem Dei cæcuciat maieſtatem, deitatemq; quanta veneratiõe, quãta ſit tractanda decentia ignorat. Verùm non ſic Chriſtus, Deiq; Filius, qui ſolus nouit Patrem, qui eius callet maieſtatem; ideo neq; vas per templum transferri ſuſtinuit. Quid ergo cenſebimus? an certè ſuſtinebit mimos, hiſtriones, geſticulatores, Atellamos, Pantomimos, & qui non vaſa mercãdi, ſed ipſas obſcœnas, ac proſtitutas mimas ad mercuturam ibi inferunt, ac introducunt. Pulchrè S. Chryſoſth: hac de re loquitur: *Arbitror* inquit, *periculoſum eſſe adire ſpectacula, multos ex his, qui heri nos deſtituerant, & ad iniquitatis ſpectacula diſceſſerant, hodiè præſentes eſſe; optaram autem iſtos, qui ſint, palam noſſe, vt eos à ſacris veſtibulis arceam.* Ponderate auream prorſus ſententiam, & obſtupeſcite: ab Eccleſia arcere optabat eos S. Doctor, qui heri in ſcæna fuêre, ita Eccleſiæ ſanctitatem præconcipiens, vt indignum duceret, hodie in Eccleſiam, ſanctumq; Dei templum ingredi, qui heri fuêre in circo. Quid putatis diceret, qui proſpiceret, quæ præſenti tempore in templo Dei fiunt? Quando non iam ſcænam proſpectantes, Eccleſiam ſanctam ingrediuntur, ſed ipſi geſticulatores, ipſi comœdi, non vt pœnitentiam agant, verùm potiùs vt peccatum augeant, vt ex iuſtis peccatores efficiant.

S Chryſoſth: Auſteritas S. Chryſoſthomi in admittendis ad Eccleſiã.

O tempora, o mores, in circum, in theatrum conuertitur iam Dei tẽplum, quando theatricas ſcænas in ſanctiſſimis Dei Eccleſiis, in ſacroſanctis illius tremendæ maieſtatis templis peragere præſumunt. Videnᵕ hoc Prælati, Principes tolerant; & tamen diſſimulant. Domus priuata priſcis temporibus Eccleſia erat, at nunc teſte S. Chryſoſthomo. *etiam ipſa Eccleſia in domum redacta eſt: nihil in priuata domo carnale loquebantur homines, templum illud ſpirituale meditantur, ſed huc etiam fori, & iudicij negotia introducitis, ob quas res acerbè fleo, & nunquam finem flendi faciam.* inquit idem ſanctus. O pudor modernorum Antiſtitum, qui iſtaᵕ Chryſoſthomi verba audiunt; nec tamen attendere volunt. Flebat S. Præſul, quia Eccleſiam in domumᵕ viderat redactam, quid ſi in circum, aut theatrum? Flebat, quia in Eccleſiã negotia introducebãtur foranea, quomodò eiulaſſet, ſi cõædias, ſi ſcænas proſpexiſſet? Et tamen hodierni paſtores talia videntes, non plangunt; imò rident, applaudunt, & quod intolerabilius eſt, etiam præſentes aſſiſtunt. Quantam cenſetis ex hoc Chriſtus indignationem capit, quantam iram, quantum furorẽ? *Si famulus in aruiam, vbi herilia veſtimenta pretioſa, aureaq; recondita ſunt, ſeruilem tunicam ſordibus, ac multis pediculis infertam, quis imponeret, age dic mihi, num æquo animo eam contumeliamᵕ ferres, an non plagas inſtigeres ſcelus hoc committenti? dicebat S. Chryſoſthomus.* At nunc ſacroſanctum altare, vbi ſanctiſſimi Dei Filij corpus, vbi arca illa diuina, vbi omnes Dei theſauri, vbi tota ſimul trinitas, vbi cœlum ipſum, mimorum, mimarum, hiſtrionumᵕ videmus promptuarium factum, & tacemus, & non ploramus.

In Eccleſia non licet comœdias per agere.

Conſiderate, quid in cauſa, quod Aman ſuſpenſus, ac præfocatus ſit in ligno? Num quia manus in omnes Iudæos extendere intentauit? num quia innocentem Mardochæum ſuſpendere voluit? num quia fraudulenter literas Iudæorum occiſionis à Rege obtinuit? Profecto nil horum, ſed quia indecorè ante Reginam procumbens, vt eam pro ſe oraret, anſam Regi dedit male ſuſpicandi; & ideo Reſpondit Rex Eſter. 7. *Etiam Reginam vult opprimere me præſente.* Quod confirmat S Athanaſius dicẽs: *Rex cùm regreſſus videret Amanᵕ genua Reginæ contingere, ſuſpicatus quod id turpitudinis gratia faceret, iuſſit eum in ligno ſuſpendi.* Ergo ſuſpenſus eſt Aman, non ob illud grande malum, quod

Eſter: 7. S. Athanaſius.

quod Iudæis inferre intenderat, non ob turpitudinem prætensam; sed solum quia indecenter se habebat ad Reginam, idq; præsente Rege. Deus bone, quomodo ad hæc Christiani non exhorrescunt, qui coram sanctissimo illo Rege regum, & Domino dominantium nefanda agunt, coram illo prostibulum, vt ita loquar, Ecclesiam Dei constituunt, coram illo mimæ ac histriones se denudant, visu, bacchanalibus, verbis obscœnis, ac moribus, omnia replent commessationibus, & ebrietatibus, atq; sic spõsam Christi Ecclesiam coram ipso, in ipsius oculis violant, ac prophanant. Imo cùm hoc fecerint, sacrificium se Deo præstare putant, quanta hæc dementia? nonne eiusmodi digni sũt morte, aut infami suspendio? suspẽsus est Aman, quia solùm indecenter procubuit ad genua Reginæ misericordiam implorans; isti autem morte non afficientur, qui indecentissimè Ecclesiam ingrediũtur ad repræsentandum, ad scœnas, ad comœdias, ad tripudia. Eruditè D. Basilius homil: 6. in Psal: 28. super illa verba: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*, in hunc modum discurrens: *Relictis ædibus suis ad templum accurrunt, quasi emolumenti quidquam inde laturi, sed nullo corripiuntur diuini iudicij metu: adeò vt sibi arridentes, domum orationis in locum vertant effusissimæ loquacitatis.* Quid inde colligere possumus, nisi propter tales abusus impunè fieri permissos, grauem nos vindictam Dei manere, imo quod Deus auertat, vltimam regni ac Reipublicæ euersionem.

S. Basil:

Abominationes in templo regna euertunt.

Inuestigate accuratiùs, quid Deũ impulit vltimò ad Regnum Israëliticum exterminandum, ad captiuandum populum, ad desolandam terrã, ad funditùs eradicandam Ierusalem. Et nihil aliud inuenietis, nisi abominationes in templum illud sanctum introductas. Peccabant longo tempore Israëlitæ, idololatrabant, peccatores, iniqui, ac mali erant; Deus tamen non recedebat ab illis, sed patienter sustinebat. Sed postquam abominationes in templum illapsas vidit, postquam idola prospexit non foris, verùm in templo adorari, tunc primum aduocans Ezechielem, quasi, ac veluti vltimæ desolationis rationem reddens, ostendit illi abomationes eas, quæ in templo fiebant. Ezechiel: 8. v. 6. *Putasne, vides tu, quid isti faciunt abominationes magnas, quas domus Israël facit hic, vt procul recedam à sanctuario meo.* Quasi diceret vt obseruat S. Hieronymus: *Ipsi me suis sceleribus templo abigunt, & cogunt recedere introducto Baal.* Moxq; subiungit sacer textus: *Appropinquauerunt visitationes vrbis.* cap. 9. v. 1. Ergo scænæ, comœdiæ, fædæq; repræsentationes, ac similia ludibria, licet sint tolerabile malum à Deo: nihilominùs in templo, in Ecclesia, grande scelus, signum visitationis seueræ, signum desolationis; signum vltimæ ruinæ. Nam tales homines zelum idoli in templo Dei ponunt, scilicet opus diabolicum, quo Deus ad summam indignationẽ prouocatur.

Ezechiel 8. v. 6.

S. Hieronymus

Hoc innuere voluit Regius vates Psal: 28. loquens: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Super quæ verba S. Basilius ita scribit: *Hæc psalmi verba, & confusi suppudescant ij, qui in templo prolixissima interserunt colloquia, qui in templo Dei est, non maledicentiam, nõ vanitatem, ac ne abscœnis rebus plenos sermones pronuntiet.* Statimq; rationem reddens subdit: *Assistunt Angeli verba describentes, adest Dominus affectum intrantium considerans.* Quodsi in templo sancto non sunt dicenda verba inutilia, quomodò licitum erit ibi comœdias peragere, Pœana canere, versus decantare sæculares? cùm ibi assistant Angeli scribentes, ad stet ipse Deus affectum considerans intrantium. Et nihilominus talis abusus toleratur, tale crimen non abolebitur, idq; scienter, non ignoranter, in quo

Angeli Sãcti ex comœdijs in templo pudore afficiuntur.

quo certè peiores sumus ipsis barbaris, testes Saluiano: quia vt ipse ait: *illos ignarantia legis excusat, nos scientia accusat.* Hinc concilium Trident: Sess: 22. Decret: de reformat ex spiritu S. præcipit, vt ab Ecclesijs: *Musicas eas arceant Episcopi, vbi siue organo, siue cantu, lasciuum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana, atq; prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, vt domus Dei, verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.* Ergo minimè excusabuntur Pastores Ecclesiarum, qui non ex ignorantia comœdias ab Ecclesijs non arcent, sed etiam permittunt, vana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores patiuntur, cùm hoc hominum in fide nutantium quid sapiat.

Saluian:

Tridentinum musicas & multa alia prohibet in Ecclesijs fieri.

Exhibuerat quondam Dominus Ezechieli in visione, reptilia sordida, atq; inuisa monstra, & execrabiles fœdorum animalium formas, à senioribus Israëlitis in templo Dei adorata, diuinumq; illis honorem impensum. Ezechielis 8. v. 10. *Et ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisq; habebat thuribulum in manu sua.* O quanta animi prauitas! dum contempto Deo verò, vilissimas, & humi repentes creaturas, magni illi de populo Israëlitico viri adorare non erubuerunt. Mihi quidem vt verum fatear, insignem stoliditatem, & amentiam admirari libet, dum ea, quæ homines torquent, ac excruciant, & exitiale virus indesinenter instillant, tanto in pretio & honore ab illis habita contemplor. Ingeniosè id obseruante Theodoreto in citatum locum: *Præter impietatem* inquit, *ingens stultitiæ exuperantia: quidenim insanius ijs, qui venenatorum serpentium, & rationis expertorum iumentorum adorant imagines? illos enim vt noxios, & insidiosos occidere consueuimus: hæc vt nobis seruiant, ac*

Ezech: 8. v. 10.

Theod:

ministrarent, Dominus attribuit. Neq; id solùm ad falsorum numinum cultores, sed etiam ad sæculares idololatras, qui fortunam, ideam facientes, cœloq; locantes, mundi honores, diuitias, & voluptates suspirant, magno iure referri potest. Quid enim istæ res aliud sunt, nisi venenati serpentes, & noxia, & insidiosa mõstra, & quæ sibi inseruientes torqueant, & veneno atq; rabie impleant. Audite D. Cyprianum, aureo eloquentiæ flumine per hæc speciosa mala ita excurrentem Epistola ad Donatum: *Quos honores putas esse? quos fasces? quã affluentiam in diuitijs? quam potentiam in castris? in Magistratu purpuræ speciẽ? in Principatu licentiæ potestatem? malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia, instar cuiusdam veneni, vbi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi sapore medicato videtur poculum esse, quod sumitur, vbi epota res est, pernicies hausta grassatur.* Nil melius: ea quippe istorum idolorum natura, id ingenium est, vt pro cultu & reuerentia, quam tàm impensè illis sui cultores exhibent, lethale ipsa virus molestiarum sollicitudinum, atq; dolorum eis expuant, & in imos cordis recessus inferant. Sed vt ad visionem Ezechielis reuertar.

S. Cypr:

Post horrendam illam animaliũ, & reptilium visionem, dixit Deus ad Ezechielem: *Certè vidisti fili hominis: adhuc conuersus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interius. Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti quinq; viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis.* Ortum aspiciebant, & recordari detrectabant occasum, quia prosequi ardentissimè concupiscebant delirium. Peruersissimi homines omni flagitio, & errori dediti, efficatissimã occasus verebantur admonitionem, ideoq; vt vitijs insisterent, nolebant aspicere solis sepulchra; sed semper cunabula intueri. *Tunc dixit Deus,*

Ezech: 8

ad E-

ad Ezechielem: nunquid hoc leue est domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate, conuersi sunt ad irritandum me. Nunquid leue videtur, quia dilectus meus fecit scelera multa. Tandem subintulit: *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

Percurrite totam scripturam, & nusquam inuenietis Deum ita fuisse iratum, ita furore succensum, quàm dum horrendas abominationes in tẽplo suo sancto Hierosolymis fieri videret, adeo vt statim oculos suos auertens, non ampliùs ingrato illi populo se misericordiam suam præstiturum comminaretur. Et certè quid mirum: templum sanctum est facies Psal 50. Dei, teste Regio vate Psal: 50. v. 13. *Ne proijcias me* à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Vbi ex mente aliquorum interpretum, per *faciem Dei*, eius cura ac prouidẽtia intelligitur; per spiritum verò, C aut spiritum sanctum, tertia Sanctissimæ Trinitatis persona; aut donum aliquod affectibus imperans, & voluptates cõércens. Verùm probabilior est Græcorum Patrum expositio, qui locum hunc interpretantur de Dauidis posteris in Babylonia diu exulantibus, & reditum in Ierusalem apprecantibus. Vnde sic citatum locum interpretantur: *Ne igitur multo tempore me morari facias in Babylonia, sed reduc me in Hierusalem. Nunc enim mihi videor esse extra faciem tuam, quod non stem in templo tuo, neq; consueta offero sacrificia. Reduc me igitur*, inquit, *ad propria, & pristinam mihi gratiam restitue, hanc enim vocat spiritum sanctum tuum. Vnde subiungit: Redde mihi lætitiam salutaris tui. Et redde mihi*, inquit, *pristina omnia, per quæ viuebam.* Ergo aut ipse Dauid in sua posteritate apud Babyloniam exul, aut ipsemet Saulis hostilitatem fugitans apud Reges finitimos, cùm longe abesset à tabernaculo, seu Dei templo, se tanquàm à Dei facie proiectum deplorabat, & idcirco reditum in Hierusalem auidè suspirabat.

Quod cùm ita sit, quomodò Deus grauiter indignari non debet, dum templa sua sancta profanari videt? pecca in facie Regis, & mox pœnam crimini læsæ maiestatis proportionatam persolues. profanas sanctum Dei templum, quod est facies Dei, quomodò crimen læsæ maiestatis non committis? cùm locus sacer, seu Dei templũ peccatores vix patiatur. Ostẽderat Deus Abrahamo locũ holocausto destinatũ, in quo ei filiũ suum vnigenitum Isaacum offerret, & ecce B ad illum non serui, non asinus, sed solus Abraham, & Isaac venerunt. Et meritò: quia locus sacer, qui Dei templo destinabatur, solos illos capit, qui munditiem & sanctitatem amãt; quidquid autem bestiale, & immundum, ac scelestum est, illud abhorret. Hoc facilè elucebit, componendo Abrahamum & Isaacum cum Moyse nam & illi, & hic, venerant in terrã sanctam; sed illi & venerunt, & ibi securè permanserunt; Moyses Exodi 3. autem vix limites terræ sanctæ attigit, & statim prohibitus est, ne vltra progrederetur. Exodi 3. *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Res stupenda: & illis, & huic erat locus sanctus, diuinis præparatus oraculis, cur ergo Isaacus cum Patre admissus est, & Moyses prohibitus? cur illi inoffenso pede locum sanctũ calcarunt, & Moyses ne quidem per momentum in illo stare permissus, nisi prius calceamenta exueret? sanè: quia Moyses habebat immunditiem D in calceis, quam vehementer refugit locus sanctus. Hæc est mens origenis Origenes homil: 8. in Genesim, vbi dicit: *Moyses cùm venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur: Solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abrahæ nihil horum dicitur, neq; Isaac: sed ascendunt, nec calceamenta deponunt, in quo illa fortassis est ratio, quod Moyses, quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa.* Si ergo locus sanctus immundos non patitur, sed priùs eos admonet,

monet, vt immunditiam deponant, A quomodò sanctum Dei templum, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, sacrilegos, fures, latrones, auaros negotiatores, bonorum Ecclesiasticorum direptores, simoniacos, vsurarios, comœdias, alioscq; abusus in Ecclesiam inducentes tolerabit? nisi forsan graui eorum damno, vt in maxima salutis discrimina veniant.

Sumite manifestum istius veritatis documentum. Dum Hierosolymitana vrbs euerteretur, perfidorum Iudæorum Phalanx se in templum B receperat, quæ maiori viribus audaciâ è templo erupit, appropinquantes Romanos fortiter repellens, ac misere conficiens. Rem spectabat è muro, miles quidam Cæsaris Iatero, Iulianus nomine, qui sese è muro propipiens, in arenam prosilijt tanta alacritate animi, vt statim ad eius aspectum Iudæi terga verterent, coacti se recipere in templum. At verò Iulianus qui eos insequebatur, dum alios perimeret, & claustro cõérceret, confixum clauis calceamentum C gerens, iuxta morem virorum militarium, non considerans templi illius polito lapide solum stratum, quod maximè cauendum foret; sed quasi in campo præliaretur securus, lapsus est, & ingentem suo lapsu sonitum edidit. Cùm autem non posset assurgere lubrico solo fusus hostium multitudine oppressus vitam posuit. Causam multi curiosius inuestigant, vnde huic tam strenuo militi adeo nefarium & infaustum belli euentum Deus apposuit? Missis aliorum rationi- D bus, existimo non alia de causa, nisi quia Iudæos, quos ipse Deus ob nefanda scelera de templo sancto eijciebat, iterum in templum reuerti compulit. Rem colligo ex Ægesippo, qui Ægesippus. lib: 5. de excidio Ierosol: cap: 3. sic fatur: *Solus Iulianus se de Antonia proripuit, solus in hostilia agmina ruit, solus se armatis miscuit, solus Iudæos in templũ redire compulit. Vereor ne istud obfuerit magis, quia de templo fuerant exterminãdi Deo infideles, ideo lapsus non inuenit remedium.* Bella equidem ratio: Euomebat sceleratos Iudæos templũ, Iulianus strenuè dimicans, illos cõégit redire in templum; ideo lapsus non inuenit remedium, vt cognoscamus, quàm insanabilis sit, qui audet abominationes & scelera templo Dei inferre.

Templũ Ierosolymitanũ cur non permissum reædificari.

Colligo id & ex altero fundamẽto. Memorant Ammianus Marcellin: lib: 23. S. Chrysost: Orat: 2. aduersus Iudæos. Nazian: Orat: 2. in Iulian & alij, cùm anno Christi 363. Iulianus Apostata immenso conatu, & B immodicis sumptibus templum Hierosolimytanum à Tito dirutum instaurare moliretur, & Iudæi reædificationis operi fortiter instarent, iãq; nudatis fundamentis, nihil aliud restaret, quam vt structuram aggrederentur, horrendos flammarum globos, crebris assultibus è fundamentis erumpentes, exustis aliquoties operarijs, locum inaccessum fecisse, & inceptum opus in perpetuum interrupisse. Quid causæ? illud certè, quia Iudæi antea templum Hierosolymitanum fecerant domum negotiationis, deturpauerant illud grauissimis imposturis, innocentum famam, & honorem dente canino proscindentes, Christum ad mortem turpissimã ex solo odio exposcentes: quia illud idolis & abominationibus profanauerant. Propter quod Deus noluit ampliùs templum illud reædificari, ne tales iterum abominationes in eo fierent: nam mauult homines esse sine templo, quàm in illo ab impijs honorem suum prostitui, & nomen suum blasphemari.

Audistis iam Catholici mei, quãta reuerentia debeatur sancto Dei tẽplo, ob præsentiam Christi Domini in augustissimo Eucharistiæ Sacramento: nam vt dicit S. Germanus S. Germanus. lib: 2. *Ecclesia est quasi terrenum cælum, quod Deus semper perambulat, & inhabitat.* Audistis, quantum Deus offendatur profanatione templorum, vt ob hoc regna simul cũ tẽplis perdat. Igitur, reddite debitam Ecclesiis sanctis reuerentiam, præsentem ibi Chri-

stum in sacramento altaris adorãtes. Seruate templo sancto immunitatem more Machabæorum, de quibus dicitur Machab: 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Domino.* Et quid est templum, nisi vos metipsi, vt docet Apostolus 1. ad Corint: 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Proinde ornate opera vestra coronis aureis puræ intentionis, sanctæ contẽplationis, vitæ inculpatæ, & non eijciet vos Deus de templo suo sancto, quod in cœlis triũphat. Amẽ.

Machab: 4.

1. ad Corint: 3.

DOMINICA X.

POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. *Lucæ 18.*

Aperitur causa, cur ex Christianis alij iustificationem consequuntur, alij in peccatis obdurantur, & repudiantur.

MOuet in rebus humanis summam admirationẽ, confundit intellectum, in profundissimo desperationis barathro suffocat rationem, & densis melancholiæ nebulis mentem mortalium obducit vndequaq; inscrutabilis illa Christi Domini sententia: Lucæ 17. proclamata. *Erunt* inquit *duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Quasi æterna sapientia palam facere velit; futurum aliquando tempus, vt duobus pariter dormientibus, & in vna sede quiescentibus, æqualis non possit esse remuneratio. Quamuis enim eodem consortij lectulo teneantur; Vnus tamen eorum assumetur ad gaudia beatitudinis æternæ; alter verò relinquetur, vt apud inferos tormenta æternùm duratura luat. ô profunditas iudiciorum Dei! quæ vereri ac reuereri omnes debemus, cum nemo intelligere possit. quid sibi vult obsecro hoc Apostolicum ænigma? *Erunt duo in lecto vno, & vnus assumetur, & alter relinquetur.* Nunquid certè iniquus est Deus, vt pares studijs & societate viuendi, atq; discreta actuum qualitate, meritorũ remuneratione discernat? Cùm vtiq; non sit personarum acceptator. Sed aliter se res habet: non enim pro ratione viuendi, sed pro actibus hominis fit remunerationis æqualitas. Non ergo merita hominum copulæ vsus exæquat. Lectus enim quidam noster communis, est terræ huius ãplissimum solum: in quo corpora nostra deposita tutissima sede requiescunt. Sed in hoc lectulo multi impares: quoniam non omnium eadem dormitio est: ille enim asperiùs in hoc strato cubat, qui in diuersa vitiorum genera vitæ suæ lubricæ frænа laxauit; ille verò molliùs dormit, quisquis duriùs in vita se gesserit. Nonnulli lecti nomine membra nostra significari putant, in quibus animæ nostræ veluti in quodam strato suauissimè demorantur. quod non operosè ex sancto Propheta deducũt, qui Psal: 40. dicit: *Vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius.* Hoc est; vt exponit D. August: in eundem Psal: quoniam multi hominũ acquiescunt

Lucæ 17

Psal. 40.

S. Aug:

scunt in theatris, multi in circo, in amphilatro, in alea, in luxuria popenarum, multi in libidine adulteriorum, in violentijs rapinarum, in dolo & insidijs fraudium delectantur: ideò tu Domine vniuersum stratum eius versasti in infirmitate. Hoc est; corpus hoc terrenum hominis, in cuius pulchritudine & voluptate nimium sibi complacet homo, pulsasti omni amaritudine: & singula eius membra varijs angustijs, morbis, & casibus compressisti, vt hisce temporaneis pœnis castigatus homo, qui paulo ante fuerat adulter, iracundus, & petulans, atq; cunctorum scelerũ defectibus plenus: fiat tandem castus, humilis, & modestus, S. quoq; Ambrosius, per lectum intelligit Ecclesiam sanctam, Serm: 28. in qua singuli per fidem Christi velut vno lecto, hoc est; vna mandatorum Dei lege tenentur, & velut simili consequendæ salutis spe gloriantur, & tamen ex hoc delicatissimo Ecclesiæ S. strato, alij obuiam Christo rapiuntur; alij in abiectione infernalium potestatum relinquuntur, vt proinde cõmodè dixeris: *duo erunt in templo, & vnus assumetur, alter verò relinquentur.* En hodie duo homines ascenderunt in templum, & quidem ascenderant pari proposito, æquali Intentione, scilicet vt Deum adorarent: & vnus eorum iustificatus abijt; alter verò spretus & abiectus mansit. Ex qua spirituali doctrina eliciemus, quare Christiani licet eandem Ecclesiam frequentent, ijsdem Dei legibus pareant, eodem Sacramentorum epulo nutriantur, eidem Deo seruiant; & tamen alij iustificationem consequũtur, alij verò in suis sceleribus indurati manent.

S. Ambrosius.

Non me latet arduum aliquid tẽtare velle, aut imprudens aut temerarium esse: proinde dùm causam inuestigare cupio, cur in Ecclesia Dei alij iustificationem consequuntur; alij deseruntur in peccatis, periculũ in foribus adest, ne debile ingenium turpiùs cadat; quàm inscrutabile arcanum hoc concipiat. Nam & S. Augustinus cui nihil obscurum erat, propter summam ingenij perspicacitatem; nihil arduum aut difficile propter omnimodam sapientiæ plenitudinem: dùm ad hanc quæstionẽ trutinandam descenderet, attonitus penè hæsit, lib: de perseuerantia. Cap: 8. *Cur* inquit *iste ita vocetur, vt vocantem sequatur: inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Et certè, meritò hominis iustificationem inscrutabili diuinæ sapientiæ attribuit, quia non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, opus conuersionis à delicto. Quemadmodùm docet S. Ambrosius lib: de fuga sæculi. Cap: 1. *Non est* inquit *in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuiso effusæ, mentem animumq; confundunt, atq; alio trahunt; quàm tu proposueris.* Quod ipsum comprobat D. August: lib: de perseuerantia cap: 8. *Non itaq; in hominum, sed in Dei potestate est, vt habeant homines potestatem fieri filij Dei: ab ipso namq; accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias.* Et lib: de spiritu ac litera cap: 34. *Visorum* inquit *suasionibus agit Deus, vt velimus & credamus, siue extrinsecùs: per Euangelicas exhortationes, siue in trinsecùs: vbi nemo habet in potestate quòd ei veniat in mentem.* Nec certè mirum, tàm arduum esse opus iustificationis humanæ, vt soli duntaxat diuinæ potentiæ attribuatur, quia nullus actus virtutis cuiuscunq;, neq; contritio, neq; dilectio Dei super omnia, est tantæ efficaciæ, vt adultum peccatorem formaliter iustificet, quemadmodùm diserte docet S. Thomas lib: de gratia: Quæst: 113. & 3. p. Quæst: 87. & in 4. distin: 17. definiuitq; hanc veritatem Concilium Trid: Sess: 6. cap: 7. vbi dicit Iustificationis causam formalem esse vnicam, eamq; iustitiam habitualem. Si autem aliquis actus virtutis esset formaliter iustificatiuus peccatoris. saltim secundùm quid, iam causa iustificationis formalis non esset vnica, vt ex terminis patet. Cùm enim peccatum sit infinitarum quodammodo virium, in offendendo & iniuriando Deo; tanta-

A

B

C

D

S. Aug:

S. Aug:

S. Ambrosius.

S. Thomas.

Concil: Tridẽt:

Contritio non iustificat formaliter, sed tantùm dispositiuè,

rum quoq; virium placatiuarum & compensatiuarum offensi & iniuriati Dei, debet esse id, quod naturâ suâ formaliter expellat peccatum: sed actus contritionis & dilectionis Dei super omnia, immò & cuiuscunq; alterius virtutis, non est conditione sua tantarum virium: vt fert communis sententia Doctorum tractatu de Incarnatione. Ergo non potest esse formaliter iustificatiuus peccatoris. Tandem si contritio formaliter posset iustificare peccatorem, tunc remissio peccati non fieret gratis, contra Trid: Sess: 6. cap: 3. nam tunc Contritio iustificans, haberet se efficaciùs ad remissionem peccati, quàm pura dispositio supernaturalis. Ergo vt meritum de condigno, si non etiam iustitiale. Contritio itaq; dilectio Dei super omnia, & cuiuscunq; virtutis actus, non possunt formaliter iustificare hominem; sed tantùm dispositiue quasi physice: effectiuè verò, nõ nisi moraliter, hoc est imperatiuè. Cũ igitur tanta sit difficultas in iustificãdo homine, vt non aliunde; quàm

Iustificatio peccatoris à sola gratia Dei.

à sola superueniente Dei gratia, inchoationẽ suam sumere debeat, quid est, quòd vnum peccatorem Deus in gratiam suam recipiat; alterum verò à se repellat? proponit hic D. Augustinus summos peccatores duos, Pharaonem scilicet & Nabuchodonosor, qui perinde in omnia vitia effusi erãt, & in paria ruebãt scelera præcipites: dumq; spectat, quòd vnus eorum in

S. Aug:

misericordissima Dei manu ingemuit; alter verò miserabiliter interijt, exclamat: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, & quis consiliarius eius.* Proponit & nobis hodiè sanctum Euangelium, duos homines ascendentes in templum ad adorandum Deum: quorum vnus iustitiam consecutus est, alter in confusionem repudiatus. Quid hoc effecit? num certè maiora publicani merita? sed & hæc non sunt hominis, sed ipsius Dei dona, quoniam ex diuino præueniente auxilio procedunt.

Verũ habet Catholici mei & hõo aliquid propriũ, quid illud? libertatẽ arbitrij sui, quã cum Deo non negat vocanti, summam eius gratiam sibi conciliat homo: sic expresè docet S. Augustinus: lib: de Spiritu cap: 24. *Vocari* inquit *est misericordiæ Dei, consentire autem vocationi & dissentire est nostræ voluntatis.* Et Concil: Trid: Sess: 6. cap: 5. in eandem veritatem inclinat, cum dicit: *tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neq; homo ipse omninò nihil agat, inspirationem illam recipiens: quippè qui illam & abijcere potest, neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustificationem coram illo liberâ suâ voluntate possit.* Hæc est ratio discriminis, quare publicanus iustificatus abijt, Pharisæus autem abiectus mansit: quia ille vocãti Deo liberè annuit; hic verò clamantis vocem repudiauit. Non audiuit Pharisæus vocem Dei intus vocantis, quia totus in propriæ laudis commendationem effusus erat, inquiens: *Deus gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, vel ut etiam hic publicanus: ieiuno bis in sabbatho, decimas do omniũ quæ possideo.* Immemor illius Isidori in Cathena Græca super cap: 19. Iob: *Friget* inquit *ea laus, quam sibi quisq; nulla necessitate coactus adscisc it.* Non debuit autem cùm homo esset, suarum laudum prædicator extitisse, cùm hoc à vera virtute & Dei gratiam merente alienum sit: quâ prædita, si quid habent humile, ostendunt: si quid honorificum, occultant. Sic Moyses cum esset vir magni nominis apud Deum, pedes humiles calceis detegebat. Exodi 3. n. 5. Faciem coruscantem velamine occultabat. Exodi 34. n. 33. Immò tantùm abfuit, vt gloriam vultus sui ostentaret; vt eam potiùs ignoraret. *Ignorabat* inquit textus *quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* hoc est; radijs procedentibus illustrata, vt exponit Lyranus. Nescit enim iustus, quid boni in se habeat: cùm quid mali contineat non ignoret. Sic quoq; D. Petrus Cornelium sibi ad genua procidentẽ eleuauit dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Actor: 10. n. 26. vt scilicet non

Idem.

Concil: Tridẽt:

Lucæ 18

Exodi 3.

Ibidẽ 34

Lyranꝰ.

A Actor: 10.

non fastigium, sed consortium; non dignitatem, sed æqualitatem indicaret, interprete D. Chrysost: sed rem paulo altiùs expendamus. Non itapridem D. Petrus, dùm oraret, actus in extasim: terris quodam modo excesserat, & cælo appropinquauerat, atq; in aperto cœlo noui cuiusdam theatri spectator fuerat, noui oraculi auditor exstiterat, & ex vtroq; admonitus est, ne à gentilium commercio abstineret; sed omnes à quibus vocaretur, intrepidus adiret. Quare igitur à Cornelio accersitus, cælestem illi quam habuerat visionem non reuelauit? Cur non dixit se vidisse cælum apertum? linteum è cœlo demissum spectasse? vocem ab alto demissam audiuisse? Quibus omnibus Gentilem hominem ad veræ fidei obsequium fortiùs traxisset, optimè respondet S. Chrysosth: Homil: 24. in Acta. *Quia erat alienus à vana gloria*; Sic quoq; publicanus, quia de suorũ scelerum conscientia erubescens, ad Deum beneficia petiturus accedere non audebat; sed tantùm à longè stans, & pudore suffusus, *nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Lucæ 18. n. 13. Et velut alter quondam Esdras Deum precaturus, illud de corde suo proferebat: *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt.* Esdræ 9. n. 6. ideo placuit in oculis Dei, meruitq; propter hanc eximiam humilitatem, arroganti Pharisæo præferri. Sed nonne etiam Samuel suas laudes in conspectu totius Israëlis prædicauit? 1. Reg: 12. Nonne Iob multa de se magnificè dixit Cap: 29. à n. 2. & tamen vterque suam humilitatem retinuisse censetur, atq; patientiæ laurea coronatus. quid est ergo, quòd Pharisæus cum pauca verba in sui commendationem dixerit, mox arrogantiæ pœnas incurrens condemnetur? præsertim cùm vera dixisset: quòd enim protestetur se ieiunasse, decimas libenter omnium soluisse quæ possideret, vtiq; hæc omnia sunt laude digna; nec occultanda sed propalanda ad instructionem aliorum: qui non nisi coacti decimas soluere solent. Respondet Theophylactus. Quia Pharisæus nullo vsu vrgente talia nugabatur, omnes alios condemnans. Non dixit (ait præfatus author) *Feciſti me Deus abstinere ab Iniustitia & rapina*, sed quomodò? *Non sum*: sibi ipsi attribuit bonum opus, & suo robori, quasi perinde Pharisæus dixisset: Ipse mihi his manibus meis paraui quamcunq; habeo sanctitatem: his lacertis meis acquisiui, quicquid in me est bonæ virtutis: meus labor atq; industria mihi pepererunt spiritualiũ fructuum prouẽtus, quibus abũdo.

S. Chrysosth:

Idem.

Lucæ 18

Esdræ 9

1 Reg: 12

Iob: 29

Theophylact:

O temeritas humanæ imprudentiæ, quomodò tibi arrogare audes, quod de diuina auxiliatrice manu commodasti? iuxta illud Apostoli. *Quid enim habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris?* En quomodò cæcæ superbiæ fastus, illi phrenetico homini ministrauit commentitias rationes: ob quas se definiret per negationes, quasi Deus esset: ad hunc enim modum describere solemus verum Deum, vt illius supremæ maiestatis aliquod vestigium detegamus. Hanc rationem cur Pharisæus sit repudiatus, assignat etiam D. Isidorus in Cap: 29. Iob. *Diuinum* inquit *suffragium, Pharisæum qui nullius impulsu iustitiam suam venditauit, ac reliquos omnes condemnauit, exploſit omninò Iobum verò huc necessitate adductum summæ laudationis laureâ atq; coronâ dotat.* Hinc quilibet Christianus ad sui ipsius contemplationem descendat, & seriò trutinet, cur plurimi in eadem fide & religione viuentes, reprobati maneant? alij verò misericordiam consequantur. Videbitq; hanc potissimã rationem esse, quia alij diuinæ vocationi prompti obediunt; alij penitùs ad eius sonum obsurdescunt. Vt meritò illis exprobret Deus: *vocaui & renuistis.* Et quid hanc surditatem in hominibus facit, vt diuinam inspirationem non percipiant, nisi diuturna peccandi consuetudo: quæ tantam in dementiam adducit obstinatos peccatores,

Isidorus

Isidorus

vt nullis in Ecclesia Dei persuasioni-A bus flectantur. Testes appello huiusce rei ipsos Israélitas, apud quos Samuel diuinam in Eloquentiam effusus, aptissimè ad persuadẽdũ exorsus, est, aptissimè perorauit: nec tamen potuit exorare nam totus ille populus suis præposteris optatis mordicùs adhæresens, *Tanquàm dùm silex aut stet Marpesia cautes*, omnes rationum vires improbâ animorum obstinatione retorquebat. Immo nescio an non durior salicibus & asperior rupibus benè suadentem repulerit Samu-B elem? nam cautes, & rupes, & præaltis fundatos radicibus scopulos, vnius Orphei eloquentia non solùm emolliuisse dicitur, sed etiam suis sedibus conuulsisse. At verò Contumaces, & proteruos Iudæorum animos, ne diuina quidem Samuelis ad dicendum vis, tantisper domuit: aut paulisper inflexit; sed in sua semper insania perseuerantes obstinatissimè responderunt: *Nequaquam*: scilicet desistemus, à petendo Rege, frustra dicendo fatigaris, fixa nobis est sen-C tentia: quicquid in contrarium coneris, retinenda. Tenet hæc insania contumaces in Christianitate peccatores, optimis admonitionibus repellendis paratissimos, ne à suis ipsi sceleribus repellantur. Quod egregiè D. Chrysosth: perstringit Homil:
S. Chrysosth: 19. in Genesim. *Quemadmodùm* inquit *incurabilia vulnera neq; austeris medicamentis cedunt, neq; lenientibus: ita & anima semel captiua, si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & considerare noluerit, quæ sibi sunt vtilia: Etiamsi* D *innumera quis inculeet illius auribus, nihil proficiet, sed quasi mortuæ essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatẽ: non quia non potest, sed quia non vult.* Vnde meritò in obstinatum peccatorem supplicium illud decreuit Christus D. Matth: 18. n. 6. *Expedit*
Matt: 18 quit *ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Vbi non solùm in profundo maris præcipitari iubetur: sed etiam præcipitari mola ad collum alligata, ne inde vnquam subsiliat, & in aperE tas auras extrahatur; sed vt qui cœno peccatorũ pertinaciter inhæserat, in profundo maris irreuocabiliter absumatur.

At cur specialiter meminit mollæ asinariæ? cùm tamen alio quouis pondere oppressus facilè demergi potuisset. Credo, vt significaret huiusmodi peccatorem, vixisse similem iumento, molam versanti in pistrino: vt enim hoc iumentum opertis oculis agitur, & in ijsdem semper vestigijs circumuoluitur; ita & ille peccator cæcis oculis in sua desideria fertur, & ijsdem semper in sceleribus oberrat; nec videt quam parum proficiat, qui à suis nunquam peccatis remouetur. Ita ferè D. Ambr: lib: 8. in Lucam cap: 118. locum hunc exponit. Vbi locutus de populo Iudaico suis erroribus pertinaciter affixo. *Nonne* inquit *tibi videtur tanquàm mo-* S. Am-
lam asinariam voluere, quamdiu in impe- brosius.
rientiæ suæ errore versatur, opertæ meritis cæcitate ita suffusus, vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis operire
C *non nouerit; & ideo sine vlla alacritate vestigijs in se sæpè redeuntibus inuitus vsui laborat alieno.* Quid enim infelicius; quàm nolle à periculosis locis enauigare? sed inter peccata, tanquã inter Scyllam & Charybdim alternis agitationibus collidi? & ab vno in aliud retorqueri: & vnde priùs exierat, eodem miserabiliùs relabi. Sed maiorem forsan istius veritatis declarationem postulatis, vt in specie obstinatas peccat orum mentes producam in apertum: Flectite quæso Doculos in peruersum Cain, quem malè sacrificantem, & fratri suo nequiter inuidentem, monuit olim Deus, ne peccata peccatis cumulãdo, obstinacior efficeretur: *Peccasti* inquit *quiesce.* Gen: 4. n. 7. Quasi di- Gen: 4.
ceret, vt exponit S. Chrysost: Hom: S. Chry
18. ad eum locum. *Peccasti, & grauiter peccasti, sed non punio propter delictũ: misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris sed vt magis conuertatur & viuat. Igitur quiesce, ne addas priori peccato grauius aliud, neue consilium aliquod immedicabile arripias, & ne teipsum maligno*

gno dæmoni captiuum tradas. Quid verò A *te* inquit *prouocare ad pœnitentiã Deus,*
Cain, non ab homine sed ab ipso Deo *vult de se sperari indulgentiam.* Quid
per tam salubria monita reuocatus? nihilominus Cain? Pertinaciter im-
contumacior obduruit. *Et repulso* pudens: *Nescio inquit.* Et quid iste
(inquit D. Chrysosth:) *medicamento,* sermo prodit, nisi contumaciam?
in fratricidij profundum se præcipitauit. Audire non vult Cain vocem diuinã,
Nec vnam tantum reiecit admoniti- inspirationi eius parere recusat, vt
onem; aliam quoq; ad eius animum scelus suum occultet, aut magis sibi
molliendum aptiorem repudiauit. in illo complaceat. Nam qui culpam
Nam cum totus Caimi liuor in Abelé negat, non agnoscit: qui non cogno-
ortus fuerit ex timore, ne sibi seniori scit, non detestatur: immò iterum
frater iunior præponeretur, cuius vi- facere paratus est, si non feciſſet. O
ctima mirum in modum placuerat B miserum obstinati peccatoris animũ?
in oculis Dei: statim Deus ad illum cui medendo nullum sufficit antido-
locutus est, iuxta 70. versionem: tum. Terruerat quondam Deus per-
Septua- *Ad te* inquit *conuersio eius, & tu ipsius do-* uersos mundi incolas, Gen: 7. n. 4. Gen: 7.
ginta, *minaberis.* Quasi diceret auctore *Ego* inquit *pluam super terram, quadra-*
Interpre- Chrysosth: Ne putes, licet tuum a- *ginta diebus & quadraginta noctibus.*
tes. uersatus sim sacrificium, ob prauam Cur non vnâ horâ, vno momento,
mentem, fratrisq; oblationem acce- cùm hoc diuinæ potentiæ æq; facilè
ptam habuerim, ob sanam intentio- sit; vt scilicet homines saltem tàm
nem: quòd ideo primatu te destituam, iusto tempore à suis sceleribus resi-
& primogenituræ dignitatem à pisceerent. Et tamen insensati illi
te auferam. Nam tu illius dominaberis: Atq; post hoc peccatum permit- peccatores nullis minis flectebantur.
to, vt primogenituræ priuilegijs gau- Inclamabat iustus Nòe, Quò ruitis Instante
deas, illumq; sub tua potestate & do- C miseri in peccata: En cælum iam ru- diluuio
minio esse iubeo. Vbi diuinam bo- it in plagas. Absit inquiunt illi; Tẽ- homi-
nitatem admiratur S. Chrysosth: pestas est: detonabit, redibit sereni- nes no-
quòd tàm præsentem ægrotanti ani- tas. Sed videte quod fata læta, bo- lebãt ad
mo attulerit medicinam, & laboran- umq; labores multiplicatis imbribus pœniten
ti inuidiâ totam inuidiæ causam eri- atterantur? Risus inquiunt & ludi- tiam in-
puerit, vt hac sublatâ in fraternum bria: redeunte sole suus quam pri- clinari.
amorem rediret. Sed quid apud ob- mùm satis vigor ac viror restituetur. Atqui iam vrbes, eluuionibus
stinatum, tàm apposita ad persuadẽ- patent, iam domus tempestatibus nu-
dum Oratio effecit? Prorsùs nihil. tant? Nugæ profectò inquiunt & va-
S. Chry- Quod deplorat S. Chrysosth: *Post tã-* na somnia: sua pluuijs decliuitas fiet:
sosth: *tam* inquit *curam & tanta remedia, ni-* tota foras inundatio auertetur. Sed
hil commodi amplius inde sensit. Tantũ D proh malum! Ecce tibi iam campo-
valet mentis peruersitas, & malitiæ rum planities, fiunt æquora? non
radicata vis. Igitur post benignam pedibus terenda, sed nauibus sulcanda. Nil timendum inquiunt: superant colles, vnde licebit iacentes &
Dei admonitionem, totas furori la- defluentes aquas despectare, & irri-
xauit habenas implacatus animus. dere. Ast ô infortunium, in ipsos iã
Et consurrexit aduersùs fratrem suum collium vertices exundat mare: vbi
Gen: 4. *Abel, & interfecit eum.* Gen: 4. n. 8. tuta fides? vbi statio secura? Ad al-
Sed neq; tunc admonere cessauit ta exclamant, ad alta montium cacu-
Deus familiariter Cainum allocutus? mina enitẽdum. Illas arces, cui cum-
vbi est inquit *Abel frater tuus.* Ibid: n. latrare poterit mare, non superare.
Ibid: n. 9 9. Audi ô Cain, non Iudicem sed Sed heu suprema clades! illuc refu-
parentem! ad suam te misericordiam sis vndis cælum vndiq; & vndiq; põ-
benignissimè inuitantem. Nam vt tus, atq; tota spes salutis obstinatis
S. Am- ingeniosè obseruat D. Ambrosius pecca-
brosius. lib: 2. de Cain, & Abel, cap: 9. *Vult*

peccatoribus aufertur. Quo igitur in asylo vestra vos ô miseri, contumacia tuebitur? vna supereſt Arca ad quã recurrite, vel potiùs vna supereſt Pœnitentia, ad quam redite. Verùm obſtinata malitia ita miseros tenuit & excæcauit, vt ſicut in peccatis contumaciter vixerant, ita in peccatis contumaciter perirent. Nemo enim dicitur ſe ad arcam recepiſſe, nemo quem certò ſciamus ad pœnitentiam prouocaſſe, vt extrema in peccato obſtinatio, extremum quoq; corporis in pelago, & extremum animæ in barathro naufragium pateretur.

Sed quid Adæ filios in ſua obſtinatione horrendè punitos à Deo recenſeo? cùm & in ipſa Chriſtianitate hoc malum videre liceat. ſæuit iã totus mundus in hominem, mouet in rebus humanis aſſiduas viciſſitudines, degenerant elementa in perniciem creaturarum, cælum intemperie aut caloris aut humiditatis præmit terram, ſolemq; ipſum iam à via lactea duobus gradibus receſſiſſe quidam Hiſpaniæ Mathematicorum doctiſſimus certis deducit experientijs. Quorſum hæc? vt ſaltem his quæ vltra naturam fieri cernimus, fiamus meliores. Sed fruſtra antidotum incurabili malo: vnius Regis ſubditi, vnius Domini ſerui, vnius Chriſti Eccleſiæ filij diſcrepamus in moribus, & cùm nos Deus vocat ad pœnitentiam per mala præcurrentia, vocantem reſpuimus: cùm noſtra tota vita arrogantiam redoleat. Videas nunc magnatem & potentem in templo: Et quæ eius oratio? *Gratias* inquit *tibi ago Deus, quia me tantis opibus & honoribus cumulaſti.* Non ſic ſapientiſſimus Regum Salomon orabat Dominum Deum ſuum. Prou: 30. *Mendicitatem* inquit *& diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum & dicam, Quis eſt Dominus.* quaſi diceret; vt exponit Hugo Cardinalis. *Si me rebus omnibus affluere videro, fieri poteſt vt ſic intumeſcam, ſic mihi placere & in meipſo conquieſcere incipiam, vt dicam præter me non eſſe Deum alium.* Ad hanc enim dementiam ſuperbia inpellit hominem, vt etiam Deum non agnoſcat, ſed ſeipſum omnibus præferat. Videas militiæ Sacramento obſtrictum, aut aulæ ſeruitio deditum in templo Dei? Nonne hæc ipſius Oratio: *Gratias tibi ago Deus quia mihi fauorem apud homines conciliaſti, vt omnis fortuna in ſinum meum vltrò illabatur.* quaſi verò hæc temporanea felicitas beatum hominem faciat, & non potiùs honeſta vitæ actio. Videas demùm hominem cuiuſcunq; ſtatus & ſexus? quæ illeac ad Deum ſuum vota fert? malam ſcilicet de proximo ſuo opinionẽ, dùm alienæ conſcientiæ fit curioſus ſcrutator & ſui ipſius prorſus oblitus, dùm ait intra ſe: hic eſt libidini immersus, ego caſtitatẽ ſeruo: hic ebrietati deditus, ego ſobrietati & abſtinẽtiæ ſtudeo: hic ſanguine & iniquitate manus pollutas habet, ego legem diuinam in omnibus adimpleo. Proinde non ſum ſicut iſte. Verùm dùm tibi negationem adſcribis, potiùs à perfectione ſi quam habes, ad imperfectionem deſcendis, affirmare igitur debes peccator, domine ſum nontãtùm alijs nõ melior, ſed omnib⁹ fortaſſe deterior, vt ſic ab imperfectione ad perfectionẽ progrediaris, & cum publicano mereari iuſtificari. Sed eſt adhuc & aliud remedium, per quod homo apud Deum conſequitur iuſtificationem, & illo deficiente repudiatur: ſcilicet; modeſtus oris & corporis habitus. Hinc de orantibus in templo Phariſæo & Publicano dicit Euangeliſta. Lucæ 18. *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo.* Qui enim obſecro prætulit publicanum Phariſæo? nonne modeſtia oculorum: nam Phariſæo, vt credere par eſt, oculos arroganter erigente, conijcienteq; ſurſum, publicanus nolebat nec oculos ad cœlum leuare. Hanc certè rationem in iuſtificato publicano aſſignat D. Ambroſius lib: 1. Officior: Cap: 18. *Multum* inquit *verecundia placet, multum conciliat gratia apud Deum. Nonne hæc prætulit publicanum, & cõmen-*

Prou: 36

Hugo.

S Am. brosius. *mendauit enim, qui nec oculos audebat ad cælum leuare.* Vnde idem author ſuper illa verba 1. Petri 3. n. 4. *Qui eſt* 1. Petr 3 *in conſpectu Dei locuples: dives* inquit *apud Deum eſt modeſtia, quia portio Dei eſt.* Eximia certè hæc eſt laus modeſtiæ, vt ſit portio: hoc eſt; pars & hæreditas Dei, quaſi ſine modeſtia conſtare non poſſit diuinitas, hæreditas verò quaſi in vna modeſtia tota Iſaiæ 6. opulentia diuina includatur. Iſaiæ 6. n. 2. Habetur quòd Seraphini coram Deo duabus alis velarent oculos ſuos, ad ſignificandum ſcilicet eos, qui Deum in patria viſuri ſunt, oculos in hac vita clauſos habere debere, ne liberè vagari permittantur, vt docet S. Bernardus. D. Bernard: Serm: 2. de verbis Iſaiæ: *Vtinam* inquit *nunquam vidiſſet oculus meus ſi illa quod auertat Deus, fruſtrandus eſt viſione.* Cùm enim per eos cupiditas ineat, prima pugnæ præludia, ante totum corpus primo corrumpuntur oculi, vnde ſi quis oculorum modeſtiam exuerit, facile omnem amittit virtutem, & à Deo repudiari meretur. Aptiſſimum hac de re exẽplum refert D. Auguſt: lib: 6. Confeſſio Cap: 8. Alipius, quo amico familiariter vtebatur, à theatralibus ſpectaculis ſiuè vnius ſtudio modeſtiæ, ſiue ipſius ingenio naturæ, maximè abhorrebat. Aliquando tamen coactus, ab amicis, eò ſe trahi paſſus eſt; teſtatus nihilominus, ſe affuturum corpore, vt illis morem gereret, ſed animo defuturum, ne ſuum ſolenne propoſitum violaret, immò ad ſpectacula cæcum fore ſpectatorem, clauſis ſemper oculis, ne admitteret ſenſus, quod animus reſpuebat. Suſceperunt amici pactionem, partim eius conſtantiam periclitari cupientes, partim non dubitantes, ſi corpus adeſſet, & oculos & affectus in ſpectaculo detinendos. Itur ergo in theatrum, dantur ludi, feruent omnia immaniſſimis voluptatibus, Adſtant Spectatores oculati, vnus inter omnes Alipius clauſis oculis, cæco cædior conſiſtebat. Ecce tibi in feruore digladiandi vnus ab altero cæditur, adijcitur antagoniſta, fit plauſus, cietur ſtrepitus, tollitur in cælum clamor, totum reſultat fauentium ſtudiis, & concrepantium vocibus amphitheatrum. Quid Alipius? victus curioſitate videndi, ſed victurus ſtatim vt ſperabat voluptatem rei, quamcunq; ſpectaſſet: ad priorem ſe reuocando cæcitatem, *Aperuit* inquit Auguſt: *oculos, & percuſſus eſt grauiore vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit, cecidit q; miſerabiliùs; quàm ille quo cadente factus eſt clamor.* Vbi paulo poſt exponit hæc mentis vulnera ſuſcepta, ab vno ictu oculorum. *vt enim* inquit *vidit illum ſanguinem, immanitatem ſimul ebibit, & non ſe auertit; ſed fixit aſpectum. Et hauriebat furias & neſciebat, & delectabatur ſpectaculo certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille qui venerat, & verus eorum ſocius, à quibus adductus erat Quid plura? ſpectauit, clamauit, exarſit, Abſtulit inde ſecum inſaniam, quiâ ſtimularetur redire, nec tantùm cum illis à quibus prius abſtractus eſt; ſed etiam præ illis & alios trahens.* Ecce quàm multa per vnũ obtutum in animo iacula infixa ſunt? Quod ſi is, qui ſemel aperuit oculos, tàm multos ſuſcepit ictus: quantò plures ſuſcipiet, qui nunquam claudit. Ideo ad hanc modeſtiam ſuos fideles incitare volens Chriſtus, ſolùm ſub finem mundi oculos erigere illis præcipit. Lucæ 21. n. 28. *His autem* Lucæ 21 inquit *fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra.* Quaſi in hac vita ſemper oculos deijcere teneantur, & tãquàm equos indomitos refrenare. D *Frenum* inquit Beatus Nilus *oculis adhibe, ne proterui vagentur.* S. Nilus

Modeſtia facilimè amittitur

Habetis igitur Catholici duos in templo orãtes, Phariſæum, & publicanum: quorũ vnus repudiatus eſt, alter iuſtificatus. repudiatus Phariſæus, propter arrogantiam & immodeſtiam: iuſtificatus publicanus, propter humilitatem & verecundiam. Quare licet tota hominis iuſtificatio ex ſola gratia diuina dependeat; quia tamen homo diſponere ſe debet ad eam, tum per actus ſupernaturales remotiores, vt Ieiuniorum, Eleemoſynarum, Oratio-

tionum: tùm proximos; vt Fidei, Spei, Charitatis: & vos si cum publicano hodierno iustificationem consequi desideratis, disponite vos ad illam, potissimùm duplici viâ, per humilitatem scilicet, erubescendo vestra peccata, & de illis pœnitendo: tum quoq; per modestiam in oculis & toto corpore seruatam: vt si quẽ arrogantia & inuerecundia in anima deturpauit, eundem pœnitentia cum summo pudore copulata, deauret. Dùm enim (teste S. Gregorio) commissa attentiùs lugemus, in iustitiæ splendorem membra deauramus, vt inquam, quod male ante hac viuẽdo perdidimus, id hodiè cũ publicano erubescendo, & in humilitate orando, de misericordissima Dei manu restauratum accipiamus. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Lucæ 16.

Virgineus amictus humilitati, muliebris præsumptioni accõmodatur.

TAnta olim dabatur reuerentia templo Bonæ Deæ deorum omnium Matri, vt cùm in maximis & periculosissimis bellis Imperatores Romani illi sacrificia persoluerent, præsentem sacris nulli virorum adesse licuerit, nisi qui priùs oculos amittere antequàm ostia transgrederetur; voluisset. Non admittebantur ad aram illam & fanum etiam mulieres, eo, quòd habitus illarum, immundus censeretur, tantâq; Deæ illius maiestate minimè decens, vt in conspectu eius sisteret; sed solis vestalibus liber patebat accessus, quæ vt omnibus hominum statibus longè antecellebant, virgineo suo apparatu Deorum Matrem solæ adorarent. Quo cognito Marcus Antonius, non mediocri curiositate ductus, muliebri indutus amictu, templum illud ingressus erat, vt Bonam sibi experiretur deam. Sed totam in sui condemnationem excitauit Romam, quod se mulierem mentitus fuerit, immunis alias ab omni pœna legũ futurus, si Virginem simulasset. Cælestis illa Ierusalem, templum ipsiusmet Dei præpotentis, eandem sibi honoris prærogatiuam videtur vendicare. Non illuc patet introitus in vestitu muliebri, quia hoc legibus diuinis sancitum est, Deut: 22. *Non erit res viri super mulierem, neq; induetur vir stolam muliebrem, quia immundus est Domino omnis, qui fecerit hoc.* Deut: 22.

Rationem dat D. Ambr: Epist: 15. *quia* inquit *deforme est, virum facere opera muliebria, vt crispet comam sicut & femina.* S. Ambrosius. Sed veriorem ego agnosco causam, cur in virili & muliebri habitu arcentur ab aditu cælesti, quia vir & fœmina sunt naturæ humanæ proditores, ideoq; in templo Dei vbi humanitas sublimata est supra omnes spirituum cælestrum ordines, illos admitti nefas est. Quid igitur restat homini vt mysterijs & æternis Dei sacrificijs præsens in cælo assistat? hoc vnicũ, vt in Virgineo ornatu homo splendidè comparens, illuc introeat: quemadmodùm dicit B. Ioannes in Apocalypsi, *Virgines sequuntur agnum quocunq; ierit* & Propheta: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.* Lilium verò intactæ virginitatis symbolum etiam antiquitati erat. Proinde non dicit B. Ioannes, viri & mulieres sequuntur agnum, sed tantùm *Virgines*. non dicit & regius vates; sancti florebunt *sicut myrtus*: sed, *sicut lilium*: vt ostẽdant manifestè, Deum virgineo decore super omnia oblectari, quia vt inquit Philosophus, *simile simili applaudit*. Nostri autem Saluatoris gloriosa humanitas, cum de Virginis puritate sit assumpta, non mirum, quòd virgines super omnia adamat. Quare in hodierna concione, virginẽ vobis speciosam monstrabo, cuius vestimentis indui debet, quisquis cum publicano iustificari desiderat: simulq; mulierem ostendam, propter cuius

Lilium virginitatis symbolum.

cuius amictum repudiatus est à Deo Pharisæus.

Duo homines hodiè ascenderũt, in templum, vt orarent: vnus Pharisæus, alter Publicanus; & tamen licet sit vnum vtriusq; principium, diuersus tamen exitus: nam vnus illorum iustificatus abijt; alter verò repudiatus est: vnus gratiam meruit; alter indignationem; vnus amorem, alter odium in se prouocauit. Quid tanti causa discriminis? hæc sola, quia vnus illorum virgineo amictu, alter vestitu muliebri incedebat, scilicet Publicanus oculos humilitate deprimens, Pharisæus verò præsumptione tumens. Virgineus decorerat in publicano, humilitatis profunditas, ideoq; placuit Deo, quia virgo hominem cum Deo sociauit. Sed præsumptio Pharisæi immundum muliebrem vestitum sapiebat, qua de causa Deo ingratus exstitit, quia hominem & Deum diuisit mulier. Egregiè satis dixit Apostolus ad Corinth: *Diuisa est mulier & virgo, quia mulier solum cogitat ea quæ mundi sunt, virgo autem quæ Dei sunt, contemplatur.* 1. Corint: 7. Quis optimè non videt hæc duo humilitati & præsumptioni competere? humilitas enim ea quæ Dei sunt, cogitat: præsumptio sola quæ mundi sunt contemplatur. Nam quid fecit hodiernus Pharisæus ascendens in templum oraturus, nihil nisi merita sua commemorabat, bona opera Deo præsentabat; & licet vera diceret, quia tamen ob suam præsumptionem ea quæ mundi sunt, nimiùm laudem propriam quærebat, tantum abfuit vt Deo placeret, vt potiùs eum offenderet grauiter, quia homini etiam de propria bonitate gloriari licitum nõ est, dùm veram animi iustificationẽ quærit, cum nesciat vtrum gratiâ an odio Dei sit dignus. Odiosum est Deo sua facta prædicare, & alios vt iniustos condemnare, vt dicit Sapiens. Prouerb: 20. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus.* Prou: 20. Quasi diceret, ille homo Deo summè abominabilis est, qui conscientiam suam pondere peccatorum grauatam non agnoscit, & pondere vanæ gloriationis se onerat, qui alieno damno vult placere & virtuosus haberi, ostentando se esse meliorem cæteris. Nam huiusmodi hominis cor, est veluti mare feruens, vt dicitur Isaiæ 57. *Cor impij quasi mare feruens.* Isaiæ 57. Nam mare feruens duo operatur, seipsum motu & vndis putificat; littora verò deturpat & fœdat marinis spurcitijs quid faciunt aliud ambitiosi, dùm sua merita impudenter iactant, & aliorum virtutes longè clariores detractionibus corradunt; dùm suam sapientiam quæ in re ipsa modica est, sine pudore extollunt; & alijs ignorantiam longè dignioribus obijciunt: hoc certè, quia littora suæ conscientiæ grauiùs deturpant, & grauiorem apud Deum merentur pœnam: sed redarguendi sunt cum superbo Pharisæo, quòd audeant muliebri vestitu, scilicet; præscriptionis pallio amicti in templum Dei venire, vt orent sine vlla comitate, suauitate; immò cum contemptu aliorum, contemnẽdo ceremonias extrinsecas; dùm flectere in faciem, prosterni coram Dei maiestate erubescunt: sed elato animo atq; superbo corporis habitu orare præsumunt, cùm tamen cultus Dei extrinsecus non sit negligendus, cùm is signum sit interioris erga Deum affectus & deuotionis.

De Vladimiro Rhutenorum Duce strenuo, ferunt Annales, quòd ambiguâ mente in fide eligenda hæreret, cùm natio Rhutenica varijs ritibus, sectis, atq; sacrilegijs dedita esset, solicitatus nihilominus primũ à Machometistis, vt ritum pseudomachometicum susciperet; deinde à Iudæis, vt legem Hebraicam: postremo à Græcis, vt Christianam religionem assumeret. tunc vbi nuntios ritus sibi præfatos persuadentes, benignè tractatos atq; magnis muneribus cumulatos dimisit, cum suis Ruthenis quænam fides capessenda esset consultauit: vbi facto consilio placuit ei ad omnes nationes rituum prædictorum nuntios speculatum mitti, & cuiuslibet religionis ritum explorari.

Vladimirus reiecto Mahometismo & Iudaismo Christianam fidem suscepit.

rari Missi igitur nuntij, vt commissum sibi negotium fideliter perage rent, ritus sollicitè explorabant. Et imprimis Machometi ritus plura habens in se fœda & turpia, illicò ab eis profanus & turpissimus iudicatus est. Cùm verò ingressi essent Constantinopolim Basilius & Constantinus tunc Græcorum Imperatores, cognito eos speculandi ritus suos gratiâ illuc venisse, cœtu Religiosorum vocato, magnam solennitatem instituerunt, & in splendidissimis ornamentis celebritatem Missæ per Patriarcham fieri disposuêre, atq; Rhutenorum nuntios ad Ecclesiam introductos, in loco eminentiori ex quo omnes Ceremonias videre possent, collocârunt. Postea verò splendido conuiuio exceptos, & remuneratos dimisere. Reuersi nuncij ad ducem suum Vladimirium, de singulis ritibus quos viderant rationem dabant, sectamq; Machometicam tanquàm spurcissimam contemnendam prosùs & repudiandam proponebant, sed Græcorum Christianam amplectendam summoperè suadebant: tãtam in missa ipsorum cui intererant referentes se dulcedinem sensisse, vt pene extra se rapti, magis cœlesti; quàm terrenæ solennitati se putauerint adesse. Ad ritum proinde Christianorum suscipiendum omnium procerum sententiæ inclinatæ sunt, Vladimirius quoq; assensit, & baptisma suscepit, existimans, quòd sola hæc fides eum cum populo Rhutenico saluare posset, solo dæmone in àëre reclamante. Nam adeò zelo fus in fide Christi optimus iste dux postea extitit, vt tertio statim anno, ex quo vera fide illuminatus erat, omnia Idola lucos, aras & templa cõfregit incendit, comminuit. Simulachrum verò fulminis, quod præcipua veneratione apud Rhutenos colebatur, ad caudam equi alligatum, spectante multitudine Rhuthenorũ, per terram trahi, & in flumen Dnepr: proijci mandauit: legibus deniq; cautum fecit, vt omnes populi suo subiecti dominio, relictis idolis. Christi fide & baptismatis charactere se insignirent, sub pœnis confiscationis bonorum. Si igitur optimus iste dux, ex Ceremonijs externis veram fidem Christianam religionẽ esse iudicauit, quantò magis oranti Deum homini exprimenda est ceremonia externa quæ deuotionem eius veram erga Deum ostentet, & approbet. Nam magis Deus attendit ad personam orantis; quàm ad elegantiam orationis. Vnde de Abel offerente sacrificium dicit scriptura. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Gen: 4. Quasi diceret sacer textus: quia Deus vidit personam offerentem intentioni rectæ, ideo & munera eius acceptauit. Non fuit tal shodiernus Pharisæus. Nam licet ascenderit in templum vt oraret, nihil tamen pro seipso petijt, quia perfectum se esse suis meritis arbitratus est. Quidnam enim petierit (inquit D. August:) *quære in verbis eius, & non inuenies quia non Deum orabat sed se tantummodo laudabat.* S. Aug.

Sed hoc mirabile quomodo dispicuit Pharisæus Deo, quoniam in ipso statim ingressu ad templum, gratias egit? gratiarum autem actio omnium victimarum maxima & gratissima: nec quidquam Deum magis offendit, quàm gratiarum neglectus. dùm enim quærunt Doctores, quodnam fuerit primum peccatum Adæ in paradiso, propter quod inde eiectus est: tunc licet communiter id de quo lamẽtamur quotidiè putamus causam illius fuisse, quòd gustauerit fructum de ligno prohibito; aliam tamen veriorem causam assignat Rupertus, quia scilicet homo posit tot beneficia accepta, non egit Deo gratias. Creauerat illum Deus in ætate perfecta, non erat opus expectare vsum rationis iudicij maturi &c. Exornauerat eum sapientiâ infusâ, dederat illi principatum super omnes creaturas; & tamen illi gratias non egit. Atq; hinc dæmon sumpsit occasionem tentandi ipsum peccato inobediẽtiæ, quòd aduer- Rupert.

aduerterit ingratum extitisse? inde non meruit, ne succumberet, auxilium efficax à Deo accipere, qui vias obstruxerat gratiæ Dei vt dicit Bernard: Serm: 1. de Euang: *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, vias enim obstruit gratiæ.* Bernardus. Quia ergo ingratitudine cæpit peccatum Adæ, ideo inobedientiâ impletum remansit, cùm pro acceptis tot beneficijs, nullas omninò gratias egit homo. Cùm igitur odor gratissimus. Deo sit, sacrificium laudis, & gratiarum actionis, quomodò Pharisæum orantem repudiauit Deus? cùm ei gratias ageret? sed reuera & in gratijs agendis ingratus permansit, dùm non rectè gratias ageret, non enim dixit: Gratias tibi ago, quòd non sim raptor, iniustus, adulter, sicut aliqui: verùm inquit, sicut sunt cæteri. quasi diceret, me solũmodo excepto, cæteri hominum sunt raptores, iniusti, adulteri &c. Ecce immundum muliebrem vestitum! ecce pallium execrandæ præsumptionis! Non est memor impius Pharisæus illius sententiæ Salomonis, Prouerb: 18. Prou: 18 *Iustus prior est accusator sui,* non respexit ad rectum Iob. Cap: 9. sic dicentem: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Iob: 9. Non est recordatus doctrinæ, quam decantat regius vates Psalm: 142. *Nõ intres in iudicium cum seruo tuo Domine quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psal 142 Sed quid vnum incuso Pharisæũ, Pauci ne sunt modo tales, qui vt se coram Deo & hominibus superbè laudent, proclamant se habere Iob patientiam; & tamen impatienter plerumq; agunt: prædicant obedientiam Abraham, & ne minimè quidem Deo morem gerere volunt. Extollunt mansuetudinem Moysis; & tamen & statum, & honorem, & vitæ innocentiam, (quod maximè dolendum) etiam in præsentia multorum linguâ suâ mordaciùs carpunt, sed respiciant quæso B. Cantij sententiam, quam ille in mensa sua quotidiè mane surgens scriptam & vesperi legebat: *Diffamare caueã* B. Can.

reuocare graue. Tremendum quoddam exemplum ad terrorem superbis detractoribus præ oculis statuunt: vir quidam qui sibi videbatur esse nimiùm sapiens, sæpiùs in præsentia hominum personæ cuidam honestæ grauiter detrahebat, dùm autem admoneretur à suo confessario, vt tandem aliquando desisteret allatrare famam hominum. Contempsit ille admonitionem, & ecce inopinatò mortuus repertus est, linguam vltra labia protendens, & dentibus suis eandem in frusta secans. deuotus Cõfessarius tunc temporis orationibus vacans, viso illo miraculo, petijt quid causæ esset, quod etiam in mortuo homine dentes in linguam propriam sæuirent? cui respondit mortuus: Hanc linguam inquit quam viuus intradentes sine detractione continere non potui, etiam post mortem pertotam æternitatem eandem secare non desistam, vt quæ famæ innocentum hominum multum obfuit, non tantum igne infernali, sed etiam proprio morsu crucietur. Nec solùm post mortem punit Deus detractores, sed etiam in hac vita. nam ante annos circiter 12. ipsemet oculis meis vidi personam magnæ authoritatis, quæ neq; vigilans neq; dormiens labia sua ne vnico momento continere potuit, sed perpetuo illa mouebat, quasi assiduò loqui vellet. Non aliam huius tacti suis consanguineis in testamento causam relinquens, nisi quòd innocentem hominem grauiter in fama læsisset. Proinde nihil magis caDuendum homini, quàm præsumptuosa detractio, & aliorum contemptus. Nam à pœna huius vitij neq; te tuus honor, neq; mundi sapientia liberabit, quia & sapientes lamentabili sua conclusione hanc infelicem ruinam in inferno deplorant. *Ergo erraumus à via veritatis.* Ac proinde turpe est hac in re Pharisæum imitari, & præsumptuosè dicere. *Gratias tibi ago. Quia non sum sicut cæteri.* Neq; enim sapientior es Salomone, vt te laudare possis: neq; sanctior quam Iob. vt in tua iustitia cõfidas, nec religiosior

Horrendum exemplũ detractoribus.

Dauide, in cuius animo nusquam hæc elatio fuit. Quia, qui in tali amictu in templum ascendit, vt oret, despicitur à Deo & repellitur, vt pote immundo ornatu mulieris, impudicæ præsumptionis, incedens: sed necessum, vt quisquis Deo placere vult, virgineum induat apparatum, scilicet profundam publicani pœnitentis humilitatem. Ascendit ille in templum vt oraret, non cum strepitu põposo, velut elatus Pharisæus: sed cũ humili & silente gressu, vt tanto facilius Dei clementiam in se prouocaret. Stetit à longè suam indignitatem agnoscens, indignum reputans, vt propiùs ad altare accederet; qui tã longe à Deo per peccatum recesserat. Sed licet à longè steterit, flamma eum diuinæ gratiæ potenter accendit, quia quò remotior erat, eò magis ipsius gemituum fumus, ad cõcipiendum diuini amoris ignem ascendebat. Non est ausus oculos in cælum leuare, quia timor & verecundia in eo præualuerat, vt potiùs oculis corporeis terram vbi peccauerat, buàm cælum intueretur. Refert Làértius lib: 1. in vita Biantis, quòd cùm Bias cum quibusdam sceleratis hominibus nauigasset, ortâ tempestate, cæperunt omnes in cælum clamare orando, vota dijs offerendo, & opem atq; auxilium ab eis implorando. Quo viso Philosophus celeriter ad illos accurrens, dixit: *Silete, silete, ne vos hic Dij nauigare sentiant.* Indicare volens, securum magis esse peccatoribus, silendo latere; quàm orando, exclamando, indignationem Dei in se prouocare. Hoc præstitit publicanus, qui non est ausus audacter vocem suam ad Deum leuare, sed turpitudine peccatorum confusus suspirauit, inquiens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* & ecce ne vehementi dolore obrueretur, veniam peccatorum impetrauit, dicente Christo: *Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam.* quia vt inquit Chrysosth: *Benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris.* ideoq; (addit Bernard:) *qui non audebat oculos inclinauit.* Ecce quanta potentia humilitatis, quæ ad gemitum publicani sua peccata recognoscentis, misericordem subitò præstitit Deum: vnde sapiens recte de ipsa pronunciat: *Oratio* inquit *humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Ecclesiastici 35. Quamobrẽ Magnus Cancellarius Parisiensis, meritò humilitatem appellat *Principem & Reginam* propter præcellens eius dominium: omnia enim pedibus eius calcantur, per generosum contẽptum, vt dicitur Deutoronomij 11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* quid maius, & quàm latum imperium, nihil adeò magni pendere, nulliq; rei subijci. Insuperaddit, humilitati tanquam Principi & Reginæ cuncta inseruire, aduersa quidem ad exercitium & tutelam; prospera verò ad modestiã sobriãq; consolationem. Dicam (inquit ille ampliùs) *Militant pro ea sui hostes fortissimi.* Nam ex peccatis redditur cautior, firmior, ac potentior. Immo vide miraculum: ipsa ex morte propria reuiuiscit sæpiùs fortiorq; resurgit. Quod vel ipsiusmet Dauidis exemplo palam liquet, quem lapsus humiliorem reddidit, quàm innocentia præstiterat. Triplicẽ communiter Doctores agnoscunt humilitatem: primò coactam: quæ licet ex se non sit meritoria; quando tamen liberè acceptatur, tunc & necessitas vertitur in virtutem, & habet meritũ apud Deum: talis humilitas erat Ioseph illius Patriarchæ de quo cecinit Dauid Psal: 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius.* Quia ille coactè venundatus erat à fratribus, & in carcere apud Pharaonem coarctatus, quia tamen libere hoc acceptabat & patienter tolerabat, ideo multa apud Deum meruit, vt etiam Prorex totius Æhypti crearetur. Altera humilitas est spontanea, quam consideratio propriæ vtilitatis parit, de qua dicitur Micheæ 6. *Humilitas tua in medio tui.* Tertia humilitas est honorata (vt

Làértius

Luc: 18

S. Chrysosth:

S. Bern:

Eccl: 35

Gerson:

Deut: 11.

Psal: 104

Idem.

Micheæ 6.

ea (vt inquit Bernardus) quæ est instar arboris fructiferæ, nam sicut arbor tantò magis ramos suos versùs terram inclinat & dimittit, quantò pluribus pomis onustior est, ita planè humilitas, tantò magis se despicit, quantò cælestibus donis ac diuinis muneribus cumulatior redditur. talis humilitas fuit in Beata Virgine, quod eleganter sapientissimus Petrus Rauenna exponit Serm: de Laudibus Virginis, inquiens: *Ecce quam vocauit Angelus Dominam, ipsa se recognoscit & vocat ancillam, quia deuotus animus infusis beneficijs ad obsequium crescit, augetur ad gratiam, non ad superbiam intumescit, nec prosilit ad arrogantiam* Hanc virgineam vestem, humilitatem scilicet induat necessum est, qui in anima sua iustificari desiderat, quia si adulterino habitu homo apud Deum comparuerit, non exaudietur. Nam quid causæ, quod Deus in cruce latronem exaudiuit, nisi quia humilitatis decore fulgebat qui publicanum imitatus; videns tot enormia sua scelera, non erat ausus dicere, *Domine accipe me in regnum tuum.* Sed tantum: *Memento mei.* quasi vellet dicere: indignus sum tanto præmio, imò potiùs præstat vt multos annos in hac cruce in pœnam delictorum meorum permaneam; verùm sufficit mihi, si non obliuiscaris mei. & ecce humilitas latronis, quod petere erubuit, hoc ei diuina misericordia vltrò obtulit. Fulgebat simili humilitatis perfectione quædam Princeps Romæ, quæ dùm vehementissimo morbo afflige-D retur, dùm audiret consilium, vt leuamen aliquod postularet à Christo crucifixo, respondit: Quomodo postulabo mitigationem dolorum meorum ab illo, qui potius ad patientiam & tolerantiam me hortatur? tot dolores & tandem mortem crudelissimam patienter sustinens. Sed quod præ magna humilitate petere erubuit, hoc diuina clementia humaniter ipsi præstitit. Immò percurre si vis totum vetus testamentum, & facile videbis neminem quidpiam à Deo impetrasse, sine humilitatis virtute. Nam imprimis Abraham licet tanta sanctitate conspicuus esset, vt de eo dixerit Spiritus Sanctus: *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi*: & tamen Deum oraturus prius ita se demittebat in diuino conspectu, vt diceret. *Quomodò loquar ad Dominũ meum cum sim puluis & cinis?* Genes: 18. imò cum tanta humilitate accessit ad orandum, vt rogare nõ auderet; sed tantùm interrogare. *Quid* inquit *si minus quinquaginta iustis quinq; fuerint?* Sed modestæ interrogationes tantum valebant, quantum validæ exorationes. Nam Deus inquit ibidem Rupertus: *Singulis eius concedit propositionibus, fortis enim erat vera fortitudine homo qui fortissimum Dominum tenebat.* Hæc autem fortitudo vera, est spiritus humilitatis. Magnus erat in sua perfectione Dauid, dicente ipsomet Domino: *Inueni virum secundùm cor meum*, & tamen & hic adeò se humiliauit vt coram Arca Domini luderet. *Ludam* inquit *& vilior fiam plusquàm factus sum.* 2. Regum 6. Deniq; in lege Euangelica, quid perfectius fuit Ioanne Euangelistâ, & tamen ille adeo se demisit, vt diceret. *Non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Ioan: 10. Ecce igitur mulierem vobis cum virgine monstraui, scilicet præsumptionẽ cum Humilitate. Sed vestitus muliebris est immundus, nec vlli in illo in regnum Cælorum patet introitus. Amictus verò virgineus est potens, quia & ipsum Deum de cælo traxit, nimirum humilitatis splendor: hæc enim vincit omnia, & hominem iustificat. Mirum est, quod refert, D. Isidorus Isidorus lib: 12. Etymol: D. Greg: lib: 31. Moral: Bercorius &c. quòd Rhinoceros siue vnicornis fortissimũ & indomitum animal, nulli cedere solitus sit, à nullo; se capi permittit; cum tamen ei occurrit virgo venusta & humilis, subitò eius amore captus, instar melitensis canis ad eam declinat, & omnem ferocitatem deponẽs in gremio eius mansuescit. Rhinoceros iste æterni Patris filium nobis præ oculis ponit, iuxta illud Psal: 28.

Petrus Rauen:

Cur latro in cruce exaudit.

Ruperti

2 Reg: 6.

Ioan: 10

Isidorus

Gregor:

Bercori.

Dile-

Dilectus meus quemadmodum filius vnicornis, cuius tanta est potentia, vt nullus ei resistere valeat; virgo verò pulchra, B. V. exprimit: cuius humilitatis & pulchritudinis amore captus Dei filius, ad virginei vteri gremium declinauit, & mansuetus factus est. Hic igitur cælestis Rhinoceros, vt in conscientias vestras descendat, cum hodierno publicano, hoc virgineo amictu, humilitatis scilicet pulchritudine ei occurrite, & dubio procul, mansionis suæ tentorium in vestris cordibus locabit. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA.

Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. *Lucæ* 18.

Vnum peccatum multum obstat ad acquirendam Dei gratiam.

IVris, & martis dubiam esse aleam rectè proclamant Politici, illis verbis: *incertus iuris, & belli euentus.* Quis hoc non videt in illo cruento Dauidis cum spurio Goliath certamine? Egressus Goliath in locum certaminis, corpore magno, altitudinis sex cubitorum & palmi, truci vultu, igne præusta barba, quem videntes Israëlitæ cyclopem probauêre; ita immanes artus, velut super incudem exerciti dorso porrigebantur. quin & mentum à proximo nidore ferrugineum, aut forte arte cyclopea inclusum, ære haud absimilem, & imparem tali opificio monstrabat. Hic cassi ærea in capite, & lorica squamata in corpore obarmatus; ocreis æreis in cruribus, & clypeo æreo inter humeris tectus, hastam ferream manibus gestans, prouocabat singulos de castris Israëlitarum ad singulare certamen, clamans: *Eligite virum ex vobis & descendat ad singulare certamen meum.* Verum atrox hominis aspectus visus horridus, insolitusq; incessus, ita Israëlitarum castra timore perculsit, vt quisq; ante certamen palmam concederet aduersario, periculumq; propulsare, indecoro fugæ auxilio conaretur, teste sacra pagina ibidem: *Omnes Israëlitæ cum vidissent virum fugerunt à facie eius, timentes eum.* Iam se Goliath victorem ante certamen iactabat superbus, cùm ecce Dauid mapalibus innutritus virtutis susceptit certamen, & gloriosam sibi credidit mortem, si pro honestate aggressus pugnam occumberet; *Ego* inquit, *seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Refocillatus Saul Rex Israëlitarum, proprijs armis Dauidem loricauit & contra aduersarium muniuit: *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit Galeam æream super caput eius, & vestiuit eum loricâ.* Dauid sub rusticitatis pastoritiæ cortice prudentissimus sic experitur in otio ne inexpertus periret in bello; cùmq; se armis impeditum agnosceret, recusauit inquiens: *Non possum sic incedere, quia non vsum habeo, & deposuit ea.* Quid ergo, loco purpuræ regalis, pastoritium indumentum, pro hasta baculum, pro gladio peram, pro sclopeto quinq; lapides assumpsit. Quis tunc non putasset iam actum esse de vita Dauidis? Et tamen dicit scriptura sacra: *Praualuit Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide, percussumq; Philisthæum interfecit.* Quomodo obsecro immissus lapis à manu vnius adolescentis, fortè illum gigantem deijcere potuit? Equidem non manum attendas, sed vocem inuocantis Deum, quæ solaq; valet inexpugnabiles hostes euertere. Dauid paruulus vt vidit Philisthæum armatum, dixit: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël*: ergo quia Deum inuocauit, præualuit in Philisthæum. Ita resoluit S. Chrysosthomus homil: 3. de Dauide, & Saule loquens: *Hæc vox barbarum illum, & alienigenam prostrauit, eò quòd priusquam mitteret lapidem, eum precationis robore erat aggressus. Et quid miraris, si vox iusti & furorem mitigat, & hostes deijcit.* Tanta est in voce orantis iusti valentia, vt nullam inueniat

Goliathi magnitudo & apparatus bellicus

1. Reg: 17

Ibidem.

S. Chrysosth:

niat resistentiam, sed hostes deijciat, muros euertat, obstrusissima quæq; claustra reseret. Clamabat Elias 3. Reg: 18. *Viuit Dominus, in cuius cõspectu sto: si erit annis his ros, & pluuia nisi per os meum.* Duo sunt mirabilia in his Prophetæ verbis: vnum, quod cœlum claudat; alterum, quòd post clausum cœlum, reserandum per vocem suam credat, hoc enim insinuant verba illa: *Nisi per os meum*; quasi clausura cœlorum duratura fuerit, vsq; dum os suum Elias aperiret. At verò vbi Propheta os suum aperuerit, Deumq; inuocauerit, nullum amplius claustrum erit, quod non reseretur. Sic Fatur S. Aldhelmus lib: de Virg: cap: 10. *Spiritu afflatus Elias cæli claustra, & nimborum obstacula precibus patefacit.* Mirabar sæpiùs prece iustorum claustra verbis resignari, hostes deijci; sed longè mirabilius est claustra, & obstacula cœlorum patefieri. Sonet vox iusti orantis, & nihil est siue in cœlo, siue in terra, quod ei non cedat Hinc Math: 26. Monebat Iesvs discipulos suos dicens: *Vigilate, & orate, vt non intretis intentationem.* Et post pusillum dicebat illis: *Dormite iam, & requiescite.* Nunc mandat dormire, & requiescere, eos ipsos, quos paulò ante orare, & vigilare mandabat, An certè contrarius sibi Deus est in mandatis? si vigiliæ, & orationes necessariæ sunt ad repellendas tentationes, & vt necessariæ mandantur, cur iterum mandauit Christus discipulis dormire, & quiescere. Planè sapienter, vbi primò orationes & vigiliæ mandantur fieri, consequenter & somnus, & quies proponitur: Nam qui orationibus ad Deum faciendis inuigilauerit, inde iam securè dormire poterit, & quiescere, cùm nihil quod timeat amplius restet. Verùm vt belli duces futuræ semper sunt incerti victoriæ; ita non minus in iudicijs humanis vtraq; litigantium pars anceps hæret, in cuiusnam fauorem iudex sententiam laturus sit. Actor videtur pro se certa habere documenta, rationes sufficientes, instructiones optimas, triumphat, victorem se fore gloriatur, & interim causâ suâ cadit. Reus verò malum suum præsentiens, Iudicis & Assessorũ gratiã implorat, animumq; miserabili sua persona & conditione emollit ac deuincit, causamq; lucratur. Ergo non solùm martis, sed etiam iuris dubius euentus: quia plerumq; melior est fauor iudicis; quàm lex codicis. Cæterùm, quod Politici de Marte & Iure affirmant, hoc ego in Ecclesia Christi ad oculum specto, quando de duobus simul Ecclesiam Dei ad oranuum ingressis, vnus nimirum publicanus iustificationem consequitur; alter id est Pharisæus repudiatur; qui tamen ieiunans, orans, decimans, se gratiæ Dei propiorem existimabat, inquiẽs: *ieiuno bis in sabbatho, decimas do omniũ, quæ possideo.* Et quæ obsecro pernicies potest esse in ieiunatore, in scelerũ persecutore? Dicant alij, quod volunt, meâ sententiâ inde ruina ruina, inde repudiatio Pharisæi processit, quia dùm se supra alios efferret, vnionem cum illis rumpebat. Colligo id ex Iacobo Patriarcha: hic post longas fames, post æstus, post vigilias, post incredibiles labores pro Deo, & virtute exantlatos, dicebat: *Ego cõgregor ad populum meum.* Nihil sibi supra populares quosuis adscribens, in nullo se à populari vel minimo discernens, propter quod laudem meruit apud Deum: quoniam illa præstantissima virtus est, quæ vnionem & concordiam cum alijs præsefert. At verò fastuosus Pharisæus, solutis decimis, & ieiunijs clarus, nihil magis optabat, quàm sese ab alijs omnibus seiungere, dicens: *Non sum sicut cæteri hominum.* Vbi ita se extollebat, vt vellet ab omnibus discerni, ab omnibus separari, & seiungi, factus totius criminator mundi, vt solus ipse effulgeret. Componite modo Pharisæum hunc cum Iacobo. Pharisæus binis ieiunijs sabbathi adeò insolescebat, vt nullius societatem admitteret; Iacob verò post mille inedias, post vigilias, post peregrinationes, post diuturnam iniuriarum sustinentiam,

Matt: 26

Luc: 18.

Gen: 49.

tiam, ita se æstimabat, vt pro magno haberet, cum quibusuis popularibus suis coniungi. Cur tot laboribus clarus non optabat aliquid supra populum? cur non potiùs expectabat efferri supra populares? Profectò quia vnionem, qua sese populo adiungebat, congregabat, præ oculis habens, vt hanc seruaret cum omnibus, & ideo nil amplius requirebat. Iustus enim nihil in omnibus virtutum operibus præstantius putat: quàm si vnionem & cõcordiam seruet cum alijs etiam infimis. Ubi Prophetæ vox peruenit ad Regem Niniue, ita demandato Regis clamabat præco: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam.* Ionæ 3. ad quod Ionæ 3. ieiunium statim desiit ira Dei. Ieiunantes autem Israëlitas minimè Deus exaudiuit, ipsismet querulantibus, Isaiæ 2. Isaiæ 2. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Sanè: quia Niniuitæ etiam Principes & clarissimi viri, hoc in suo ieiunio maximè curabant, vt sese popularibus etiam vilissimis adiũgerẽt, vt magni fieret inter omnes concordia & vnitio; Israëlitæ autem è contra in ieiunijs suis quærebant, vnde se ab alijs discernerent, & alios despicerent, ac de prælatione pugnarent quotidiè. Hinc displicuit Israëlis ieiunium, & Ninjuitarum placuit, ob mutuam vnitatem seruatam: Hæc S. Cyril: est mens S. Cyrilli Alexandrini in Ionam. *Sapientes* inquit, *non parum Niniuitæ, qui vno animo nequitiam ieiunio abigere nituntur. Hic namq; sincerus & inculpatus pœnitentiæ modus fuerit. Quoniam verò Israël huiusmodi rerum imperitus, nonnunquam rationi minimè consentaneam, profanamq; inediam suscipiebat, Deus Prophetæ præcipit exaltare vocem, & illis nuntiare, non tale ieiuniũ se elegisse. Causam ipse exprimit, mox subiungens: in diebus enim ieiuniorum vestrorum, inuenitis voluntates vestras, in iudicium & pugnas ieiunatis.* Ieiunabat ergo Pharisæus, sed quia iudicabat, & contemnebat alios: *Non sum sicut cæteri*, ipsumq; publicanum humilem condemnabat, volens se omnino ab illo diuidere, nec vnionem cum alijs seruare, ideo ob hoc peccatum repudiatus, & in exemplum reproborum datus est. Proinde ex hac occasione meritò considerabimus, quanto impedimento & nocumento etiam vnicum peccatum homini apud Deum esse soleat.

Concors est omnium Theologorum sententia, vnum peccatum posse esse causam alterius, idq; in omni genere causæ. In primis in genere causæ efficientis, seu mouentis tàm secundùm se, vt dùm quis ex vno actu humão disponitur ad similem faciliùs committendum; quàm per accidens. Nam dum homo per vnum peccatum amittit gratiam, aut verecundiam, vel quidpiam aliud retrahẽs à peccato, ex hoc incidit in aliud, & sic primum peccatum est causa secundi per accidens. Præterea, in genere causæ materialis, vnum peccatum est causa alterius, v. g. Si quis committat fornicationem propter furtum, tunc fornicatio habet se vt materiale; furtum verò vt formale. Cæterùm, quando vnum peccatum dicitur esse causa alterius per se, eò quòd producat dispositionem, aut habitum inclinantem ad ipsum, hoc nõ debet intelligi de causa per se in rigore: quia habitus productus non pendet in operando ab actibus præcedẽtibus. Sic propter hanc rationem auus non dicitur per se causa nepotis. Sed debet intelligi de causa per se latè sumpta, ad quam sufficit, quod cõcurrat ad entitatem effectus saltem mediatè, id est, producendo causam, quæ immediate concurrit: quoniam hæc causa comparata cum ea, quæ solùm concurrit remouendo prohibẽs, potest dici causa per se. Si ergo vnũ peccatum potest esse causa peccati, quid mirum, quod Pharisæus, peccatum superbiæ in sua oratione committens gratiam Dei non sit assecutus, cum hæc simul cum peccato, vt pote sibi incõpossibili stare nequeat. Hoc olim superbo & deplorato Pharisæo imprecatus fuisse videtur Dauid Psalm: 108. dicens: *oratio eius fiat in*

Vnum peccatũ est causa alterius.

Psal. 108

peccatum. Quando enim oratio fidelium remedium solet esse peccatorum, magni, & insueti supplicij est argumentum, quod inde eructent peccata, & miseriæ, vnde sperabatur remedium. Pulchrè D. Ambrosius S. Ambrosius. lib: de Abel cap: 9. hac de re discurrit: *An nescis, quàm graue sit in oratione contrahere peccatum, vbi speras remedium? Certè Dominus per Prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.* Quis hoc non videt in proditore Christi? qui & mensæ eius in vltima cœna accubuit, & in horto cum cohorte militum veniens, Christum osculatus amicè salutauit; & tamen omnia eius facta in peccatum abiêre.

Verum quomodò, obsecro in sua oratione peccauit Pharisæus dicens: Incert. Auctor. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines: ieiuno bis in sabbato, decimas de omnium, quæ possideo:* quoniam vera dixit? Respondet incertus Auctor: *Non est* inquit, *reprehensibile, quòd ipse Deo pro beneficijs gratias egerit, quòd etiam bis in hebdomada ieiunauerit, quòd etiam decimas de omnibus dederit. Sed manifestum est Pharisæum omnia sibi destruxisse, quia cuncta dixit per superbiã, & arrogantiam.* Quia ergo de ieiunijs, & rebus sacris, non vtilitatem, non lucrum animæ, sed ostentationẽ sui peruersus captabat, ideo grauiter peccauit. Sic censet S. Chrysostho- S. Chrysosth: mus Serm: 7. *Enatasti* inquit, *ieiunij pelagus, & in ipso portu ieunij naufragasti: quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem qui de Dei credito humanum negotium peregisti.* Quibus S. Doctor ostendit, manifestum reprobationis opus esse, dum quispiam de Spiritus sancti gratijs, & fauoribus, de rebus diuinis, ac de earum credito, negotia peragit temporalia, non vtilitatem animæ, sed ostentationem sui captans.

Ergone Pharisæus pro beneficijs Deo gratias agens, suaq; ieiunia, & decimarum solutionem pronuntians, peccatum superbiæ commisit? Nonne etiam Iob virtutes suas, & egregia facta coram Deo publicabat, & coram hominibus, cap: 29. v. 14. loquens: *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater etiam pauperum:* & tamen inde nullum ei imputatum est peccatum. Iob: 18. Fateor Iobum non peccasse, suas virtutes euulgando, quia hoc faciebat, vt famæ suæ apud amicos extremè periclitãti succurreret, & falso sibi impositas criminationes, debitam de bono nomine curam habens, propulsaret. Quod ingeniosè obseruans S. Isidorus Pelusiota lib: 3. Epist: 279. vbi dubitationem hanc præmittens: *Vehementer tibi mirum videri dixisti, quidnam sit causæ, quamobrem Pharisæus ob verborum arrogantiã apud Deum offenderit: Iob verò qui plura, & sublimiora dixit, gloriam assecutus sit.* Ita respondet: *Pharisæus ille, quia nemine concitante de se magnifica prædicabat, altiusq; quàm vniuersus terrarum orbis de se sentiebat, meritò in Dei offensionem incidit, siquidem superbiæ morbo laborabat. At qui in gloria & splendore est, virtutes suas occultat: cum autem maledictis incessitur, vt illatas criminationes propulset commemorat, (quemadmodũ clarus ille, atq; omni laude præstantior Iobus fecit) ab omni culpa remotus est.* Nimirum optimo merito prouidebat bona Iob non solùm coram Deo, sed etiã coram hominibus: nec integra tantùm, sed etiam sapienti, & splendenti pulchritudine famam volebat habere propitiam. Eleganter id adnotat D. Ambrosius lib: 2. Offic: cap: 7. vbi postquàm dixisset, *nihil tam vtile, quam diligi, nihil tam inutile, quam non amari. Nam odio haberi, exitiale, ac nimis capitale arbitror.* Statimq; subiungit: *Itaq; id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem opinionemq; nostram.* Quia nimirùm cujusuis pulchritudo, non interna solùm virtutis; sed externa etiam honestæ existimationis, & boni nominis venustate constat.

Isidorus Pelusiota. S. Ambrosius.

Et ratio manifesta huius veritatis est: quia illi, qui foris sunt, fidei nostræ bonitatem, & Euangelicæ do-

doctrinæ veritatem, non aliunde; quàm ex honestate famæ nostræ metiuntur. Auctore D. Gregorio Nazianzeno Orat: de Episcopis, vbi sic loquitur: *At extraneus quispiam nequit bonitatem fidei nostræ aliter definire, ac metiri, quam honestate famæ: ac sua quidem facinora prorsus non computat, tuorum verò acerbus est accusator.* Hinc illud S Augustini Tract: 50. in Ioan: pronuntiatum: *Bonus odor, fama bona est.* Pulcherrima igitur est hominis conditio, quam nullæ opiniones suspectæ infamant, nec elegantior vlla, quàm bonæ opinionis forma. Nonculpatur itaq; Iob virtutes suas euulgans, quia hoc fecit necessitate compulsus ne bona eius fama, ne honor, quo post vitam nihil carius, in malam apud homines existimationem deueniret. Hoc autem in Pharisæo execrandum fuit, quia in famam laborabat vt sibi & alijs inaniter placeret, ideoq; in superbiam elatus, omnibus præferri voluit, atq; ob hoc arrogantiæ peccatum Dei gratiam non obtinuit.

Enimuerò etiam vnum peccatũ, potissimum arrogãtiæ adeò malignãtis naturæ est, vt omne Dei donum homini eripiat. Quod probe sciens D. Paulus, ad hebræos loquebatur: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Quibus verbis totã Hebræorum Ecclesiam seriò monuit D. Paulus, vt minimam malitiæ radicem surgentẽ diligenter caueret, ne ab illa inficeretur: quoniam è re omnium est, sollicitè curare singulorum in bono cõstantiam, & mali cuiusuis extirpationem, eò quod modicum malitiæ fermentum ad totam massam pertineat. Hoc D. Paulus loco citato sequentibus verbis intendebat, subiungens: *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Vnde lectio Syriaca vtraq; Apostoli verba ita exponit: *Et cauete, ne quis reperiatur inter vos expers gratiæ Dei, vel ne qua radix amaritudinum producat folium, & perturbet vos, eoq; multi contaminentur.* Alludens ad exitiale aliquod virus, quod ingenti aquæ, vel cuiuscunq; alterius liquoris portioni admixtum, totum inficit, atq; corrumpit. Huc respexit Salomon Ecclesiastæ 10 v. 1. inquiens: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Septuaginta exponunt: *Putrefaciunt compositionem suauitatis.* Sicut ergo muscarum morientium putredo destruit suauitatem vnguenti, quantò magis vnum etiam peccatum, destruit in homine totam diuinæ gratiæ pulchritudinem.

Audite Salomonem loquentem Eccles: 9. v. 18. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Paraphrastes chaldæus, pro istis verbis, *multa bona perdet*, legit: *Detractionem affert, vt perdatur bonum magnum ex mundo.* Quonam autem modò id fieri possit? Respondet S. Hieronymus, *quia malus mixtus bonos contaminat plurimos*: nã pulcherrimæ mundi, aut Ecclesiæ, aut familiæ imagini, fædam injicit maculam, qua totus illius splendor, & pulchritudo depereat, vt plerumq; euenire videmus. Quid igitur in tali facto opus sit? meo iudicio, præstat vnum præscindere membrum, ne reliqua omnia inficiat. Præstat vnum hominem excludi, & ab aliorum cõsortio resecari, ne prauis moribus plures corrumpat. Hoc exemplum dedit nobis Dominus Deus, quando vt pauculos incolumnes redderet, omnes homines, vniuersamq; hominum generationem funditus delere, & aquarum diluuio obruere, minimè dubitauit. Ingeniosè id pensitante S. Chrysostho homil: 22. in Genes. *Posteris* inquit, *prouidit, cùm malitiæ fermentum sustulit, & magistros iniquitatis.* Attendite, quanta cura, quanta prouidentia isto diuisionis gladio Dominus vsus sit, quamq; ad viuum putrida membra velit resecari, qui quotquot prauitate sua alios inficere poterant, licet multos, licet plures, licet omnes penè homines, è medio sustulit, vt malitiæ fermentum ab exiguæ massæ vicinia submoueret. Quis ergo iam dubitabit, modicum malum, siue fermentũ tollere, vt totam familiæ seu congregationis

S. Greg: Nazian:

Hebr:12 v. 15.

Lect: Syriaca.

Eccles: 10. LXX.

Eccles: 9. Chald:

S. Hieronym.

S. Chrysost:

gationis massam incolumem seruet.

Sed forsan, cùm putridum membrum præcidendum, fratremq; discordantem, ac secretorum diuulgatorem, præcidendum, atq; ab aliorũ societate ad coruos proijciendum audis, non leui cruciaris scrupulo, hanc seueritatem cum clementia, & bonitate, non bene se gerere coniectans, & à visceribus misericordiæ alienam esse iudicans. Verùm, audi Origenem homil: 7. in Iosue, qui dicit: *Quæ est ista bonitas? Quæ est ista misericordia? vni parcere, & omnes in discrimen adducere? polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida grex vniuersus inficitur; sic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcũq; scelus committente, plebs vniuersa polluitur.* Magis adhuc eandem veritatem vrget D. Bernardus Epist: 102. ad quendam Abbatem ita scribens: *Ne timeas esse contra charitatem, si vnius ejectione scandalum multorum recompensaueris pace, quippe qui sua fortè malitia, fratrum habitantium turbare facilè poterat vnanimitatem.* Statimq; paulò inferiùs subdit: *Melius est enim vt pereat vnus, quàm vnitas.* Imò verò ad misericordiam id potiùs, quàm ad seueritatem pertinere, & singulare misericordiæ opus esse, dum pluribus, quàm vni consulitur, docet S. Augustinus tum in regula, tum Serm: 1 de institutione regularis vitæ ad eremitas: *Non enim* inquit, *hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Optimè equidem fit quando tempestiuè toti familiæ prospicitur, quando lues certo in teritu grassatura de medio aufertur.

Origen:

S. Bernardus.

S. Augustinus.

Vultis vlterius documentum? conijcite quæso oculos in illammet nauiculam in qua Christus Dominus cum discipulis vehebatur, eamq; fluctibus penè submersam consideratè. Sic enim de illa fatur euangelista Matth: 8. v. 24. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Quam obsecro censetis tanti causam periculi? qualemue insurgentium fluctuum putatis originẽ, nisi vnius scelerati hominis præsentiam, Iudæ nimirum proditoris, qui ibi aderat. Ita resoluit S. Ambrosius lib: 4. in Lucam loquens: *Et si multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen ea adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraq; Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatus alienis.* Opportunè satis: nam quo viuaciori penicillo discriminis magnitudo à prauo socio aduenientis poterat depingi? cùm omnium discipulorũ merita, ipsamq; firmissimæ Petræ fortitudinem, vnus Iudas turbare atq; in grauem discriminis formidinem vocare potuerit? Dicit S. Ambrosius: *Qui suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Quasi diceret: Non sufficit propriorum meritorum firmitas, vbi mali exempli præsentia adest; quoniam hæc omnia labefactare, & corrumpere consueuit. Hinc S. Isidorus Pelusiota, cùm monachum quendam in certa vitia prolapsum, suo Abbati commendaret, ita misericordiæ opus prudentiæ sale condiuit. *Nostra causa velim, ipsi veniam tribuas, si autem is est, qui venia, & indulgentia minimè melior fiat: nolim, ille fructum ex literis nostris vllum capiat, verùm è fratrum tranquillitate ablegetur, ne tumidos fluctus, ac vertigines placidi ac quietis ipsorum moribus excitet. Nam hoc quoq; lex nobis sub parabolæ cortice præscribit, cùm eos qui leprâ laborabant, extra castra emittit.* Ergo minimè charitas læditur, quando homo improbus, magnas in communitate turbas excitans, concordiam inter alios discindens, famam multorum lacerans, bonum commune euertens, ac omnia susq; deq; confundens, è numero confratrum proscribitur, ac velut membrum putridum ejcitur, cum propter vnum inquietum turbatorem, propter vnum peccatorem multa bona deperdantur.

S. Ambrosius.

S. Isidorus.

Educto de captiuitatis compedibus Hebræorum populo, aquarum volumina transitum impediebant: Ægyptij fugientiũ tergis iamiam insistentes, validis clamoribus insultabant: medius populus inter Ægyptios mucrones, & profundos maris fluctus, nec fugere poterat, nec reuerti.

O quàm acri metu breue libertatis tempus compensarunt Israelitæ! o quàm citò captiuitatis dolorem iterandum expauerunt! Quid tunc afflictus Moyses agere debuit? clamoso silentio cæleste auxilium deposcebat, & à tantis populum exolui periculis obnixè petebat: *Dixit Dominus ad Moysen: quid clamas ad me? Loquere filijs Israël, vt proficiscantur; tu autē eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum.* Exod:14 Protinus nulla interposita mora Moyses percussit mare, & statim aquarum fluctus saluo liquore suspēsi sunt in muros. Ait sacer textus: *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisaq; est aqua.* Transite hinc paulisper mecum cogitatione ad aliud miraculum Numeror: 20. Num:20 v. 8. Postquàm eduxerat Moyses populū de solitudine, ardens viscera fatigati populi sitis depascebatur, iussus est Moyses aquam Dei nomine à petra exposcere: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Cæpit dubitare Moyses asperioribus verbis obiurgans populum: *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Statimq; Deus illam diffidentiam ægrè ferens respondit Moysi & Aaroni: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* O quam amarum erat supplicium, post longissimos itineris prolixi labores, in ipso terræ aditu, telluris mulctari ingressu. Sic plerumq; contingit in rebus humanis, post anxios alicuius rei conatus, & diuexatos diuturniori tempore affectus, infelicitatis limine deficere, optatisq; morte contradicēte.

Verùm inquiramus si placet, quæ tantæ indignationis causa fuerit, vt statim Moyses populi regimine interdiceretur, qui post homicidium inducem populi salutatus fuerat. Equidem si humano causæ trutinandæ forent iudicio, multò grauiùs deliquisse videbatur Moyses, occidēs hominē; quā in educēda de petra aqua hæsitās. Rationem hanc aliqui assignant, quia Moyses post eductam de petra aquā, Deum non honorauit, sed suæ nescio quid potentiæ imprudenter adscripsit, loquens: *Nunquid poterimus de petra hac vobis aquam elicere?* quasi diceret cum Aarone: Dexteræ nostræ, quæ fluctus maris frænarunt, quæ iā olim elicuerunt de petra vndas, & modò elicere valebunt aquas. Dum ergo vterq; miraculi laudem sibi adscriberent, mox & virtutem ad vlteriora miracula eneruarunt, & gratiæ quodammodo vires infirmarunt. Hoc innuit Abulensis in citatum locum, ita scribens: *Loquitur Moyses in persona sua, & Aaron, qui ambo ad hoc missi sunt, est sensus quasi dicat: Nos nō possumus virtute nostra educere aquam de lapide: quare ergo contra nos murmuratis? vel aliter, quo sit istud verbum dubium, & exponibile ad omnem euentū: vt si dicentibus Moyse, & Aarone, verbū istud fluerent aquæ, intelligeretur: Nunquid de petra hac poterimus vobis aquam eijcere? id est vos increduli, & rebelles, putabatis, quod non possemus vobis educere aquam de lapide; sed educere potuimus.* Abulens: Suæ potentiæ, & dexteritati in aquarum elicientia aliquantulum blanditus est moyses, ideo & sententia mulctatus, vt nouerimus, quomodò superba iactatio vires eneruet.

Alij censent, Moysen ideo munere priuatum fuisse, quod populum Dei incredulum, ac rebellem vocasset, loquens ad eos. *Audite rebelles, & increduli.* Num: 24. v. 10. Cuius in populum inuectionis appendix fuit muneris interdictio, & dignitatis ablatio: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Num:24 En quanta pœna, populi regimine interdicitur Moyses, quia exarsit in Hebræorum honorem: quia grauius est famam lædere, quā vitam abscindere. Pulchrè S. Ephrem id expressit de linguæ malo ita loquens: *Plurimis licet signis claruisset Moyses, vbi modicè linguā lapsus est, è terra promissionis excidit. Magnum & horrendum mare ei viam præcludere non potuit; sed verbum iniquum ab eo prolatum, velut murus altus ipsi obstitit, ne vlterius progredi posset.* S. Ephrē

Grauius est in fama, quā in vita lædi.

Facilius certè ferunt homines manu lacerari, quàm contumelijs feriri. Prodeat huius veritatis eximius testis Dauid. Hic multa in Saulem Beneficia contulerat; quæ tamen non promeruerunt gratiam, imò potiùs Regis inflammarunt iram. Ad necem pauperculus quærebatur, & Saul ira percitus, vt implacabili mederetur odio, vnico salutis suæ aduersabatur remedio: hastam in Dauidē eiaculatus est, & vitam auferre molitus: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* 1. Reg:18 v. 18. Quid tunc? Dauid, qui impurato spiritui abigendo modulatam adhibuerat lyram, inuidentiæ quoq; adhibuit distantiam: & licet cantu abegisset impuram & gehennalem furiam, nullis artibus potuit medicare inuidentiam. In montibus perquirebatur, inuestigabatur in syluis, cogebatur errare in campis: sed iustitiæ oculus speculator de superadstans, innocentis Dauid miseratus labores, in manus eius tradidit inimicum. Cæterum generosum Dauidis pectus, & non nisi gratiæ seruire natum, pepercit hosti, necemq; suspirantis curam egit: *Nolui* inquit, *extendere manum meam in te.* 1. Reg:24 v. 12. Transite paulisper hinc, ad aliud eiusdem Dauidis factum, cùm Nabalem per ministros rogaret, vt famelico eius comitatui succurreret; ille verò vt pote homo agrestis & durus, ministros postulantes impolitè abegisset, armis suos milites iussit muniri, properauitq; memoriam Nabalis abrasurus, aiens: *Accingatur vnusquisq; gladio suo.* Quid causæ? Dauid Sauli telum contorquenti pepercit; in Nabalē autem cibos negantem ardenti furore insurrexit: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, vsq; mane mingentem ad parietem.* Ibidem. cap. 25. v. 13. Causam apertè innuit sacer textus, referens Nabalum Dauidis mores abrosisse, & famam obloquutionis maculis denigrasse, dum diceret: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodie increbuerūt serui, qui fugiunt Dominos suos.* Quasi blatteraret, Dauid prædonum, ac iura infringentium patronus Rempublicam turbat, & omnia moribus perversis inquietat. Idcirco acerbius Dauidi fuit linguæ telum, quàm manus pilum, vt facilè necem molienti indulserit; milites autem in iacientem probra obarmarit, vt hinc discāt superiores frænare linguam, ac reuerenter etiam cum inferioribus agere, non verbis contumeliosis adurere. Num:20 v. 12.

Mihi tamen verior sententia videtur, Moysen ob solam incredulitatem regimine populi, & ingressu terræ promissæ punitum fuisse. Sic enim aperte dicit sacer textus, Numer: 20. v. 12. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Ergo Moyses licet magna merita habuerit, propter vnum incredulitatis peccatum, omnia amisit. Petrus Dicit Petrus Damianus lib: 6. Epist: 5. *Mare grande, & tremendum, viam præcludere non potuit Moysi, & vnicum quidem verbum obfuit.* Damiā. Clariùs adhuc S. Ephrem: *Licet multis miraculis, & signis claruisset, tamen modicè lingua lapsu omnia perdidit.* S. Ephrē Et hoc verum esse, colligo ex absētia Iosue, qui eo tēpore, quo Moyses diffidebat, se aquā de Petra educere posse, non adfuit; cùm tamē ipse Deus, Iosue socium Moysis indiuisibilem, & ministrum, vbiq; præsto assistentem appellauerit, Deutor: 1. inquiens ad Moysen: *Josue filius nun minister tuus.* Deutor: 1. Per quod Deus innuere voluit, ita Iosue familiarem fuisse Moysi, & præcipuum eius ministrum, quòd in omnibus eius rectè factis inueniretur primus, & vnicus, in malis autem nullus, in quo tota perfectio veri ministri consistit. Verī ministri quæ perfectio. Quando enim Amalechitæ expugnādi erant, ibi Iosue adfuit Moysi. Exodi 17. v. 10. *Fecit Iosue, vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec.* Exodi 17 Quando in montem ascenderat Moyses accepturus legē, ibi adfuit Iosue.

Exod:

Exodi 32. *Audiens autem Iosue tumultũ populi vociferantis; dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris.* Quando Moyses offensam incurrit ad aquas contradictionis, & priuatus est à Deo ingressu terræ promissionis, ibi nulla mentio fit Iosue, sed solius Aaronis: Numer: 20. *Dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: Quia non credidistis mihi &c.*

Et cur quæso Iosue qui nunquam à latere Moysis descendebat, in præsenti non memoratur? Sanè quia in præsenti Moyses non credebat Deo, sed infidelis extitit, ad suamq; infidelitatem rapuit Aaronem fratrem, verùm non rapuit Iosue qui vt in præclare gestis primo, & vnicus ei assistebat; ita in malè actis nusquam inuentus est. Ingeniosè id edisserit S. Ambrosius lib: 12. Offic: 20. in hunc modum scribens: *Denique cùm in eius tabernaculo,* (puta Moysis) *& videretur maiestas Domini, solus erat in tabernaculo* IESVS *naue, Moyses cum Deo loquebatur,* IESVS *pariter nube tegebatur sacra. Presbyteri, & populi deorsum stabant,* IESVS *cum Moyse ad accipiendam legem ascendebat. Cùm columna nubis descenderet, & loqueretur cum Moyse, quasi fidus adstabat minister. Vbiq; igitur inter admiranda opera sancto Mo si indiuiduus adhærebat. Vnde factum est, vt quod Moysi negatum est, solus eligeretur, vt populum introduceret in terram promissionis.* Moyses itaq; mulctatus, est negatione ingrediendæ terræ promissionis, quam mulctam Iosue euasit. Præclarus sanè minister, qui nunquàm non Moysen secutus fuit, nisi vbi moyses deliquit, & meruit repulsam. In tabernaculo, in oraculo, in monte, in nube, vbi quid Dei, & virtutis agebatur, fidissimus Iosue ministrabat Moysi, eiusq; lateri adhærebat. Vbi autem ventum est ad aquas contradictionis, propter quas Moyses incurrit offensam, & negatũ est illi, vt cum populo pergeret: ibi alia via iuit Iosue, soluq; sine Moyse in via Domini stetit.

S. Ambrosius.

Audite hæc Principum ministri, auscultate Magnatum, & quorumuis Heroum serui, & discite perfectissimè ministrorum munus impleri, quãdo suos Dominos in bonis operibus sequuntur; in malis autem deserunt. Talis fuit Abdias Achabi Regis minister, & vniuersæ domus eius dispẽsator. De quo dicit scriptura sacra 3. Reg: 18. *Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centũ prophetas, & abscondit eos quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua. Dixit ergo Achab ad Abdiam: vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles si fortè possimus inuenire herbam, & saluare equos, & mulos, & non penitus iumenta intereant.* O quàm bonus minister, vocatus Abdias à Rege, præsto fuit, mandatum sine mora executus est, omnia loca peragrauit, vt Regi morem gereret. Nihilominus tàm fidelis minister Regis, tam sedulus in exequendis eius mandatis, vbi Prophetarum persecutio, & interfectio mandabatur, longissimè abfuit à Regis decretis, quin potiùs ipse protegebat, & sustentabat Prophetas. Dicit Theodoretus Serm: 8. de Prouid: *Regibus Abdias seruiens, & officium quoddam ab illis cõmissum administrans, non modo herilia vestigia secutus non est, sed longè aliam ab ijs viam est ingressus. Nam illi contra Dei Prophetas insanientes, omnes mactari præceperant. Hic verò prophanos Dominorum conatus oppugnabat, centumq; Prophetas in spelunca abditos alebat. Et in ijs quidem quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officium heris suis detulit.* Profectò dignus laude Abdias, qui dum bona peragenda erant, atq; iusta, ipse primus, ipse obsequẽtissimus inueniebatur, etiamsi vniuersa fuisset peragranda terra. At verò vbi iniusta mandari aduerteret, nec dominos reuerebatur, nec agnoscebat.

3. Reg: 18

Theodoret:

Vtinam ita se gerant omnes ministri Regum, Principum, Magnatũ: vtinam ita se gerere liceat ministris per Reges, & dominos suos; equidem replerentur aulæ, curiæ, ac domus optimis ministerijs. Hæc esset felici-

felicitas dominorum, hæc seruorum fortuna, quam in Telonico ministro, & Athalarico Rege extollebat Cassiodorus 8. Varia: 9. loquens: *Tecum pacis certa, secum belli dubia conferebat Rex, & quod apud sapientes Reges singulare munus est, ille solicitus ad omnia securè tibi pectoris pandebat arcana. Tu tamen nullos responsis fallebas ambiguis. Amasti in audiendo patientiam, in suggestione veritatem: sæpè quæ ad eum falsæ peruenerant, recti studio corrigebas, & quod rarum confidentiæ genus est, interdũ resistebas contra vota Principis, sed pro opinione rectoris. Patiebatur enim ille inuictus prælijs pro sua fama superari, & dulcis erat iusto Principi rationabilis contrarietas obsequentis.* Magna certè laus, & Regis veritatis amantis, & ministri nõ nisi vera & iusta consulẽtis: quibus enim alijs cõloribus optimus Rex, & bonus minister, delineari possit? Optimi Regis est, ratiõabilem contrarietatem à ministro benigna aure suscipere; boni pariter ministri est, in omnibus promptè obsequi, in erroribus obluctari.

Cassiod:

Naas Rex Amonitarum fecerat expeditionem aduersus Jabes Galaad ciues, qui cùm dura obsidione pressi coangustarentur, septem dierum deposcebant inducias, quibus transactis ciuitatis gazas traderent. *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos filios Israël, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.* S. Gregorius cœlesti acumine pollens, historiam hanc ad mores ita adaptat, per *Iabes* intelligens afflictas & exsiccatas oblectamentis à dæmonæ animas, quæ dum contra virtutem continuè alliciuntur, carnis imbecillitatem expertæ, virtutisq; studiosissimæ inducias petunt, & post dies septem se afflictionem, laboriscq; ciuitatem relicturas seriò ad speciem promittunt, non quòd virtutem deserere cupiant, sed ne corpus omni delectatione negata fatiscat. Itaq; exigui tẽporis petunt inducias, vt pœnitentiæ molestias prosequantur. Pulchrè id citatus D. Greg: elucidat, in citatum locum: *Qui sunt* inquit *habitatores Iabes, id est, exsiccatæ, nisi qui castigationem extenuatæ carnis, in longo habent vsu virtutis.* Et paulò post subdit: *Quo in loco notandum est, quia ad Naas egredi sub conditione promittunt; sed vrbis mœnibus sub conditione muniuntur: quia abstinentes in eo etiam, quod secundùm carnem infirmi sunt, roborari per diuinam misericordiam confidunt: & quia gulæ vitium decipiendo, supplantare gestiunt, dicunt: concede nobis septem dies: quasi enim à gula tempus conceditur, quando eo respectu comprimitur, vt eius desiderijs quandoq; seruiatur.* Certè inediam sibi perpetuam indicere, contra vires humanas esse videtur; at verò licet homo imbecillis sit, potest ad exiguũ tempus ieiunium sustinere. Dum ergo iusti valida appetitus fame impugnantur, continua non minantur ieiunia; Sed citissimè lauta futura sibi promittunt fercula, quo hac honesta fallacia quasi delinitum edendi desiderium ad tempus permittat ieiuniũ protelasse. O summa laude dignam fallaciam, o honestissimam fraudem, sopire promissione appetitum, & ieiunium exercere.

1. Reg: 11

S. Greg:

Exoni 8. v. 9.

Nonne etiam peruersi, & maligni homines hac arte plerumq; vtuntur? Anguntur sæpe sæpiùs conscientiæ stimulis, & cœlitus immissis flagellis, atq; inter appetitus insânias, & rationis molestias, inducias petũt ad tempus, non quo postea rationi pareant, sed quo liberiùs tunc appetitui indulgeant. Sic quondam obduratus Pharao importunis ranarum clamoribus verberatus, obnixè postulabat Moysis contra molestissimũ laborem auxilium; hic quia Dei ad instar non incutiebat verbera, vt affligeret personam; sed vt depelleret culpam illico petitioni Pharaonis libenter annuit, respondens: *Constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te.* Pharao inter verberum ictus, & cupiditatis affectus, nec ferre poterat, nec restituere volebat. Quid ergo? In crastinum se restituturum promisit, & possidere distulit, quo de ipsa spei fallacia, fraudis astutia protelare-

telaretur. *Quia respondit: cras.* id est, A quod superius præmiserat: *Dimittã populum, vt sacrificet Domino.* Confugit ergo ad crastinum, vt differret in sempiternum: de spe blandiri voluit conscientiæ, de versutia malitiæ. Accommodè satis ad rem præsentem

S Greg: D. Gregorius supra citatus: de impijs loquens: *Possunt quidem* ait *bona proponere: sed quia exequi, quod proponunt, nequeunt, & à præsenti concupiscentia superantur, & bonum, quod in præsenti deserunt in vicino tempore se recuperare posse confidunt. Sæpe quidem* B *ieiunare disponunt; sed cum consueta gula vincuntur: eo die manducandum iudicant, in futuros ieiunandum: cras enim quod semper promittitur, nunquam repetitur.* Sic sanè obstinatus peccator, hodiernum peccandi appetitum explet, quasi ad virtutum castra mane sit transiturus, & cùm nox illa nũquam resipiscentiæ illustretur aurora, proiectiori semper debacchatur audacia.

Prudenter ergo fecerunt populi Iabes Galaad, petentes inducias septem dierum. Quid verò Naas Rex superbus? insolenter respondit: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Miratur Petrus Damianus lib: 6. epist: 5. cur

Damianus. iste Rex non duos, sed vnum oculum, eumq; non sinistrum, sed dextrum voluerit eruere? & respondet: *Notandum* inquit, *quòd noluit Naas duos oculos eruere, sed vnum quia sufficiebat illi, vt totum Israël in opprobrium poneret.* Naas Catholici mei, interpretatur serpens, quod bene conuenit diabo D lo, qui in serpente primos parentes decepit. Ammonites interpretatur populus mœroris, vel comprimens, vel coangustans. Naas ergo est Ammonitarum pater, antiquus serpens, Sathanas, Princeps malignorum qui sunt, in mœrore tristitiæ, qui secundum Apostolum mortem operantur. Hi enim comprimunt, & coangustãt viam sanctorum: nam quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, id tribulatio iustis est. Impius viuit impiè, id est, ad vtilitatem pij: quia contubernia malorum frixoria sunt iustorum. Naas igitur, id est dæmon, pugnat quotidie contra Iabes Galaad, scilicet contra homines Deum timentes, vt eruat oculos eorum dextros, sciens quòd oculo dextro eruto, vnusquisq; ad bellũ minus vtilis existat. Oculus dexter est visus discretionis, quem diabolus nititur eruere, & sinistrum, id est amoris mundani respectum relinquere, haud ignorans, quòd qui æterna non desiderat, terrenam prosperitatem amat. Si per terrena tenetur quis, facilè in bello cadit: qui animam suam ab obsidione & infestatione diaboli voluerit liberari, necesse est vt in eum insiliat spiritus Domini, id est contritio cordis. Tunc primũ homo peccatis suis præteritis irascitur, & oculos, quibus illicita concupiuerat, lachrymis conterit. Vtrãq; aurem, ne de cætero audiant detractionem, aut adulationem, timoris diuini spinis sepit, idemq; facit cæteris sensibus, vt quot in se habuit oblectamenta, tot de se inueniat holocausta. Non vult ergo insidiator diabolus vtrumq; oculum homini eruere, sed vno contentus est, nimirum vt prudentiam, pudorem, humilitatem nobis excutiat: in vno enim oculo Saulem Israëlitarum Regem cepit, dum eum, ad non parendum diuinis mandatis induxit. In vno adulterij oculo Dauidem prostrauit, in vno iactantiæ oculo, & hodiernum Pharisæum debellauit.

Vetustissimus Lucianus in Dia- Lucianus logo Veneris & Cupidinis, introducit Venerem matrem cum filio Cupidine hunc in modum disceptantem. *Quid tandem causæ est: Cupido cur cæteros omnes Deos expugnaris, Iouem, Neptunum, Appollinem, Iunonem, me denique tuam matrem; ab vna verò Minerua abstineas tua? fax nihil ignis aduersus ipsam habeat, vacua iaculis sit pharetra, tu arcu careas, nec iaculari queas.* Respondet Cupido: metuo ipsam, mater: est enim formidabilis, aspectu truculento, ac summoperè virilis. Proinde si quando illam tenso arcu petam, galeæ cristã

cristam quatiens, expauefacit me- A dicens: ego non peiero, nec ebrietatum intremisco, & è manibus meis effluunt tela. Instat Venus: nonne erat hac formidabilior Mars, nihilominus exarmatum ipsum superasti? Respondet Cupido. Imò ille vltro me admittit, & inuitat; verùm Minerua toruè semper aspicit: quin aliquando temerè ad illam aduolaui, facem propiùs admouens: at illa, si ad me accesseris, inquit, te, per meum Patrem, lancea transfixum, vel pede arreptum, & in tartara præcipitem datum, vel discerptum perdam. B Plurima item id genus minabatur. Ad hæc acribus oculis obtuetur, & in pectore faciem gestat horrendam, viperis comantem, quam magnopere formido: territat enim me, fugioq; quoties eam conspicio. Instat vlterius Venus; Esto sane, Mineruã metuis, vt ais, illamq; Gorgonem, idq; Iouis ipsius fulmen non reformidaris. Musæ verò cur tibi sunt inuulnerabiles, & à tuis iaculis tutæ agunt? num & hæ cristas quatiunt, & Gorgonas prætendunt Respondet Cupi- C do. Ipsas reuereor, mater: sunt enim vultu reuerendo, semperq; aliquid meditantur, & cantionibus intentum animum habent: quin etiam non raro illis assisto, carminis suauitate delinitus. Pergit adhuc Venus. Esto sanè, has relinque, quoniam sunt reuerendæ: at Dianam cur non vulneras? Vt breuiter dicam ait Cupido, hanc per montes assiduo fugientem assequi non possum deinde proprio quodam amore tenetur. Catholici mei non absimilis dialogus formari potest inter diabolum, & hominem. Certat homo cum diabolo

Quid autem diabolus, annuit facilè, sciens non in hoc solo iustificari hominem: est quidpiam aliud, cuius cupidine teneris. Dicit deuotus, ego frequenter peccata mea cõfiteor, missas aliquot in diem audio, sacram communionem sæpius sumo. Diabolus autem quid? non in hoc iustificatus es, quia amore proprio teneris; & ideo facilè alios contemnis, ac despicis. Vnum autem etiam peccatum plurimum nocet, & interdum hominem omnia bona perdere facit.

Audistis iam Catholici mei, quãtum nocumentum vnum peccatum homini afferat, & quanto sit impedimento ad obtinendam Dei gratiam. Igitur non confidite in virtutibus, si quas habetis, sed ita viuite, vt nullũ peccatum regnet in cordibus vestris. Sumite exemplum ex hodierno Pharisæo: dignus erat laude ob ieiunia strictè adimpleta; sed illi opponitur, quia contempsit publicanum. Dignus commendatione, propter decimas fideliter exolutas; sed illi opponitur. quia se vltra alios extulit: *Nõ sum sicut cæteri*, propter quod excidit à gratia Dei. Nam vt rectè monet Damianus: *Nihil prodest, quòd anima* Damia- *multas virtutes habuerit, & vnam reli-* nus. *querit, quo à diabolo capi potest.* Sequimini ergo non Pharisæum superbum, sed humilem publicanum, Dei misericordiam sincero corde implorando: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen.

DOMINICA XI.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. *Marci. 7.*

Quilibet homo surdus, & mutus nascitur, nec aliter potest sanari nisi digito, & sputo Christi,

MAgnum in hodierno Euangelio factum à Christo miraculum, non leuem doctis subtilisandi materiam administrauit. Et quis enim diligentiùs factum hoc perpendens non obstupesceret? causam inquirens, cur iste mutus, & surdûs, nõ in ciuitate, aut pago aliquo; non in diuersorio aliquo; cõmoranti Christo adducitur sanandus; sed ad mare Galilææ deambulanti; siquidem medici nulli ægroto ad aquas mederi solent, sed quietum ac ab omni humiditate noxia segregatũ ad id locum inquirunt. Num fortè ideò? vt cùm mare nihil immundũ patiatur, sed illud statim vt mersum fuerit, ad littora eijcit, vt inquam per maris aquas, illam turpitudinem elueret, quæ auditum in auribus, & sermonem in lingua impediebat. Sed minimè: leue etenim hoc miraculũ esset, quod æquè humana industriâ; atq; diuinâ Christi prudentiâ adhiberi potuerit. Verùm ego causam istius facti non aliam reperio, nisi vt Christus suis miraculis, non tantùm illos qui in terra: sed & eos qui vasto æquore habitabant, ad fidem suam alliceret; Fauet huic sententiæ Gregorius Magnus Homil: 29. in Euangelia: *vt ad fidem* inquit *cresceret multitudo credentium, miraculis erat nutrienda.* Quod confirmat idem Doctor supra illud Iob? *Si voluerit fulgurare lumine suo de super, cardines quoque maris aperiet?* ita discurrens: Omnipotens Deus cardines mari aperuit, quia emicantibus ad fidem miraculis, etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim penè cunctarum iam gentium, corda penetrauit. Ecce in vna fide orientis limitem occidentisq; coniunxit. Ecce lingua Britaniæ, quæ nihil aliud nouerat; quàm barbarum fundere, iam dudum cæpit Hebræorum alleluia resonare. Ecce quondam tumidus iam substratus sanctorum pedibus seruit oceanus, eiusq̃ue barbaros motus, quos terreni Principes edomare ferro nequiuerunt, hos pro diuina formidine, sacerdotum ora simplicibus verbis ligant & qui cateruas pugnantium vires, infidelis nequaquam metuerat, nunc fidelis, humiliũ linguas timet, quia clarescentibus miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur. *Miracula Christi* inquit Chrysostomus Homilia 61. in Ioannem. *Orbem terrarum allexerunt, hodiernum verò miraculum, etiam per immensa Maria habitantes incolas conuertit.* Hoc ipsum de isto Christi miraculo hodiernum Euangelium; testatur, cùm dicit. *Misit digitos suos in auriculas eius & expuens tetigit linguam eius.* Vt quid enim istæ in sanando homine operationes; non aliam certè ob causam; nisi ad pro-

Mare immũda eijcit

S. Greg:

S. Chrysosth:

Marci: 8

propagandam fidem: quæ nonnisi per aures & linguam disseminari & percipi potest ad Romanos 10. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Hinc & Philosophi inter sensus, primatum linguæ & auribus tribuũt, linguæ ideò: quia est summè delicata, & difficillimè formatur, ideoq̃ue (vt docent Naturalistæ) in Embrione vltima animatur, & prima moriẽte homine, moritur. teste Plinio lib: 11. Capite 37. *Os ait primum mori tradunt, cor nouissimè.* Quod autem primò moritur, vltimo animatur, teste Aristotele lib: 2. de generatione animalium Capite 4. *Euenit namq̃; omnibus*, inquit, *vt quod vltimum fit, hoc primum deficiat: & quod primum, id vltimum.* Auribus verò ideò primatũ concedunt, quia qui auditu carent, non facilè scientias & artes assequi possunt. Proinde & ipsamet Incarnata sapientia, vt totum orbem ad diuinæ fidei salutarem scientiam pertraheret, hominem in auribus & linguâ primò sanare voluit. Ex hoc igitur miraculo, ego deducam, quemlibet mortalium, mutum & surdum nasci, nec aliter sanari posse, nisi digiti Dei in auriculas eius mittantur, & sputo Christi lingua tangatur. Quod vt præstem, tu ipse immense rerum conditor linguã meam ad loquendũ verbũ tuum solue, & aures audientiũ aperi.

Rom:10

Plinius.

Aristot:

Doctores sancti per hodiernum surdum & mutum, moraliter intelligunt peccatorem: sicut enim (quemadmodùm docent Naturalistæ) auditum tunc homo amittit, quando sonus cum àere aurem aburatam intrare nequit, vt mouens maleolum & incudem seu tympanulum demittens, auditionem efficiat. Sic planè peccatum sua crassa turpitudine aures animæ obturat, quominus sonus diuinæ vocationis, illuc valeat intrare; linguamq̃; grauissima Dei offensa, velut funiculo forti alligat, ne per salutarem confessionem & pœnitentiam Deo loquatur, in eius amicitiam redeundo. Et quia impossibilis est creatura, conditione sua intrinsecâ, impeccatiua: vt docet S. Thomas in tertium distinctione 23. Quæst: 1. Articulo 1. & quæstione de veritate 24. articulo 7. Quod ex scriptura deducunt sancti patres, 1. ad Timot: 6. dicitur de Deo. *Qui solus habet immortalitatem*: hoc est; nõ solùm naturæ, sed etiam oppusitam morti peccati, vt exponunt Ambrosius lib: 2. de fide Cap: 3. Hieronymus, Epist: 146. Augustinus lib: 3. contra Maximianum Cap: 3. Gregorius in illud Iob. *Ecce qui seruiunt Deo non sunt stabiles.* Rationem huius impossibilitatis, allegant hanc. Quia peccabilitas procedit ex duobus fundamentis. Ex nhilo, & ex finitudine naturæ: quæ duo principia, quia in omni creatura reperiuntur. Nam omnis creatura, est finita & limitata; omnis ex nihilo facta: proinde defectibiliter ab intrinseco operatiua; & per hoc peccato obnoxia. Surdi fuerunt primi Parentes nostri, dùm decima tertia die ab orbe condito, octi duo verò post suam creationem, eadem die, quâ conditi ambo erant, scilicet feria sexta, contra diuinum mãdatum deliquerunt. (vt opinantur Authores graues apud Salian. tomo 1. Annalium) muti erant, dùm suggestione serpentis à Deo tentati, Dei mandatum audire nollent: dùm clamante conscientiâ Dei vicariâ, hoc quod illis Deus præscripserat, seruare negligerent; nec dum satis illis suit, in peccato & transgressione illa mandatorum Dei, aduersùs lumẽ rationis hominem semper ab omni obliquitate ad rectitudinem reuocãs, aduersùs innocentiam omni iniquitati reclamantem, aduersùs Deum ipsum esum vetiti pomi prohibẽtem obsurdescere; sed etiam ad ipsum Dei verbum (quod est summæ infelicitatis & miseriæ) obmutuerunt. Genesis 3. v. 8. *Cùm audissent vocem Domini Dei in Paradiso deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi.* Sylvester Petra sancta, considerans verba hæc, miratur: quid causæ sit, quòd cum Adam antea liberè cum Deo loqueretur, post peccatum,

A

S. Thomas.

1. Timot: 6.

S. Ambrosius.

S. Hieronymus.

S. Aug:

S. Greg:

B

Primus homo 13 die ab orbe cõdito, octauo à sua creatione peccauit.

C

Salian:

Primi parẽtes quomodo erant surdi & muti.

D

Quomodo homo auditum amittit.

Gen: 3:

Creatura impeccatiua impossibilis.

Sylvester Petra S.

tum verò illum in paradiſo deambulantem timuit, & fugit. Reſpondet: *Mors* inquit *mutum illum reddidit, vt non poſſet quicquam Deo loqui*. Cum enim inquit Adam & Eua inter amænitates paradiſi; ſumma voluptate fruerentur, aſtutus ſerpens ſcenam illis apparauit, duas in theatrum adducens Nymphas, vitam & mortem: Vitam quidem omni venuſtate adornauerat, ſed ſimplicitatis & tarditatis arguebat (fortè ideo, quòd per totam æternitatem duratura eſſet in ſtatu innocentiæ. proinde tarde nimiùm B ſuum factura motum) mortem verò veſte lacerâ, & vili indutam habitu adduxerat, quam ex omni aſtutia, agilitate, & celeritate in operando, mirificè laudabat. Vnde ſicut homines voluptatibus affluentes, magis hiſtrionibus propter aſtutiam & habitum, facilè apud homines ludibriũ excitantem vtuntur, ita quoque Adam delicijs plenus repudiauit vitã, multæ formæ & pulchritudinis, quæ ad perfectionem magis; quàm ad recreationem valebat: mortem autè C tanquàm hiſtrionem amplexus eſt. Sed hæc dùm inter illam ſcenam pomum de arbore ſcientiæ boni & mali carpens, Adamo porrigeret, ſtatim & paradiſum eripuit; idcircò in ſumma fortuna, miſeram paupertatem agnoſcentem, mutum reddidit, vt nec Dei verbo reſpondere poſſet. Quid igitur fecit Deus, vt ſe clementem & miſericordem medicum erga ægrotantem hominem oſtenderet, mortem illi adiudicaturus, in qua ſibi libere complacuerat, non cum fulminibus & procellis venit in paradiſum; D *Quomodò* inquit *ambulare & venire poteſt, qui vbiq; præſens eſt, & omnia implet; ambulat inquit, dùm per peccatum recedimus ab illo, non vt ipſe quoq; à nobis recedat; quin imò, vt ſollicitè circa noſtram ſalutem ambulando, nos ipſos quærat & inueniat.* Quod confirmat S. Hieronymus, illud Pſal: 81. exponens. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum. Pro varietate* inquit *hominum, etiam ipſius Dei diuerſus inducitur ſtatus. Cùm enim ſancti ſumus, Deus nobiſcum ſtat, quemadmodùm Moyſi ſuper petram ſtanti ſtabat.* Exodi Cap: 17. *Ecce ego ſtabo ibi coram te ſuper petram Horeb.* Stat Deus ſemper iuſtis oſtendens ſuam firmitatem, quod ab illis dimoueri nolit; ſed per ſuam gratiam in illis perpetuò habitare cupiat. Sed quando incidimus in peccatum; quia tũc per inordinatum mouemur motum, & ipſe quoq; Deus mouetur de ſua quiete; toties circa nos iterum ac iterum ſaluandos ambulans. S. verò Greg: lib: 28. Moralium cap: 2 hanc Dei ambulationem ita exponit. *Ambulat* inquit *Deus, vt ſe à corde peccatoris, propter culpam eius motum facere, & recedere demonſtret.* Ambulat nihilominùs ad auram, id eſt; miſericordem, ſe oſtẽdens: quid enim aura aliud eſt, niſi Dei miſericordia? temperans grato quodam refrigerio ſeueram eius iuſtitiam, tanquam meridiem: vt citra delicti grauitatem ſemper hominem puniat. Hæc aura, ſcilicet Dei miſericordia, retardat diuinum greſſum, ne ad puniẽda peccata noſtra properet, cùm ei proprium ſit, miſereri ſemper & parcere, ſed vt frigeſcente potiùs irâ ad auram veniat ad nos, quando iam ab ortu ſolis iuſtitiæ declinamus ad occaſum iniquitatis. Hinc Auguſtinus lib: 11. de Geneſi ad literam Cap: 33. exclamat Dei miſericordiam, quòd non alias in paradiſum ambulauerit, ſed ad auram poſtmeridionalem. *Eâ quippè* inquit *horâ, tales iam conſueuerat viſitare, qui defecerant à luce veritatis.* & libro 11. in Geneſi inferiùs inquit: *illuminator cordium. Venit ad auram in paradiſum, vt cùm eis iam ſol occideret, auferreturque ab eis lux veritatis interior, tenebras illorum ſua inacceſſa luce illuminaret.* Progrediamur iam à ſtatu innocentiæ, ad ſtatum puræ naturæ, in quo homines magis diſtaminibus rationis à Deo inditis; quàm legibus dirigebantur. Et ecce & ibi omnes peccatores reperti ſunt, proinde ſurdi & muti in ſuis deprauatis vitijs; inquit enim ſcriptura Geneſis Cap: 6. v. 11. *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.*

Adam mortem præ vita adũauit.

Idem qui ſup:

Pſal: 81. S. Hier:

S. Aug:

Gen: 6.

Quod

S. Chryſoſth: Quod conſiderans S. Chryſoſth: homilia 24. in Caput 6. Gen: *Nomine* inquit *terræ hominum multitudinem vocat, eò quod omnia eorum opera terreſtria erant, & id circo terræ nomine & eorum vilitatem ſignificat.* Quod confirmat ſcriptura Geneſis 6. v. 12. *Omnis* inquit *Caro corruperat viam ſuam.* Quæ Peccatores cur dicuntur caro. Cauſa, quòd Deus peccatores carnem appellet? non alia, niſi quia in deprauatis illis hominibus, non iam mens, ſed caro loco rationis imperabat, ideoq; ob carnales corruptelas, caro vocati ſunt. Vnde S. Chryſoſt: B Homil: 24. in Caput 6. Geneſis dicit: S. Chryſoſtho: *Neque hominis appellatione eos dignatur, ſed carnem vocat, vt pote ſpoliatos communi naturæ vocabulo.* Et tamen tantis ſceleribus immerſum, deiq; penitùs oblitum populum illum, non ſtatim Deus puniuit, ſed iuſtum pœnitentiæ ſpatium concedens, ad auram, id eſt; tardo greſſu in eorum peccata animaduerſurus ambulauit. Audiens enim Abraham iuſtus ab Angelis, quos hoſpitio exceperat, miſerabile Sodomorum & Gommorhæorum excidiũ, furorem Domini ſuis orationibus detinuit: dicit enim ſcriptura Geneſis Gen: 18: 18. Abraham ſtabat coram Domino & ait. *Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, parceres ne loco illi?* & ecce miſericors Deus reſpondit illi. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio Ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Adhuc iuſtus Abraham iratum Deum, ſuis precibus detinet, inquiens: *Si minus quinquaginta iuſtis quinq; fuerint, delebis ſine vniuerſam vrbem.* Re- Deus propter decem iuſtos voluit Sodomis parcere. D ſpondit Deus: Non delebo ſi inuenero ibi quadraginta quinque iuſtos. Audet adhuc plus gratus Deo amicus Abraham, proponit Deo quadraginta, rursùs triginta, inſuper viginti, demùm ad denarium vſque numerũ progreſſum faciens, *obſecro* inquit *ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti ibi fuerint decem:* & ecce magnam Dei miſericordiam. Nõ delebo inquit propter decem, cumq; nullus reperiretur iuſtus in illa ciuitate præter iuſtum Loth, Angeli quos Deus miſerat ad ſubuertendam illam A Ciuitatem, compulerunt eum, vt exiret, de Sodomis cum vxore & duabus ſuis filiabus. Ecce videte clementiã Dei, quantum apud illum iuſtitia valeat, noluit iuſtum cum nocentibus perdere, ſed illum per Angelos à peccatoribus apprehendens, ſegregari voluit. admiremini hic ineffabilem Dei miſericordiam, non tantum iuſtum Loth ſeruauit, ſed etiam vicinæ Ciuitati Segor propter eius iuſtitiam pepercit. Geneſis 19. *Suſcepi preces* Gen: 18. *tuas, vt non ſubuertam vrbem, pro qua locutus es. Feſtina & ſaluare ibi: non enim poſſum quicquam facere, donec ingrediaris illuc.*

Deſcendamus tãdem ad præſentem Euangelij ſtatum: an non grauiſſimis peccatis totus orbis inquinatus eſt? Abunde hoc ipſum oſtendit Chriſtus in hodierno Euangelio, dùm videns ſurdum illum & mutum, ſuſpiciens in cælum ingemuit. quaſi & ipſa aſtra in teſtimonium iam inuocans ſuper iniquitatibus noſtris, quas toties impudenter in conſpectu ſolis C & cæli in Deum cõmittimus. O miſerum peccatoris ſtatum, ſummeq; abominabilem iniquitatis turpitudinem. adeò vt ipſum & aſtra deſpiciant, & Deus ipſe quaſi dolore cordis tactus, videns fædam in nobis deprauationem, ſuper illam ingemiſcat. S. Greg: Homil: 10. in Ezechielem, S. Greg: verba hæc conſiderans: *ſuſpiciẽs Chriſtus in cælum ingemuit* inquit, *non quòd ipſe neceſſarium gemitum haberet, qui dabat, quod turba poſtulabat, ſed nos gemere ad eum, qui cælo præſidet, docuit,* quòd aures noſtræ per donum Spiritus S. aperiri, & lingua per Saliuam oris, id eſt; per ſcientiam diuinæ locutionis ſolui debeat ad verba prædicationis. Iactant homines crebrò illud prouerbium: *In fine motus velocior.* Certè ſeneſcente iam mundo, & ad occaſum declinante, verificatur in omnibus iſte motus velocior. Sed ad quid? ad ſcelera & peccata. Nunc ſuperbia origo omnium peccatorum è cælis ſimul cum Angelo peccante lapſa, mortalium corda poſſedit: non tantùm proximorum, ſed Dei ipſius contem-

temptum ſuadens. Nunc auaritia mentes hominum inuaſit, vt quiſq; proprijs non contentus bonis, aliena rapiat. Nunc luxuria ad faſtuoſum apparatum, ad vanam gloriam, ad victum menſuram honeſtatis & Dei timoris excedentem, omnes prouocat. Nunc libido ad nefarios auſus, ad peccaminoſa facinora, ad ſacrilega ſcelera impellit vnumquemque cædes innocentum, defloratione virginum, ſtupra & inceſtus perpetrans. Cur hæc mala pró Deum immortalem in Deum ſeuerum aliquã-B do vltorem, & in ipſum ſolem ac cælum patramus? Cauſa eſt Auditores: in iniquitatibus obſurduimus iam, & muti facti ſumus. Concedit Deus iuſtum pœnitentiæ locum, adhibet priùs benigna remedia, vt nos impia & longa conſuetudine obduratos cõuertat à via iniquitatis: percutit leuiter flagellis, hoſte extraneo, tanquàm inſtrumento ſuæ iuſtitiæ adminiſtrandæ vſus: minuit fructus terræ; ad hæc tamen omnia obſurdeſcimus, & velut muti nihil Deo reſpon-C demus, non cognoſcentes immenſã Dei bonitatem, quòd nos adeò impiè viuentes tam diu tolerat. Socratem omnis miratur poſteritas, quòd famulo ſe offendenti dixerit. *Ego te percuterem, niſi iraſcerer.* Quod Seneca lib: 3. de ira laudans, inquit: *Maximum remedium iræ dilatio eſt, vt prius eius feruor relangueſcat, & caligo quæ præmit mentem; aut reſidat, aut minus denſa ſit.* Sed maiorem in Deo, quàm in Socrate patientiã omnes agnoſcimus peccatores. Non ruit ille præ-D ceps ad vindictam, ſed ad auram ambulat, iramq; ſuam tempori tradit, donec illa ſubſidat. Sanctus Chryſoſthomus hanc Dei erga peccatores clementiam illuſtrare volens, homil: 20. ad populum Antiochenum, celebre clementiæ exemplum allegat. Quando Conſtantinus Magnus audiens Alexandriæ Ciues, orto diſſidio, occaſione Schiſmatis Maletiani, ſuam ipſius ſtatuam imperatoriam lapidaſſe, cùm multi ſuaderent vltionẽ, aſſerentes Alexandrinos totam eius faciem ſaxis conuulneraſſe, reſpondit Imperator. Ego verò nuſquàm vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſanam faciem totam. Nos quoq; pariter, quoties peccamus, duplicem offenſam & iniuriam in Deum committimus, realem & perſonalem; realem quia lædimus eius bona, ſcilicet intellectum & voluntatem, quæ ille nobis ad recte operandum conceſſit Perſonalem, quia eius dignitatem offendimus. turpiter & inuerecundè in conſpectu eius operantes, illumq; ipſum terrenis poſt ponentes rebus, nihilominùs tamen Dominus Deus plerumq; diſſimulat, quaſi ſe à humana fragilitate læſum non agnoſcens.

Offenſa duplex in Deũ peccando committitur.

Sed bene eſt Auditores: habemus iam in hodierno Euangelio ſanatum Surdum & Mutũ, non alijs profectò remedijs, niſi excelſi dexterâ, dùm eum apprehendens ſeorſum è turba educeret, id eſt; ex peruerſa hominum conuerſatione & occaſionibus peccaminoſis. homo enim inter peccatores conuerſatus, ſanari in Anima & iuſtificari non poteſt. vt manifeſtè Chriſtus in alio loco declarauit. Dum illam Archiſynagogi filiam ſanaret. Vbi expulerat oñes tybicines ne filiæ poſthac ſuppeditarent occaſionem Dei offenſæ. Vidimus per hunc Surdum & Mutum, ſignificari omne humanum genus peccato obnoxium, quod non aliter ſanari potuit, niſi à diuina æterni filij apprehenſum dexterâ, & illi hypoſtaticè vnitum, teſte D. Paulo, qui beneficium Incarnationis diuinæ conſiderans, inquit. *Nuſquàm Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Vidimus inſuper omnes nos naſci peccatores in mundum, & poſt acceptam Dei gratiam, iterum in miſerum peccati ſtatum relabi: Igitur exemplo hodierni Muti & Surdi, properemus ad Chriſtum, vt ille quoq; noſtri miſertus, clementi ſua manu, grauem peccatorum ſurditatem à nobis auferat, digitos ſuos in auriculas noſtras mittens, id eſt; donis Spiritus S mentem noſtram abunde irrigans, quibus

Socrates Seneca.

Conſtãtini magni ſtatua ab Alexandrinis lapidata eſt.

quibus mens noſtra peccatorum maculis ligata, diuinis eius monitis potiùs referatur, obſecremus eum, vt ſputo ſuo linguam noſtram tangat. Hoc eſt; vt noſtrum intellectum, omni ſapientia cæleſti illuminet, vt omnia in poſterum vitia maturè cognoſcentes, procul ab eis fugiamus ab omnibus nobis cauentes blaſphemijs, calumnijs, detractionibus; ſed in omnibus rectè, conſcientiæ tranquillitate perſeuerantes, Deum ſemper audire, & illi ſoli puro ore loqui mereamur. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Suſpiciens Iesvs in Cœlum ingemuit. *Marci 7.*

Aſſignantur rationes propter quas Chriſtus mutum ſanaturus in cœlum ſuſpexit, & ingemuit.

ARcana medicinæ incipit hodiè redemptor noſter aperire, tum vt ſe verum Regem eſſe oſtendat, qui in Codice ſacro medici nomine venit. Propterea, quod è re eius ſit, mederi Reipublicæ ruinis, quibus ſi nequeat occurrere, & obire munus medici, ſubinde debet refugere principatum, exemplo illius, cuius meminit Iſaias cap: 3. *Apprehendet vir fratrem ſuum, domeſticum Patris ſui. Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebit in die illa dicens, non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neq; veſtimentum, nolite me conſtituere Regem.* Quia nimirum homo neſcius reparare ruinas animæ ſuæ, ineptus eſt, vt conſulat Reipublicæ collabenti. Tũ, vt ſe verum medicum eſſe oſtendat, iuxta illud Matthæi 9. *Non eſt opus bene habentibus medicus, ſed male valentibus:* Simulq; medicinam hominibus commendet, quæ nihil eſt aliud, niſi *ars ad humani corporis ſanitatem tuendã, profligandoſq; morbos comparata.* Finis, cuius gratia ſanitas procuratur, eſt vitæ functionum integritas. Vnde medicus in eo totus eſſe debet, vt morbos eliminet, & corpora ſarta tectaq; tueatur. Porro tota medicina, cuius anatome quinq; partibus aliqui perfici contendunt, in duas optimè diſſecatur partes, videlicet in ſpeculatiuam, & in practicam. Ad ſpeculatiuam pertinet inſpicere morbos, & prædicere eorum cataſtrophen, periodos, Symptomata, & paroxiſmos. Ad practicam verò ſpectat curandi modus, qui totus perficitur diæta, pharmacia, & chirurgia, id eſt; ſpeciali quadam lege viuendi, aut pharmacorum vſu congruo, ac demum adhibitâ manus operâ, quæ inungit, ſecat, incidit, vritq; ferramentis. Medicinæ ſpeculatiuæ caput eſt prognoſis, cuius eſt, præuidere veraciter adhibita matura inſpectione morbi, de qua pronuntiare debet medicus eruditus, iuxta illud præceptum Hippocratis: *Contemplari oportet febres num ingraueſcant, an verò miteſcãt, atq; ita pronuntiare.* Practicæ verò medicinæ præcipua ratio ſita eſt in diſcreta cautione pharmaca propinandi, & decernendi opportunam manum hirurgi induſtrij. Nihilominus quia Chriſtus venit de cælo cæleſtis, & ſpiritualis medicus, à ſpirituali medicina ſuam medendi artem exorſus eſt. Venit in primis Hieroſolymam, & recta perrexit in templũ, tanquàm in locum vbi erat peſſima valetudo. Illic enim nundinis vigentibus, erant crebra periuria mercantium, fraudes multiplices, & furta animo meditata. Sacrilegis hiſce cõmercijs, templum abierat in ſpeluncam hominum iniquorum. Eam ob rem malè habentes Hieroſolymitanos Chriſtus inuiſit, eorum ſanitati optimè conſulturus. Materiam morbi foras propulit, facto quippe repurgio templi, eiectis mercibus, fermentum abſtulit morbi delitentis.

Medicina ſpeculatiua & practica.

Hippocrates.

Chriſtus à medicina ſpirituali ſemper incipiebat.

tentis. Et quemadmodum medicus valida plerumq; pharmaca adhibet, vt humoris noxij contumaciam frangat: ita pariter Christus Hierosolymis flagello vsus est, vt inolitam mercatorum auaritiam còérceret. Et quoniam numismata vitiorum seminarium sunt, quando iniqué dispensantur; ideo Christus mensas numulariorum euertit, effundens illud æs, in cuius acquirendi gratiam homines toti sæpe effunduntur. Inde postea progressus est ad medicinam corporalem, hodiernum surdũ, & mutum sanans, sed modo stupẽdo, & prorsus inaudito. Quis enim vnquam medicorum, accommodans se aphorismis Galeni, & Hippocratis, eiusmodi remedia excogitauit, sicut Christus. Rogatus tantummodò, vt
Marci 7. manum imponeret; IESVS autem apprehendit eum seorsum de turba. Quid causæ? num forsan verebatur, ne quis secretum medendi modum videret? vbi digitos misit in aures eius, & suspiciens in cœlum ingemuit.
Incertus Auctor. Incertus Author obstupescens hanc medendi artem, dicit: *Poterat Christus solo verbo sanare mutum, & surdum, sicut cæteros; & tamen non fecit.* Quare ergo Dominus IESVS ingemuit? an certe non omnia potestati eius subsunt? an certe non omnia voci eius obediunt? Ab sit: imò hinc S. Ioannes Christi Domini virtutem maximè extollit, quòd à Patre æterno omnem virtutem ad omnia possibilia acceperit: Sic enim loquitur cap: 13. *Sciens IESVS quia omnia dedit Pater ei in manu.* Omnia ergo IESVS
Ioan: 13 habebat in manu sua, id est in potestate, vt vel mala illata in bona conuerteret, & mortem in vitam, ac in lucem tenebras. ait D. Gregorius 6. moralium relatus à D. Thoma in Cathena: omnia enim tradidit ei Pater in manus, hoc est, in potestate & opere eius: *Sciebat enim* inquit, *quod in manu sua ipsos etiam persecutores haberet, vt ipse in se ad vsum pietatis intorqueret, quidquid eorum malitia contra se permissa sæuiret.* Cõsiderabimus itaq; quare Domin' noster IESVS Christus, volens hodiernum surdũ, & mutum sanare, aspexit in cœlũ, & ingemuit.

Si in considerationem mundi politicorum deueniret hodiernum Christi factum, nimirum Surdi & Muti hominis curatio, dubio procul concluderent, Christum Dominum more medicorum mundi processisse, qui vt politia humana optimè instructi; ita & Astrologiæ gnari esse debent. Magnum certè politicum oportet esse medendi artificem, vt quemadmodùm Christus male valẽtibus compatiebatur; ita quoq; illi ægrotis se affabiles, & quasi doloris' participes exhibeant. Sic enim vehementissimus etiam morbus facilè alleuiatur: quia vt dicit Seneca, minuitur, vbi in plura pectora diuiditur dolor. Verùm non minus Astrologiæ peritia requiritur in medico, vt sciat connexionem cœlestium influentiarum cum corpore humano. Quoniam certum est astra, & omnes cælos, ne quidem empyreo excepto, verè & Physicè agere, atq; influere in hæc sublunaria, vt docet Aristoteles lib: 1. de Generatione animaliũ, cap: 2. vbi terram quasi matrem statuit rerum; cælos verò, solem, aliaq; astra nomine genitoris & patris appellat. Imò & experientia ipsa rerũ magistra, testis est huius veritatis: nam videmus sublunaria illuminari, calefieri, siccari, humectari, varieq; disponi, & alterari, pro varia cœlorũ, & astrorum coniunctione, dispositione, atq; applicatione ad hæc inferiora corpora, variasq; fieri mutationes, generationes, corruptiones, florum, fructuum, animalium. Hinc prudẽtes medici obseruant diligenter has vicissitudines astrorum, & aspectus præsertim Lunæ in varijs morbis curandis: agricolæ in frugibus terræ mandandis, fabri lignarij in cædendis arboribus. Quin & ipsæ formicæ teste Aristotele, nono die à nouilunio nunquam è latebris ad opus suum prodeunt, è contra verò in pleniluAstrologia medico necessaria.
Formicarum prudentia.
nio tota nocte laborant. Hinc & Astronomi docent, tàm humores', quàm certas partes corporis, à certis astris

astris dependere. Mars enim inquiunt flauam bilem concitat, Saturnus atram: Sol cordi dominatur, Mars felli, Iupiter iecori, saturnus capiti, Mercurius ori, & linguæ.

Hoc probe agnouit Ecclesia Sancta, quæ licet astrologiam merè iudiciariam prohibuerit, eò quòd hæc contraria sit diuinæ scripturæ, quæ dicit: *Non sumus dij, vt possimus annuntiare futura.* Vnde bella, homicidia, furta, quæ pendent ab hominum voluntate, non possunt Astrologi affirmatiuè prædicere in suis Almanach, nisi ex Antiquorum obseruatione. Astrologiam tamen, quæ fundatur in cognitione siderum, quoad ea, quæ illis subsunt, permisit, vt expressè docet S. Thomas prima parte, 115. vbi dicit: Astrologos vt plurimum diuinare, quia homines vt plurimum sequuntur inclinationes corporũ, & virium sensitiuarum. Et profectò vnde medicus morborũ intensionẽ, ac remissionem cognoscet, nisi beneficio Astrologiæ per dies criticos, qui de grauitate, aut leuitate morbi indicium non obscurum exhibent. vt docet Galenus 2. Aphorismorum, comment: 13. & lib: 1. Epidem: Com:
Galenus. Hipp: 3. & lib: 3. de decretorijs diebus'. Hipocrates, qui propterea dicit, non esse fidendum medico Astronomiæ ignaro, quia poterit dare pharmacum ob ignorantiam dierum criticorum tempore inconuenienti, eoq; mortẽ accelerare. Cùm ergo dies critici maximè à Luna causentur, eò quòd hæc sit domina humiditatis, & humoris mobilis, proinde ab ea facilè prouenit alteratio dierum in infirmitate. Vnde prima dies infirmitatis correspondet quasi nouilunio Lunæ, septima crescenti, decima quarta plenilunio, vigesima prima decrescẽti. Prudens igitur medicus, debet aspectum Lunæ ad solem, eo die, quo infirmitas cæpit, obseruare. Nam si in malo aspectu fuerit, augebitur morbus, & magnum periculũ faciet, præsertim si cum maleficis planetis malè se habuerit; & tanto magis, si cum domino infirmitatis.

Sed missis politicis mundi, veniamus ad contemplatiuistas, quid sentiant, inter quos Albertus Magn' dicit: vultis scire, cur Christus cælũ suspiciat, considerate priùs, quid oculus interior, quid exterior designet. Scilicet oculus exterior, prout in solam rem externam fertur, ita non nisi rem externam significat, & de rebus prout apparent, iudicat; oculus autem interior, qui totum corpus hominis illuminat, sincerum affectum in Deum, designat. Chri- Alb: M.
stus ergo aspiciebat in cælum, vt oculo hominum externo, verus homo, agnosceretur; interno autem, vt verus Deus adoraretur. Caietanus in- Caietã.
ter purpuratos Romanæ Ecclesiæ Patres singulare decus dicit: *Christus secundum Dei potentiam ordinariam suspexit in cælum, vt suppleret defectum dispositionum præuiarum,* quæ in illo surdo, & muto nullæ præcesserant; sine his autem nemo ordinariè sanari solet. Lyranus censet, Christum suspexisse in cælum, vt edoceret homines omne auxilium è cœlo quærendum esse: omnia enim Dominus, ac Redemptor noster faciebat ad nostram instructionem. Hinc de illo dicit Euangelista: *Exiuit in montem orare, & erat pernoctans in oratione dei.* Lucæ 6
S. Ambrosius obstupefactus, quod Lucæ 6. S. Ambrosius
Ghristus ante Deum Patrem in genua procubuerit, in hunc locum scribens, respondet: *Orat ergo Dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret, nã etsi omnia Pater posuerit in potestate filij; Filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Noli insidiatrices aperire aures, vt putes filium quasi infirmum rogare, vt impetret, quod implere non possit.* Licet ergo Pater omnia posuerit in potestate filij; Filius tamen vt formam hominis impleret. Patrem æternum rogare voluit, vt se aduocatum nostrum apud Patrem ostenderet: si enim aduocatus est, debet pro nostris interuenire peccatis.

Illud forsan dubium mouet non paucis, ad quid Christus erat pernoctans

Christ⁹ non pro se sed pro nobis orauit.

ctans in oratione, cùm vt pote verus Deus omnia, quæcunq; volebat, facere potuerit? Equidem, ſpecies tibi datur ô Catholice, forma præſcribitur, quam debeas æmulari Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando Chriſt⁹ pro te in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cùm vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos orauit priùs, & ſolus orauit? nec vſquàm alibi, ſi non fallor, oraſſe cum Apoſtolis reperitur, vbiq; ſolus obſecrabat. Nimirum Dei conſilium humana vota non capiunt, nec quiſquam interiorũ poteſt eſſe particeps Chriſto. Vultis ſcire, quia nobis, non ſibi orauit, audite quid addat ſacer Euangeliſta: *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis* Quos ad propagandum auxlium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret. Et ſimul aduertite cœleſte

Christ⁹ Iudam per prouidentiã elegit.

conſilium: non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxiſſe prudentia, ne remiſſe diuitijs, ne potentiæ, nobilitaſq; authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret. Imò, quòd amplius mirandum, Chriſtus etiam Iudam elegit, non per imprudentiam, ſed per prouidentiam Quanta eſt veritas, quã nec aduerſarius miniſter infirmat: Quanta moralitas domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuũ, quàm affectum maluit? ſuſceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, perijſſe beneficium. Hinc infert Theophylactus, Chriſtum ideo ſuſpexiſſe in cœlum, vt edoceret, homines ſanctos, quoties aliqua miracula facturi erant, ſemper in cœlum ſuſpexiſſe, ad oſtendendum, ſe quidquid eſſet, non ſua virtute, ſed diuina ſtetiſſe. Legite miracula D. Stanilai, Patroni, & tutelaris Poloniæ, nõne Petrum Petrouinum ſuſcitaturus, vt Regis Boleſlai malitiæ ſatisfaceret, prius genibus flexis in cælum ſuſpexit, ac Deum in teſtem innocentiæ ſuæ cum Suſanna appellans Petrũ in nomine eiuſdem Dei omnipotentis compulit, vt de ſepulchro prodiret: *Exi* inquit Petre, *foràs Petre, ac ſepultæ à viuis veritati, mortuus de ſepulchro perhibe teſtimonium.* Legite geſta S. Gregorij Thaumaturgi, nonne montem, qui Eccleſiæ ædificationem impediebat, alio tranſlaturus orans in cœlum ſuſpexit? Inſuper Venerabilis Beda dicit: *Suſpexit Jeſus in cælum, vt inde ſurdis auditum, mutis loquelam, cunctis infirmitatibus medelam doceret eſſe quærendam.*

D. Stan: reſuſcitat mortuum.

Beda.

Deſideratis vlterius documentum? tranſite mecum ad caput 13. Danielis. Suſanna fœmina illa fœminarum decus, gloria puducitiæ, quæ fœminas caſtitatis ſuæ inſtruxit, & nobilitauit exemplo, ad adulterium inopinatò circumuenta eſt, ſenes adusti ardentiſſimis libidinis flammis, multiformes pudicæ venuſtati tetenderunt inſidias, diuerſis calumniarũ generibus factioſas obiecere cauſas; verùm honeſtatis alumna maluit criminis tuliſſe infamiam; quam illæſa fama, admiſiſſe criminis culpam, & temeraſſe conſcientiam Deus bone, quid non poteſt excogitare peſtilens homo flammis cupiditatis aduſtus, aut impotentium deſideriorum confuſis vorticibus agitatus? Quid non ſolet machinari diabolus vt pudicitiæ fundamenta ſubruat, & eximiæ virtutis exemplaria, vmbris malignitatis deleat. Trahitur ergo ad iudiciũ innocens Suſanna, & rei ſententiam proferunt iniuſtiſſimam: perditorũ iudicum, ac ſimul falſorum teſtium oppreſſa damnatur mendacijs; quæ tamen bonis innocentiæ erigebatur ſecretis. Stabat non tàm rea ſuſceptura ſententiam; quàm triumphatrix pudicitiæ adepta victoriam. Operta venerat plus cupidorum timẽs oculorum ſcandalum; quam falſi expauens delicti ſupplicium. Addit ſacra

cra pagina Daniel: 13. *Iniqui illi iuſſerunt, vt diſcooperiretur: erat enim, cooperta.* Iam caſtitas damnabatur, iam triumphabat ſalacitas, iam ducebatur ad ſupplicium non adulterum corpus. Sed quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus, cùm infans Daniel diuino ſpiritu afflatus, populum citat ad iudicium clamoribus: ſtupet cœtus, quòd iudicij ad iudicium iterum reuocetur, falſos teſtes pauor inuadit, diaboli commenta nudantur, triumphat veritas, & libidinem gloriosè deuincit caſtitas. Ait ſacer textus Daniel: 13. *Et ſaluatus eſt ſanguis innocentis in illa die.*

Daniel: 13.

Daniel: 13.

Sed non mirum: quia innocens Suſanna, dùm funeſto ſuorum comitatu, bonis omnibus luctuoſo, ad iniquum tribunal raperetur, muto quidem ore, ſed linguatis in cœlum oculis, lachrymarum redemptrice facũdia, Dei miſericordiam ad ſibi ferendam opem de cœlo euocauit. *Quæ flens ſuſpexit in cœlum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Et ecce in puero Daniele excitauit Deus ſpiritũ ſuum, vt falſum iudicium confunderet, teſtes proprijs eorum mendacijs conuinceret, vt ſciamus nemini deeſſe iudicium deſuper, quando illud ſincerè, & cum vera fiducia quærit. Hinc ingenioſa mouetur quæſtio, quid tàm inopinatè tempeſtiuam diuinæ miſericordiæ officioſitatem prouocauit: innocentiſne defenſio? an deuenuſtatæ pudicitiæ priuilegiũ? an Suſannæ oratio, cælos inuidiâ pulſans? an venerabilis taciturnitas, quæ in tanto diſcrimine ad excuſationes muta, promptiori miſericordiæ blandiebatur? Pulchrè hac de re. S. Ambroſius in Pſal: 37. de Suſanna ita loquitur. *Accuſabatur, & tacebat; Ducebatur ad mortem, & ſilẽtio ſe tegebat, ne nudaret pudorem. Intra ſe tamen loquebatur Deo.* Et paulo poſt ſubdit: *Quæ ſi voluiſſet loqui, forſitan non eſſet audita.* Videte, quid veriſſimæ etiam excuſationes delicti falſo impoſiti, in mundano tribunali præſtare poſſunt. Innocentiſſima verè potuit ſe coram hominibus excuſare, ſi fortè falſatam ſenum impoſturam eludere defenſionibus potuiſſet, ſed maluit humanarũ excuſationum neglectu, diuinæ miſericordiæ blandiri, quam turpiſſimam criminoſitatem oris defenſione depellere, ſciens probè neminem perire poſſe, cui Deus è cœlo ſuccurrit.

S. Ambroſius

Mouet tamen adhuc quæſtionem Tertullianus ex hoc loco, lib: de corona militis cap: 4. an poſthac Suſanna decorem innubilauerit velo, & ob ſcurauerit, decenti nubilo? Reſpondeq;, ſemper in poſterum inceſſiſſe velatam. vt doceret ſuo exemplo, etiam poſt victoriam timendum; nec ſatis eſſe triumphare ſemel: imò neceſſum prouidè in poſterum præcauere. Velata itaq; inceſſit Suſanna: quia licet pudor examinis ſeueritate de mendacijs triumphârit illæſus; non potuit tamen non poſtea aliquod velamen habere, quoniam fuerat ſemel à falſis teſtibus accuſatus. Sic idem Tertullianus reſoluit: *Hic velamen arbitrij fuit: rea venerat erubeſcẽs de infamia ſua, meritò abſcondens decorẽ, vel quia timens iam placere. Cæterùm in ſtadio mariti non putem velatam deambulaſſe, quæ placuit: fuerit nunc vellata ſemper.* Infamis illa ſuſpicio, vt pote iudicio expuncta non potuit famam adurere; prudentiſſima tamen Suſanna faciem veli integumẽto, abſcõdit: quia ſemel auſa malignitas decorem aliquomodò, & ſi falſis criminationibus, obſcurauit.

Suſanna ſemper velata incedebat.

Tertul:

Quid enim magis bonum nomen obfuſcare poteſt, quàm iniquiſſima ſuſpicio, & falſa etiam præſumptio. Fideliter Sauli inſeruierat Dauid, multuſq; eum obſequijs ſibi deuinxerat; nihilominus in magnam poſtea deuenerat ſuſpicionem, quam aulici iniquis obtrectationibus confouebãt, inuidentiæ propriæ adulantes, & amentiæ Regis ſeruientes. Innocens Dauid exulare coactus eſt; verum cùm hoſtis aliquando in eius manus incidiſſet, curatoris munus egit; & Saulem à ſatellitum furoribus liberauit: chlamydis fruſtulum in argumentum fidelitatis præciſum oſtendens,

dens, quò opinioni suæ consuleret, A sic Regem alloquens: *Cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neq; iniquitas, neq; peccauí in te.* Saul adeo claris fidelitatis argumentis conuictus, Dauidis innocentia exerta palam fassus est: *Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Prævaluit contra factiosas causas fidelitatis innocentia, & ipse aduersa- B rius sibi imputauit crimen, suspicionisq; iniustæ largissimis lachrymis culpam deleuit. Quid ergo? poterat iam Dauid secure in domum suam reuerti; & tamen remansit in desertis & in montium præruptis exulauit: *Abiit Saul in domum suam: & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Et cur adhuc Dauid montium quæsiuit profugium, qui innocentiæ ab ipso aduersario iam adeptus erat testimonium? Si Saul antiquam suspicionē C fusis lachrymis non deleuisset, si inuiolatam amicitiam à Dauide non exegisset iuramento firmatam, dicēs: *Iura mihi in Domino ne deleas semen meum post me.* non mirarer Dauidem ad præruptorum asyla cōfugisse. Verùm prudenter mihi Dauid egisse videtur: prætulerat quidem innocentiæ suæ indubium testimonium, sed quia iniquis semel suspicionibus impetitus erat, montibus velut commodis vitæ viduatus degere maluit: non poterat igitur redire ad propria: D quia illum vel detersæ suspicionis abigebat offensa. Pulchrè D. Chrysosthomus homil: de Dauid & Saul. *Ergò eum, qui animam impendit, vitam dedit, quæ poterat esse iusta suspicionis causa? venit in suspicionem, & insidijs appetitus est.* Ergo etiam comprobata clarissimè fidelitate timuit: quia indignis suspicionibus contigerat obscurari, quod ita frequens est, vt si aliquando post confictam iniq;, post elaboratam malignissimè suspicionē fama permanserit integra, nec liturâ aliquâ denigrata, non humano, sed diuino tribuendum sit arbitrio.

1. Reg: 24 v. 18.

Etiam leuissima suspicio multum nocet.

S. Chrysosth:

Progredimini vlteriùs. Dominus ac Redemptor noster, quia eximijs doribus popularem promeruerat plausum, ardentissimum Pharisæorum incurrit odium; qui tanquā reum mortis ad Pilati detulerunt subsellia, ibiq; mira opposuêre figmenta, variaq; confixêre mendacia. Dicebant proditionem animo cogitasse, regalemq; coronam ambiuisse, succlamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Causâ omni adhibita diligentia discutiebat Pilatus, solicitè examinabat, seq; nullam in Christo causam sed pura inuenisse commenta fassus est: *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia nullam in eo inuenio causam.* Ecce iudicio iam constabat captiosas fuisse inimicorum insidias; & nihilominus titulus affixus est cruci ea intentione, vt diuulgasset omnibus petulantiam, & ambitionis amentiam: *Rex Iudæorum.* Plus valuit ad denigrandam famam malignitatis suspicio; quàm ad eandem tuendam stricta iudicialis examinatio. Cæterùm, quia titulus ille fauere videbatur honori Christi, æmulis displicuit, iterumq; ad Præsidem conuolarunt, ac in exarando titulo oscitantiam criminantes accusarunt: *Noli scribere Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Nihilominus Præses, quia nimiam Pharisæorum videbat audaciam, tum quia delere titulum auctoritatis suæ suspicabatur notam, nullis precibus induci potuit, vt de titulo appenso regnum Christi deleret, respondens: *Quod scripsi scripsi.* Christi Domini itaq; honor varijs ābitionis suspicionibus in iudicio fuit impetitus: iudex protulit omnino innoxium; ea tamē est vel iniquæ suspicionis ad denigrādam famā vis, vt prodigio quodammodò dandum sit, quòd titulum crucis sugillatiua litura non obscuraueriit. Res stupenda: post suspiciones licet falsitatis aperte reas, honoris decorū non obscurasse liturae nubilum: cùm fere semper iniqua opinio aut vitæ adusserit gloriam, aut famam infuscauerit,

Ioan: 19.

Titulus Crucis Christi ad denigrandā famam affixus.

ueris. Ait D. Chrysosthomus apud A D. Thomam: *Dicebant Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia dixit: Rex sum Iudæorum: nam hac quidem enunciatio est communis sententia; si verò adijciatur; Quoniam ipse dixit, ipsius petulantiæ, & extollentiæ ostenderetur crimen esse; sed Pilatus in priori stetit mente: vnde sequitur: Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* O *ineffabilem vim diuinæ operationis.* Equidem non videbatur necessariam fuisse ineffabilem diuinæ operationis B vim, vt Pilatus, quam iudicio agnouerat, litura non obscurauerit innocentiam; ea tamen est ad inurendam notam vel iniquissimæ suspicionis efficacia, vt S. Chrysosthomus affirmet in seruando Christi titulo numinis prouidentiam resplenduisse. Reuocate vobis in memoriam, quomodò nato Domino tres illi Reges ex remotissimis nationibus, cōcitato cursu pergebant, ad Christum natum. Matthæi 2. *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis.* C *Ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Quid causæ, quòd superstitiosi gentiliter magi aduocati sunt ad fidei suffragiū? Quid enim diuinatrici magiæ, cum vera diuinitatis fide? Respondet S. Ambrosius, vt ex illis magis vera Christi fides illucesceret, lib: 2. in Lucam ita scribens: *Vides, quia non otiosè vel de chaldæis qui peritiores in numeris habentur, Abraham Deo credidit;* D *vel magi, qui licet magicis artibus conciliandæ sibi fidei diuinitatis impendunt, ortum in terris Domini crediderunt. Nō inquam otiosè, sed vt ex aduersarijs gentibus sanctæ religionis testimonium sumeretur.* O argutum adstruendæ fidei diuinæ, è peruerso suffragium! Barbarorum Magi in Chaldæa nati, in idololatria enutriti, magicis artibus superstitiosi; qui hospites in Dei vocatione, qui è testamento alieni, qui Mosaicorum miraculorū ignari, qui legum eius profani, qui Prophetiarum linguæ expertes, Iudæorum fidem superarunt. Tres Magijq; gentiles, supra totam Iudæorum gentem se fide, ac fidei Magisterio extulerunt. Ait S. Basilius Seleucien: Orat: 19. *Esto ó Israël gentilium discipulus; incredulos, vt credas, sequere.* Ecce, ex superstitiosæ idololatriæ gymnasio abstrusior veritas edocetur. Dubium tamen mouet Haymo, quoniam isti Reges volebant quærere Christum natum, cur non Bethlehē, sed Hierosolymam venēre. Statimq; respondet: quia consuetudo erat nationum, vt quoties vidissent nouum portentum, statim mitterent Hierosolymam scisciatum, quidnā portenderet. Non ergo Bethlehē, sed Ierosolymam venerunt, quia ibi vera adoratio veri Dei erat. Catholici mei, Hierusalem significat cœlū, ad hoc cœlum quisquis confugit, vera fide illuminatur, & Deum auxiliatorem præsto habet. In hoc Ierusalem, scilicet in cœlum suspexit damnata ad supplicium innocens Susanna, Deo succurrente liberata est, in hoc vnicuiq; suspiciendum est, vt Deum vbiq; protectorem habeat.

S. Chrysosth:

Matth: 2.

S. Basil:

Hinc non improbabiliter putat Theodoretus homil: de Christi natiuit: hanc stellam non fuisse veram stellam, sed Angelum, qui sub forma stellæ se ducem viæ Magis proposuerat. Verùm quid est? vt ducatum Angelus præstaret Tobiæ, apparuit illi in specie iuuenis præcincti, ad peragendum inter Tobiæ 5. *Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Cur simili modo Angelus non sese obiecit Magis sub hac præcincti iuuenis specie, vt illos duceret vsq; ad locum, vbi Iesvs erat natus? Cur hac forma relicta magis placuit formam subire stellæ tacentis, vt illos feliciter perduceret. Ne miremini: colebantur tunc maximè stellæ à Magis, ideoq; prudenter Angelus formam elegit stellæ, vt sic ex nota, & culta forma placens, illos faciliùs à cultura vana stellarum ad verum iustitiæ solem recenter ortum adorandum traheret. Ait Cæsarius Nazi-

Tobiæ 5

S. Ambrosius.

Cæsar.

Nazian: frater dialogo 2. *Meritò stellam Angelum Euangelista vocat, sed & cultum astris impensum ad Christum trahens, à multorum Deorum errore mortales reducendo, velut stellam ponit Angelum viæ adorationis ducem. Non enim alia re Magi ad adorationem excitati sunt, quam opinione sui cultus.* Sanè non aliunde, nisi ex forma stellarum, quas Magi colebant, ad veram fidem reuocati sunt; ideoq; non detrectabant sequi eam, cui quotidiè seruitium exhibebant.

Stella magis apparēs an fuerit vera.

Alij tamen volunt stellam illam fuisse veram, tunc primùm in cœlis productam. Et quid necesse erat, stellam de nouo produci, ac è cœlo apparere? An vt nati infantis genesim ostēderet? Absit, vt hoc detur Mathematicorum insaniæ: sed quia Rex cœli carnem sumpserat in terra de matre, statim quoq; voluit nobis nouam stellā impendere in cœlo. Hæc est mens Diui Augustini serm: 5. in Epiphan: agens: *Nec stella Christi mirabilia decreuit, sed ipsam Christus inter sua mirabilia ostendit. Ipse enim natus ex matre, de cælo terra nouum sydus monstrauit.* Vt ergo de terrena matre carnem accepit, qua ditaret cœlos, statim terræ nouum sydus dedit in cœlis, ne quid de nostris sumeret, quin aliud vicem reddens impenderet.

Matt: 6. Hinc Matthæi 6. dicitur. *Egressus inde Jesus abijt in terram suam.* Quis non stupueret, Iesum hominem de cœlo cœlestem, in terra patriam velle habere? O bone Iesu, quid tibi cum terra? cur non potiùs amas in hac miseriarum valle, peregrinus esse; quàm ciuis, quàm patriam habere? nimirū sumebat Deus humanatus è nostris patriam, vt nobis amissam paradisi patriam redderet. Ita resoluit Aureus Chrysologus serm: 49. *Abijt ergo Jesus in patriam suam. Non vt suam sibi, sed vt tuam tibi, quam Adam perdiderat, patriam redonaret.* Vt sciamus, quòd dum apparet Iesus de nostris aliquid tollere eum non sibi consulere, sed nobis. Si patriam nobis eripit, faciens exules in terra, & peregrinos; non id facit, vt sibi patriam nostram asserat; sed vt nobis felicissimam paradisi patriam reddat. Nouum ergo sydus Iesus in terris natus nobis in cœlo posuit, vt quoties nos res aduersæ impetunt. in cœlum suspiciamus, opem implorantes, ad Christum cum fiducia confugiam⁹, quem Magi natum in terris adorauerunt.

Sed nos plerumq; contrariam viam sequimur, adeo vt si quid nobis aduersi acciderit, non in cœlum, sed in terram suspicimus. Quod deplorat regius Vates Psal: 16. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Considerate seriò quid per terram in scriptura Sacra intelligatur? nonne nos ipsi, iuxta illud Diuinum edictum in hominem pronuntiatum: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* In hanc proinde terram sæpiùs oculos nostros declinamus. Pulchre id D. Ambrosius perstringit: *Cùm inquit, quadam tribulatione afflictamur, potiùs ad hominem; quam ad Deum currimus. Vnus puso ægrotat, ad incantatorem pergis, vadis ad medicum ipsum Deum relinquis.* Furiosam quis nactus est vxorē, qualis fuit Xantippe Socratis vxor, morositatis, & omnis improbitatis merum portentum, quæ in medio conuiuij, post multa in Socratem iactata conuitia, mensam subuertit, in publico pallium marito detraxit: Et cùm quodam tempore diu rixantem tulisset in ædibus, ac tandem fessus consedisset, ante fores, illa magis irritata quiete viri, de fenestra lotio eum perfudit. Et ecce cùm deberet in cœlum suspicere, Deumq; humanorum affectuum moderatorem inuocare, vt illa iurgia in vnanimem cōsensum, & coniugalem affectum conuertat, declinat oculos suos in terram, vana sagarum consilia quærens. Non sic Catholici mei, non sic procedendum: ideo enim Deus os homini sublime dedit, cælumq; tueri iussit, & erectos tollere ad sydera vultus, vt non terram, sed cælum suspiciamus, nec vrgente graui, aut inopinato casu, in hominib⁹ sed in solo Deo spē repōamus.

Quando Nabuchodonosor Rex Hierosolymam expugnauit, omnes ferè

Hieremiæ 39. ferè in ore gladij perierunt de semine, Israēlitarum, Ieremiæ 39. *Et occidit* Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius? & omnes nobiles occidit: oculos quoq; Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem. Solus tunc Ieremias saluus ab hoste conseruatus est: *Præceperat autem Rex Nabuchodonosor de Ieremia Nabuzardan Magistro militū, dicens: Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilq; et mali facias.* Mirū certè, quòd inter tot Principum, & popularium neces, dum magis victor fureret Nabuchodonosor, Ieremiæ solius tunc recordaretur, eius curam haberet. Cuius rei gratia? Vna virtus Prophetæ illum victoribus fecit parem, & superbissimo Nabuchodonosori gratum reddidit, nimirum quia in Deo omnem spem, & fiduciā suam ponebat. Hanc Ieremiæ virtutem extollens D. Hieronymus lib: 1. contra Iouinianum fatur: *Cùm omnes Judæi capti essent, vasa quoq; templi Babylonio Rege vastante direpta, iste solus liber ab hostibus est, & captiuitatis nescit iniurias, & à victoribus accepit stipendia, & Nabusardan, cui de sanctis sanctorum Nabuchodonosor non præceperat, præcepit de Ieremia.* Tantum valet mihi credite firma spes & fiducia in Domino Deo posita, vt etiam in summo discrimine non permittat hominem periclitari.

S. Hieronym.

In vlteriorem comprobationem istius veritatis ponite vobis ob oculos Danielem, apud Nabuchodonosorē, & Balthasarem Reges clarum, quibus victis postea in Regnum succedēs Darius Medus, non minori honore, & amore Danielem prosecutus est, teste sac: pag: Danielis 6. *Placuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo. Et super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat.* Obstupescite: Darius, qui & Balthasarem, & omnem Nabuchodonosoris prosapiam sustulit, eorumq; nomen penitus erasit, is Danielem illorum intimum in summa dignitate conseruauit de eoq; ad maiora adhuc promouendo cogitabat, cur quæso è Balthasaris, & Nabuchodonosoris domesticis, & familiaribus vnus Daniel apud Darium inuenit gratiam? cur non potiùs offendit tyrannum Balthasaris familiaris? Equidem firma in Deo fiducia hoc effecit. Ait Theodoretus: *Nihil re-* Theod: *uera potest obscurare pietatem; quæ vbicunq; sit, proprios emittit radios, siue in seruo, siue in captiuo reperiatur: quod ex his, quæ Beato Danieli visui venerunt, perspici potest. Qui cum seruus esset bello captus, & in extrema regione incoleret, interq; barbaros versaretur, regnante Nabuchodonosor splenduit, ab horribili rege adoratus est; regnante item Balthasare floruit; nec minus illustris fuit Dario tenente regnum, regumq; successiones nihil de eius honore immutarunt, illis morte extinctis. Consueuerunt Reges minimè confidere ijs, qui priorum regum intimi fuerunt, hic apud omnes eandem nactus est libertatem, æquale honoris præmium consecutus.* Perijt sanè omne semen Nabuchodonosor, interfectus est Rex Balthasar, quia ad terram declinauerant oculos suos: quia in rebus terrenis confidebant; at Daniel saluus euasit, quia omnem fiduciam suam in solo Deo collocabat. hæc est causa, quare Dominus Iesvs suspiciebat in cœlum, vt scilicet inde surdis auditum, mutis loquelam, cūctis infirmantibus medelam, & in discrimine positis opem, doceret esse quærendam.

Quare autem Christus Dominus sanaturus mutum, & surdum ingemuerit? S. Chrysosthomus rationem assignat, quia *doluit, quod genus hominū ad tantam miseriam deuenerit: mutus enim significat genus humanum.* Haymo quoq; non procul ab hac sententia recedens, dicit: *Ingemuit Christus, quia quos ad cælestia creauit, illos nimis ad terrena deiectos doluit.* O bone Iesv, mihi certè tanquàm peccatori maximo ingemiscendū esset, illis verbis: ingemisco tanquàm reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce Deus. Nobis nobis ô infinita bonitas ingemiscendum esset, sæpiùs, repetendo, ad te suspiramus gementes, & flētes.

Christe cur suspiciens in cœlum ingemuit.

S Chrysostho: Haymo.

Tu autem bone bone IESV cur ingemiscis? Ingemiscit Catholici mei Christus, dolens ad tantam miseriam humanum genus deuenisse. Iusta equidem doloris causa, iusta ingemiscendi occasio. Christus ea de causa vilissimam hominis naturam assumpsit, vt hominem saluaret; homo autem per superbiam seipsum perdit, quasi tantum Dei beneficium contemnens. Quod ponderans D. Gregorius lib: 34 Moral: cap: 18. ita loquitur: *Ad hoc Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc visibilis, imò & despectus apparuit, passionumq; tormenta tolerauit, vt superbum non esse doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam veraciter edocēdam, is qui sine æstimatione magnus est, vsq; ad passionem factus est paruus. Quia enim originem perditionis nostræ superbia præbuit diabolo, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei.* Verum quia homo paruipendens gratiā Dei, ad terram deflexit oculos suos; dæmonem potiùs superbum; quàm Christum humilem sequendo, iuxta illud Prophetæ Psal: 72 *Transierunt. in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti sunt nequitiæ:* ideo Christus ingemiscit, dolens ad tantam miseriam deuenisse genus humanum. Addit Venerabilis Beda: *Ingemuit IESVS, vt nos doceret cœlestia regna non acquiri, nisi per gemitus, & suspiria.* Non enim sufficit homini suspicere cœlum, nisi simul cor cōtritū & humiliatū Deo offerat.

S. Greg: Psal: 72. Beda.

Audistis Catholici mei, quòd Christus sanaturus mutum hominē, suspexerit in cœlum, in primis, vt hinc edoceamur, Christum & extensiue & intensiuè adorandum esse. *Secundò*, quia per hoc supplebat defectū illius, cùm non haberet dispositionē requisitam, ad recipiendam sanitatē. *Tertiò*, vt quoties affligimur tribulatione aliqua, curramus ad Deum cū fiducia: inde enim auxilium nostrū pendet. Audistis pariter Christum ingemuisse: quia dolebat ad tantā miseriam genus humanum deuenire. Equidem si Christus super vnum hominem mutum ingemuit, & ita doluit suspiciens in cœlum, quomodò nos non debemus in cœlum suspicere, reminiscendo, quia per peccatum mandata Dei transgressi sumus? Nam quoties peccamus, toties Dei imaginē ipsa eius omnipotenti manu in nobis delineatam amittimus. Quid ergo nos decet pro nostra salute facere, quando Christus pro nobis suspicit in cœlum, nisi vt nos quoq; illuc sincero corde, & pleno affectu suspiciamus, vt cum Christo conregnemus? Amen.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, relicto semi viuo. *Lucæ* 10.

In homine spoliato ac vulnerato imago peccatoris delineatur.

NOn tàm graue est, cùm agitatis vndequaque in vastissimo procellis oceano, vehementissimis onusta nauis impulsa tempestatibus, inter scyllas & Charybdes colliditur, & ipse naufragij infelicem plorans casum. Nauclerus, in profundissima mergitur voragine: quia in Loco periculis pleno leuior ruina. Non tàm molestum; quando concitato turbine fracta domus corruit, aut fulminis impetu

petu disrumpitur atq; conuiuantes delicatè mortales sicut quondam Iobi filios, opprimit insperatè: quia quod ab alto venit, & cui nulla hominis potentia resistere valet, tolerabilius esse solet; Quàm certè hominē itineri accinctum, à Latronibus capi, omnibus spoliari, lethaliter cædi, immò pro mortuo iam relinqui. Quid enim acerbius; quàm hominem ab homine, parē à pari, à rationali creatura, cui conscientia ad malum propendenti reclamat; à proximo, quē naturalis amor, ab omni retardato odio, male affici. Quod tamen in hodierno Euangelio homini cuidam accidisse legimus qui incidens in latrones, bonis omnibus denudatus, sauciatus cruore & vulneribus, semiuiuus in itinere relictus mansit. Vt quid æterna bonitas, tanta huic homini mala infligi permisit? quare non dicam hostium, sed latronum furorem eius sanguine extingui passa est? vtique Domine te fidum homini viarū comitem semper fore pollicitus es, quando ita peculiarem tuam curam & prouidentiam spopondisti, vt etiā peregrinans homo de capillo suo securus esset Lucæ 21. *Et capillus* inquit *de capite vestro non peribit*: in quibus verbis manifestè ostendit Deus, nunquam se in magnis rebus hominī defuturum, cùm ne in paruis deesse soleat. Quasi diceret; (vt exponit D. Gregorius homilia 35. in Euangelia.) Cur timetis ne pereat, quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet. Nam si illa quæ cūminimo corporis detrimento amittuntur, de quorum numero sunt crines, à Deo nihilominus conseruantur. Quo studio seruabit ea, quæ ad corporis atque animæ perfectionem pertinent? Vrgeant hinc inde pericula, & homines ad exitium reposcant; aderit tamen sine dubio diuina prouidentia, & periclitantes si opus erit, ne minima quidem sui parte violari patietur. Quis non miretur tres illos pueros Babylonis, tàm indomitos inter flammas rerum omnium domitrices, vt ne vnus quidem pilus eorum, incendio exustus pericrit? Danielis 3. Num: 50. Quod D. Chrysosthomus homil: 12. in Genesi expendens; diuinam ex facto in homines prouidentiam, mirificè commēdat. *Irrationale* inquit *elementum ne capillū eorum nocebat: sed circumibat illos: & vim suam intra se claudebat. Ignis essentia tanquam obedientiam exhibens, & Domini mandato seruiens illæsos & intactos seruabat admirabiles illos pueros, qui quasi in prato & horto, ambulātes in Camino versabantur.* Cùm ergo tàm sedulò hominem Deus custodiat quid sit causæ, quòd hunc quendam hominem a latronibus & spoliari & cædi permiserit, consideremus.

Daniel 3. S. Chrysosth: Lucæ 21

Eò dementiæ peruenit mortaliū temeritas, vt si quid calamitosum eis acciderit, instantem in rebus aduersis dolorem non ferentes, mox omnem culpam in Deum relegent, eumq; malorum authorem statuant, aut certè illud in animum suum inducunt, quasi Deus ea, quæ hominibus cum summo infortunio accidunt, non videat: decepti illo Psalmistæ loco Psalmo 12. *Vsquequo obliuiscēris me Domine in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me*: quasi ex hoc loco colligere velint, Deum non videre, quod fallax rerum fortuna Dea in homines immittit; quod vbi in animum suum induxerint, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt: si enim nullus est inspector, si nullus qui meritis vitæ cuilibet tribuat, quid prohibet pauperem conculcare. Orphanos necare, viduam & aduenam occidere, omne audax facinus tentare, impuris & abominandis affectibus, omnibus demùm belluinis cupiditatibus inquinari: vnde enim obsecro gentes traditæ sunt, in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, nonne quia putant Deum latere mala hominis facta. Cur in passiones ignominiæ ceciderunt, vt fœminæ apud eos naturalem vsum mutauerint, in eum qui est contrà naturam, mares in mares turpitudinem operantes? Nonne quoniam mutauerūt

Psal: 12.

uerunt gloriam incorruptibilis Dei A in similitudinem volucrum, & quadrupedum & serpentium. Hæc stultitia tenuit Seniores Isràél, de quibus conqueritur Deus apud Ezechielem Cap: 8. Num: 12. *Vides* Ezech: 8 inquit *fili hominis, quæ Seniores Israél faciunt, in tenebris vnusquisq; in abscondito cubilis sui: dicunt enim non videt Dominus nos, dereliquit Deus terram.* Vbi vt sibi peccandi libertatem assumerent, Deo videndi potestatem auferebant. Sed quò ruitis Seniores Isràél? quæ vos agit intemperies? B in quod ignorantiæ barathrum præcipites abitis? Itane senilis vestra maturitas, in iuuenilem temeritatē recrudescit? Deum excæcatis, ne vllo vestram cæcitatem collyrio repurgetis. Quid insani? Hanc planè à primo Adamo insaniam Parentē hæreditârunt, qui ne à Deo post peccatum videretur, in paradiso se abscondit Genesis 3. Num: 8. sed fru- Gen: 3. stra vt notat D. Gregorius lib: 22. S. Greg: Moralium Capite 13. Nam in ea oc- lib: 22. cultatione inquit, *non se Domino, sed* Moral: *Deum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ipse videatur.* Qui enim Deum sua scelera latere vult, similis est struthioni, qui Plinius. teste Plinio lib: 10. naturalis historiæ Cap: 1. collum sub fructice occultās, latere totum corpus putat, & quia neminem videt, credit se à nemine videri. ita miser peccator, dùm totus in turpissimis peccatis mergitur, Deum suos errores ignorare arbitratur, illud infaustum ingeminans. Psal. 93. Psalmo 93. Numero 7. *Non videbit* D *Dominus nec intelliget Deus Iacob.* quā miseri peccatoris ignorantiam multis nominibus detestandam Euangelicus vates lamentatur. *Væ* inquit *qui profundis estis corde vt à Deo abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos & quis nouit nos, peruersa est hæc vestra cogitatio* Isaiæ 29. num: 15. & 19. Nam que- Isaiæ. 29 madmodùm nihil magis peruersum ac proteruum fingi potest; nihil magis demens aut insanum illo, qui vellet tenebras radijs solaribus offunde- re, & clarissimum astrum tenebrarū inimicum obumbrare; ita non est maior dementia & insania, quàm illorum, qui volunt diuinos oculos latere, & diuinæ sapientiæ ignorantiā obtendere. Quoniam dicit sapiens Ecclesiastici 16. Num: 16. *Non dicas* Eccl: 6.1 *à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?* & statim rationem huius sui asserti reddit. *Omne enim cor intelligitur ab eo.* Quasi dicat, cùm nihil sit humanis oculis magis inuiū, quàm cor; diuinis tamen nihil est magis peruium, qui etiam inscrutabile hominū cor, clarissimè perscrutatur. Quidquid enim ab hominibus tàm iustis; quàm impijs geritur & cogitatur, totum illud diuinis oculis apertum est. Nam Deus tanquàm sol, ita omnem creaturam illuminat, & illustrat vt nihil in ea obscurum, nihil absconditum relinquatur.

Hinc Salomon acriter expostulat cum peccatore dicente? *Quis me* Eccl: 23. C inquit *videt, tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Eccl: 23. num: 26. cui respondet Salomō: Ibidem. *Et non cognouit*, inquit, *quoniam oculi Dei, multò plus lucidiores sunt super solē circumspicientes omnes vias hominum*, ibidem. Num: 28. Nam sol qui mūdi oculus à D. Ambrosio lib: 4. Hexaem: Cap: 1. appellatur, neque vtrū- que simul hemisphærium, neque intima terræ viscera, neque secreta cordium consilia, intuetur; quæ tamen omnia diuinus intuitus clarissimè contemplatur vt eleganter docet Philo Hebræorum, libro de victimas D Philo offerentibus: *Deus* inquit *est ipsius so-* Hebræ- *lis sol, illustrans sensibilem intelligibilis.* us. Quasi diceret: sicut sol res sublunares conspicit, & conspicuas facit, ita Deus res omnes creatas, & inter ipsas, ipsum solem, clarissimè videt, & visibiles reddit. Neque glorieris miser peccator; nocte peccaui, tenebræ erant, cùm delicijs immersus essem, clausa erat domus, cùm scelus perpetrarem; nemo affuit, qui spectaret delinquentem: quia affuit Deus,

Deus, cuius præsentiam erubescere A debebas, quique in hoc tuum occultè patratum crimen seuerè animaduertet, iuxta illud Sophoniæ 1. Num: 12. Sopho: 1 *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Et cur Domine ad lucernas potiùs; quā ad solares radios, qui lucidiores sunt, occulta peccata uis examinare. Credo propterea quia solares radij, multis sæpè locis excluduntur, nam interiores, ac profundiores ædium anguli, atque anfractus, vndique & parietibus inclusi, nullo radio solari persunduntur, sub terranei cuniculi, per- B plexæq; viarum ambages, per operta telluris viscera tendentes, nunquàm solarem pulchritudinem intuentur, nunquam solari lumine collustrantur; At verò lucerna manibus ducta ac reducta, omnes fenestras suo fulgore pulsat, omnes angulos permeat, omnes anfractus subit, omnes latebras pererrat, denique per omnia loca quantumuis abdita atque inuia circumfertur. Ad lucernam igitur potiùs quàm ad solem, pecca- C torum delicta; quâ interna, quâ externa quantumuis secretissima Deus examinabit. Soli enim Ethnici in hanc dementiam prolapsi erant, vt putarent Deum ab homine interdum abesse, ideoque alij Deum solem ponebant, vt occidente sole, noctis tempore, sine Deo essent: alij lunam, vt in die Deum non haberent teste Cyrillo Hierosolymitano Cathech: 4. Cyrillo Hiero- rillo Hierosolymitano Cathech: 4. solymi- quibus dementiores mihi videntur tanus. fuisse illi senes Babyloniæ, qui cùm neminem suæ libidini, adesse arbitrū D putarent, Dei oculos præsentis, ac cernentis omnia contemnebant. *Ecce* inquiunt *ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, absentire nobis.* Daniel: Daniel 13. Num: 20. Sed quid insanitis 33. procaces senes, ipsa impudentiores impudentiâ? Abest humanus oculus? Fateor? At diuinus quomodo eludetur, qui vestris inuigilat operibus insopitus? An hominem erubescitis coram Deo inuerecundi? Dementiores estis vel ipsis Ethnicis? illi enim Deo præsente peccare non audebant, idcirco Deum aliquando absentem sibi coaptabant, vos humanos tantùm oculos cauetis, diuinos verò, qui vestris operibus præsentes, videntesq; inuigilant, non curatis.

Admirari hic cogor Moysis astutiam, qui Ægyptium occisurus, inquit facer textus Exod: 1. Num: 12. Exodi 1. *Cùm circumspexisset huc atq; illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Equidem siue Moyses hoc facto peccauerit, siue quod est probabilius, ab omni culpa excusetur; typum tamen peccatoris gessit, sic enim procedit intemperantissimus quilibet peccator, qui quamuis inueniat paratam occasionem ad peccandum, explorat diligenter omnia, in diuersum oculos suos, incuriosus iustitiæ, sollicitus famæ, detorquet frequenter, erubescens testimonium erroris, qui non erubescat errorem. Ac si quem fortè spectatorē cognouerit, facinoris sui verecundia, sequestrat intemperantiam; Quantò magis si quis alleuet mentis oculos, & consideret plena esse Angelorum omnia, concepto potest renunciare peccato? Quoniam igitur Deus præsens vbiq; adest homini, quomodò in illum grauissima mala irruere possunt? sed certum est dupliciter mala premere hominem, aut ex permissu diuino, aut ex receſſu. Ex diuino permissu frequenter mala premunt iustos, vt illa tribulatio in augmentum gratiæ illis cedat. Sic patientissimum quondam Iobum Deo permittente, *percussit vlcere pessimo* Iob: 2. Num: 7. Ea intentione Iob: 2. vt innocentissimus & honestissimus vir, non solùm corporis plagâ, sed etiam pudoris infamia laboraret; verùm quid Diabolus in voti ignominia profecit? nihil prorsùs. Quia totum illud quod in Iobi infamiam ordiebatur dæmon, Deus in gloriam eius conuertit, dùm in illo singulare patientiæ monumentum excitauit. Et licet Deus iustos in vario discrimine positos non statim iuuet; non tamen hoc ipso dexteram ab illis subtrahit, sed vt maiorem illorum fidem exploret, differt sic olim nauigabant

discipuli; nec IESVS aderat: ingruebant tenebræ & nox atra mari incubabat, nec IESVS suæ luce præsentiæ diem faciebat. Tumescebant vndæ, crescebant venti, totum mare concitatum sæuiebat; nec tamen IESVS suæ imperio vocis, tempestatem serenabat. Quid tandem? Cùm remigassent ergo (inquit Euangelista) quasi stadia viginti quinque, aut triginta, hoc est; cùm procul à terra aueherentur, adducerenturq; in periculum extremum, mortis quàm vitæ propiores *Vident IESVM ambulantem super mare; & proximum nauifieri.* Ioan: 6. Num: 19. Quasi IESVS non nisi summo discrimini auxiliaturus aduenisset, vt & suam potentiam ostenderet, & discipulorum fidem exploraret. Vt docet D. Cyryllus, Alexandrinus lib: 3. in Ioan: Cap: 23. *Omnipotentiæ* inquit *pretium est obseruare, non statim neq; in principio periculorum; sed quando iam longe à terra remigauerant, Christum discipulis apparuisse.* Non enim incipientibus aduersis gratia Christi confestim nos saluat, sed postea quàm terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tum è medijs fluctibus eripit, timorem abijcit. & ab omni periculo liberans, ineffabili virtute in summam tranquillitatem, periculorum fluctus transponit.

In alios verò mala incurrunt, quia Deus recedit ab illis: homo enim qui Deum peccãdo derelinquit, ab ipso quoq; Deseri meretur. hanc enim impijs pænam pollicitus est Deus per Prophetam Isaiæ 1. Num: 4. *Dereliquerunt inquit Deum, blasphemauerunt Sanctum Israël.* En culpa? sed quàm simili pænâ desertores, à Deo deserantur: subdit enim statim Propheta. *Et derelinquetur filia sion, vt vx braculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur*, ibidem Num: 8. Quod considerans D. Basilius: *Iusti inquit Dei iudicij argumentum exhibet similium retributio: Dereliquit Deum? eam ob causam derelinquetur filia sion.* Hæc est causa, quare homo iste quidam incidit in latrones, quia peccator fuit, aut saltem quia affectum peccandi induerat: mala enim intentione ibat in Iericho. Nam de hac vrbe scribit IESV Naue, quod Iericho fuerit Ciuitas magna, fortissimis vndiq; circumdata muris, nec ferro peruia, nec hosti penetrabilis esse potuit, sed in ea habitabat Raab Meretrix. Ibat ergo homo iste in Iericho, ad quid? forsan ad meretricem. Sed ecce peruersæ intentioni miserabilis respondet euentus, nam dùm ad carnis delicias pergeret, caro eius cruciatui exponitur; *Incidit in Latrones* inquit sacrum Euangelium; In quos? in Angelos noctis atq; tenebrarum, qui eũ spoliauerunt vestimentis gratiæ spiritualis, & inflixerunt vulnera mortifera peccati, in quos dubio procul nõ incidisset, nisi mandati cælestis deuius se obnoxium fecisset. O quot in hac vrbe frequenter in istos latrones incidunt! quando ex Ierusalem, hoc est; ex sancta Dei Ecclesia, & conuersatione honesta, descendunt in Hiericho ad Rahab Meretricem, vt temporaneis potiantur delicijs: sed ecce latrones in vijs in vestrum ô impuri cupidines interitum expectant, vt ante gustatam voluptatem incurabili vulnere animam vestram feriant. Quem quæso à peruerso proposito, non retrahet hic terror? quis non dolebit propter modicam voluptatẽ, animam suam à Deo desertam gratiæ præsidio destitui, & in potestate efferatissimorum hostium relinqui, & ex consortio sanctorum eijci? Peccauit olim primus hominum Parens, quod liberam manum in arborem vetitam extendisset, moxq; vocatus ad tribunal, & sceleris conuictus, cõtinuarum triremibus ærumnarum adiudicatus, demùm & paradiso pulsus fuit, vt ne pede quidem terreret amænum locum, in quo insolentem noluit cohibere manum. *Emisit eum Dominus Deus, de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est, eiecitq; Adam.* Genesis 3. Num: 23. Fecit quidpiam tunc temporis Dominus, vt infert Moyses Barcesa, quod non

Ioan: 6.

Cyrillus Alexan:

Isaiæ 1.

S. Basil:

Gen: 3.

non acerbissimè percellere animum Adæ non poterat, post quàm se ad tot pænas, ac labores damnatum vidit. Eheu me dixerit tunc Prothoplastus, qui perpetuis ærumnis addictus & à summo dignitatis felicitatisq; fastigio, in extremam miseriarum abyssum præceps sum deiectus, sed illud tamen acerbissimè ferò, quòd ad Paradisi fores Deus intus remanet, solumq;ue & incomitatum me reliquit, quem vnum si viæ quantumuis laboriosæ socium haberem, calamitates omnes, quales, quantas illas, voluptatem, gloriam, beatitatem putarem; sed quòd ille me ejiciat, qui fecit, meq; ad pænam damnet, cùm ille in sua gloria perseueret, quis huic comparabilis dolor? Ergo ipsa mihi posthac voluptas, si tamen absq; illo vlla esse potest, pæna erit. Nam sine Deo siue bene tibi succedat, siue male, totum cruciat. Testis est huius rei Saul, quem dubius incerti prælij, quod cum Philistinis cõflicturus erat, euentus afflictum, & peranxium habebat, cumq; molestia tantæ sollicitudinis exonerari cuperet, atq; à Deo nec per somnium, nec per sacerdotes, aut Prophetas responsum aliquid reciperet, veneficæ mulieris operâ vsus est, quam eò adduxit, vt resuscitaret Samuelem, qui de re quam scire cupiebat, certiorem illũ faceret, Samuel ergo seu ille verus, seu imaginarius, & veri lineamenta Samuelis indutus, ad mulieris incantamenta præsens dicebat. *Quid interrogas me eùm Dominus recesserit à te* 1. Reg: 28 1. Regum 28. Num: 16. Quasi diceret: Quid belli exitum exploratum habere cupis, cui vt se Deus subtraxit, ita euenire feliciter nihil potest? siue enim victus occumbas, quid victoriæ iacturam cures, qui Deum perdidisti? seu triumpho potiaris, quid magnũ referas, à Numine destitutus. Quidquid proinde tibi sinistrum accidat, minus malum erit, quàm, quòd te maximum premit Dei derelictio. Quamdiu enim Deus omnipotenti sua dextera hominem protegit, eumq;ue hominem nihil expugnare potest: sed vbi Deus illum deserit, & musca imbellis homini insultat.

Hinc astutus dæmon postquàm in facultates Sancti Iob potestatem à bono Deo accepisset, vt semel eum tota patientiâ nudaret, miras perficiendo feliciter operi tenebras construxit. Personarum primò loco famulum submisit, qui lachrymabundus famulorum omnium, præter se occisorum miserandam necem, tum boum & asinorum per Sabeos ablatorũ tristia noua ferret. Et cùm ille verba nondùm finiuisset, ingressus alius talia ferebat. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas ædes pueros q; consumpsit.* Iob. 1. 16. Aduertite mirum præstigiatoris astum, qui vt patientissimum Iobum in desperationem omninò induceret, primò infensos illi homines mentiebatur; cùm ita nihil obtineret, etiam Deum in eiusdem pernicié coniurasse fingebat, vt postquàm hominesq; Deumq; à se recessisse crederet, animo prorsùs concideret, nullum sibi reliquum solatium superesse cernens. Nam quando hominẽ quempiam homines destituunt, non habet is quod curet, aut timeat, modò Deum habeat propitium. Verùm à quo iam est Deus alienus, nihil amplius illi sperandum restat; vt ergo spem omnem Iobi dæmon eriperet, Deum hominesq; habere illum infensos persuadere tentabat. Sciebat optimè sponsa Cælestis, quàm malè sit à Deo destitui, ideoq; dicebat Canticorum 4. versu 15. *Fons hortorum tu mihi, puteus aquarum viuentium.* Quasi diceret. Si ego quidem floridus apricus, amænus sum hortus, tu certè fons es & puteus. Quid sine aqua hortus, Aridum ac sterile sine frugibus solum. Quod ergo aqua puteo, hoc Deus animæ hominis est: sicut enim nihil tristius, quàm videre hortum, cuius omnia sunt exusta, arida, & penitùs absumpta, quem nuper floribus venustissimè ornatum admirabatur. Ita nulla est tàm luctuosa tragædia, quàm videre animam à Deo repudiatam & derelictam, quæ antea omne illius delicium erat. Diuinè

Iob: 1.

Cãtic: 4.

uinè prorsus id effatus; est Petrus Chrysologus Serm: 18. *Quod est* inquit *anima corpori, hoc est anima Christus*. Sine anima corpus non viuit; sine Christo pariter mortua anima manet. Recedente anima mox corpori fætor, corruptio, Putredo, Vermis, Cinis, & omnia visu detestanda succedunt. Discedente quoque Deo, mox in animam irruit peccatorum fætor, corruptio criminum, vitiorũ putredo, conscientiæ vermis, vanitatum Cinis, infidelitatis horror, & sic in corporis sepulchro, ante mortem iam animæ funus fit.

S. Chrysologus.

Cæterum non statim hominem Deus deserit, licet aliquando grauissime peccet, quod vel ex illa Dei promissione Hebræis facta patet, Exodi 19. Num: 5. *Si audieritis* inquit *vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Non seruauerunt tamen Hebræi interpositam conditionem quâ tota illa promissio nitebatur, immò potiùs relicto Deo, ad vitulum aureum fabricandum, & adorandum transfugerunt Exodi 32. Num: 1. Quid ergo Deus statimne suam promissionem pro tanto delicto reuocauit? ita quidem lex iustitiæ postulabat, nisi misericordiæ inclusa muro teneretur, pepercit Deus, & per Moysen seuerè admonitos iterum in gratiam recepit. Sed mirabitur forsan quispiam, quomodo Deus hominem peccantem impudentissimè, deserere potest, quoniam nequaquam se subtrahere valet, quo minus vbiq; sit præsens. Verùm licet certum sit Deum immensitate sua omnia replere, atq; vbiuis locorum præsentem esse; Crescentibus tamen peccatis', deserere solet hominem, auxilium suum illi negando, quo suffultus erigatur: sic olim deseruerat Saulem propter enormia ipsius scelera 1. Regum 15. Num: 18. *Scidit* inquit *Dominus regnum Israël à te hodie; & tradidit illud proximo, meliori te.* Cuius repudiationis rationem reddit sacer textus, eò quòd non seruaueris quæ præcepit Deus. Quasi diceret: si nõ peccasses, tuum regnum permãeret, & florentior esset populi tui status; verùm quia contempsisti legem diuinam, Deus quoq; contempsit te & abiecit; sic planè fiet cum istis, qui effusi in omne scelus abierunt, tolerat Dominus aliquanto tempore eorum impietatem, sed vbi mensuram incorrigibilis malitiæ adimpleuerint, destituet illos. Quomodò ergo miser homo prauam cogitationem ad cor tuum admittere audes, quomodo proponis in animo descendere in Hiericho, vbi lenonum plena sũt atria: quomodò scelus aliquod perpetrare audes, atq; meditaris, & non prospicis quia Deus fortasse in hoc opere despiciet te. Num fortasse illud te eludit, quia Deus est Causa vniuersalis, tu autem secundaria, & primæ nutui subordinata, causa verò vniuersalis, causis secundarijs cõcursum præbere debet. Quia licet Deus ex eo quòd sit Causa vniuersalis, generalé tibi concursum dare debet, specialem tamen qui est gratiæ efficacis, negare potest, cùm hoc sit singularis eius gratiæ donum, securus per viam lubricam ambulare vis, & latrones in itinere tibi insidiantes non vereris, ecce aduersarius tuus diabolus circuit quærens quem deuoret. Verùm non mirum quia inueterata malitia, excæcare solet mẽtem peccantis, vt in periculum vltrò ruat. Sed est adhuc & his, qui in sũma discrimina incidunt, remedium, scilicet ad diuinam misericordiam confugiendi. Permittit enim Deus interdum crescere pericula, tum vt periclitantium merita augeantur, fides erigatur, & spes in Deum excitetur, tum quoq; vt destituti à Deo quoniam priores eum deseruerunt, tandem mentem suam recolligentes, ad illum redeant. Nam extremè periclitantibus adhuc, opem ferre potest, & desperatis ac deploratis rebus medicinam conferre quemadmodum canit Pòóta Ouidius.

1 Reg: 15

Cõfugit interdum templi violator ad aras.
Nec petere offensi numinis horret opẽ.

Quod Clemens Alexandr: grauiùs adhuc exaggerat Exhortat: ad gẽtes: *Ex ignoratione* inquit *traducãur ad scientiam, ex impudentia ad prudentiam, ex iniustitia ad Iustitiam, ex impietate & nulla religione ad Deum: Pulchram enim est remedium, ad Deum confugere.* Sic fecerat Dauid, contra quem tanta hostium audacia excanduerat, vt eum coniuratis viribus intrepidè pũctim, cæsimq; inuaderent, vt testatur ipsemet Psalm: 70. Numero 11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Quasi dicerent: Quid cunctamini? quid formidatis comilitones? Ponite metum, audacter inuadite hominem; trudite, corripite, mactate, quis eum illo sit, vt subueniat laboranti? à quo Deus abijt? Quid humanæ vires illi opitulari queant, à quo se prouidentia diuina subduxit? sed quid contra hæc Dauid: *Deus in auxilium meum respice*, clamabat ibidem Num: 12. Quasi diceret. Quid enim sperem si tu me deseras? quas in me strages non facient hostes, si à te derelictum viderint. Summa ergo calamitas est animæ, quàm Deus deserit, sed felix ea quam ille tutatur.

Clemẽs Alex:

Psal 70.

Ibidem.

Proinde hominis cuiusdam exẽplum habemus, qui descendens in Hiericho incidit in Latrones, & spoliatus est, atquè vix semiuiuus relictus, in quo nobis imago cuiusuis peccatoris ponitur, vt cognoscat homo, quòd in quocunq; loco, in quacunq; occasione, vbicunq; affectum peccandi retinet, semper illum grauissimum manet periculum. Ne ergo & nos deseramur à Deo, & in æternum diserimen, vbi non est qui porrigat dexteram, prolabamur; diuinam inuocemus clementiam, vt si delictis nostris ab illo destitui meruimus, nostræ tamen fragilitatis memor, tanquàm singularis Patronus, ad protegendum nos redeat, dum illum inuocam⁹: Memor illius suæ promissionis: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. A.*

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Magister quid faciendo possidebo Vitam æternã. *Luc:* 10.

Ad vitam æternam triplex via monstratur, scilicet Fides, Spes, Charitas.

CVilibet mortalium immortalitatem affectare innatum est. Auditores, idq; ea propter, quòd homo immortali Anima constet, ideoq; licet corpore (quo tanquàm domicilio sibi ad tempus duntaxat concesso vtitur) Animo tamen per incircumscriptam æui durationem perennare cupit. Sed eheu quàm difficilis, ad terminum æternitatis introitus, & quàm lubrica ad vitam via! Multi hic suo irreparabili damno lapsi sunt. Ambulauit Angelus ad hunc terminum, sed in obliquam deflexit semitam. Ezechielis 28. *Tu Cherub extentus & protegens, in medio lapidum ignotorum ambulasti: Perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Ad eandem metam properauit homo, sed serpentem obliquo gressu circa arbores Paradisi oberrantem secutus, à via recta deflexit. Mirantur hic Doctores, cur serpens qui inter cætera animantia sapientissimus habetur, hominem à recto tramite abduxit. *Serpens erat callidior cunctis animantibus.* Gen: 3. Respondet S. Augustinus lib: 2. de Genesi ad literam Cap: 29. id accidisse propter diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum, cui consonat Chrysostomus, Homil: 16. in Cap: 3. Genesis. *Verba quidem* inquit *erãt diaboli, quem suâ inuidiâ incitabat, vt hominem falleret, animali autem hoc vt instrumento accommodo vtebatur eapropter quòd ille ex natura habeat sapientiã, seu potiùs, astutiam summam ad nocendum, ideoq; tempore diluuij, cùm iam cessarent aquæ, Noë non dimisit serpentẽ ad inquirendum, vtrum terra iam siccata erat,*

Ezech: 28.

Gen: 3.

S. Aug:

S. Chrysosth:

erat, sed columbam: ne scilicet ille sua a-
fluta sapientia, iterum decepisset eundem,
sed maluit in simplicitate columbæ veri-
tatem inquirere; Nam columba Chri-
Tertul: stum (qui veritas est) demonstrare
solet. Tertullianus libro aduersùs
Valentinianos, cap: 2. & 3. serpens
verò tentare: *Illa* inquit *est à primor-*
dio diuinæ pacis præco; ille à primordio
diuinæ imaginis prædo. quia faciliùs
simplicitas sola Deum, & cognoscere
potest & ostendere, prudentia verò
concutere potiùs & prodere. Cur
verò via hæc, quæ ducit ad vitam, a-
deo sit difficilis, vt in illa facile homi-
nes aberrent, duplex ratio assignari
potest? Quia est obscura, omnes e-
nim quamdiu viuimus in ænigmate
ambulamus, argumento rerum non
apparentium, scilicet diuinâ fide nixi,
ideoque cùm etiam sapientissimo ve-
ritas istius fidei euidenter demon-
strari non possit, cùm demonstratio
obscuritati repugnet & euidentia, sed
sola credibilitas nobis ostenditur, nõ
mirum quòd multi, maiorem in ob-
scuro itinere (quam fas est) lucem
quærentes aberrent. Prudenter pro-
inde pijssimus Dauid fecit, quòd in
hac obscuritate viæ, non ab humana
sapientia & intellectu sagaci, sed fa-
cile in errores declinante; sed à solo
Deo duci voluerit, inquiens: *Vias tu-*
as Domine demonstra mihi, & semitas
tuas edoce me. Altera ratio est, quia
in via ad vitam, non alium ducem ni-
si virtutem habere possumus, cùm
autem Dux iste sit difficilis habitu, nõ
mirum, quòd si illo caremus in via
hac facile aberremus. Difficilis in-
quam est virtus habitu, quia per sum-
mos labores acquiri solet, quod pul-
chrè expressit Simonides, scribens
virtutem habitare in rupibus aditu
difficillimis, & quæ nec possit aspici
mortalium oculis, nisi ab eo demum,
Clemẽs Alexã: ad quem sudor venerit Clemens A-
lexandrinus lib: 4. Stromat: cui allu-
sit Gregorius Nanzian: Apologo 1.
S. Greg: Nazian: *Mea quidem* inquit *sententia virtutem*
homines non nisi labore summo adipisci
Anzel: *queunt.* Et Anselmus supra Matt: 7.
Porta quæ ducit ad vitam, non solùm an-
gusta, sed etiam arcta est; per labores ta-
men & ieiunia panditur. Nihilominùs
ego diuino hodie fretus auxilio, tres
vobis ad vitam æternam monstrabo
vias. Fidem, Spem, Charitatem,
quas vt fausto pede ingrediamini,
Deo duce procedamus.

Peregrinum esse omnem homi-
nem quamdiu in mortali corpore
viuit, docuit Apostolus 2. ad Corint: 2. Co-
5. *Scientes quoniam dùm sumus in corpo-* rint: 5.
re, peregrinamur à Domino. Via autem
in qua hæc nostra peregrinatio ab-
soluitur, prima est Fides diuina, iuxta
mentem eiusdem Apostoli, secundæ
ad Corinth: 5. *Per fidem enim ambula-* Ibidem.
mus & non per speciem. Hæc via adeò
necessaria est, vt sine illa, nec homo,
nec Angelus vitam æternam assequi
possit. Nec obest, quòd S. Augusti-
nus neget Angelos peregrinari à Do-
mino, quia hoc intelligit de peregri-
natione pænali, sev potiùs exultatio-
ne, quod tantùm quibusdam, & non
omnibus competit, non autem de pe-
regrinatione meritoria. Hæc prima
via est, quam Deo feliciter renati in-
gredimur, in qua stantes primum ad
æternitatem inchoamus gradum, vt
non immeritò à Sanctis Patribus di-
catur substantia, ad Hebræos 11. *Fi-* Hebr: 11
des substantia est rerum sperandarum.
propterea, quòd res à Deo sperabi-
les illi innitantur: substantia inquã
causaliter, causans scilicet in fideli
viatore spem firmam assequendi ea
omnia, quæ Deus homini saluando
præparauit. Et licet Deus hominem
in hac via, vt pote in obscura, incertũ
esse voluit de beata illa æternitate, vt
scilicet quanto magis homo ignorat,
quali beneficio à Deo pro suis labo-
ribus præmiandus sit, tantò plus cle-
mentem & misericordem sibi in dies
reddi studeat, maiorem eius prome-
rendo gratiam, quod pulchrè D. Au- S. Aug:
gustinus in libro de Prædestinatione
docuit inquiens Cap: 8. *Vtile est o-*
mnibus vel penè omnibus, vt quales futuri
sint, scire non possint, vt quisq; dum nescit
an sit in bono perseueraturus, humiliter
& solicite Dei gratiam imploret, cum ea-
casum cauere, & in gratia perseuerare sa-
tagat.

tagat. Nihilominùs hanc illi viam
proposuit, vt eius firmitate & recti-
tudine veluti fulcro quodam in ob-
scuritate sustentetur. Hinc S. Augu-
stinus illam Apostoli descriptionem
Idem. Hebræorum 11. *Fides est substantia re-*
rum sperandarum, inquit; *est potius*
substantia sperantis. Quia fides fulciẽ-
do viatorem in incerto alioqui ex se
præmio laboris in hac vita, est quo-
dammodo substantia eius, in qua ille
firmiter stat, seu subsistit. Hæc via
currentem viatorem licet ad incertũ
præmium, in ipso tamen cursu iusti-
Hebr. 11 ficat. ad Hebræos 11. *Sine fide impos-*
sibile est placere Deo. id est saluari, er-
go per oppositum qui in fide ambu-
lat, Deo placet, & eius iustitiam asse-
Concil: Triden: quitur. Testatur id Concilium Trid:
Sess: 6. Cap: 7. vbi dicit: *Sine fide*
nulli vnquam contigisse iustificationem,
& Cap: 8. *Fides est fundamentum & ra-*
dix iustitiæ, vt enim arbor sine radice
S. Chry- sosthom: diu seruari nequit, sic inquit S. Chry-
sosthomus, *nullus sine Fide, vitam* (in-
tellige æternam) *habere potest.* Fides
S. Am- brosius. enim inquit Ambrosius dat salutem,
ideoq; qui in fide non languescit, sed
semper per bona opera currendo la-
borat, facilè quidquid vult, apud De-
um, obtinet: ideo enim inquit S.
Augustinus Epist: 5. *illa datur, vt per*
eam cætera impetrentur teste ipso Deo
Matt: 9 Matth: 9. vbi dicit: *Credenti nihil est*
impossibile. Peccatis grauaris, confide
in misericordia Dei, & remittentur
Ibidem. tibi. Matth: 9. *Confide fili remittuntur*
tibi peccata tua. Morbo premeris,
in fide remedium reperies, sicut illa
mulier quæ fluxum sanguinis duode-
cim annis patiebatur, & ecce transe-
unte Domino accessit retrò, & teti-
git fimbriam vestimenti eius: dice-
bat enim intra se. *Si tetigero tantùm*
vestimentum eius salua ero. At Iesvs
conuersus & videns eam dixit: *Con-*
fide filia fides tua te saluam fecit, & salua
facta est mulier ex illa hora. Cæcitate
in oculis aut in animo laboras, in ob-
scura fide lumen, quo sanaberis, re-
peries: Sic Matth: 9. Secuti sunt duo
cæci Iesvm, clamantes: *Miserere fili*
Dauid. Sed quia in fide minimè hæ-
sitabant, amissum lumen recuperâ-
runt, inquit enim scriptura, quòd an-
tequàm illos sanaret Christus, quæsi-
uit ex illis, vtrum in fide ambularẽt,
Creditis inquit *quia hoc possum facere*
vobis, at illi responderunt, *vtique Do-*
mine. Tunc primum inquit scriptura,
tetigit oculos eorum, dicens, *secun-*
dùm fidem vestram fiat vobis, & aperti
sunt oculi eorum. Hæc igitur prima
via est, per quam ducimur ad vitam
æternam, vita enim nostra fundatur
in beata Dei visione. Ergo que-
madmodùm per fidem in via intuiti-
uè Deum contemplamur, ita nonnisi
per eandem ad illum clarè videndum
currere debemus, tanquàm per im-
perfectum ad suum perfectum. Vn-
de dicitur Isaiæ 7. *Nisi credideritis non* Isaiæ 7.
intelligetis (intellige in Patria) obscu-
ram fateor Deus voluit esse hanc viã,
quod pulchre expressit S. Thomas
quæst: 2. art: definiens Fidem: *Est*
inquit *assensus firmus fundatus in autho-*
ritate Dei obscu ereuelantis: bono ni-
hilominùs nostro obscuram esse vo-
luit? si enim euidens nobis esset, iam
illi necessariò assentiremur, ac perin-
de nullum haberemus meritum, sed
dùm incerti ambulamus, tunc ex cõ-
sensu quodam voluntatis, seu ex libe-
ro eius imperio assentimur ijs re-
bus, quæ nobis à Deo credendæ pro-
ponuntur; & duæ potissimum ratio-
nes assignari possunt, quare fides vi-
uentium debeat esse obscura? pri-
mò, ne homo certus de suo præmio,
in hac via langueseeret, sed vt semper
indefessus laboraret. Nam nimia
securitas facilè hominem perdere so-
let; Illustrat hoc scriptura Daniel: 5.
Balthasar Rex Babyloniorum, secu-
rus nimium erat de sui regni conser-
uatione, propter munitissimam & in-
expugnabilem Vrbem Babylonem.
Etenim vrbs illa circumdata erat
mœnibus altitudine 200. cubitorum,
latitudine 50. ambitu 480. stadiorũ
vt scribit Orosius lib: 2. cap: 6. Insu- Orosius.
per eandem Vrbem circumfluebat
Euphrates, cuius latitudo duo stadia
excedebat, profunditasq; nimis ma-
gna esset teste Xenophon: lib: 7. de-
niq;ue

Xeno phon. niq́ue propugnatores illius vrbis innumeri erant. Et ecce huic securitati nimiùm confisus Balthasar, vrbem illam penitus inexpugnabilem iudicans, hostilem exercitum vrbem obsidione tenentem spernere cæpit, & cõuiuio cum suis optimatibus indulgens, Cyrum Persarum Regem suum hostem spernere cæpit, sed mox Cyrus rationem fluuium in partes secãdi, & aliò diuertendi adinuenit, murosq́ue cum exercitu conscendens, vrbem & Regem conuiuantem cæpit, sic planè si nos in hac via, de promissa nobis æterna felicitate certi essemus, facilè in hac securitate circũeunti vndequaq́ue hosti æternæ seruitutis præda fieremus. secundò obscuram voluit Deus esse hanc viam, vt scilicet perpetuum in nobis causaret sui timorem, vt dicit Tertullianus lib: 1. contra Marcionem Cap: 13. *Nonne omnes illaberentur, si nihil in illo timeretur*, & S. Gregorius Epist: 22. *In paruo ergo huius vitæ tempore, mentẽ vestram necesse est, vt tremor teneat, indignum enim est, vt hosti reuelatio fiat, de futuro eius statu: inutile; quia homo securus de peccatis suis nunquam fieri debet, nisi cùm in die vitæ suæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebit. Quæ dies quousq́; veniat semper suspecta, semper trepida; metuere culpas quotidie debes, & eas quotidianis fletibus leuare.* Sic B. Paulus ad tertium Cælum raptus, & licet in paradisum ductus erat, audieratq́ue verba, quæ non licet homini loqui, & tamen quamdiu postea vixit, semper trepidus dicebat: *Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.*

Daniel: 13.

Tertul:

S. Greg:

Rom: 8.

Secunda via quâ ad æternam vitam tendimus, est Spes: quis etenim toto vitæ suæ cursu, Deo in timore seruiens laboraret, nisi firmiter speraret promissam sibi à Deo cælestem gloriam? si enim quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, inquit Apostolus ad Roman: 8. *Hæc est vera ad æternitatem via*, quia terminum & obiectum non aliud nisi vitam æternam & regnum cælorum habet, Matth: 6. *Quærite primò Regnum Dei* (intellige in spe) *& iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis*; & ad Hebræos 6. *Habemus spem sicut Anchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem vsq́; ad interiora velaminis*; ad hanc viam arripiendam incitat nos Apostolus ibidem his verbis. *Cupimus autem vnumquemque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsq́; in finem, vt non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones.* Felix enim qui spem firmam, & inconcussam in Deo collocat, quia ejusmodi homo, dignum se efficit diuina protectione; protector enim est omnium sperantium in se; sperabat in eo pijssima Iuditha, dùm ad castra Holofernis liberatura populum Israël sese conferret, & diuina protectione fultura, inuicti bellatoris caput fœminea dextera amputatum, cũ triumpho in vrbem attulit. Sperabat Religiosissima Clara, quæetiam in vltimo discrimine, cùm Saraceni Monasterium illius iam iam muros conscendentes inuaderent, minimè de diuina ope dubitans in conspectu SS. Sacramenti ita feruenter orauit: *Domine ne tradas bestijs animas confitentes tibi*: & ecce in illa firma spe Dei protegentis vocem audiuit. *Ego vos semper custodiam*: Vbi prædones illi partim terga vertêre, partim cæcitate puniti à Deo de mœnibus prolapsi sunt, sperauit Iustus Abraham, & ecce solatium Dei audire meruit, ego protector tuus & merces tua magna nimis. Gen: 15. Promittit Deus suã protectionem sperantibus, in eum, per Psal: inquiens: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegã eum, quoniam cognouit nomen meum* Psal: 90. Insuper qui Deo firmiter confidit, tria illum immensa beneficia consequuntur. Primum, peccatorum remissio Ezech: 18. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Secundũ tàm sufficientium, quàm efficaciũ auxiliorum ad obtinẽdam salutem necessariorum concessio, inquit

Matth: 6.

Hebr: 6

Psal: 90.

Ezech: 18.

quit Propheta: *Non vidi iustum derelictum nec semen eius quærens panem.* Ad hanc fiduciam incitat Paulus 1. Lucæ. *Hoc vnum nobis curæ sit, vt seruiamus ei in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostru*, & Tobiæ 4. *Timete Deum omnes Sancti eius, quoniã non est inopia timentibus eum.* Ad quod respiciens Tobias ibidem, hac diuina spe filium suum consolatur: *Noli timere fili, Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* tertium beneficium vitæ æternæ collatio Lucæ 12. *Noli timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Sed quàm frequenter ab hac recta æternitatis semita aberramus, magis' in terrenis Principibus in quibus non est salus, quàm in Deo confidentes: & ecce Deus nobis in ista incredulitate perseuerantibus respondet, sicut ingrato quondam populo suo, *vbi sunt nunc dij tui quos opitulentur tibi*, vbi est arrogans ille fastus, vbi mundana cupiditas, vbi contemptus & proximi, & tyrannica subditorum oppressio: isti modo Auditores sunt dij nostri, in his plus confidimus quàm in Deo, & ideo despicimur à Domino, facileq́ue in alienas manus deuenimus.

Lucæ 1.

Tob: 4

Lucæ. 12

Hebr: 11

S. Aug:

Tertia via est Charitas, hanc viam ipsamet veritas quærenti legis' perito in hodierno Euangelio proposuit, dilectionem nimirùm Dei & Proximi, ostendere volens maximam perfectionem, in charitate Dei & Proximi positam esse; quòd vel ex eo patet, quia Charitas non tantùm in via; sed etiam in patria, cum suis sectatoribꝰ perẽnabit; Magna est fateor fidei diuinæ energia, quia per illam accedimus ad Deum, iuxta illud Apostoli Hebræorum 11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* Sed hæc nonnisi pro duratione status viæ cõceditur, cumq́ue percunte corporis humani mortalitate, simul moritura; 1. Corinth: 13. *Cùm venerit id quod perfectum est* (scilicet visio facie ad faciẽ Dei) *euacuabitur id quod ex parte est*, (nimirùm fides,) vnde S. Augustinus lib: 14. de Trinitate ait: Neque iam fides erit in cælo, quâ credantur, quæ non videntur, sed species (intelligo lumen gloriæ) quâ videantur, quæ credebantur. Et S. Thomas 1. 2. q. 67. art: 3. *Impossibile inquit est quòd fides maneat simul cum beatitudine in eodem subiecto.* Megna vis est diuinæ spei, quia hominem saluat. ad Rom: 8. *Spe salui facti sumus, & hæc tamen in cælo locum non habet*; quia speramus tantùm futura, quæ nondum habemus, ibi autem omnia præsentia erunt. Sola charitas & nobiscum peregrinatur, quamdiu viuimus, & simul perennat, si cælum meremur, quia summum illud & æternum bonum quantò propiùs inspicitur, tantò fortiùs amatur, ideoq́; & in beatis charitas manebit, vt pote radix omnium virtutum, in anima Sancta) Radix est virtutum, quia Charitas' in se continet quatuor Cardinales virtutes, Iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam; quod pulchrè D. Augustinus, Epist: 52. tangit: *Adhærere Deo per amorẽ est Prudentia; quia prospectissimè adhærebit bono, quod non amittatur: est fortitudo, quia firmissimè adhærebit bono, vnde non auellatur: est temperantia, quia castissimè adhærebit, vbi iam non corrumpatur: est iustitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui meritò subijciatur*; rursumq́; addit: *diligendo Deum eligere, prudentia est; nullis inde auerti molestijs fortitudo est: nullis illecebris cum deferere, temperantia est: nulla superbia ab eo excidere, iustitia est.* Exodi 15. in veteri lege præceperat Deus Moysi, vt Filij Israël primogenita sua omnis generis Deo consecrarent, reliquorum autem omnium liberum illis reliquit vsum, & dominium. Primogenitus in nobis' Auditores spiritualiter viuere incipientibus, partus, est amor Dei, quem, ex diuina ordinatione à primo statim vsu rationis, & à prima fructificatione nostra bonorum operum tenemur Deo consecrare, licet in cæteris pijs' affectibus liberi simus Domini. Nihil amplius à te ô homo Deus postulat, nisi cor tuum, illudq́ue totum &

Exodi 15

non diuisum vt scilicet totum igne Charitatis diuinæ ardeat: *Præbe mihi* inquit scriptura Prouerbiorum 14. *Cor tuum fili mi*, præbe inquit cor, id est; non diuisum sed totum, Deo enim charitas in medio tantùm hominis corde placere nequit, cuius rei typus est Leuiticorum 10. vbi quia filij Aaronis in turibulum ignem alienum posuerunt, igne combusti sunt, quisnam iste alienus ignis fuit, nisi amor mundi, qui si diuino ad misceatur amori, illum suffocat. Iacobi 4. *Adulteri nescitis, quòd amicitia huius mundi inimica sit Dei.* Diligere debes ô homo Deum toto corde, quia bonitas est infinita, voluntas autem toto affectu, in perfectum bonum propendere debet: diligere debes totâ animâ, quia sapientia incomprehensa est. Nam si homines sapientes amare satagimus. Sic Liuium vt viderẽt plurimi ex vltima Græcia peregrinati sunt. Hieronymus in Prologo galeato; Sic in certaminibus olympicis, in vnum Themisthoclem, propter eius fortitudinem, omnium oculi conuersi erant. Plutarchus in Themistoclem; quantò magis Deum tota mente amare tenemur, in quo omnis sapientia, fortitudo, & gloria consistit, ad Colossenses 2. *In eo omnis sapientiæ & scientiæ Dei thesaurus reconditus est.* diligere Deum totis viribus debemus, quia est munificus in Creaturas; adeò, vt cùm omnia abundè, sua liberalitate præmiasset. Cælum Angelis impleuit: terram animantibus, fructibus ac plantis: mare piscibus: aërem volatilibus: homini verò, vt se summè munificum ostenderet, seipsum in præmium obtulit. Psalm: 15. *Dominus Pars hæreditatis meæ, & portio mea, in terra viuentium*: seipsum obtulit, vt homo eius imago & propria inscriptio esset, qua inscriptione homo, moueri debet, vt reddat Deo quæ Dei sunt; scilicet, amorem ex toto corde, qui solùm inæstimabilia Dei beneficia soluere potest. Necdùm satis vt Deum ames, sed vt etiam proximum ames, necesse est.

Prou: 14

Iacobi 4

Plutar:

Coloss: 2

Psal: 19.

A S. Bernardus in libro de diligendo Deo; *vt perfecta fiat iustitia, in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est.* Alioquin proximum purè diligere non potest, qui Deum non diligit. Dubitationem magnam, hodiernus Iurisperitus mouit, quærens ex Christo, quisnam sit proximus noster, idq; eapropter, quòd Pharisæi per nomen proximi, interpretabantur homines gentis suæ, aut benefactores suos, non verò quoscunq; alios, Christus aurem soluens hanc dubitationem, docet quòd in dignoscendo proximo, non sit habenda ratio generis, sanguinis, aut necessitudinis; sed necessitatis tantùm & indigentiæ; ita vt omnis ille sit proximus nobis, qui nostra indiget ope, licet sit externus, alienigena, immo & inimicus: Quod illustrat assumpta parabola Samaritani, quos Iudæi tanquàm hæreticos, & verò Deo sacrilegos aspernabantur, qui tamen Samaritanus misertus erat cuiusdam Iudæi, grauissimis plagis contusi, quam misericordiam Iudæi cæteri eiusdem gentis, illi non præstiterant; Proximus igitur noster est, qui aliquo nostrûm auxilio eget 1. Ioannis 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Proximus noster est omnis homo, Augustinus in Psal: 118. id fatetur: *Omnis homo est homini proximus, nec vlla est cogitanda longinquitas generis, vbi est natura communis.* Proximus est etiam inimicus, quem

S Bernardus.

Ioan: 3.

S. Aug:

B Deus iure naturæ diligendum præcepit. Exodi 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum,* hunc qui diligit legem implet, ad Romanos 13. & ad Galatenses 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Exod: 23.

Galat 5.

Agnoscite igitur iam vestram mortales immortalitatem, & si vitã æternam possidere vultis, triplicem hanc ingredimini viam, ingredimini fidem, sed ne in cordibus vestris emoriatur, eam bonis operibus sæpius irrigate: fidelem enim viatorẽ nihil

nihil magis decet quàm recta viuendi ratio, quòd pulchrè concluſit Seneca Epist: 77. *Deo nascitur homo, ratione antecedit animantia cætera, virtute igitur & pietate præstare debet.* Apprehendite stabilem in Deum fiduciam, vt vos nunquàm in sua omnipotentia diffidentes agnoscens, misericordem & auxiliatricem vobis præbeat dexteram. Augete in cordibus vestris amorem Dei super omnia, illud cum Psalmista inclamantes. Credendo in te diligam te Domine fortitudo mea, & sperabo in te protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Amen.

Seneca.

B

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA.

Imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum. *Luc.* 10.

Adducuntur rationes, cur homo à latronibus spoliatus & vulneribus affectus ad stabulum ductus sit.

C

PArabolam ethicæ eruditionis plenam Christus Dominus legis doctori curiosè imperito in hodierno Euangelio proposuit, de homine quodam descendente ab Ierusalem in Hiericho, incidẽte in latrones, qui eũ despoliauerunt, & semiuiuo relicto abierunt. Hunc primùm sacerdos, mox leuita præterière, nec vllam opem eidem sauciato tulerunt. Samaritanus autem quidam iter faciens, misericordiâ super eum motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, & imponens eum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit. *Et altera die protulit duos denarios, & ait: curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Sancti Patres, & Politiores interpretes, hoc loco per Samaritanum intelligunt Christum IESVM. Sed quisnam fuerit stabularius, cui ægroti curam commendauit, non facile inter se conueniunt. Quidam enim intelligunt Apostolos, quidam Episcopos, quidam Angelos. Sic cẽset Origenes homil: 39. in lucam ita scribens: *Cùmq; vellet Samaritanus mane proficisci, de probata pecunia sua tollit duos denarios, & donat stabulario, seu Angelum ecclesiæ, cui præcipit vt diligenter curet eum, & ad sanitatem vsq; perducat.* Assentior libenter, Samaritani nomine Christum Dominum intelligi, quia & apud S. Ioannem non recusauit se Samaritanum appellari, Ioan: 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Verùm si nomine stabularij intelligitur Angelus, quid est, quod iste Samaritanus, id est Christus IESVS, præcipiens Angelo medico, vt hunc infirmum curet, statim de probata pecunia sua, tollens duos denarios, donet eum; spondens etiam larga in posterum stipendia. Ergone Christus Angelum suum probata pecunia munerat, quãdo illi ministerium aliquod committit? nonne sunt administratorij spiritus ex Angelico Officio? Nihilominus cùm Christus Dominus ministerium curationis Angelo mandat, sat vero similiter de probata pecunia sua denarios dicitur protulisse, eisdemq; medicum Angelum muneralse, & largam deinceps spopondisse mercedem, more ac ingenio humão procedens. Sic quando Raphàél Angelus pollicitus est, se sanum ducere, & reducere Tobiam iuniorem, dicebat Tobias: *Dic quam tibi mercedem ero daturus? drachmam in die, & necessaria sicut & filio meo. Et insuper addam tibi supra mercedem, si sani reuersi fueritis.* Tobiæ 5. v. 19. Quid, an certè Angelus Raphàél, id est medicus, sub humana specie medicam opem pollicitus, argenti drachmas expetijt? non equidem: sed tamen eas non repudiauit, quouslq; apparentiam humanam exuit, & gloriosè Angelicam induit. O moralissimam eruditionem! pauper erat Tobias, qui operaria matris suæ mercede victitabat: pauper erat æger ille, qui

Origen:

Ioan: 8.

Tob: 5.

D

Lucæ 10

le, qui in via despoliatus, semiuiuus A fuerat derelictus; & tamen hic denarijs, ille drachmis numeratis, & auctario insuper promisso, ab Angelis sub humana specie inductis, curari dicuntur. Sic certè ægris pauperibus gratis medicos nosse non licet. Non me latet aliquos liberali erga pauperes ope medica clarere, quos vtinam alij sequi velint, hac admonitione euangelica instructi. Legimus 4. Reg: 5 Cùm Naaman Regis Syriæ Princeps, horrendæ lepræ cõtagio, sibi iam, & cunctis horrori esset, audiuit in terra Israélis Elisæum esse Prophetam stupendis operibus insignem, per quem posset lepræ cõtagione detergi, quòd summo, desiderio Naaman percupiebat. Acceptis ergo à Rege literis, ad Regem Israélis perrexit, qui attonitus desperatæ salutis petitione sciscis vestimẽtis nimis angebatur. Cum itaq; Regis commotio ad Elisæum deferretur. Naamanum ad se vocari iussit, cumq; misit in Iordanem, vt eius fluento septies ablutus mundaretur. Fecit libenter Naaman, & septena ablutione mundus factus obstupuit, tãti temporis vitium medica Prophetæ ope detersum. Atq; vbi salutem à morbi contagio se recepisse vidit, cõfestim cum omni comitatu suo ad Elisæum sanitatis artificem redijt, eidemq; vt Prophethæ fidem in Deum Israélis obtulit; vt medico autem munera opulenta posuit, aiens: *Obsecro itaq; vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Sed quia Naaman, vt certus erat, qua medicam opem Elisæus D tulerat, argenti talenta acceptурum, ambigebat, an quoniam erat Prophetha, ea fortè respueret. ideo hanc auri, & argenti oblationem in hunc modum exponit S. Chrysostomus: *Tunc lætus Naaman Elisæo offert munera: tunc sanitatis voto dona vt accipiat, deprecatur. Accipe* inquit, *accipe munera, quæ offero tibi: quæ domo tuli, libenter assume. Non enim pretium curationis est istud, quod tribuo, nec sanitatem perceptam isto munere redimo.* Verum obseruate dignissimam causam, quã Elisæus respondens subdidit, cur oblata munera pro accepta sanitate repudiauerit. *Mihi* inquit, *quod offers, non accipio, quod ingeris, vt alienum recuso. Nec ipse tibi sanitatem, quâ lætus es præstiti: nec perniciosum vitium in te ego ipse correxi: nec naturæ, vt æstimas, reddidi: sed est potens in cœlestibus Deus, cuius imperio seruio.* Nimirum dum Naaman opulenta auri & argenti munera sanatori Prophetæ offerret, sanitatis voto dona vt acciperet, deprecatus est. Quasi ipsum sanitatis B accipiendæ desiderium, esset præbẽdorum munerum votum, quo sanitatem percipiendam præuio munere redimeret. Pecuniarum pretio salutis accipiendæ spes ab ægroto redimitur dum medicum tanquàm auarum redemptorem aduocat. Non hac intentione Naaman Elisæum muneribus onerare cupiebat: sciebat enim optimè auaritiam à Propheta exulare; sed solum vt se humanitatis sibi ab eo præstitæ gratum ostenderet. Munus tamen oblatum recusauit Elisæus, vt alienum, eò quòd non à se, verùm à Deo salus Naamano facta fuerat. Nempe Propheta, quæ sanitatis voto dona offerebantur, merito quasi aliena recusauit: quia non tàm ipse, quàm Deus medicam vim morbo immedicabili adhibuit. Quasi diceret: voto sanitatis acceptæ, munera sanatori debentur; ideo illa Deo offer, non mihi: quia ille te sanauit, non ego: proinde non mihi sed illi debentur, quò sanitatem acceptã munere redimas. Verùm tamen quia ope Elisæi Naaman sanatus erat, Gezi famulus, eius nomine duo argenti talenta accepit, ne medicinæ opem sine argento redemptam videremus. Ita mihi credite auaræ medicinæ cognata est opulenta muneratio; ita sanitatis voto dona debentur, vt nisi aurum dederis, medicum non videbis. Debeant, & dent, per me licet diuites: ergone iam pauperculus, & inualidus, cui nihil penitus auri, & argenti suppetit, in medici auaritia misere tumulabitur? Fas ne erit, vt pereat, quia non habet drachmam, quam

4. Reg: 5

S. Chrysosth:

Ægrotꝰ sanitatẽ pecunia redimit à Medico.

quam medicus drachmis reponat? A quia non habet denarios, quos medicus in scrinio suo adaggeret? Ita mihi credite passim fit, hinc pauperum frequentes sepulturas videmus, veriùs, dixerim medicorum homicidia, dum hi diuites pro auro curant, & pauperes gratis curare negligunt: iamq; manifestè ars liberalissima in auaritiã degenerat. Et quid aliud in hodierno Euangelio cœlestis Samaritanus, nisi medicorum auaritiam confundere voluit, dùm hominem in itinere spoliatum vulneribus sauB cium, ab omnibus derelictum, stabulario curandum demandaret, eidem duos denarios offerens, & larga post stipendia promittens, vt palam ostẽderet, medicum non trahi ad medẽdum ægroto, nisi auri sacra fames. Considerabimus igitur, cur iste infirmus homo non in aliquam domum ægris curandis destinatam, vt ibi in lecto mollibus puluinaribus strato reponeretur; Sed ad stabulum, iumentis non hominibus præparatum, ductus sit.

Apologus de aranea & podagra.

Multi fuerunt huius opinionis, C istum hominem graui morbo pressũ, multisq; & periculosis vulneribus confossum, non ad hypocaustum amœnum, seu ad sordidum stabulum, non ad mollem lectum, sed ad durum præsepe, ductum fuisse propterea, quod homines delicati, quos etiam leuissima aura afflare non permittitur, dum lecto affixi medicorum exquisitis remedijs curantur, non nisi post longum tempus sanitatem recuperare soleant. Reuocate vobis in memoriam illum rudem, sed pra- D senti instituto opportunũ apologum de aranea, & podagra. Dum enim secum quodam tempore peregrinarentur, inter mutua colloquia, locum & occasionem peregrinationis inuicem scisciscitari cæperunt. Respondit aranea, se ex aulis nobilium, & diuitum, ad viles rusticorum casas pergere: quia in aulis mundities obseruatur, fenestræ, & tota domus expurgantur quotidiè, meaq; tela destruitur, & ego dejcior, ac conculcor. E contra podagra, ego verò à rusticis ad magnates pergo, quia rusticus diu noctuq; laboribus assuetus, & modico somno sub dio contentus, me non admittit; apud magnates autem, qui baccho, & somno multum indulgent, in magno sum pretio: quia homines delicati etiam leuissimo dolore tacti, lectum mollem amplexantur, seroq; conualescunt. Ea igitur de causa putant aliqui hodiernum Samaritanum ad stabulum duxisse hominem semiuiuum, vt ibi inter iumenta insolentia & inquieta citiùs conualesceret. Verùm Glossa Interlin: veriorem assignat rationem: *Non domum* inquit, *sed stabulum vocat, vt ostendat huius vitæ miseriam, & fœtores, ne aliquis in hoc exilio, tanquàm in patria gaudeat.* Quid melius dici potuit? hinc vir quidam Sanctus, quoties cœlum aspiciebat, nares obturabat, inquiens: *Eheu quã sordet terra, cùm cœlum aspicio.* Hinc est, quòd Deus infinitæ bonitatis terram odoriferis floribus adornauerit, & mira repleuerit fragrantiã, ne suo C fœtore hominum teneræ complexioni noceat: quia nimium sordet.

Glossa.

Documentum istius veritatis sumite ex Adamo protoparente, qui Dei affectione delineatus, Dei manu constructus, paradiseas possidebat delicias: verùm in tàm exundanti felicitate, grande infortunium tulit; & qui Dominus erat constitutus, tanquàm seruus exulare coactus est: *Emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis.* Quorsùm obsecro? in terram fœtore plenam, tanquàm in locum sibi congruum, vt operaretur illam, de qua sumptus. Quid causæ? Nonne Deus plantauerat paradisum propter hominem, vt ibi commodè inhabitaret, tanquam Rex in aula sibi præparata: *Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Gen: 2. Voluptatis ergo paradisus à Deo formatus erat & homini traditus, vt operaretur, & custodiret illum. Vultis scire, quale opus requirebatur ab homine, quod cum paradisi custodia

Gen: 3.

Gen: 2.

coniunctum esset? Audite Rupertũ
Rupert: lib: 6. in Ioan: vbi dicit: *Quod enim laboris arbitramur illi fuisse iniunctum ab eo, quod dictum est, vt operaretur & custodiret illum? Putamus ne, quòd impositum fuerit illi hoc opus, vt operando in sudore vultus sui vesceretur ex omni ligno paradisi? Aut vt poma paradisi custodiret, ne dirutis sæpibus aliquis prædo nocturnus illa decerperet?* Nullus proinde labor sudoris mandabatur in illo felici statu; nullus prædo timebatur, quando solus erat Adamus. Quale ergo
B opus illi mandabatur, quod & custodiam tantæ hereditatis traheret? Respondet citatus Author: *Ergo quod dictum est; vt operaretur, & custodiret eum, hoc esse intelligere debemus, vt creatori suo in laude, & gratiarum actione fidelem animum gereret, pluséq; Deum, quã vllam creaturam Dei diligeret, & credẽdo consilio eius paradisum custodiret sibi, ne peccando habitationem eius amitteret. Quid est enim in Deum credere, nisi Deũ non propter sua, sed propter seipsum diligere.* Opus igitur requisitum pro cu
C stodia Paradisi consistebat in dilectione Dei, siue in fide, quæ ipsam dilectionem includeret. Quippe amãdo Deum non propter sua, sed propter seipsum, homo totam illam hereditatem præstantissimam sibi retineret.

Bene equidem est: Dei dilectio futura erat fidissima custodia paradisi, & bonorum omnium, quæ à Deo in nos proficiscuntur. Propter quod
Deut:6. Moyses Deutor: 6. ita suos Israëlitas monebat: *Audi Israël, & observa, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi, & multiplicaris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus Patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantẽ. Audi Israël Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Videte, quid ad tenenda promissa, & dona diuina, iterum atq; iterum requisierit Moyses à suis popularibus, nimirum vt diligerent Deum: quia in hac dilectione omnia securissimè tenentur, sine illa amittuntur omnia. Quo spectans
Zeno Veronen: S. Zeno lib: 1. Serm: 2. dicit: *Videamus, vnde vera charitas veniat, vbi nam consistat, vel cui maximè debeatur. Vtiq; illi, qui hominem fecit, qui ei munus perpetuæ charitatis similitudinem suam tradidit: qui ei orbem terræ donauit: qui omnia elementa mundi, cum omnibus animantibus suis, eius potestati subiecit; qui ei annos, tempora, dies, seruire præcepit: qui eum regni cœlestis participatione ditauit. O charitas quàm pia, & quàm opulenta! ô quàm potens! nihil habet, qui te non habet.* Sola proinde
B dilectio Dei securè omnia facit hominem possidere; sola ita opulenta est, vt immensa largiatur; sola ita potẽs, vt liberaliter donata faciat perseuerare; qui autem illâ caret, nihil penitus habere videtur.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. S. Ambrosius legit pro verbo *tulit, apprehendit*: significare volens, vix hominem fuisse creatum, cùm ad virtutis profectum, & bonorum opeS. Ambrosius.
C rum exercitium, quo in primæ dignitatis gratia subsisteret, fuerit à Deo euocatus, vt scilicet actum dilectionis Dei, & gratitudinis exerceret. *Apprehendit ergo eum virtus Dei*, ait S. Ambrosius, lib: de paradiso cap: 4. *inspirans processus, & incrementa virtutum*. Quasi diceret: apprehendit eum, vt ipse quoq; apprehenderet disciplinam, ne periret de via iusta. Statimq; subdit: *Non idem est operari, & custodire: in opere enim quidam virtutis processus est, in custodia quædam operis*
D *consummatio deprehenditur, eò quòd quasi consummata custodiat: hæc duo ab homine requiruntur: vt & operibus noua, quærat, & parata custodiat.* Quia ergo prior hac in re defecit Adamus: à Dei enim virtute apprehensus, vt operibus noua quæreret, & parata custodiret, ipse ignauus, pigerq; seruus, pro labore somnum cepit. Quid inde? mox imparatum, & improtectum rapax lupus adorsus est, miseréq; ac infeliciter ad gulæ peccatum induxit, vt Adam Dei beneficiorum immemor, contra diuinum præceptum, pomum vetitum temere ac insolenter

solenter gustare præsumpserit: propter quod peccatum, paradiso pulsus, & ad sordidæ terræ labores damnatus est.

Reuocate vobis in memoriam felicissimum illum latronem, vna cùm Christo patientem, cui crux clauis fuit, quâ illi reseratus est paradisus, & qua sine iniuria Domini misericordiæ diuitias deprædatus est, respondente Christo: *Hodie mecùm eris in paradiso*. Et quærite, cur paradisus latronem admisit, & Adamum repudiauit, cùm vterq; deliquerit? latro,
B vt absolueretur, confessus est; Adam quoq; fassus est suum crimen: ergo aut vterq; clementer admittendus erat, aut vterq; seuerè excludendus. Deliquit certe Adam, vetito & in fulso fructu allectus; sed latro deliquit inhumanè grassatus: Adami dextera infeliciter maculata est põo surrepto, sed latronis dextera maduit sanguine violenter effuso. Cur ergo post tot miserorum casus latro gaudet admissus, & Adamus moeret exterminatus? Causam affert Rupertus lib: 3.
Rupert: C in Genes: cap: 13. quia Adamus ingratitudine obscurus extitit; Deus autem ingratitudinem maximè respuit: & ideo ob ingratitudinem de paradiso eum eiecit; latronem autem humiliter supplicantem admisit. *Ille* ait, *scilicet Adam, & vxor eius vterq; pari pertinacia silentium tenuit: quia sicut superius iam dictum est, neq; quia in paradiso Dominus hominem posuit: neq; quia ad propagandum genus humanũ vtrumq; scilicet masculum & fœminam coniunxit, vllam gratiarum actionem reddidit, nec vllum pia confessionis verbum de ore cuiuslibet eorum sonuit in auribus Dei.* Ingratus itaq; exclusus est de paradiso Adam; facinoribus autem defœdatus latro admissus: vt cognoscamus ingratitudinem esse vitium summè Deo odibile, hominibus infensum, & ingrato periculosum. Itaq; Adam licet numinis constructus manibus, dum ingratitudine cœlestẽ imaginem obscuraret, propter peccatum à paradisæis innoxijs voluptatibus exulare coactus est; latro autẽ humano sanguine antea defœdatus, pœnitudine mundus paradisum possedit.

Vultis nosse, peccatum Adæ nõ aliunde, nisi ex ingratitudine processisse, conijcite hoc ex ipsa Dei interrogatione. postquàm enim Adam gulæ illecebris ad præuaricationem adductus esset, solerter eum requisiuit Deus; *Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei: vbi es?* ad eum modum, quo etiam Cainum diram necẽ Abeli fratri inferentem quæsiuit: *Vbi est Abel frater tuus*. Gen: 4. v. 9. Quid? locumne, vbi Adam & Abel essent, siue facinus ab vtroq; perpetratum ignorabat Deus? Ita quidem sibi persuasus obijciebat insanissimus Marcion, quem acriter reprehendit Tertull: lib: 2. contra Marcionem cap: 25. his verbis: *Stulte, qui tantum argumentum diuinæ maiestatis, & humanæ institutionis vanè agis. Interrogabat Deus quasi incertus, & hinc liberi arbitrij probans hominem in causa, aut negationis, aut confessionis, vt daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi: sicut de Cain scisciatur, vbi nam frater eius, quasi non iam vociferatum à terra sanguinem Abelis audisset: sed vt ille haberet potestatem ex eadem arbitrij potestate sponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi, atq; ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum; quàm negandorum, vt iam tũc initiaretur Euangelica doctrina.* Quam
Gen: 3. Gen: 4. Tertull: tradit S. Matth: cap: 12. v. 37. Ex o-
Matt: 12 re tuo iustificaberis, & ex ore tuo cõdemnaberis. Deus ergo illis interD rogationibus, nihil aliud intendebat, nisi vt Adamum, & Cainum, qui peccati conscientiâ delitescebant, in sui conspectum euocaret, vt sic memores beneficiorum sibi à Domino Deo præstitorum, faciliùs ad salutarem pœnitentiam redirent.

Verùm dum homo pertinaciùs in perpetrato crimine persisteret, nec illud sine excusationibus confiteri vellet, eo Deum perduxit, vt eius stultitiam, ac summam ignorantiam Deus irrrideret, sic Adamum alloquens: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*
Gen: 3. *factus*

factus est, sciens bonum & malum. LXX. Legunt: *Factus est tanquàm vnus ex nobis in cognoscendo bonum, & malum.* Chaldæus exponit. *Ecce Adam est vnicum in sæculo, ex se sciens bonum, & malum.* Ostendere volens, Adamum ex se voluisse habere scientiam boni, & mali penetratiuam, quod summæ stultitiæ est. Poterat ille quidem ex diuino præcepto, quid bonum, quid malum esset, perdiscere; & tamen ex se id nosse, bonumq; ac malum, nec non Dei præcepta proprio arbitrio pensitare voluit, contra illud Tertull: & Saluiani lib: de Pœniten: cap: 4. *Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare, neq; enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia Deus præcipit.* Propter quod opportunè illi Deus citatis verbis insultauit. Ecce Adam quasi vnus ex nobis: ac si diceret, en eum qui nostri adsimilis ductore opus non habet, cùm ex se bonum & malum dignoscere, atq; discriminare valeat, nec ad felicitatem comparandam alieno iudicio egeat. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Quasi adhuc dicere vellet Deus: stultescis Adam, stultescis, qui eò arrogantiæ venisti, vt præsumeres interdictæ arbusculæ esu fore, vt derepente Deus euaderes. Desipit enim quisquis ambitionis scalis ad veram sublimitatem ascendere tentat: Nam dum ambis diuinitatem, & vltra humanum fastigium esse præsumis, possessis iam bonis imminutus, infra te ipsum inueniris: & quia elatione turgens, de ambitionis ingenio procurasti esse quod non eras, ideo quod eras protinus perdidisti. Quod his verbis luculenter edisserit S. Ambr: lib: de Elia, & ieiunio. *Et ait Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Et videns vtiq; Deus, non approbans dicit: hoc est: Putabas te similem fore nostri, qui voluisti esse quod nõ es, desisti esse, quod non eras: itaq; dum supra te affectas, infra te esse cœpisti.* Quid elegantius dici potuit; Nimirum protoparentes nostri, dum eleuati essent ad modicum, non substitêre, nulli prorsùs inuenti sunt; quia tantò intrinsecus corruerunt, quantò magis extrinsecus surgere affectabant. Quemadmodùm etiam Angelus apostata, dum diuinitatem arroganter præsumeret, non iam *Angelus*, sed *inimicus homo* ab Euãgelista nominatur. Adamus pariter nimis turgens arrogantiæ tumore, dum vellet esse vltra id, quod erat, de suo cecidit gradu, & infra quod erat, præceps corruit. *Qui voluisti esse, quod non es, desijsti esse quod eras, itaq; dum supra te affectas, infra te esse cœpisti.* O egregiam nobis omnibus eruditionem! immodicæ sublimitatis appetentia, infirmitatis ambitus est, & solers corruendi studium. Affectatum vltra merita fastigium, omen cadendi est. Per ambitionis scalas ascendere te putas; & veriùs descendis, dùm ipso supra merita ascensu, profundius corruis.

En pœnam culpæ proportionatã, voluit Adam diuinam sibi vsurpare scientiam, imò Deus quodammodo in cognoscendo bono & malo fieri, sed elationis vesanæ mulctam, meruit, vt Deus irridens quasi nouos Deos, quos nuper in superbiæ officina ambitio finxerat ridicularia diuinitate non sine sarchasmo eum alloquere-
Gen: 3. tur: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Quis manifestam ironiam non videt? Deus quidam fieri voluit Adam, & ideò ad bestias damnatus est. Ait, S. Bernardus: *Puto dicerent iumenta, ecce Adam quasi vnus ex nobis factus.* Nam sicut cætera omnia animalia erant extra paradisum; sic Adam extra paradisum terram incolere iussus est. Pergit vlteriùs citatus Bernard: *Ehen tristis & lachrymosa mutatio, panis Angelorum, factus est fœnum iumentorũ: vt Adam accola paradisi, domesticus Domini Sabaoth, se inuenerit repentina mutatione iacentem in stabulo, indigentem fœno.* Pro dolor! quò nos deduxit infelix peccatum; vt post amissas paradisi delicias, ad cæli iniurias, ad iumentorum conuersationem damnemur. Bene igitur fecit hodiernus Samaritanus, hominem

S. Ambrosius.

S. Bernardus.

minem spoliatum ac graui morbo pressum, non in diuersorium, sed in stabulum deducens · quia iam paradisum perdiderat, & ideo iumentis aggregari debuit, quorum speciem per peccatum induerat.

Ecclesia sancta curãdis peccatoribus destinata.

Altera ratio, quare hodiernus Samaritanus hominem spoliatum & semiuiuum ad stabulum duxit curandum: quia per istud stabulum intelligitur Ecclesia sancta. Sic censent Haymo, & Venerabilis Beda, & S. Chrysosth: Ad hanc nos omnes Christus congregat: quoniam in Ecclesia frumento scripturæ sacræ peccatores reficiuntur sanguine & corpore Domini nostri IESV Christi, tanquàm viatores in patriam tendentes. Benè equidem: stabulum est Ecclesia Sancta, pro curandis peccatoribus à Christo Domino constructum, in quo omnes curamur, quos inuidus nostræ salutis inimicus, duplici vulnere sauciauit, nimirum ignorantia in intellectu, & malitiâ in voluntate. Ita docet S. Thomas 1. 2dæ. q. 85. a. 1. vbi dicit: *Per peccatum originale fuisse hominem spoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus.* Statimq; ibidem articulo 3. enumerat quatuor vulnera in potentijs animæ per peccatum originale inflicta, videlicet in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, in potentia irascibili infirmitatem, & in concupiscibili cõcupiscentiam, seu habitualem illam inclinationem, aut procliuitatem ad bonum sensibile rectæ rationi repugnans, quæ alio nomine communiter fomes peccati dici solet. Dicitur autem natura humana per peccatum corrupta, non quod in se corrupta sit, vel quod aliqua eius propria, & intrinseca perfectio deperierit; sed quia per illud priuata est iustitiâ, & sanctitate originali, quæ ipsi tanquam forma quædam supernaturalis inerat, quâ perficiebatur in ordine ad Deum. Dicitur etiam vulnerata ob imperfectiones, quæ priuationem illam iustitiæ originalis consecutæ sunt: quæ quidem imperfectiones dicuntur vulnera, non quod homo in puris naturalibus constitutus, ijs obnoxiùs non fuisset; sed quia tunc non habuissent rationem pœnæ, nec ex aliquo reatu ortum traxissent, verùm ex cõditione ipsius naturæ. ideoq; in puræ naturæ statu dicerentur defectus; in statu autem naturæ lapsæ dicuntur vulnera, quoniam suppositò peccato, iam habent rationem pœnæ, aut vindictæ. Ista ergo vulnera, intellectui & voluntati per peccatum inflicta, non possunt alibi meliùs sanari; quã in Ecclesia sancta, per sacram doctrinam, & vitæ emendationem. Hoc exprimere voluit S. Augustinus: dicens: *Duo nobis necessaria sunt, doceri & iuuari.* S. Aug.

Tertia ratio, cur hodiernus Samaritanus istum hominẽ spoliatum, & lethaliter confossum, non ad diuersorium, sed ad stabulum curandum duxit; quia vnicuiq; rei debetur locus proprius; homo autem iste peregrinus erat iumentum; & ideo in stabulo reclinari debuit. Ad hoc illustrandum pulchram quæstionem excitat Lyranus, quærens, quando nã Christus verba dixit, quòd homo descenreret ab Hierusalem in Hiericho. Parabolane fuit, an res gesta? Et respondet: *Secundùm aliquos fuit parabola, secundùm aliquos res gesta.* Docetq; locum illum fuisse solitudinem, vbi crebra latrocinia exercebãtur, quoniam hac via transibant homines ad nundinas. Veriùs tamen alij per istum peregrinum spoliatum, intelligunt peccatorem in sensu morali, qui spoliatus est à dæmone bonis naturæ gratuitis, & post peccatum planè semiuiuus relictus; ideoq; cùm iumentis comparatus. Psal: 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Res stupenda: nõ de omni homine asserit, Propheta, quod iumentis assimilatus fuerit, sed de homine, qui in honore, qui in sede est maiestatis: Quia nimirum sedes honoris, ac dignitatis facit hoc, vt homo multa operetur iuxta appetitũ suæ voluntatis, in quo maximè similis redditur iumentis. Ad quod re- Psal: 48.

ſpiciens D. Bernardus lib: 3. de con-
sider: in hunc modum Eugenium
ſummum Pontificem monebat. *Quo-*
S. Bernardus, *modò non indecens tibi voluntate, pro lege*
vti; & quia non eſt, ad quem appelleris
poteſtatem exercere, negligere rationem?
Tunc maior Domino tuo, qui ait, Ioan: 6.
non veni facere voluntatem meam? Quã-
quam non minus dejecti, quàm elati ani-
mi eſt, veluti rationis expertem, non pro
ratione, ſed pro libito agere; non iudicio
agi, ſed appetitu. Quid tàm beſtiale? Et
ſi indignum cuiq; vtenti ratione, viuere
vt pecus; quis in te rectore omnium tan-
tam contumeliam naturæ, honoris iniuriã
ferat? ſic degenerand commune oppro-
brium feciſti proprium tibi. Homo cùm
in honore eſſet, non intellexit. Ergo
Principes, Præſules, Parentes, maxi-
mè in eo pecudibus aſſimilantur, quã-
do pro ſolo ſuo placito, & voluntatis
propriæ appetitu ad opera feruntur,
quæ non niſi matura ratione diſcuſſa,
& prudenti conſilio trutinata in lucẽ
prodire debent.

Imò, homo in honore conſtitu-
tus, dum primæuæ ſuæ conditionis C
obliuiſcitur, & more pauonis caudam
aſſentatorum, in mendacijs ſpeciem
veritatis quærentium, non pedes lu-
teos, humanam vilitatem præſeferẽ-
tes, ſpectat, non vna, ſed multiplex
beſtia efficitur. Pulchrè id eloquitur
D. Chryſoſthomus homil: 23. ad po-
S. Chryſoſth: pul: *Cùm* inqnit, *tanquàm aſinus recal-*
citres, laſciu as vt taurus s tanquam e-
quus verò poſt mulieres inhies, ventri tã-
quam vrſus, indulgeas, vt mulus carnem
impingues, & malum memoriâ teneas vt
camelus, porrò rapias quidem vt lupus, ac
vt ſerpens iraſcaris, ferias vt ſcorpius, ſis
ſubdolus vt vulpes, nequitiæ verò tãquam
aſpis, & vipera venenum ſerues, ac ſicut
ille malignus dæmon fratres impugnes,
quomodò te cum hominibus enumerare va-
leam, talis in te naturæ ſigna cùm non in-
tuear. Huc reſpexit Propheta Domi-
Ezech. 14. ni Ezechiel: Cap: 14. v. 4. loquens:
Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo
de domo Iſraël. Et quid eſt *homo, homo?*
quid enim homo ſupra hominem ad-
dit; aut quid eſt homo, quod non ſit
homo? Reſpondet S. Hieronymus

Euthy- **Deum reputet**, ſed vituperat, quòd A
mius. per peccatum ad iumentorum vilita-
rem deuenerit: *Laudabile eſt* inquit,
eſſe iumentum apud Deum, ſed crimino-
ſum eſt per peccatum iumentum fieri. Ad
nihilum ſe deductum querebatur
Dauid, quia propter peccatum cum
iumentis comparatus erat. Nam, vt
Caſſio- inquit Caſſiod: *ratione pecudum viuũt,*
dorus. *qui contra Deum aliter ſentiunt.* Quid
eſt, *contra ſentire*, niſi contra ſenten-
tiam alterius ire. Tulerat Dauid Rex
Bethſabee Vriæ vxorem, cũ qua per-
petrato adulterio, ad homicidium in-
nocentiſſimi militis ſui Vriæ proceſ-
2. Reg: 11 ſit. 2. Reg: 11. *Ponite Vriam ex ad-*
uerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium;
& derelinquite eum, vt percuſſus intereat. Quantum hoc nefas Regis, aduer-
ſus fidelem militem? Et Vxorem e-
ius fœdauit, inſuper & illius vitæ inſi-
diatus eſt. Excuſat S. Ambroſius Da-
S. Am- uidem, quòd ad homicidium Vriæ ra-
broſius. ptus fuerit peccati verecundiâ, quæ
latebras quærebat, ne in lucem eius
peccata venirent. Sic enim lib: 2. in
Apocal: cap: 6. ſcribit: *Et hic nonnul-* C
la eſt peccati verecundia, & pudor culpæ,
quod latebram quæſiuit erroris, & iniuſtæ
necis, nec authoritatem ſibi iure regiæ po-
teſtatis aſſumpſit, ſed inuidiam declina-
uit. Culpam fateor, ſed tolerabilior eſt,
quæ premitur verecundiâ, quàm quæ in-
ſolentiâ prædicatur. Ipſe nihilominus
Dauid fatetur ſe tunc in belluam de-
generaſſe: Ad nihilum inquit reda-
ctus ſum, & vt iumentum factus ſum.

Rem ita ſe habere cognoſcite ex
differentia, quæ intercedit inter ho-
minem, & iumentum: nimirum quia
Pecca- iumentum ratione caret; homo au-
tor ca- tem intellectu pollet, eiuſq; tribus o-
ret ope- perationibus abundat, puta ſimplici
rationi- apprehenſione, iudicio, & diſcurſu.
bus in- Peccator itaq; non habet ſimplicem
tellect: apprehenſionem, quia non appre-
hendit Deum, iuxta illud ſcripturæ:
Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.
Non habet iudicium, quia non iudi-
cat Deum eſſe remuneratorem bono-
rum, & malorum. Non habet diſcur-
ſum: Nam quid eſt diſcurrere, niſi
ex cognitione vnius, in cognitionem

alterius venire, ſeu vnam rem ex a-
lia inferre. Vnde dicitur diſcurſus,
quaſi quidam curſus, motus, & pro-
greſſio, quâ ex noto, tanquàm à ter-
mino à quo, intellectus pergit ad i-
gnotum, tanquàm ad terminum ad
quem; peccator autem non diſcur-
rit: quia non cognoſcit ſuum pecca-
tum, vt ex illo inferat amiſſionem
gratiæ ſanctificantis: non cognoſcit
grauitatem culpæ, vt ex ea cognita
inferat, ſe pœnam æternam promere-
ri; ideoq; iumentum meritò dici de-
bere.

Hinc cùm Dauid diutiùs impu-
nè inſoleſceret, poſt fœdum adulte-
rij ſqualorem, homicidij feritate cru-
entatum, iratus Deus belluinam eius
turpitudinem diutius pati nolens,
miſit ad eum Nathan Prophetam, qui
ouiculæ parabolam, in ipſum acerri-
mè verteret, aiens: *Tu es ille vir, qui* 2 Reg: 12
Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & v. 9. &
vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & 10.
interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.
Quamobrem non recedet gladius de domo C
tua vſq; in ſempiternum. Duo hic ad-
miratione digna reperio. *Primum*,
quomodò Nathan Propheta ita auda-
cter Dauidem reprehendere auſus
eſt: quoniam in conſpectum Regum
nemo ſine pauore audet prodire. Sic
quondam exercitus Iſraëlitici ſupre-
mus Gubernator, direxerat mulierẽ
Thecuitem ad Dauidem Regem, quæ
compoſito ſermone traheret animũ
eius, de qua dicit ſacer textus, 2. Reg: 2. Reg: 14
14. *Itaq; cùm ingreſſa fuiſſet mulier The-*
cuitis ad Regem, cecidit coram eo ſuper
terram, & adorauit, & dixit: ſerua me
Rex. Ecce quanto cùm tremore, &
Reuerentia; quanta cum adoratio-
ne, & genuflexione, introducta eſt
mulier nobilis, & ſapiens allocutura
Regem; Nathan autem non procu-
buit, non pronus adorauit; ſed quaſi
æqualis, & familiaris Regem allo-
cutus eſt. Nathan Auctore D. Baſilio
ſeleucienſi, erat in ſpecie homo vilis,
& pauper. Si ergo mulier nobilis, &
ſapiens, non eſt auſa Regem adire,
niſi prius ſe ad terram vſq; demitte-
ret, ſummamq; reuerentiam, & vene-
ratio-

in citatum locum: quia non omnes
homines dici poſſunt homines homi-
nes; ſed plerique homines iumenta,
aut homines vulpes, pro varietate
beſtialium affectionum, quibus inſer-
uiunt. Addit idem S. Doctor: *Quod-*
ſecundo dicitur: Homo homo filiorum I-
ſraël. Duplicem in nobis iuxta Apoſto-
lum oſtendit hominem, exteriorem, & in-
teriorem. Multi enim habentes faciem
hominis corporalem, diuerſarum beſtiarũ
aſſumunt imagines, quas diſſipari Prophe- B
ta cupiens, deprecatur: Domine in ciui-
tate tua imaginem ipſorum diſſipabis. Il-
li ergo, qui in honore conſtituti non
intelligunt, id eſt qui non ratione,
ſed affectu, non iudicio, ſed appetitu
ſuæ voluntatis reguntur: qui vt im-
pios ſibi ad palatum omnia loquentes
exaltent, innocentes opprimunt: qui
vt iuſtitiam euertant, iniuſtitiæ, non
ſine graui multorum incuria, æqui-
tatis imaginem appingunt: *non ſunt*
homines homines, ſed ſunt homines iumẽ-
ta. Sic de Herode pronuntiatur,
Matth: 8. v. 20. *Dicite vulpi huic.* Sic Matth: 20
de Hypocritis, & ſubdolis homini-
bus Lucæ 13. v. 32. Non ſunt homi-
nes homines, ſed homines vulpes.

S. Chryſoſth: pro ſui ingenij acu-
mine, perſcrutans attentiùs illa ver-
ba Prophetæ: Homo cùm in hono-
re eſſet, non intellexit, & compara-
tus eſt iumentis inſipientibus. Quæ-
rit, quidnam ſit maius, vtrum naſci
iumentum; an certè iumentis annu-
merari? Et reſpondet: *Melius eſt na-* S. Chry-
ſci animal irrationale, quàm comparari ſoſth:
cum iumento irrationali. Rationem
D aſſignat: quia ſecundùm naturam
illud tolerabile eſt; hoc autem cri-
men voluntatis eſt. Agnouit hoc per-
belle Rex & Propheta Iſraëlitarum
Dauid, clamans Pſal: 72. *Ad nihilum* Pſal: 72.
redactus ſum, & vt iumentum factus ſum.
Quid clamas ô magne Rex, ergone
Thronus tuus in præſepe, aut ſce-
ptrum tuum in iumentorum cornu
verſum eſt? An certè purpuram cũ
ſtercore commutaſti, omniq; honore
ac reputatione prorſus exutus es? Eu-
thymius laudat Dauidem, quòd præ
nimia humilitate iumentum ſe apud

Deum

nerationem ostenderet, quomodò Nathan pauper homuncio familiariter Dauidem accessit, vt nulla penitus præhabita adoratione eum inciperet alloqui. Causam reddit citatus Basilius aiens: *Nathanum Prophetam mittit Deus Prophetæ medicum futurum, mittit hominem vilem in specie ad eum, qui thronum insidet; paupertati innutritum ad eum, quem sceptra decorãt.* Ergo quia mulier Thecuitis missa venerat à Ioab; Nathan autem à Deo: illa Regi verba referebat, quæ Ioab posuerat in ore eius; Nathan verba promebat Dei, quæ sanarent Regẽ. Idcirco illa cum summa reuerentia, & tremore; hic familiariter Dauidẽ allocutus est. Magnum certè discrimen est priuatorum hominum accedentium ad Reges, & medici accedentis. Priuatus enim, qui Regem conuenit, quamuis sit illustri loco natus, diuitijs affluens; multa tamen adoratione, multo tremore accedit, & à longe humi procumbens petitiones suas Regi porrigit. At verò medicus, licet natalibus vilis sit homuntio, tamen fiducialiter ingreditur, & familiariter accedit, omniaq; imperat, quæ Regi salutaria videntur. Ita planè qui verbum Dei Principibus proponit, missus à Deo pro illorum spirituali salute, necesse est, vt seruilem timorem exuat, maioriq; fiducia accedat; quàm corporalis medicus.

S. Basil:

Homo priuatus & medicus non æquè Principes accedunt.

Alterum non minori admiratione dignum reperio: quòd postquàm litem ænigmaticam inter diuitem, & pauperem, retulisset Nathan Propheta huiusmodi. Duo viri erant in ciuitate vna, vnus dives, & alter pauper: dives gregibus exundabat, pauperculus præter ouem vnicam sinu fotam, mensaq; innutritam nihil habebat, cumq; peregrinus in domum diuitis aduenisset, ille gregibus suis parcens, pauperis ouem deprædatus, conuiuium splendidum hospiti apparauit, sed cum magna pauperis iniuria Dauid audita hac relatione cum indignatione sententiam tulit. *Viuit Dominus quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc: ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum istud.* Quid est? nõ se Dauid stylo conformabat humano, non pauperis despexit iustitiam, vt potentioris iniret gratiam. Rara est, mihi credite inter mortales virtus hæc, in potentem pro inope sententiam ferre. Verùm siste pauhsper gradum bone Rex, & ad te latum decretum pertinere agnosce: te ipsum iugulasti: tu es enim ille vir, qui rapuisti ouem pauperi, & innocentem Vriam in gladio hostili perdidisti. Ne miremini: non potuit tunc Dauid intelligere, quia iam per peccatum iumentum factus erat, iam rationem amiserat. Et hæc est ratio à priori demonstratiua, peccatorem iumentum esse, quia per peccatum rationem perdit.

2. Reg: 12. v. 5.

Vultis à posteriori istiùs rei argumentum demonstratium, consulite Philosophos, qui docent, quòd operatio arguat formam? ex quo loco facile possumus argumentari. Quicunq; effectus iumentorũ producit, est iumentum. Sed peccator id præstat: ergo est iumẽtum. Hoc probè agnoscens rex & propheta Dauid, clamabat ad Dominum, Psal: 82. *Deus ne taceas: quoniam inimici tui sonuerũt.* Res mira quare non dicit: *inimici tui vociferati sunt*; sed *sonuerunt*. Profectò ob eam rationem, quia inter sonũ & vocem, magnum est discrimen. Sonus enim est qualitas resultans ex compressione àéris ob corporum collisionem. Dicitur *qualitas* ex eo, quod omnia obiecta sensuum, per se & directè pertineant ad prædicamentum qualitatis. Dicitur præterea *sensibilis*; quia sonus differt ab impulsu, qui alicui graui, aut leui corpori imprimitur, quo violenter fertur: licet enim secundum quosdam, sit qualitas impressa ex violenta percussione; non est tamen qualitas sensibilis ab aliquo sensu externo. Dicitur ex *forti percussione*, per quod indicatur tria ad sonum concurrere, nimirum percutiens, percussum, & medium. Et ideo S. Thomas super caput octauum, libri secundi de anima dicit: quod sonus sit alicuius ad aliquid; id est, percutientis ad percussum. Iam vero vox iuxta Aristotelem, *est ictus àéris respiratione attracti* qui ab anima in pulmonibus existente cum quadam imaginatione efficitur.

Psal. 82.

Sonus & vox quid sint.

Hinc Philosophi ad vocem articulatam, quatuor instrumenta requirunt, videlicet linguã, palatũ, dentes, & labia. Lingua nouem musculis vndiq; constitutis ligatur, quos media linea ad dexteram, & leuam dirimit. Ne igitur lingua propter sum. mam volubilitatem suam, nimium in loquendo soluatur, hisce musculis ceu quibusdam habenis cõércetur. Requiritur autem in lingua certa tẽperatura, ad idoneas voces formandas. Vnde si lingua sit humectior, ac mollior, quemadmodùm in pueris, & in alijs etiam ætatis prouectioris, balbutiem inducit, eò quòd tunc musculi nequeant bene stabiliri. Atq; ob eandem causam ebrij interdum balbutiunt, & turbide loquuntur: quia multa humiditate perfunditur cerebrum, cuius multitudine lingua prægrauatur. Similiter qui naturâ sunt balbi, aut cerebrum, aut linguam, aut vtrumq; nimis humidum habent. Cùm ergo vox articulata solis hominibus approprietur, eò quòd hi duntaxat ratione polleant, sensuq; mentis cum alijs communicant, & sonus iumentis, meritò peccator iumentũ appellatur, eò quòd vocem articulatam non habeat, quâ cum Deo confidenter loqui possit, quâ cum alijs hominibus probis & virtute claris communicare valeat, quâ omnia pro Deo peragenda strenuè aggrediatur: quoniam peccatum semper illum terret, vt nemine etiam persequente fugam meditetur.

Requisita ad vocem articulatam

Quis hoc ad oculum non videt in Iona Propheta. Erat Niniue ciuitas inter Assyrios hominibus refertissima, & peccatis naturæ terminos supergressa; non tamen diuinæ misericordiæ vires exhausserat. Deus hominum amans, illorumq; calamitatibus tactus, sub specie supplicij misericordiæ fontes effundere cupiens, misit Ionam Prophetam, qui febrienti populo impietatis ardore, comminationis medelam ahibuit. *Surge, & vade in Niniuen Ciuitatem grandem, & prædica in eâ: quia ascendit malitia eius coram me.* Ionæ 1. Ionas animo versabat cogitationes, quibus latentem Dei misericordiam inuestigaret: vidit Deum indignando misereri, & minitando saluare, timensq; conscedit nauem Tharsum euntem. *Inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, & descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini.* Alia versio legit: *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Miratur S Chrysosth: super hunc locum dicens: *Quo fugis ô Iona à facie Domini, qui sua immẽsitate omnia loca replet.* An certè fugere poteris ab eo, qui vbiq; præsens adest? minimè equidem: Hinc Tertullianus citata Ionæ verba emphaticè his verbis elucidat: *Fugerat & quidem animosus Prophethes Dominum, traiecerat ab Ioppe Tharsum, quasi & à Deo transfretaret; sed illum non dico in mari, & terra, verùm in vtero etiam bestiæ inuenio, in quo nec mori per triduum potuit, ne vel sic Deum euaderet.* O acerbissimè arcanum fugientis Ionæ punitionem! fuga ipsa diuturnioris fugæ probro seuerissimè castigata est, vt etiam per triduum in ventre bestiæ mori non potuerit, ne morte fugiendi contumeliam excuteret. Sanè debuit esse fuga diuturnior, vt sic Prophetæ fugitiui inuentio, etiam hominibus innotesceret. Exinde Ionas inuentus est in terra fugitiuus; fugitiuus quoque inuentus in mari, teste sacra pag: quæ dicit: *Cognouerunt enim viri, quod à facie Domini fugeret.* Quin & in bestiæ aluo nec mori per triduum potuit, ne morte fugæ probrum, & latendi dedecus effugeret.

Ionæ 1.

S. Chrysosth:

Tertul:

Ionas cur à facie Domini Deũ fugit.

Inuestigate accuratiùs, quid timebat Ionas vt à facie Domini fugeret? Aliqui censent, quod mendacis notam se incurrisse timuerit Propheta: diu enim exploratam habens Dei erga homines pietatem, verebatur, ne si pœnitentiæ bono comminatum auerterent malum, ipse falsidicus va-

tes inueniretur. Sic censet Basilius Seleucensis Orat: 12. in persona Ionæ loquens: *Ego euersionem proclamãs mendax vates inueniar: ex duobus hisce malis mœrore conficiar, & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio seruatam videbo. His dictis inscendit nauem: & imprudens inuenit machinam sua multò validiorem.* Verius tamen censuerim, Ionã fugisse à facie Domini, quia ob peccatum inobedientiæ, cùm iussis diuinis obedire nollet, vocem ad prædicandam Niniuitis imminentẽ plagam amiserat. colligo hoc ex eo: quia postquàm piscis Ionam in littus euomuit, iterum Niniuem ire iussus est; Ionæ 3. *Et factum est verbum Domini ad Ionam secundo dicens: Surge & vade in Niniuen Ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.* Ita ne? res quæ Deo tantopere in optatis, ac delicijs erat, infideli, ac fugaci seruo iterum cõmittitur? Ita sanè: alius enim iam tunc erat Ionas à seipso, vt pote ab infidelitate reparatus. per pœnitentiam, quâ Dominum Deum deprecatus est.

S. Basil: *Niniuen, non tergiuersatur, sed illico surgit, non corpore tantùm, sed etiam animi promptitudine, & resurrectione mentis.* Ergo illa angustia Ionam ad pœnitentiam deduxit, ademptum à peccato intellectum restituit, extinctum mentis lumen reaccendit, vocemq; amissam reparauit.

Ostendi igitur peregrinum hominem à Samaritano ad stabulum ductum fuisse, vt à molli lecto alienus, in duro stramine citiùs conualesceret. Præterea: qui per stabulum intelligitur Ecclesia sancta, in qua omnes morbi peccatorum sanantur. Insuper, quia iste peregrinus cùm esset peccator, sic promeruit; locus autem debet locato proportionari. Quâ parabolâ doctrina nobis traditur, quia paradisus creatus est pro hominibus iustis; stabulum autem pro peccatoribus, vt sciamus, quid nobis eligendum sit. In stabulo erimus, si per peccatum ad iumentorum sortẽ deuenerimus: in paradiso si recte vixerimus. Igitur exemplo D. Augustini, qui dicebat, *si mihi hic poneretur pudor peccati, & hic horror inferni, magis vellem in infernum descendere, quàm peccatum committere,* quia nolebat iumentum fieri, viuite non vt iumenta irrationalia, sed vt homines prudẽter in laudem Dei omnia dirigẽtes, & paradisum æternæ voluptatis feliciter possidebitis. Amen.

S. Cyrillus. Audite S. Cyrillum Alexandr: in citatum Ionæ locum ita scribentem. *Quin etiam cetus è visceribus Ionam emittit, non sine fructu ex perpessione, quin ex ipsa experientia incitatum magis, & probè doctum periculosum esse, dominicis decretis se opponere.* Comprobat Theophylactus aiens: *Qui ex ea passione lucratus erat, vt disceret obtemperare: iniuncto enim secunda vice proficisci in*

Alexan: Theophylact:

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Lucæ 17.

Ingratitudine amicitia Dei violatur; feruenti autem deuotione in integrum resarcitur.

PVgnat rebellis mundus cum munificentissimo Deo, duplici potissimùm vitio? tepiditate scilicet deuotionis, & summa ingratitudine; adeo vt quò amplioribus è cælo repletur beneficijs, eò magis immemõr reddatur diuinorum. Atq; tanto malo occurrere volens zelosus arcanorum præco D. Paulus, sic quondam suos Thessalonicenses, cum quibus singillatim fidei gratiâ commertium habebat, allocutus est. *Sine intermissione* (inquit) *orate, in omnibus gratias agite.* Ad Colossen: 3. Sed postquàm eiusdem fidei vtilitas, ad omnem mortalium vitam gradatim peruenit, reclamauit impius orbis, huic doctrinæ Apostolicæ, quasi impossibilia reputans onera, *sine intermissione orare,* & in omnibus gratiam exhibere Deo; Quomodò inquit continuò orabo, cùm tot corporis sint vsus ac necessitates, quæ animæ cogitationem ad se trahunt, cùm menti duas simul curas sustinere non liceat? Quomodò in omibus grates Deo rependam? Gratiasne agam in tormentis cruciatus? ignominiâ affectus? in rota extensus? impudentissimè excussis oculis, ab inimico verberatus? frigore horridulus? fame confectus? domo, liberis, vxoreq; orbatus? naufragio multis amissis bonis? subitò ex diuite pauper factus? per mare in pyratas, per terram in latrones incidens? vulneratus? calumnijs petitus? in carcere vinctus? Inter tot igitur ac tàm diuersa rerum discrimina, quomodò Deum assiduò orare & in omnibus ei gratias referre possum? impius crebrò oblatrat mundus. Sed est & in summa pressura locus orationi, gratijsq; Deo agendis. vbiq; conceditur tempus; quid enim est aliud orare Deum, nisi mentem suam ei patefacere, & ex voto aliquid ab eo postulare? quid est gratias agere, nisi charitate Dei in corde suo abundare? quæ etiam in summis aduersitatibus potest præstare homo; dùm inter ea, quæ corpus mortale perturbant, mẽtem inconcussam retinet. *Oportet enim* (inquit D. Basil:) *diuino præcepto instructum, tanquàm muro aliquo inexpugnabili, recta ratione munitum esse, & cõstanter omnes tumultus vitæ turbinibus inundantes excipere.* S. Basil: Nam sõlius ignauæ animæ, & nullam in Deum sperãtis fortitudinem, est vehementer disrumpi, & in rebus aduersis plus æquo deijci. Talis erat rectus Iob, qui corde planè adamantinus, & durioribus saxo visceribus; cùm decem ei filij breui temporis spatio vnâ plagâ perirent, in domo voluptatis, tempore hilaritatis, diabolo ipsam commouẽte habitationem. Miser tunc vidit mensam sanguine conspersam, filios miserabili casu oppressos, non tamen vlulauit, non comas euulsit, nullam indignam emisit vocem; sed cantabilem illam & in omnibus laudabilẽ

gratiarum actionem dicebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, vt Domino placuit ita factum est, sit nomen Dei benedictum*. Ecce opprimebat dolor afflictum Iob in corpore; prodibat tamẽ per os è corde oratio feruens, & quò plura succederent aduersa, gratiarũ pariter actio ad maiora procedebat incrementa. Sed eheu! perijt pietas in terris, inquit Ezechiel, Thronos Principum Ierosolymæ ex mandato Dei scribens; & homo oblitus est Dei conditoris sui; quòd in hodierno Euangelio reprehendit Christus grauiter dùm inquit, *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo*; quasi dicere vellet; siccine beneficia mea viluerunt apud homines? vt vix hominem reperias, qui promptus gratias referat, & accepti beneficij memor esse velit? Quare rebellem ego hodiè mundum fœdere societatis cum Deo offenso, componere enitar, dùm ostendam ingratitudine amicitiam Dei violari, deuotione autem feruenti eandem in integrum resarciri.

Iob: 1.

Luc: 17.

Nullum peius esse vitium ingratitudine, vel ex eo constat, quòd illa leges æquitatis penitùs abrogare videatur. *Nam lex beneficij inter duos ea est*, (dicente Seneca) *vt qui dedit beneficium, taceat; narret, qui accepit.* Ingratus verò, tantum abest, vt accepta beneficia commemoret, vt potiùs penitùs omniũ obliuiscatur, ad quod respiciens Salomon, sapientiæ 16. argutè satis edixit: *Ingrati spes, tanquã hibernalis glacies tabescet, & disperiet tanquàm aqua superuacua*; quasi diceret, quemadmodùm sol recedentibus frigoribus, subitò glaciem dissoluit, & aqua superuacua ex altissimis montibus, cum rictu & fragore in momento præcipitatur, atq; in ima descendit. Sic planè ab ingrato homine nihil boni sperandum. Nam quantumcunq; ei beneficiorum præstiteris, omnia hæc in profundissimum obliuionis præcipitium ruunt, vt proinde non aberraret, qui ingratitudinem ipso latrocinio grauiorem esse diceret; magis enim nocet Reipublicæ ingratus, quàm Latro. Nam latro efficit tantum, vt homines cautiores fiant, ne facile bona eorum diripiantur: ingratus autem mutuâ charitate spoliat, subuenire nolens illis, quorum gratiâ abundè cumulatus est. Latro aufert aliquid illi, à quo vllum vsquam accepit beneficiũ; Ingratus suum benefactorem debitâ remuneratione spoliat, dùm acceptũ mutùo non refert; ad quod lege gratitudinis obstrictus erat. Latro insidiatur vitæ aut bonis illius, qui sibi cauet; ingratus etiam amico suo, minimè speranti nocere studet. denique, quia latro cùm surripit, aut occidit, vnum duntaxat committit peccatum: at verò qui beneficia ingratitudine pensat, multis peccatis obnoxius est. Nam homo ingratus est fur; quia alienũ tollit: est perfidus, quia suis promissis stare nescit: est periurus, quia contractus & iuramẽta sua violat: est mendax, quia semper à veritate recedit, excusando se falsis & fictis rationibus, à recognoscendo & referendo beneficio: est hypocrita, qui fingit se gratum esse, cùm reuera non sit: est traditor, quia efficitur inimicus, cui antea cùm beneficia acciperet, amicissimus factus erat: est deniq; inhumanus, quia malum pro bono reddit. Vnde meritò de ingrato dici posset illud adagium Græcum: *Aries alituram rependit*. Cuius adagij origo ex eo est desumpta, quòd aries naturalem inclinationem habeat, ad agitandum cornibus, maximè dùm satur est; Cuius rationem naturalistæ assignant, quia aries in capite habet quendam vermiculum, qui cùm ei molestus sit, agitatione procurat ipsum detrudere. Et quoniam humoribus ex alimento caput petentibus, ille vermiculus excitatur, tunc molestior fit arieti, eiq; occasionem præbet agitandi, vt etiã non rarò eum, cuius alimento saturatur cornibus petat. Talis aries est ingratus homo, cui quantò plura porrigis bẽeficia, tanto magis vermiculũ in capitè eius excitas, ad corrodendũ te, vt quem defensorem habere debueras,

A

B

C

D

Seneca.

Sapien: 16.

Ingratitudo latrocinio grauior.

Homo ingratus multis peccatis obnoxius.

bueras, postea hostem experiaris. vt ille penitùs immemor tui beneficij, te grauioribus molestijs afficiat, opprimat, bona tua depopuletur, & quod maximum, vitæ etiam non rarò insidietur. Quod pulchrè expressit Propheta Danielis 8. *Vidi* inquit *arietem cornibus ventilantem, contra occidentem & contra Aquilonem, & contra meridiem*, quasi diceret: siue tu homini ingrato, quidpiam præstiteris in extrema egestate, dùm iam fortuna eius occidit; siue in tenuiori, dùm aduersis rebus, velut gelido Aquilone pressus est; siue in summa felicitate, dùm velut in plena luminis meridie, omnibus bonis abundat: tamen ille perinde ingratus redditur, & tuis ipsius telis sibi porrectis contra te vtetur. Nã ingratus similis est illi catulo lupino, quem lactabat capra nolens & coactè; dicens illud Epigramma Alciati.

Daniel: 8.

Alciat:

Lacto lupum vberibus proprijs non sponte, sed horsum;
Me demens adigit pastor, vt id faciam.
In me rursùs erit fera, postquã creuerit ex me.
Natura haud vnquam vertitur officijs.

Talis lupus immanis, & monstrũ ingratitudinis erat Xerxes, quem Pichius Arijs filius exercitu pecuniâ, obsequijs maximoperè vicit; nec tamen beneficijs eum vincere potuit. Nam cùm peteret ab illo, vt è quinq; filijs vnicum senectuti suæ solatio retinere posset. Xerxes immemor eius officiorum, in plures partes eum secari iussit, & vtrinq; ad viam, quâ exercitus gressurus erat, partes cadaueris exponi imperauit, vt omnibus crudelis eius ingratitudo palam fieret. Sed non cessit impunè ingrato homini tantum facinus, nam exercitus horrendo illo spectaculo commotus, sedulò cogitare cæpit, quomodò tàm malignus animus é viuis tolleretur, moxq; vbi contra hostem arma sumenda essent, miles ea capere recusauit, ne ampliùs crudelem lupum in viscera benefactorum sæuientem aleret, & nutriret; Et sic præsidio militum destitutus Xerxes, miserè interijt; Tales lupi sunt homines ingrati, qui beneficijs acceptis; tanquàm proprijs armis benefacientis, contra eundem pugnant; & quod maximè eorum auget malitiam, etiam sine causa, vt innuit spiritus sanctus per Propheram, Hieremiæ 11. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa*; vbi cùm Deum & eius cognitionem nihil lateat, nam dicitur Psalm: 138. *Omnia cognouisti nouissima, & antiqua*, illud stupendum est, quomodò Spiritus S causam ingratitudinis se nescire fatetur, eamq; scisciari vult, inquiens? *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa*. Sed resoluit arcanum hoc Philosophus, cùm dicit, *quod non est, nescitur*. Nescit Deus cur homo se ingratum aduersùs illum gerat, quia ingratitudinis causa nulla est. Cætera quidem vitia suis non carent causis. Nã luxuria habet passiones concupiscentiæ, quæ venustate, maleficijs, & alijs ardentibus carbonibus incensæ, cor scintillare faciunt; Auaritiæ quoq; quæ causa est; aurum, & pecunia: quia sapiens dicit Ecclesiast: 10. *Pecuniæ obediunt omnia*; Sola ingratitudo nullam sui causam aut occasionem habet. Quæ enim causa est, cur homo ingratus contra suum benefactorem insurgat? quæ occasio, quòd creatura impudenter resistat creatori? ex puluere assumpta, & in magno honore collocata, suo fautori nullam præter malitiam rependẽdo gratiam. Vnde meritò dixit Menander apud Paulaniam.

Hieremi: 11.

Psal: 138.

Cur Deus ingratitudinẽ ignorare dicatur.

Eccl: 10.

Xerxis ingratitudo.

A

B

C

D

Nihil homine ingrato terra peius creat
vicinus hospes, notus, ignotus, Gliens
Et si qua, genera sunt.

Nam licet terra producat plures venenosas bestias, Tygres feroces, Leones rapaces, basiliscos solo intuitu hominem enecantes; his tamen omnibus peior est ingratus, ad præterita beneficia animum non retorquens. Vnde nulla pestis mortalium generi pluris offuit, apud Deum; quàm ingratitudo, quia ex hominibus, facit arietes, lupos; & latronibus, atrociores. Vnde dicit Petrus Rauennius, in Epist: *Nihil est, quòd adeò indignationem prouocet Altissimi sicut in-*

gratitudo: ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. Vbi statim exprimitur ratio, cur Deo tantoperè sit ingratitudo abominabilis, quia Deus ad bona largienda promptissimus est, ingratitudo autem hanc eius propensionem ligat, & intercludit. Vnde quemadmodùm illi acceptissima esse solet gratitudo, quæ hanc eius beneficentiam magis quodammodò excitat, vrget, & accendit. *Nam dùm pro beneficijs acceptis grati sumus*, inquit D. Bernardus, sermone contra vitium ingratitudinis, *locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* Sic planè per oppositum ingratitudo summè illi est molesta, quia impedit, ne Deus seipsum vberius creaturæ communicet.

S. Bernardus.

Hinc oritur quæstio magna inter doctos, cùm ingratitudo execranda sit vermis quidam ex multiplicatis beneficijs in capite hominis ingrati crescens, quomodò enecãda sit, num beneuolentiâ & augmento beneficiorum? num certè subtractione & diminutione eorundem? Et quidem D. Thomas 22. q. 107. a. 4. Sic istam difficultatem resoluit, *Debet* inquit *vir bonus ad hoc tendere vt de ingrato gratum faciat, quodsi non potest primo beneficio præstare, præstabit forte secundo: si verò ex beneficijs multiplicatis ingratitudo augeatur, & accipiens peior fiat, debet à beneficiorum exhibitione cessare.* Hunc vtrumque modum diuina bonitas adhibet, erga ingratum mundũ: sæpiùs enim suæ munificentiæ rorem hominibus subministrat, etiamsi non ignoret illam apud plerosq; in contẽptum abire. Hoc modo peccatum Dauid corrigere voluit 2. Reg: 12. loquens: *Ego vnxi te in Regem super Israèl, & ego erui te de manu Saul, et si parua sunt ista, adijciam tibi multò maiora.* Verùm duo sunt ingratorum genera, quidam sunt similes terræ, quæ licet aliquando sterilis maneat; abundè tamen postea hoc ipsum suâ fæcunditate compensat, dicente Seneca: *Sæpè quidquid perierat, assidua infelicis soli sterilitate, vnius anni restituit vbertas.*

S. Thomas.

2. Reg: 12

Seneca.

Tales sunt homines ingenui, qui licet aliquando immemores reddantur Dei beneficiorum, ob aliqua extrinseca impedimenta; tamen exiguo post interuallo, expergefacti retribuunt. Et talis erat Dauid Propheta, qui immemor quidem extitit Dei beneficiorum, homicidio Vriæ, & adulterio Bethsabeæ, contaminatus, sed vbi è somno peccati excitatus est, sollicitè exclamauit. *Quid tribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Et tales beneficijs potiùs sunt deuincendi. Alij verò ingrati similes sunt mari, quod quia aquâ salsâ abundat, nunquàm dulcescit, etiãsi mille fluuij aquæ dulcis in illud influant, paucine sunt his temporibus hominum tales? qui licet infinita beneficia à Deo accipiant, nunquàm tamẽ beneficijs diuinis emoliri possũt, vt gratos se exhibeant, & Deo acceptum referant? sed quemadmodùm dùm in mare imbres decidunt, omnes guttæ in amaritudinem aquæ maris conuertuntur; ita nunc beneficia hominibus à Deo collata, in ingratitudinem vertuntur amaram. Et hæc abominabilis ingratitudo, nõ alia ratione, quàm subtractione & diminutione Dei beneficiorum auferri debet. Nam experientiâ compertum est, quòd famelicus aries mansuescat, cuius ratio non alia, nisi quia subtractione alimenti, vermis inter cornua natus, qui saturatum ad insolentiam arietem infestat, moritur. Sic planè ingratus homo, tunc demum recognoscit Deum, benefactorem suum, cùm omni abundantiâ rerum spoliatus manet. Sic Deus quõdam Hebræum populum ingratum videns, omnia antiqua beneficia ei collata ab illo abstulit. Multiplicauerat Iudæis Deus argentum & aurũ, dispensans cum illis vt egredientes ex Ægypto, acciperent gemmas, monilia, & omnia pretiosa vasa, Exod: 3 inquiens: *Cùm egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, ac vestes.* Sed quia illi ingrati tanto beneficio, ex illo eodem auro, quod

Psalm: 5.

Exod: 3.

quod dono Dei acceperant, in summum eius contemptum fecerunt sibi deastrum Baal, vt dicitur Oseæ 2. *Argentum* inquit *multiplicaui, & aurum quæ fecerunt Baal.* Ideò iratus Deus, non solùm ob idololatriam, sed etiã ob summam ingratitudinem, in pœnam tanti sceleris, aurum & argentum ab eis abstulit. Et certè iusta adest ratio, cur Deus antiqua beneficia, ab ingrato populo plerumq; auferat: quia nihil sic diuinæ munificentiæ & bonitati opponitur, quàm ingratitudo; Cætera enim vitia facilè Deus in hominibus vincit, & ad emendationem flectit, solam ingratitudinem superare nequit. Vnde meritò dicitur Sapientiæ 15. *Finis est cor eius, quoniam ignorauit qui se finxit.* quasi diceret: Finis est cor hominis, qui ignorat benefactorem suum, nec recognoscit beneficia eius. Sed quare tamen sapiens cor ingrati hominis ad cinerem comparat? puto non alia de causa, nisi quia diuina bonitas habet se per modum ignis, igni autem nihil magis resistit, & contrariatur, cinere. Nam ignis lapides consumit, ferrum in se conuertit; metalla liquefacit, carbones inflammat, fumum accendit, solos cineres absumere non potest, immo ab illis absumitur. Beneficentia Dei pariter ignis est, qui omnia consumit, & obstinatos in peccatis tanquàm duros lapides, ad se conuertit, corda dura & quasi in metalla per auaritiam cõuersa, charitate sua liquefacit: carbones igne concupiscentiæ ardentes, gratia efficaci ad temperamentum reducit; fumum superbiæ amore suo inflammat, vt homo arrogans, abiectâ suâ iactantiâ honorem Deo attribuat; solus cinis ingratitudinis, ita despicitur à Deo, vt penitus, illum inexorabilem reddat. Quod eleganter edixit D. Bernardus, Serm: in Epiphania: *Gratiarum* inquit *cessat delcursus, vbi reuersus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed & quod accepit vertitur ei in perniciem.*

Oseæ. 2.

Sapiẽ: 15

S. Bernardus.

Hinc idem D. Bernardus super illa verba, *petite & accipietis.* Quærit causam, quid est, quòd licet interdùm multa postulemus à Domino; inexorabilem tamen experiamur? solam ingratitudinẽ opponit, sic discurrens: *Sed iam omninò mouet fratres mei, quid sibi velit, quòd minus erga nos, liberalis nunc diuina clementia videatur? vt quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, immò & fortasse recusantibus; nunc orantibus, obsecrantibus, postulantibus, sæpissimè immò continuè, videatur multa minora negare? quid enim putamus charissimi, Abbreuiatane est manus Domini? an fortè thesauri gratiæ defecerunt? Quid inquam putamus? vtrum voluntas mutata sit an immutata facultas? Neutrum sanè de eo æstimare licet; neutrum credere fas est, de omnipotenti, & immutabili maiestate? Quid sibi vult ergo? quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus antea tantam, & tàm gratuitam misericordiam prærogauit.* Respondetq; paulo inferiùs S. Bernardus his verbis. *Heu, Heu, non inuenitur, qui redeat, & agat gratias Deo, nisi vnicus alienigena.* Decem leprosi hodiè à Christo mundati sunt, & 9. tamen ampliùs in cõspectu Christi nõ apparuerũt. Verùm sol' alienigena reuersus est, vt pro accepto beneficio gratiarum actionem, beneficentissimo Saluatori reponeret. Quid iste alienigena nobis repræsentat, nisi mortalem quemq;? Quid nouem non reuersi, nisi nouem choros Angelorum è quibus semel collapsi illi spiritus, non amplius in viam salutis redire queant? Ac proinde præferre vellem mortales ipsis pœnaliter à Deo exulantibus Angelis, quia illi cùm ex gratia Dei haberẽt, quòd in tàm eminentissimo statu conditi essent; tantum nihilominus eius beneficium recognoscere noluerunt, nec semel offensum, ampliùs placare, summâ voluntatis obstinatione indurati. Homo verò licet alienigena, peregrinetur à Deo quamdiu viuit; ad suum tamen Saluatorem sæpiùs recurrit, illi tanquàm primo ad salutem motori, & velle, & operari suum attribuẽs, sed fallor auditores: iam enim nostra in Deum ingratitudo adeò excreuit,

Cur nõ semper obtinemus quod petimus.

uit, vt & ipsa bruta animãtia, omnis rationis expertia longè superet. Nam refert Fulgosius lib: 5. Cap. de gratijs. Sabini canem ita se gratissimum suo Domino exhibuisse, vt illum in carcere nunquàm deseruerit, quo postea ad scalas Gemonias deducto, in gementiũ morem latrando, suo Domino astitisse, & mirantibus mortalium plurimis, panem qui oblatus erat, non manducando ori Domini admouisse: & cùm Dominus in Tyberim amnem proiectus esset, canis aquas enatans, caput eius vt poterat ex aqua eleuabat, quem viuere adhuc arbitrabatur; omnibus modis illi gratias referre enixus, à quo enutritus esset. Homo verò cùm omnia de misericordissima Dei manu, quot diebus, quot horis, quot momentis accipiat, adeò se ingratum illi exhibet, vt non modo nullas omninò ei gratias agere velit; sed ne memorem quidem se acceptorum præbere. Multos proinde videmus, vsq; hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognoscant; sed paucos ad modùm reperimus, qui dignas super acceptis beneficijs, gratias agere videantur, nec reprehensibile est, quòd instanter petimus, sed planè petitioni negat affectum, quòd inuenimur ingrati: immò inquit S. Bernardus: *Et hoc etiam Dei clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant: ne contingat nobis vt tantò grauius de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse.* Quam diu proinde gratitudo in animis Polonorum erga Deum vigebat, tunc facilè poterant omnia à Deo impetrare.

Fulgosius.

Stupenda canis gratitudo.

S. Bernardus.

Cuius rei egregium monimentũ reliquit nobis Lescus Niger. Hic dùm Iazigas Gentiles (qui facta incursione Lublinensem oram vastauerant, prædamq; multam indè abegerant) persequeretur, visa ingenti hostium multitudine, & cognoscens se cum exigua suorum militum manu, illis resistendo parem non esse, cum dolore magno, quod & hostem vlcisci, & suos qui captiui abducebantur, vindicare non posset, reuertendum sibi esse omninò iam decreuerat. Sed quoniam gratus semper erat, omniũ Dei beneficiorum, S. Michael Archãgelus illi apparuit, & sponsione certæ victoriæ confirmans Principem, hostem insequi iussit; init pugnam, consilio Principis Angelorum Lesco, nec segniter hostis primos Polonorũ impetus excepit; sed dùm Gentiles pugnæ intenti essent, captiui suorum signa conspicati; fortuitò telis oblatis à tergo adoriuntur, quin & ipsi canes quos secum ducebant barbari; sæuis morsibus, ipsos impetebant, in quo prælio Iazigum legiones penitùs cecidere unt Verùm non sibi tantam victoriam adscribere ausus optimus Princeps, vt Deo suam gratitudinem testaretur, Lublinum victor rediens, templum ibi magnificum, suæ in Deum gratitudinis monimentum condidit, & Diuo Michaeli, quem in somnis victoriam sibi pollicentem viderat, dicauit. Nouerat & alius optimus Princeps Boleslaus Chabri, quã facilè homo suâ gratitudine beneuolum sibi reddat Deum, ideoq; post tot victorias & triumphos, animum in religionem, resq; diuinas conuertit: & de amplissimis beneficijs Deo se gratum ostendere volens, Ecclesijs omnibus à suo progenitore Miecislao erectis & fundatis, oppida, vilas, prædia, pro ampliori illarum stabilimento & dote, munificè & largiter tribuit, & dotauit. Parochiales Ecclesias non paucas in villis, & pagis construxit, & fundauit. Atq; singulas fermè in Polonia Ecclesias, vasis aurejs atq; argẽteis, in ministerium & cultum diuinum necessarijs, ita ornauit, & locupletauit, vt liberalitatem eius in Ecclesias Dei abundè effusam moderna vsq; sæcula testari videantur. Bene dixit proinde Deus regno huic inclyto, quamdiu Dei beneficiorum memoria & gratitudo vigebat, in pectoribus mortalium; sed postquàm eo deuenit humana auaritia, vt bona Ecclesiastica non tantùm non augere; verùm diripere, & minuere studeat; pauperes non subleuare, sed opprimere contendat? subitò etiam omnis malec-

S. Michael Lescum contra hostes animauit.

Boleslaũ Chabri in Ecclesias liberalitas.

maledictio in Regnum Poloniæ irrepsit, quem enim nunc reperies, qui decimas libenter soluat? qui census Ecclesiasticos sine Iuris strepitu restituat? rarum aut neminem: ita, vt multæ Ecclesiæ suis quotãnis redditibus orbatæ, vix iam non in cauponas redactæ cessantibus religionis ritibus, & Dei obsequijs ob penuriam, passeribus tantummodò & suibus nunc desolatæ pateant.

Percunctantur aliqui, quid sit, quod Hebræi existimauerint Christũ Dominum fuisse Eliam, aut vnum ex Prophetis, quod & ipsemet Christus scisciatur ex suis discipulis. *Quem dicunt homines esse filiũ hominis?* Matt: 16. & rationem istius dubitationis assignant, quia inquiunt, videbant Christi Domini vitam immaculatam, opera Sanctissima; ex altera verò parte considerabant, seculum illud adeò fuisse peruersum & corruptum, vt concluderent possibilius esse, resuscitari aliquem ex Prophetis antiquis, quàm nasci tunc hominem, ita sanctum in vita & moribus, ac operibus; sicut cernebant fuisse Christum Dominũ. O quantò difficiliùs est his temporibus, inuenire hominem gratum, potissimùm cùm ad tantam iam malitiam deuentum sit, vt ipsamet beneficia de manu Dei accepta, *auertant homines à Deo.* (Vt inquit D. Hieronymus.) In omnibus enim statibus saltem vnus ex ordinatione diuina repertus est, qui nomine omnium aliquam grati animi significationem Deo testaretur. Descendẽte in terras ex illa Empyrea sede Domino, ad subleuandum mundum perditum, repertus est præcursor saluatoris Ioannes Baptista, pastores, Simeon senex, qui nomine cunctarum nationum Filium Dei Incarnatum gratissimè salutarent. Ieiunante Christo in deserto, affuerũt Angeli, qui nomine hominum illi deseruirent, in stabulo aderant iumenta, bos & asinus, qui nomine mortaliũ (qui tunc per peccata deuenerant in bestiales conuersationes & mores) obsequia præstarent. Affuerunt & Tres Reges cum muneribus, qui vice gentilium; gratitudinis in signum Saluatorem adorarent. Immo & sub Cruce stabat mæsta Virgo Sanctissima Parẽs, quæ nomine omnium qui per Crucem à Christo moriente redempti sunt, gratam animi significationem manifestaret. Nunc autem nemo est, qui Deo benefactori gratificari velit, dicente Euangelio. *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo.* Si igitur nostra ingratitudo est in causa, quòd inexorabilem his temporibus experiamur Deum, si hæc est motiuũ, quòd non modo antiqua beneficia nobis collata Deus auferat, sed nulla etiam de nouo præstare velit, quis manifestè non videt, quòd illa amicitiam Dei disrumpat? hominem à Deo segregat, regna in discrimen adducit, & multos circa animæ salutem periclitari compellit. Quis inquam tàm execrandum & abominabile vitium fugere nollet? vt læsam amicitiã Dei resarciat? sed ad illam restaurandam in integrum, vnicum tantùm vobis Christiani mei superest remedium, scilicet deuotio seruens: Dicit enim D. Gregorius. *Si nos virtus deuotionis in intimis afficit, omnis strepitus praua suggestionis obmutescit, nam deuotio hostes domat, regna stabilit, populum fidelem in Dei charitate auget.* Et ratio manifesta, quia deuotio est actus religionis, omnis autem & populi & Reipublicæ salus, & solij regij auctoritas, fide & religione firmatur.

Matt: 16

S. Hieronymus.

S. Greg:

Vera autem deuotionis pietas potissimùm in duobus consistit. Inprimis, vt non solùm pro magnis, sed etiam pro minimis beneficijs assuescat anim⁹ Deo gratias referre, quod eleganter admonet D. Bernardus inquiens; *Diligenter considera quæ tibi opponuntur, vt nulla videlicet Deo dona debitâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, nec mediocria, non pusilla denique conemur colligere fragmenta, ne pereant, id est nec minima beneficia obliuiscı.* Immò D. Augustinus non solùm gratias agẽdas esse vult pro magnis & paruis beneficijs, sed etiam pro malis, quæ non fecerat: sic enim Christum Dominum

S. Bernardus,

S. Augs

minum alloquitur lib: 2. confessionum. Cap. 7. tom: 1. *Gratiæ tuæ deputo, & misericordias tuas, quia peccata mea tanquam glaciem soluisti; gratiæ tuæ & quæcunq; non feci mala; quid enim facere non potui?* Alterum est, vt homo non solùm in prosperis: sed & in aduersis gratias Deo referat, id enim apertè loquitur. D. Paulus, ad Colossen: 3. *In omnibus gratias agentes.* hoc Colos: 3. est, tàm in secundis, & felicib°; quàm in molestis & periculosissimis successibus, cuius figuram habemus Iudith: 3. fortissimum illum ducem Aod, qui æquè benè sinistra ac dextra manu ense vtebatur, ad expugnandos hostes. Et Diuinus quoq; Plato (vt commemorat Aristoteles 2. Politic:) hanc legem statuerat, vt omnes ciues ad arma exercenda, indiscriminatim dextrâ & sinistrâ vterentur. Hac certè dexteritate præditi esse debent Christi fideles, vt tàm in secundis; quàm sinistris rerum euentibus gratias Deo referant. Vnde D. Augustinus supra Psalmum 33. tom: 8. exPsal: 33. plicans illa verba; *Benedicam Dominum in omni tempore ait: Dicis quando benedicam Dominum? an tunc, quando abundant secularia? quando multum adest frumenti, olei, vini, argenti, auri, mancipiorum, pecorum, salusq; ista mortalis incorrupta persistit, eaq; nascuntur, crescunt omnia, nihil immatura morte subtrahitur, felicitas tota abundat, in domo circumstant omnia, tunc benedicam Domino, ? Non? sed in omni tempore.* S. Aug: *Ergo & tunc, & quando ista secundùm tempus & secundùm flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, iam nata delabuntur, & indè sequitur penuria, egestas, labor, & tentatio; Sed tu qui cantas tibi. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & quando ista dat, benedicendo: & quando ista tollit benedicendo. Quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit;* Hanc ipsam veritatem docet nos Diuus Ambrosius Serm: 7 exponens illa verba, S. Ambrosius. *Memor fui nocte nominis tui.* vbi dicit: *Non est magnum, si tunc Domino Deo gratias agas, quando in prosperis & secundis es; sed si tunc adhæres Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium, in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione, memento Domini Dei tui, ne in tua præuaricetis arumna: pulsus es in exilium, memento Domini Dei tui, & ne patriæ interdictæ, charitatem Deo præferas. Nõte etiam nox egestatis abducat à deuotionis affectu; hoc enim mandatum legis est, vt in nocte magis quæras, quando magis exaudiaris à Domino, & possis dicere, in tribulatione inuocaui Dominum.*

Agnouerunt hoc Antiqui illi Patres, quantæ sit apud Deum efficaciæ, feruens deuotio, idcirco mos iste apud illos inoleuerat, vt cum singulare aliquod beneficium diuinitùs susceperint, continuò diuinas laudes concrepantes componerent, in quibus & gratum, & deuotum Deo animum exhiberent. Partâ Hebræi victoriâ de Ægyptijs & populo Israëlitico in deserti securitatem educto, cãticum illud deuotè cecinerunt. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem eius deiecit in mare.* Percussit fortissima Israëlitarum ducissa Debbora Chananæorũ Ducem, & subitò ad deuotionem incitauit omnes Israëlitas. *Qui sponte* Iudic: 5. inquit *obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Iudicum 5. Quid aliud fecit optima illa mulier Iudith: obtruncato Holoferne Principe Regis Assyriorum? nisi deuotionem in tota vrbe concitauit, inquiens: *Incipite Domino in tympanis, Cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum nouum, exaltate, & inuocate nomen eius.* Potens est igitur firma & feruens deuotio, quia Deum ad cõmiserendum homini inclinat, & in extremis casibus. Quid enim tres pueros in fornace Babylonica saluos & incolumes reddidit? Deus certè propter magnam eorum deuotionem, in qua non cessabant. Et in summa morborum inualescẽtia propitium homini Deum reddit oratio & deuotio. *Nam ægrotauit Ezechias* Isaiæ 38. *vsq; ad mortem.* inquit scriptura Isaiæ 38. & cæc postquàm deuotum cor suum

suum ad Deum conuertit, augmentũ vitæ quindecim annorum obtinuit, & in furore diuino placatum reddit, deuotio Deum. Iratus Deus Dauidi, regnum eius fame & peste puniri decreuerat, sed postquàm Dauidis intercessit deuotio, cessauit omnis indignatio diuina, & in periculosissimis hostium insultibus, atq; bellorum tumultibus, deuotio victorias confert, atque regna conseruat, vt fatetur Diuus Cyrillus Alexandr: lib: 7. contra Cyrillus Alexan: Iulianum sub initium: quod inquit per omnipotentem Deum sæpissimè victæ sunt fortes & inexpugnabiles hostium acies, ex sacris scripturis facilè constat. Nam Deum timens Samuel, Iudæorum terram Philistinis bello depopulantibus, grauemq; & molestum impetum facientibus, precibus ad Deum fusis, grandinem de cælo descendere fecit, tàm copiosum & grauem, & intolerabilem vt pedestri exercitu, cum equitum alis cadẽte, absq; labore Israëlitæ victores euaserint, & pro his qui Deum timebant cælum arma mouerit. Neq; minus propitium Dauid expertus est Deum, totus in deuotionem & orationem fusus, cum maximis periculis vrgeretur; *In tribulatione* inquit *mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto* Psal: 17. *suo, vocem meam* Psalm: 17. sed quomodò exaudiuit? sic planè, vt omnia elementa, terra, aqua, aer, ignis, imber, & omnes prope modùm creaturæ adeò pro Dauide obarmatæ pugnarent. Terra (quia inquit idem regius vates) *commota est & contremuit terra*: Aqua: *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Aer. Nam, *intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Ignis denique. *Quia ascendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt.* Scilicet ab eo. Ecce: quantum valuit feruor deuotionis in Dauide, vt vnius illius hominis precibus euocatus Deus, statim omni armorum genere instructus accurrisset. Nam militaris potentia arma comparat ad pugnandum, sed deuota oratio de cælo tonitrua ac fulmina, immò omnia elementa euocat ad vincendum. Immò quod reliquum est, & iusti deuotionẽ Deus libenter aceptat, & peccatoris non despicit, quemadmodùm D. Bernardus inquit: *Placet vtrumq; Deo, &* S. Bernardus. *peccator compunctus, & iustus deuotus, cui è regione displicet tàm ingratus iustus; quàm peccator securus.*

Quare, cùm videamus nostra ingratitudine, Dei amicitiam summè violatam, adeò vt iam nostras omnes postulationes repudiare videatur, recognoscamus hodiè immensa eius beneficia, vt nobis maiora adhuc adijcere velit, & eum qui nos creauit, & hucusq; conseruat, euocemus in auxilium, cùm iam humana potentia deficit sed vt firmius fractam eius amicitiam reparare possimus, atq; beneficium in nostris necessitatibus experiri, hodiernum alienigenam imitati, surgamus ociùs de nostris iniquitatibus, & redeamus ad Dominũ, debitam ei gloriam exhibituri, cuius laus & honor incensanter perennat. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

IESV Præceptor miserere nostri.

Lucæ 17.

Triplex modus proponitur inuocandi Deum.

MAgnum quidpiam Deus humano generi olim præstiterat, cũ afflictis suam opem implorare præciperet; Psal: 49. inquiens: *Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eximã* Psal: 49 *te, & glorificabis me.* Quasi diceret: frustra ô homo confidis in principibus huius mundi, in quibus non est salus, sed omnia eorum promissa & expectationes, fumo celeriùs euanescunt? Fruſtra de tuis viribus præsumis, quæ tenui mortalitatis filio pendent? adeò, vt exiguus vermiculus

illud facilè corradere, & omnem tuam fortitudinem, quasi conglobatum puluerem dissipare possit. Fruſtra in diuitijs & fauſtis ſucceſſibus ſpem collocas, quia inſtar variantis Lunæ inconſtans fortuna hæc omnia perpetua verſat viciſſitudine, & labentium ad ſimilitudinem fluminum, non ampliùs reuocabili paſſu, in vltimam propellit abyſſum? Sed cùm aduerſi quid euenerit, ab alto ſolùm omne ſubſidium quære. Ad hoc enim permiſit Deus tribulationis diem tibi fieri, quia fortaſsè ſi non tribulareris, non inuocares eum. Sic quondam Rex Dauid obtorpuerat & friguerat à feruore orationis? putruerat labe peccatorum ſuorum, & iam planè ſine ſenſu remanſerat; ſed mox inuenit tribulationem, tanquàm vſtionē, cor ſuum ad euigilandum fortiter. Pſal: 114 prementem Pſalm: 114. *Tribulationē* inquit *& dolorem inueni & nomen Domini inuocaui.* Verùm licet iam crebra, per orbem terrarum graſſarentur mala, & ſupra modum abundarent tribulationes? Alius enim damno affectus plangebat. Alius patriâ exulatus mærebat, & redire cupiebat, intolerabilem peregrinationem deputans. Alter vineam ſpectans grandinatam, deplorabat labores ſuos, atq; conſumptam omnem operā in caſſum. Et quæ iam maior miſeria in genere humano oriri poterat? Plāgebant hæc omnes, & dolebant; Sed in his omnibus aut non omnes Deum inuocare audebant, aut certè inuocandum eſſe ignorabant, qui ſolus potens eſt, vel docere tolerandum: vel ſanare toleratum. Quid ergo Deum hominem fieri opus erat, vt homo incarnati verbi humanitate illectus, faciliùs ad Dei opem implorandam accurreret; Nec iam ad tremendam Dei maieſtatem accedere formidaret, in ſimilitudinem naturæ ſuæ factum ſpectans. Quoniam per Chriſtum omnis rigor diuinùs attēperatus eſt, & ita facilis aditus patefactus, vt non ſolùm Principes & Prophetæ, (vt olim in veteri teſtamento) ſed omnes indiſcriminatim, & nudi, & ſplendidè veſtiti; & fortes, & infirmi accedant opem rogaturi. Hinc eſt, quòd Chriſtus Dominus cùm terris præſens adeſſet, peccatores à ſe non arcebat, ſed vt ad ſe venirent omnibus modis inuitabat; Erat mulier in Ciuitate peccatrix, quæ ſuæ lepræ ſibi conſcia, Chriſti Domini oculos refugiebat. Verita ne ille, aut propter nauſeam ex illo peſtifero aſpectu oriundam, à ſe leproſam fæminam propulſaret. Quid ergo Chriſtus Dominus? *Diſcubuit in domo Simonis leproſi.* Matth: 26. Num: 6. Ne Matt:26 leproſam fæminam deterreret, ſed potiùs animaret, non eſſe repellendā, ſi ſtaret, reſtro ſecus pedes eius, qui etiam ante & coram oculis ſuis leproſum hoſpitem, & conuiuam admittebat. Ita fermè exponit D. Chryſoſth: Homil: 81. in Matthæum: *Non* inquit *abſq; cauſa lepræ Simonis mentionem facit Euangeliſta: Sed vt aperiat, quare confidens acceſſit mulier. Nam quoniam immunda quædam res, & abominabilis ægritudo lepra eſſe videbatur. Vidit autem Simonem curatum à Iesv, vehementer ſperauit, animæ quoq; ſuæ ſordes facilè poſſe, ab eo detergi.* Ecce & in hodierno Euangelio, decem leproſi ſteterunt à longè clamantes: *Iesv* Luce 17 *Præceptor miſerere noſtri,* quos non repulit Chriſtus; ſed clementer ad Sacerdotes mundandos remiſit. *Ite* inquit *oſtendite vos Sacerdotibus*: vt oſtenderet gratiam ſuam in omnes. Ex quo Euangelij loco conijciemus, quomodò debeamus in noſtris neceſſitatibus inuocare Chriſtum.

S. Chryſoſth:

Tripliciter homo Deum ad opitulandum ſibi inuocare debet, ore, corde, & opere, ore, vt humiliter clamet ad Dominum, donec illum reſpiciat. Nam licet Deus optimè ſciat, quid homini neceſſarium ſit; ne tamen imprudenter beneficia ſua ante ingratos proijciat, expectat noſtras preces, quibus ad largienda ſua dona incitetur. Sic olim Prophetа: *Clamaui* inquit *ad Deum, cum tribularer, & de neceſſitatibus meis liberauit me.* Ergone ſine clamore ò magne vatum te Deus exaudire non potuit?

tuit? Abſit hoc: ſed quia humilis clamor, ad paternum affectum Deum flectere ſolet, vt docet S. Chryſoſth: S. Chryſoſth: Homil: 15. in Matt: *ipſum* inquit *Deum tene, ipſum exige debitorem: hac enim exactione delectatur.* Quid mouit Deum, vt in veteri teſtamento Annā illam ſterilem prole pulcherrimâ ditaret? certè diuturna vox, & humilis clamor in oratione perſiſtens; Nā dùm per cunctantur Doctores, cur ſerò votis Annæ obſecundauerit, nec non poſt, multas lacrymas & preces effuſas, filium ei quem poſtulabat, promiſit. Reſpondent alij, vt eius fides & conſtantia clarior appareret; ita ſentit D. Chryſoſth: homil: 24. in Epiſt: ad Ephes: Idem. *An non* inquit *poterat dare Deus etiam abſq; oratione? an neſciebat, etiam ante petitionem mulieris deſiderium? ſed ſi dediſſet ante petitionē, nō apparuiſſet mulieris animi alacritas, nō fuiſſet manifeſta eius virtus; non tantam acquiſiuiſſet mercedem.* Quamobrem dilatio non erat inuidiæ, ſed curæ ac prouidentiæ; quia Deus non ſtatim hominem clamantem audit, niſi videat illum humiliter & inceſſanter clamare. Quod luculenter comprobauit Chriſtus Dominus, qui mulierem Chananæam clamantem poſt ſe, non ſolùm ſe audire diſſimulabat; ſed etiam repellebat, Matth: 15. à Num: Matt:15. 22. vt dum ipſa ſæpius repulſa orationi inſtaret, ſibi maius præmium acquireret, & alijs illuſtrius exemplum ante oculos proponeret vt exponit S. Chryſoſth: Hom: 53. in Matthæum. *Noluit* inquit *tantam mulieris virtutem ignorationis tenebris obſcurari. Non ergo quia negligebat, verùm vt repoſitum atq; abſconditum, in animo eius virtutis theſaurum in lucem protraheret, eam repellebat.* Cuius rei clarius adhuc exemplum cernitur in Iſaac, qui cùm quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Genes: 25. Num: 20 & rurſus ſexagēarius erat, quādo nati ſunt ei paruuli, ibidem Num: 26. vnde totos viginti annos, intermedios ſine liberis; ſed in continuis proliberis precibus traduxit. Cur quæſo à Deo tàm ſerò exauditus fuerit? Reſpondet S. Chryſoſth: *Vult* inquit *docere nos Deus magnitudinem patientiæ Iſaac, & clare indicare, quanto tempore liberis caruerit: vt & nos æmulantes iuſtum, aſſidui ſimus in diuinis precibus; ſi quando aliquid à Deo petierimus;* Itaq; differt Deus ſæpenumerò poſtulata, vt poſtulantium animos patientiâ, alijſq; virtutibus excultos manifeſtet. Ecce & de hodiernis leproſis Euangelium dicit; Leuauerunt vocem dicentes: *Iesv præceptor miſerere noſtri.* Cur tàm vehementi voce Chriſtum obſecrant, cuius auditus acutiſſimus erat? dicunt nonnulli, vt experirentur eius omnipotentiam, ſi importunæ eorum voci annuiſſet.

S. Chryſoſtho:

Verùm ſi diuinitatis vim explorare volebant, potiùs in ſilentio & in corde loquendum erat, vt dimanantem à Chriſto virtutem, quaſi à magnete, occulto probaſſent modo. Crediderim ego illos clamaſſe, quia iam verbum incarnatum agnoſcebāt, proinde illud ſuâ quoq; voce volebāt attrahere, vociferantes: *Iesv Fili Dauid miſerere noſtri.* Si Deus verbū eſt Catholici, loquimini ad illum, & dubio procul correſpondebit veſtris precibus & vocibus. Nam vt optimè Clemēs Alexā: docet Clemens Alexandr: exhortatione ad gentes. *Nullis celatum eſt verbum* (ſcilicet incarnatum) *lux eſt cōmunis, omnibus illuceſcit hominibus, nullus eſt in verbo Cimmerius.* Quæ vltima verba Genelianus Heruetus in ſcholijs ſic exponit: *Cimmerij populi ſeptēHeruetus. trionales ſunt, qui velint nolint, coguntur perpetuò eſſe in tenebris.* Nullus ergo eſt in verbo Cimmerius, hoc eſt, nullus ſub Deo homo, qui radios eius haurire, & ſplendore illius modo velit, gaudere non poſſit; omnibus ſol diuinus naſcitur, omnium oculis & vſibus exponitur; Quod pulchrè figuratum eſt; in raptu Eliæ. Quærit enim D. Ioannes Chryſoſthomus, Cur Deus qui omnia prouidiſſimè præoccupare ſolet, voluerit Eliam curru igneo, per àéra in Cælum ſubuehi, cùm futurum ſciret, vt eius filius in nube, terris cælum conſcende-

ret? Ex quo facilè diuinitatis Christi existimatio poterat periclitari: cùm non nemo suspicari posset, Eliam æque Deum esse, atque Christum. Sed perpendite quid Eliæ, cùm abriperetur euenit, hoc quia dùm curru subueheretur, pallium suum vni Eliseo reliquit 4. Reg: 2. 3. *qui leuauit pallium Eliæ quod ei ceciderat.* per quod Deus significare voluit, quòd Christus pariter cùm cælos conscensurus esset, omnibus gratiam suam relinquere debuerit, & dona sua cælestia in omnes effundere. Elias igitur pallium reliquit Eliseo, vt se creaturam palam esse fateretur. Iesvs autem ascendens gratiarum donis omnes cumulauit, vt ab omnibus cognosceretur esse Deus. Quoniam ergo Christus omnibus beneficus esse voluit, meritò ad illũ quilibet clamare potest; *Iesv miserere nostri.* Quoniã omni clamãti suum præsto auxiliũ pollicitus est, per Prophetam: Psal: 90. inquiens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Quasi diceret: Ne putes cùm tribularis, quasi iam Deus præsens tibi non adsit? adest, verùm se dormire simulat, quemadmodùm fecerat in naui periclitantibus discipulis, vt per fidem & clamorem tuum illum excites. Sed quisnam iste clamor, in ore nostro esse debeat, vt nobis clamantibus Deus adsit? expressit illum regius vates, septies in vno Psalmo ad Deum clamans: Semel cum dicit. *Dele iniquitatem meam.* Iterùm. *Amplius lauame ab iniquitate mea:* tertiò, *& à peccato meo munda me.* quartò, *quoniã iniquitatem meam cognosco.* quintò, *Et peccatum meum contra me est semper.* sextò, *Tibi soli peccaui.* septimò tandẽ: *Et malum coram te feci.* Psalm: 50. Numero 3. Ecce non alium clamorem nobis suadet, quàm frequentissimam peccatorũ confessionẽ? quia hãc vnicam medicinã huic incurabili morbo, præsentissimam indicat, vt exponit D. Ambrosius. Apol: 1. de Dauid, cap: 8. *Delicta* inquit *sæpè repetendo, merito magnam misericordiam poscit, nec solùm magnam misericordiam; sed etiã multitudinem miserationum.* Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio? Quam culpam precatio huiusmodi non emundet? Peccauit quondam grauissimè Nabuchodonosor, adeò vt Deo iustè indignante, pro suis sceleribus ex hominibus abiectus esset, & fænum vt bos comederet, & rore cæli corpus eius inficeretur Daniel: 4. Num: 3. Quàm certè culpæ & pœnæ proportionem rectè expendit D Cyrillus Ierosolymitanus Cathech: 2. de pœnitentia. *Leoninos* inquit *habebat vngues: raptor enim sanctorum fuerat, sanũ tanquàm bos comedebat: pecus enim fuerat, nescions, quid illi regnum contulerat: tinctum erat corpus eius rore: etenim præuidens à rore extinctum ignem, non credidit.* Sed quid illi tàm seuera supplicia præstiterunt? potuerunt ne hominem peccatorum suorum aut communem extrahere, aut vinculis exoluere, aut sordibus excoquere & expiare? Minimè profectò; antequam scelerum purgatrix confessio aduenire. Hac tandem accedente, ecce tibi flagitiorum oneribus exolutus, ad priorem regni dignitatem reuocatur. *Cùm agnouit* (inquit Cyrillus) *Altissimum, voce, & gratias agentes ad Deum emisit, & deuenit ad eorum quæ patrauit pœnitentiam, tunc restituit illi Deus regni honorem.*

Atque ab hoc exemplo, cæteros vrget peccatores, ne minorem de diuina misericordia spem concipiant, si peccata sua pari humilitate confiteantur. *Quid igitur* (inquit ille) *Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus, peccata cùm primùm confessus est, remisit Deus, regnumq; restituit, tibi verò agenti pœnitentiam non remittet? neq; regnũ cæleste, si te pro dignitate gesseris, concedet?* Quasi diceret, vbi affuerit peccatorum confessio, non tardabit venia; si aderit humilis & sincera pœnitentia, præsto aderit Dei miserentis condonatio. Nam quæ talis non est, sed ficta, simulata, ac superba: mentem non sanat, sed grauius vlcerat; vnde D. Bernardus, de interiori domo, cap: 37. *Simulata* inquit *confessio non est confessio, sed duplex confusio; ex-*

Daniel: 4.

Cyrill: Hieros:

Idem.

Idem.

S. Bernardus,

cludit enim miserationem Dei, misericordiæ simulatio, nec dignatio locum habet, vbi fuerit dignitatis præsumptio. Quid aliud Christus in hodierno Euangelio facere voluit, cùm decem leprosos opem suam implorantes, remisit ad sacerdotes: *Ite* inquit *ostendite vos sacerdotibus*, nisi confessionem scelerũ humano generi commendare: nam licet Christus Dominus absolutâ suâ potestate diuinâ, possit vnumquemque hominem, pro placito suo iustificare, condonando illi offensam, non vult tamen ordinem in Ecclesia Sancta, semel institutum præuertere; vnde quia solis sacerdotibus dedit, potestatem soluendi, & ligandi conscientias hominum; nonnisi illis mediantibus peccatorem sibi reconciliari vult. Sed deterret non neminem ab hoc Sacramento pudor. Quid enim (inquiunt mundi peccatores) difficilius; quàm in lucem promere, quæ in tenebris patrantur? Et aperire animi sensa, quæ omnibus non solùm hominibus; sed etiam Angelis occluduntur? ac de se benè sentientibus pessimas sui æstimationes ingerere? Fateri se superbum, auarum, & obscenum; à quo humilis, liberalis, & continens credebatur. Fateor, sunt hæc, si natura spectetur, difficillima; sed quæ diuinâ gratiâ præeunte quàm facillima reddantur. Meritò, vt possimus expostulare cum eo, qui ad confessionem excitatus diuinitùs reluctetur: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Psal: 93. Num: 20. quasi diceret; Fictitius est iste labor, quẽ perhorrescis? Tui te cordis iniquitas, non operis difficultas à Confessione deterret? Timidos illos & ignauos promissæ terræ exploratores imitatus, quædam in hoc sacramento fingis monstra, de genere Gigantæo, quibus superandis te imparem arbitraris? cùm tamen Iosue & Chaleb, & qui illos Christiani milites imitantur, facilè possint ea omnia *sicut panẽ deuorare.* Numer: 14. Num: 9 Cum non ferro & flammâ; sed ore & linguâ expugnentur. Satis equidem cõfessionis facilitatem præfigurauit Deus, in veteri testamento, vbi Homicidis constituit sex Ciuitates refugij; tres circa Iordanem, Numerorũ 35. Numero: 13. totidem vltra Iordanẽ, Deutoronomij 19. Num: 13. At cur non alia loca ad recipiendos profugos; quàm ciuitates, easq; munitissimas destinauit? Respondet Philo Hebræus citatus in Glossa, ad Caput illud Numerorum, vt maior profugis securitas præstaretur *Neq;* inquit *effugium dedit in loca, quæ deserta forent, aut parum tuta: ne cadis inuitæ reus, facilè caperetur.* Talia profecto in lege gratiæ præbuit Deus confugia peccatoribus, nempe sacramenta pœnitentiæ. Quod enim tutius ac securius, esse potest munimentum; quàm sacramentum confessionis? ad quod qui se recepit, pacatissimus conquiescit; fremat quantumuis hostis, rugiat, insidietur. Nam vt ben aduertit D. Ambrosius lib: 7. in Lucam. Cap: 15. *Accusationis excludit inuidiam, qui accusatorem præuenit, confitendo.* Sed cur tamen Deus, illas refugij Ciuitates, citra Iordanem ita collocauit, vt aliæ quidem forent citeriores, aliæ vlteriores? Credo vt suum cuiq; refugium pateret sine labore flumina tranandi. Ita quoq; voluit Christus Dominus, vt peccatores in Ecclesia sancta haberent sacerdotes, ad quos facilè confugerent, ad eluenda, commissa delicta, quin longiùs euagari cogerentur, ne vlla confitentes defatigatio sequeretur.

Philo Hebr:

S. Ambrosius.

Quid ergo deterret ac retardat? si ingens pudor, quo quis terretur, & quodammodò ligatur, ne suam prodat ignominiam, & inquinatam conscientiam manifestet? Fateor hæc potissima causa est, quæ peccatores à suis criminibus confitendis mutos quodammodò efficit & elingues. Verùm si res suis momentis expẽdatur, facilè intelliges hunc pudorem potiùs ad peccantem; quàm ad pœnitẽtem & confitentem pertinere; vt docet D. Ambrosius lib: 2. de pœnitentia, capit: 10. *Nihil est* inquit *quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus*

Psalmo.

Num: 14.

Idem.

simus peccatores; vbi ille laudabilior, qui humilior; ille iustior, qui sibi abiectior. Quod clariùs confirmat lib: 3. in Lucam, de Dauide loquens suum peccatum agnoscente & confitente: *Si* inquit *iniquitatem suam amicus cognoscit Dei, si Deo se peccasse confitetur, cur tu de confessione criminis erubescis, cùm criminis commentum, non confessio sit pudori.* Sed demus humanæ prauitati atq; fragilitati, vt aliquo pudore sua peccata confitendi teneatur. Adhuc tamen multa adsunt huius pudoris minuendi atq; exuendi argumenta. Primum, quia vni tantùm reuelantur, S. Aug: vnde D. Augustinus lib: 2. de visitatione infirmorum. Cap: 5. *Non te pudeat* inquit *coram vno dicere, quod te nõ puduit forsan coram multis, & cum multis facere.* Et paulo post increpat, peccatorem, qui refugit confessionem; *Heu! cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? melius est coram vno quantulum roboris tolerare; quàm in die iudicij coram tot millibus hominum, graui repleta denotatum erubescere.* Alterum, quia peccata in Confessione dicta, ita strictissimo & indispensabili sigilo deteguntur; vt non tam alteri; quàm tibi vni credita esse videantur. Tertull: Quod rectè expendit Tertullianus libro de Pænitentia. Cap: 10. *Periculum* inquit *pudoris tunc onerosum est, cùm penes insultaturos in risiloquio consistit, vbi prostrato superscãditur. Cæterùm inter fratres atq; conseruos, vbi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quid tuos aliud; quàm te opinaris*; quasi non minus occulta relinquantur quæ confessario dicuntur; quàm quæ à pœnitente retinentur. immò magis occulta apud Confessarium; quàm apud pœnitentem videantur. Nam pœnitens euulgare potest, Confessarius non. Tertium, quia peccatori à peccatore manifestantur. Quid autem erubescat pœnitens de se fateri, quod de se confessarius non diffitetur. Vnde Tertullianus proximè citatus: *Quid consortes casuum tuorum vt plausores fugis?* Idem. Et D. August: lib: de vera & falsa pœnitentia, Cap: 19. *Non erubescat* inquit *peccator confiteri peccata peccatori: si enim Sacerdos peccare non haberet, erubescere posset, qui peccata sua ei manifestaret, cùm autem vterq; sub peccato seruiant, liberior à pudore esse debet, qui per Confessionem à seruitute peccati liberatur.* Adest insuper quod peccatorem à pudore confessionis retrahat; quia confessio cõpendium est pœnarum, quis autem non ferat libens eum pudorem, quo æterna pœna compensatur? quis non facilem iudicet verecundiam, per quam à gehennâ eripiatur. Hinc colligit Tertullianus lib: de Pœnitentia, Cap: 9. cõfessionis facilitatem; quæ. *Cùm inquit prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit; magis mundatum reddit: cùm accusat; excusat: cùm condemnat, absoluit: in quantum non pepercerit tibi; in tantum tibi Deus credet parcet.* Et quid confusionis habere potest illa confessio, per quam æternæ damnationis pudor abolea- Tertull: tur? Vnde Tertullianus citatus Cap: 10. *Ego* inquit *rubori locum non facio, cùm plus de detrimẽto eius acquiro.* Quasi diceret: non fugio ruborem, quo suffusus æternum fugio ruborẽ. Quid ergo difficultatis habere potest confessio, seu pudor ex Confessione subsecutus? in quo ad extremam difficultatem effugiendam præsidium reperitur? in forensi tribunali, quisquis quæstionum vi adactus, propria peccata confitetur, pro quibus ad Capitalem pœnam vlteriùs damnatur. At verò in hoc Sacramentali iudicio, quisquis confitetur, absoluitur? vt eleganter D. Chrysost: homil: 20. in Genesim expendit. *In humanis* inquit *iudicijs qui facinora confiteretur, sententiam capitalem in Caput suum accerseret. At misericordis Dei & animarum nostrarum medici, tanta est, tamq; ineffabilis bonitas, & clementia, vt omnem rationem transcendat. Nam si facinora confessi fuerimus, ratione ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam prouocabimus Deum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis; sed & in iustorum catalogo numerari.* S. Chrysost: Quintum huius pudoris eleuandi argumentum est, quia pudor ex cõfessione qualis qualis est, potiùs

potiùs honor debet appellari; vt docet D. Cyprianus sermone de Passione Domini: *Dùm* inquit *iudicis & tortoris vices non parcens peccator assumit, confessione confusionem honorat, & in conspectu Dei veniam impetrat.* S. Cypr: In cuius rei Typum cum Christ⁹ Dominus Lazarum suscitaret, cuius sudario facies erat ligata; *Soluite* inquit *eum.* Ioan: 11. Num. 44. vbi aperiri Ioan: 11. voluit eius faciem, & omnibus manifestam apparere, non sine mysterio; sed vt ostenderet, quòd iam peccata illi dimissa essent; hanc rationem assignat D. Ambrosius; lib: 2. de Pœ- S. Ambrosius. nitentia. Cap. 8. *Quia* inquit *veniâ donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur; Non habet enim quod erubescat, cui peccatum remissum est; Tantũ enim abest, vt peccator sua crimina humiliter confessus pudore suffundatur, vt potius miro quodam fulgore illustretur.* Nam & Deus ipse toties in scriptura pœnitens introducitur, vt Gen: 6. Num: 4. Pœnituit eum *quòd hominem* Gen: 6. *fecisset.* 1. Reg: 15. Num: 11. *Pœnitet* 1 Reg: 15 *me quòd constituerim Saul Regem.* Psal: 105 Psal: 105. Num: 45: Pœnituit eum *secundum multitudinẽ misericordiæ suæ.* Quomodo obsecro pœnitentia, quæ cum diuina immutabilitate stare nequit, in sacris literis Deo attribuitur? scilicet vt pœnitentiam honoraret, ne peccator de illa erubesceret, quam sibi peccatorum omnium sanctificator attribuebat. Hanc tangit rationem Tertullianus libro de pœnitentia Cap: 2. vbi obseruans hominum ratum quodammodo introducit. *Iam inde* inquit *in semetipso pœnitentiam dedicauit, hoc est factam quodammodo reddidit, & honoratam, ne deinceps peccatoribus, tanquam vilis & abiecta despiceretur.*

Secundò, debemus inuocare Dominum corde, sic eum inuocabat Rex Dauid Psal: 118. Num: 145. *Clamaui* Psal: 118. *in toto corde meo.* hoc est; magis cogitatione piâ, quàm sermõe longo moui Dominum ad commiserationem: magis enim Deus cor contritum audit; quàm os multiloquum; Si enim Deus Ionam in ventre Ceti clamantẽ solo corde, audiuit, quomodò & peccatorẽ de diuina misericordia confidentẽ audire non debet? Hinc S. Cyprian⁹ de oratione Dominica sub initiũ monet: *Debemus* inquit *non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modestè Deo, tumultuosâ loquacitate iactare.* S. Cypr: Quia Deus, non vocis; sed cordis est auditor; nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt. Hinc Deus in tantum sibi complacuit in Dauide, cùm toto corde ad illum clamaret, vt illi insignem illam orationem subscriberet: *Inueni virum secundùm cor meum.* quasi diceret: Inueni viri factum, ad gustum, votum, studium, & voluntatem. Nam imprimis cur Deus vocauerit Dauidem virum secundùm cor suum, D. Chry- S. Chrysost: sostomus Homilia 1. de Dauide dicit: *quia erat diuinæ voluntati maximè conformis, nunquam illi resistens, verùm semper cum illa consentiendo. O beatum inquit Dauidis sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, Iudex profert summus. Dùm enim Dauid sanctissimus homo secundùm cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit? quidquid mente concipit, perficit; Dum inquit Dauid corda Dei, cor proprium iungit, & menti eius, mentem suam adnectit, hoc est; vt quæ vult Deus, velit: & quæ non vult, similiter nolit. Sic eum Deus indiuiduo amore & coniuncta charitate dilexit.* Secundo, Petrus Damianus. lib: 5. Epistolarum Epist: 3. in ordine 72. Virũ secundùm cor Dei, interpretatur, quòd in rebus omnibus Deo placeret, & Deus in eo delectaretur. *Vnum* inquit *est, quod mens cuiusq; fidelis, debet solerter attendere, & intra semetipsam, solicita semper inquisitione versare; scilicet vtrum Deo placeat, quod agit: & an eius vitâ Deus vel operibus delectetur:* Damianus. quid enim prodest, quidquid homo faciat, si hoc non placeat Deo? sic de Dauide dicitur: Quæsiuit sibi Deus virum iuxta cor suum. Nam si tunc conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in conditore. Quod

statim confirmat exemplo famosi cuiusdam solitarij, qui factus videbatur iuxta cor Dei; & tamen cor eius longè erat à Deo. Hic igitur inquit cùm appropinquaret ad exitum, Tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneũ in manibus attulit. Et ecce vox ad eum facta est, *sicut* inquit *anima ista, vel vna horâ me in se requiescere non permisit; sic neq; tu miserum euellens eum.* Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, & animam eius sicut erat iussus euulsit. Tertiò, S. Hilarius in Psalmo 35 sub initium, virum iuxta cor Dei, interpretatur: qui se etiam inimicis beneuolum exhibet, quod ad charitatem diuinam proximè accedit. *Sanctus* inquit *Dauid non ignarus, sed vt Propheta Euangelicæ doctrinæ, & in tempore licet legis, hanc corporalem agens vitam; tamen quantum in se, Apostolici mãdati præcepta consummat, testimonium de se Deo fidem Dei præstans; cùm dictum est, inueni Dauid secundùm cor meum.* Non enim inimicos bello persequitur, neq; insidiantibus sibi decertando armis resistit, sed exemplo Domini, cuius & nomen, & lenitatem præfigurabat: proditus orat, periclitans psallit; patiens odia gratulatur: & ideo secundùm cor Domini repertus. Quia cùm Domino Iesv duodecim millia Angelorum, possent in tempore passionis assistere: tamen ad omne officium humilitatis explendum passioni se, & infirmitati subesse permisit, orans tantum & dicens. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo exemplo hic idem per similitudinem passionum, futuræ eius Passioni Propheta, non contradicit, non resistit inimicis, malum pro malo ex præcepto Euangelico non reddens; sed dominicæ mansuetudinis æmulator, cùm tribulatur, cùm proditur, cùm fugatur, Dominum, cuius tantùm aduersus impios armis vtitur, deprecatur. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Vt inde palam fiat, tunc maximè hominem secundùm cor Dei fieri, quando caro quidem in aduersis ad impatientiam illum propellitur; cor tãen omnia æquo animo sustinet.

Sed optimè ipsemet Deus, quid per virum secundùm cor Dei intelligi debeat, interpretatus est, apud S. Paulum. Actorum 13. Num. 22. in illis verbis: *Inueni Dauid filium Iesse, Virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*; ecce apertissimè per virum secundùm cor suum, significat obedientiam perfectam, & obseruantiam diuinæ legis. Quorum verborum potest esse duplex sensus, vnus causalitate finali, scilicet; inuẽtum fuisse Dauidem iuxta cor Dei, vt faceret omnes voluntates eius: ita sentit D. Hieronymus lib: 3. contra Pelagianos, prope initium. Alter enuntiatiuus, quem magis ipsa litera exprimere videtur. Inuentum scilicet fuisse Dauidem, iuxta cor Dei; qui faciet omnes volũtates eius. Sed hic summa difficultas occurrit. Quomodò electus fuerit Dauid ad faciendas omnes voluntates diuinas, quas tamen reuera non fecit? Nam & homicidio & adulterio peccauit, aut ergo diuina electio frustrata est, cuius tamen infinitæ sapientiæ hoc repugnat. Aut certè si Dauid non potuit omnes Dei voluntates exequi, ad impossibilia fuit obligatus, quod etiam diuinæ bonitati non competit. Respondet Mendoza in 1 Regum. Cap. 13. Num. 14. Dauidẽ reuera omnes Dei voluntates impleuisse, quia licet peccando easdem trasgressus fuerit; omnes tamen pœnitẽdo redintegrauit. Cùm ergo Dauid nullam legem Diuinam violauerit, cuius violationem per veram pœnitentiam non correxisset, sequitur illum ad omnes voluntates Diuinas faciendas, verè electum fuisse. Ecce quanta Christiani peccatoris felicitas, qui licet per peccatum recedat à Deo; si tamen Dauidis pœnitentis exemplo, ocijùs confugerit ad confessionem, in tantum resarcit læsam Dei amicitiam, quasi nunquam esset violata. Quia non imputatur à Deo homini peccatum, quod ille per veram pœnitentiã delet, iuxta illud Psalmi. 31. Num: 2. *Beatus Vir cui non imputauit dominus peccatum.* Non ergo subesse potuit diuinæ prædictioni falsitas, cùm prædiceret Dauidem fore secundum cor suum, licet non ignoraret eum quoq; peccaturum, quia simul videbat, quòd omnia commissa delicta, Summo dolore & lachrymis esset expiaturus, vt docet apertissimè D. Augustin⁹ lib: de 8. quæstionibus ad Dulcitiũ quæstione 5. vltimo loco. *Cùm ergo inquit præsciret eum Deus peccaturum, & peccata sua piâ humilitate, & sincerâ pœnitentiâ deleturum, cur non diceret: Inueni Dauid secundum cor meum; cui non erat imputaturus peccatum, tàm multa bona facienti, & cum tanta pietate viuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis, sacrificium contriti spiritus offerenti.* Propter hæc omnia verissime dictum est: Inueni Dauid secundum cor meum. Quia licet secundùm cor Dei non esset, quòd ille peccaret, tamen secundùm cor Dei fuit, quòd pro peccatis suis congruâ pœnitentiâ satisfecit.

Tertiò, tandem inuocare debemus Deum opere, quia non satis est clamare ad Deum, nisi virtutes nostræ & recta opera simul inconspectum eius ascendant. Sic reprobus Saul clamauit ad Deum, confugiendo ad preces Samuelis, sed quia iniquitas occupauerat cor eius, Respondit illi Samuel. *Reiecit te Deus & regnum tuum auferet à te.* Sic clamauit Proditor Christi Iudas. *Sanguinem iustum tradidi*; sed quia defuit operum bonitas, repudiatus mansit. Nam quemadmodùm sola fides non iustificat hominem, sed mortuum, reddit: ita solus hominis clamor, sine bonorum operũ adminiculo, Deum ad miserandum non flectit, sed potiùs aures illi⁹ procul auertit. Vnde Deus puniturus Sodomitas. Gen: 18. Num: 21. *Descendam inquit & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Clamabat, tunc forsan Loth ad Deum, vt populo illi peccanti, adhuc conniueret, quid ergo Deus, experiri voluit? an illi clamori responderent opera Sodomitarum, hoc est; an auditis imminentibus plagis, vitam suam lubricam ad melius redegerint, atq; ad pœnitentiam offensi Dei placatiuam conuersi essent? Et reuera si grauissimus Seneca docet, *negandum esse beneficium, ingrato*; quomodò Deus homini suam misericordiam præstare debet, qui nullo opere digno suam in Deum gratitudinem testatur; sic enim omnes cælestium beneficiorum imbres, ac si bibulas, deciderent in arenas, ex hominum memoriâ facilè euanescerent, scilicet; bonis operibus sæpiùs in memoriam non reuocarentur. Christus Dominus Ioannis 6. Numero 12. vbi fatigatam in deserto hominum turbam pauisset, præcepit Apostolis, vt duodecim cophinos fragmentorum colligerent, & apud se conseruarent. Mirum est: Quorsum illud pabulum, non solùm ministrauit in presens, sed etiam in futurũ reseruauit. Respondet Oleaster Exodi 12. *vt* inquit *beneficium, cuius homines immemores essent, ad longum tempus testaretur.* Equidem duodecim Cophini fragmentorum opera bona designant.

Vultis Catholici diuinam experiri misericordiam, seruate hos cophinos, operemini sæpiùs in Dei gloriam. Ecce incitamentum habetis in hodiernis leprosis, inuocabant illi diuinam misericordiam; nec tamen priùs susceperunt; quàm irent ad sacerdotes: quia itineris emensio, nostram peregrinationem significat; quod scilicet semper currere debeamus, nusquam à Deo laudando cessando; quam itineris longitudinem tribus potissimùm modis superamus: ore, quando laudis diuinæ vox in labijs nostris resonat. Corde, quando nihil præter Deum mens concipit: & opere, cùm tota vita nostra sudat in laboribus, meritis ad Deum transmittendis. Igitur & nos si volumus misericordem Iesvm habere, clamemus ad eum non solum ore, sed etiam corde, opere, clamemus. Iesv Præceptor, miserere nostri, & quos redimere dignatus es. iuuare ne desistas. Amẽ.

DOMINICA XIV.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Nemo potest duobus Dominis seruire. *Matt: 6.*

Soli Deo seruire honorificum est.

DOmini ne seruos, an serui Dominos fugere debeãt, pro vtroq; & exempla & Scriptura Sacra pugnat. Nam Saul licet ex opulẽtissima familia, vno tantùm comitatus puero incedebat, ex mandato Patris. 1. Reg: 9. Num: 3. *Tulle tecum* 1 Reg: 9. *vnum de pueris, & consurgens vade, & quære Asinas.* Vbi plures Pater non addidit comites, propter temporis illius frugalitatem, quam Hebræi studiosè colebant; Patriarcham Abraham imitati, qui cùm familiam adeò numerosam haberet, vt vernaculorũ tantùmmodò trecentos decẽ, & octo domi aleret, ad prædia excolenda, & greges pascendos: vel etiam, vt par est, ob eorum inopiam subleuandam. & tamen filium Ismáélem quem nimiùm diligebat. DEI Præcepto à domo amandaturus, non vllo seruorum comitatu, non auro vel argento, sed cum sola Matre Agar, cum paucis tantùm pro viatico panibus & vtre aquæ emisit. Vt docet Theodorethus quæst: 71. in Genes: Nequè hæc in comitatu frugalitas priscis tantùm & rudibus adhuc seculis, neq; apud Hebræos tantùm; sed alias quoq; inter nationes floruit. Apud Romanos enim, eorum Republicâ, iam rerum dominâ, & diuitiarum lautitie gaudente, mira sobrietas in his vigebat. Nam Cato ille Portius & sapientiâ, & rerum gestarũ gloriâ maximus, cum omnes Hispaniæ Prouincias vnus regeret, tribus tantũ seruis comitatus incedebat publicè, teste Valerio Maximo. lib: 4. Cap: 3. Quia illum grata frugalitatis consuetudo, in hoc genere vitæ, cum summa dulcedine continebat. Scipioni item Æmiliano, qui post duos consulatus, totidemq; triumphos, septem tantùm seruis comitatus officio legationis functus est; cui tamen exiguus comitatus, nihil auctoritatis ademit. Nam teste eodem Valerio, cùm per exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed victoriæ numerabãtur. Nec quantũ auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur. Felix equidem Respublica, in qua non ab externa Pompa, sed ab interno virtutum comitatu vnusquisq; metitur. At nunc proh dolor! summum decus censetur, si longo equorum, curruum, ante ambulonumq; ordine plateæ fatigentur: si ad vniuersum luxuriæ apparatum explicandum, viæ, oppida, & vrbes vix sufficiant: vt in comicam pompam Principes ac Dynastæ incedant, quam fastûs exuberantiam, sua iam cætate deplorat Seneca lib. de tranquilitate animi, & Epistola. 47. *Cùm ad cænandum* inquit *discumbimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aues sumit, alius vini minister, in mulebrem modum ornatus, cum ætate luctatur, alius cui conuiuarum Censura cõmissa est. Adjice obsonatores quibus Dominici Palati notitia subtilis, qui sciunt cuius rei illum sapor exulet.* Si ergo hæc seruorum caterua ab Ethnicis hominibus improbatur, nonne à Christianis dominis, merito caueri debet. Sed nequè serui Dominos minus fugere debent; nam miserrima seruorum conditio est, teste Homero lib: 10. Odisseæ. *Seruus* inquit *dimidius homo, liber integer est.* quod comprobat Philo. lib: 1. de vita Moysis. *Non est inquit, par iactura libertatis, & pecuniæ, cùm nemo sanus, non malit vitæ, quàm libertatis adire periculum.* Et rem optimè illustrat scriptura, vbi miserat Iosephus dispensatorem domus suæ, qui fratres suos in Patriam redeuntes, de furto sciphi argentei calumniaretur. Sed illi bonæ conscientiæ testimonio securi, audacter spondent, ac paciscuntur. *Apud quemcunq; fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris, moriatur.* Gen: 44. Num: 9. Quid verò calumniator, assentitur pactioni; *fiat inquit iuxta vestram sententiam: apud quemcunq; fuerit inuentum, ipse sit seruus meus;* ibidem Num: 10. Quid est? calumniator, ad seruitutem solùm reposcit furti complicem, fratres verò ad mortem illum offerunt? *Moriatur* scilicet? vt ostenderent, seruitutem ipsa morte durioré esse. Cùm ergo & Dominum se iactare, atq; famulantium ambire comitatum, sit fastuosum; & seruire inglorium; idcircò discutiemus hodiè, cuinam Domino seruire honorificum sit &c.

Valer: Maxim:

Seneca:

Homer:

Philo: Hebr:

Gen: 44

Ibidem.

Nescio quomodò hodiernum Euangelium duos nobis proponat Dominos, cùm vnum tantùm scriptura sacra pro vero Domino agnoscat Deum. *Quoniam* inquit *tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus.* Solus equidem Sanctus; quia Sanctitas illius essentialis ab intrinseco prouenit. Solus Dominus; quia cuncta quæ creauit, possidet, & nutu suo dirigit. Solus altissimus, quia maiestas eius inaccessa cælorum amplitudinem transcendit. Nec potest hæc dominãdi potestas nisi in solum Christum dimanare, tanquàm naturalem Dei filium. Vnde Christus Dominus in Sacris literis dicitur. *Primogenitus non solùm in multis fratribus.* Rom: 8. Num: 19. hoc est; quia primum locum obtinet non solùm inter

Rom: 8.

prædestinatos, propter quod primus omnium mortuorum surrexit, non amplius moriturus, non solùm inter Reges terræ, iuxta illud: *Primogenitum ponam illum excelsum, præ regibus terræ.* Psal. 88. Num: 28. Quia regibus omnibus præcellentior eminebat, sed etiam quia primatum debuit accipere inter omnes creaturas, Colossensium 1. Numero 15. *Primogenitus omnis creaturæ.* Quod expendens D. Anselmus: *Sicut* inquit *Primogenitus omnium fratrum primatum dignitatis obtinet inter omnes fratres; sic humanitas Christi primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Soli proinde Christo Domino, absolutam dominandi potestatem pollicitus est æternus Pater. Isaiæ 45. Numero 1. *Subijciam* inquit *ante faciem eius gentes & dorsa regum vertam.* Ex quo loco Tertullianus lib: aduersùs Judæos Cap: 7. huius Regni colligit amplitudinem: *Christi* inquit *regnũ, & nomen vbiq; porrigitur, vbiq; creditur, ab omnibus gentibus colitur, vbiq; regnat, vbiq; adoratur, omnibus vbiq; tribuitur æqualiter. Non regis apud illum maior gratia, non barbari alicuius imperiosi lætitia, (dùm dignitatum aut natalitum cuiusquam discretio merita) omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Dominus est.* Atque hinc ex amplitudine huius imperij factum est, vt Christus per excellentiam Dominus appelletur. Psalm: 67. *Dominus nomen illi.* Si ergo solus Christus Dominus, quomodo Script: Sacra plures nominat Dominos, sed certum est duplicem Dominum esse, vniuersalem, & Particularem.

Psal: 88

Colossi: 1

S. Anzelmus.

Isaiæ. 45

Tertul:

Psal: 67

Dominus vniuersalis, est Christus Duminus: quia per ipsum omnia facta sunt, & in manu eius ad gubernandum posita, alij verò sunt Domini Particulares, vt omnes Reges & Principes huius mundi, qui certis tantùm prouincijs deputati sunt, vt vices Dei in timore obeundo feliciter in finem æternitatis regant, quos Christus suo sanguine redemit. Sed num his mundi Dominis, & Christo simul

simul seruire Scrip: Sacꝛ prohibeatꝛ, nõ videtur: quoniam hominem Deo subesse, ipsa lex naturalis iubet, & amici simul necessitatibus, aliquantũ operæ tribuendum esse suadet. Sic D. Paulus & Deo seruiebat, prædicando gentibus fidem in IESVM Christum; & hominibus simul obsequium suum impendebat, vnum quemq; erudiendo ad salutem. Et certè quod aliquis Deo simul & hominibus possit seruire, testis est Moyses, de quo dicit sapiens Eccl: 45. Num: 1. *Dilectus Deo & hominibus Moyses.* Res quidem noua est Deo, & hominibus placere; sed tamen tripliciter potest contingere. Primò, accipiendo istam complacentiam de potentia, ita vt sensus sit: vitam agebat Moyses dignam, quæ placeret non soli Deo, sed etiam hominibus, licet aliquibus propter eorum malitiam displiceret. Qua ratioꝛ D. Paulus Deo & hominibus placere studuit, 1. Corinth: 10. Num: 32. *Sine offensione* inquit *estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant.* Quasi diceret: Quantum in me est omnibus placeo, quia non more adulatoris, quæro meam vtilitatẽ, sed more Euangelici Prædicatoris, alienam salutem: quamuis fortasse aliquibus de salute sollicitis parum displiceam. Hoc ergo pacto aliquis Deo & hominibus placere potest, dùm rectam traducit vitam, & sineꝛ scandalo cum omnibus agit. Quemadmodùm locum D. Pauli exponũt. Ambrosius, Theodorethus, & D. Thomas clarèq; hoc ipsum expressit D. Hierõ: in Epist: ad Corinth: *Ego inquit me sic exhibeo, vt omnibus placeam ad profectum; si quis me sine causa od sse voluerit, ego non sum in culpa.* Secundo modo potest aliquis placereꝛ DEO & hominibus, simili actu, sed istam complacentiam contrahendo solùm ad bonos: sic expressè docetꝛ D. Greg: lib. 8. Regist: Epist: 36. ad Maximum Episcopum Salonitanum. *Hoc* inquit *certissimè scito, quia placere DEO & prauis hominibus nemo potest. In tanto ergo se existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse; quãtò se peruersis hominibus displicuisse cognouerit: Tamen bonis hominibus, non potest bonus displicere.* Hoc expressitꝛ Sapiens 1. Reg: 18. Num: 22. vbi Dauidem alloquitur. *Ecce* inquit *places Regi, & omnes serui eius diligunt te:* quasi diceret: si placet temporalibus seruis, qui placet Regi, quo pacto qui Christo Domino placet, eius seruis, immò potius amicis & filijs displicere potest? vnde D. Augustinus solam laudem, quæ fit à malis culpatꝛ; quæ verò à bonis illam admittit? sciens illaudatum non fore apud Deum, qui à bonis in hac vita laudaretur. Vt fatetur ipsemet in lib: 50. Homil: Homilia 25. *Laudari* inquit *à malè viuentibus nolo, abhorreo, deteſtor, dolori mihi est non voluptati. Laudari autem à benè viuentibus, si dicam nolo, mentior: dicam volo, timeo; ne sim inanitatis appetentior; quàm soliditatis. Ergo quid dicam? nec plenè volo, nec plene nolo: non plenè volo, ne in humana laude pericliter: non plenè nolo; ne ingrati sint, quibus prædico.* Tertiò potest aliquis placere & Deo & hominibus, tàmꝛ bonis; quàm malis, licet diuerso modo si sit iustus. Nam iustus homo, placet bonis per affectionem: malis per admirationem: vt egregiè docet D. Chrysost: in Psal: 11. Num: 9. *Bonos* inquit *nemo est adeò imprudens, & sceleratus, qui non laudet & admiretur: huius modi enim res est virtus, vt etiã ab his qui illam non sequuntur, laudetur: quemadmodùm vitium ijs etiam qui ei sunt dediti, fit exosum & reprehensione plenum.* Optimè ergo Christianꝰ homo potest & Deo, & hominibus seruire: sed ita, vt mediâ viâ incedatꝛ; hoc est; nequè Deum offendendo; neq; tamen homines in doctrina fidei instruendo, se ad hominum mores effundendo: sed illos ad meliorem vitæ frugem reuocando. Hoc suadet Doctor Gentium D. Paulus 1. Corinth: 10. Num: 33. *Per omnia* inquit *omnibus placeo.* At quomodò obsecro omnibꝰ placebat? nunquid saturnalia cum illis celebrans? absit: sed modestiâ, patientiâ, grauitate & integritate placuit bonis, immò etiam malis placebat, non quia se illis; sed quia illos sibi conformabat, sic docet Tertullianus in illud Apostoli; *Omnibus omnia factus sum.* 1. Corinth: 9. *Nunquid ait idolatris idolatrans, nunquid Ethnicis Ethnicus, nunquid secularibus secularis.* Quasi diceret: Absit? Nam Apostolus etiam cum se in peccatorum amicitiam insinuabat, ab eorum peccatis maximè abhorrebatꝛ. Conuiuebat cum illis, sed cum illis non delinquebat: admittebat eorum commercia, sed resecabat eorum flagitia: trahi se ab illis non sinebat; sed illos ad se trahere curabat: nonꝛ se illis similem, sed illos sibi efficiebat Placebat igitur D. Paulus impijs, non quòd Paulus ad ipsorum insaniam desiperet, sed quòd ipsi ad Pauli sapientiam resipiscerent. Hoc modo inquit Tertullianus, licet conuiuere cum Ethnicis, communicari non licet: cõuiuamus cum omnibus ex communione naturæ, non superstitionis; Pares animâ sumus, non disciplina: cõpossessores mundi, non erroris. Quoniam ergo Christi seruitus non violatur, dùm etiam hominibus seruimus, illos ad bonum dirigendo. Qui ergo sunt isti duo Domini, quibus nemo seruire potest, Sanctus Bonauentura sermone 1 in Dominicam Decimam quartam post Pentecostes ad illa verba: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matt: 6. Censet perꝛ istos duos Dominos intelligi Deum & Diabolum. *O quam dissimiles sunt* inquit *Domini isti, Deus & Diabolus: Primus enim est suauissimus, iuxta* illud Psal: 144. Num: 9. *Suauis Dominus vniuersis*: quis suauitatem miserationum eius non degustauit?

Verùm secundus Dominus scilicet diabolus crudelissimus est? teste Propheta Isaiæ 19 Num: 4. *Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium*: hoc est; permittam dæmones, qui omnem suam ferociam in peruersos Ægyptios conuertent, Deus Dominus est talis; cui seruitur flendo, per Pœnitentiam, iuxta illud Christi Domini. Ioannis 16. Num: 20. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Sed Diabolus Dominus est, cui seruitur per lasciuiam ridendo; Deo seruitur vigilando in custodia contra diabolum; diabolo autem seruitur dormiendo in negligẽtia contra Deum, à qua peruersa seruitute remouet nos Apost: 1. Thessalonicensium 5 Num: 6. *Non dormiamus* inquit *sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus.* Deo seruitur ascendendo, deꝛ virtute in virtutem, vsq; in cælum; diabolo autem descendendo de vitio in vitium vsq; in infernum. Ad quod respexisse videtur Rex Dauid Psal: 103. Num: 8. *Ascendunt* inquit *montes & descendunt campi* quasi diceret: quicunq; virtutibus fulgent, montiũ instar omni amænitate virescentium ascendunt vsq; ad augustale diuinitatis inaccessum: qui verò camporum ad similitudinem vrgente Aquilone omnem suam pulchritudinem amittentium, verecundiam exuunt. velut exsiccato puluere, aut fædo iniquitatis conspersi luto, in tenebrosumꝛ ad ipsos vsq; inferos descendunt meatum. His ergo duobus Dominis nemo seruire potest, quia voluntas illorũ cõtraria est, Deus enim ad bonitatem solam ex natura pronus; diabolus verò ad omne malum ex obstinatione propendens, vnde qui vtriq; seruire vellet, & boni & mali simul particeps esset, quæ duo vt pote contraria, cùm secũ stare nullatenus possint, sequitur neq; Dei seruitutem cũ Diaboli famulatu stare posse. vt egregiè Philosophatur S. [Bonauentura, & Saluianus lib: 8. de Prouidẽtia. Qui acriter inuehitur in Afros, quòd illi cùm Christum colerent, suis tamen idolis seruierunt, & à Dæmonum sacrificijs, ad Christi Domini sacrificia sese conuertebant. *Tolerabilior* inquit *& minus nefaria gentilitas in hominibus Professionis suæ, illud perniciosius ac sceleſtius, quòd multi eorum, qui professionem Christo dicauerant, mente idolis seruiebant;* Et paulo post. *Non tàm immanis criminis fuisset, ad templum Domini non venire: Quia Christianus*

quæ

qui ad Ecclesiam non venit, negligentiæ reus est, qui autem sic venit, sacrilegij. Minoris autem Piaculi res est, si honor Deo non deferatur, quàm si irrogetur iniuria. Ac per hoc quicunq; illa fecerunt, nõ dederunt honorem Deo, sed derogârunt. Præstat igitur verum Deum non colere; quàm cultu falso colere. Quia, qui verùm Deum non colit, fateor non laudat. Sed qui simul eum falsò colit, vituperat. Vnde D. Bernardus Serm: 6. de Ascensione Domini dicit: *Errat omninò si quis cælestem illam dulcedinem huic Cineri; diuinum illud balsamum, huic veneno; charismata illa spiritus miscerì posse huiusmodi illecebris arbitratur.* Et paulò post in illud sanè ad Abrahamum. *Eijce ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ.* Genesis 21. Num: 10. Ostendens quantum inter hos duos filios discrimen sit, in typũ eius discriminis, quod inter Dei, ac Diaboli seruos intercedit. *Nulla* inquit *conuentio veritati & vanitati, luci ad tenebras; spiritui & carni; igni, & tepiditati, per quod ostendit; quod quis Deo adhærere vult, omninò à Diabolo recedere debeat.*

S. Bernardus.

Gen: 21.

A multis quæsitum est, quamobrẽ inter immundas animantes, recensitus fuerit gallus, vt offerri sacrificio prohiberetur, cùm propter egregias naturæ suæ proprietates, non videatur hanc ignominiam promeruisse. Ioannes à Geminiano lib: 44. Cap: 52. eam assignat rationẽ, quòd Gallus vnum oculum inferiùs deprimat, alterum in àera eleuat: ea igitur de causa gallus à Sacrificio ablegatus est, quia vno oculo cælum, terram altero aspicit, vt palam fiat, Deo non placere, quando amor illius cum terrenis voluptatibus confunditur. Homini inter cætera animantia Deus ita fibris quibusdã oculos coniunxit, vt videndo in vnam partem, semper ambo colliment; symbolum hoc esse voluit sui amoris zelotypiæ, quod homo si verè Deo seruire vult, cor & voluntatem suam totam, in Deum ferre debeat, vt sic seruꝰ Dei & simul liber esse possit. Verùm ab hac diuina seruitute, remouet forsan non neminem, grauissima illa Israélitarum querimonia. 1. Reg: 6. Num: 20. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei Sancti huius.* quasi adeo intoleranda sit diuina seruitus, vt omnes Israélitæ post ingentem cladem acceptã, fusi in querimonias dicerent. Si coram Arca Domini stantes tanta clades inuasit, vt septuaginta viri, & quinquaginta millia plebis percussa furore Domini perierint, quis audebit accedere ad seruiẽdum Domino. Nam Dominus sicut Sanctissimꝰ est, ita Sanctissimos seruos ministrosq; requirit, & si quos negligentiores inuenerit, grauissimè punit, vt etiam apertissimo experimẽto lachrymabũdi fatentur Israélitæ, propter delicta in deserto à Deo percussi. Num: 27. Num: 12. *Ecce consumpti sumus, omnes perimus, quicunq; accedit ad tabernaculum Domini, moritur.* Nam vsq; ad internecionem cuncti delendi sumusꝰ; Cùm ergo homines multis imperfectionibus passim inuoluantur, quis poterit dignè ministrare in conspectu Domini.

1. Reg. 6

Num: 27

Verùm in hac sua querela tria laude digna expresserunt Bethsamitæ: Primò, quia Deum cum eos puniret, Sanctum, non autem iniquum prædicabant, ad ostendendum, quòd etiam cùm punit Deus, laude dignus sit, non enim punit amore vindictæ; sed zelo iustitiæ. Quod similiter Scriptura Sacra expressit. Exod: 15. Numero 11. *Terribilis* inquit *atq; laudabilis Deus.* Quasi diceret; Alij quidem Principes & Reges, cum terrent, atq; puniunt, multorum odium vituperationemq; incurrunt, quòd non debita iustitiâ, sed tyrannica licentiâ ad puniendum moueantur; Deus autẽ & in puniendo laudari meretur. Secundùm: quia Bethsamitæ etiam cùm punirẽtur, diuinam sanctitatem confiteri, & suam non diffiteri iniquitatem volebãt; propterea, quòd talem punitionem, maximè debitam agnoscerent. Est autem laus non exigua illorum, qui diuina flagella patiuntur, accusatorem esse sui criminis, & Dei

Exod: 15.

Iob: 8.

& Dei laudes non tacere. Sic Beatus Iob patientiæ merito inter cæteros coronandꝰ faciebat. Iob. 8. Num. 10. *Hæc mihi est* inquit *consolatio, vt affligens me dolore non parcat, ne contradicã sermonibus sancti.* Vbi vehementer à Deo flagellatus, sic exultat, vt eam flagellationem, suam consolationem appellet, nec in Deum punientem indignetur, sed sanctum per excellentiam confiteatur. Tertiò, laude digni sunt Bethsamitæ in hac sua querimonia, quia ex sanctitate diuina rectè colligebant, quanta difficultas in diuino obsequio, pro dignitate exercendo reperiatur. Nam sanctissimus Dominus, sanctissimè coli obseruariq; non immeritò poscit. Quæ igitur tanta potest esse in homine sanctitas, vt diuinæ sanctitati, non dico cũ perfecta adæquatione, sed ne cum debita quidem proportione accommodetur. Vnde Iosue audiens ex populo: *Seruiemus Domino quia ipse est Dominus Deus noster.* Respondit: *Non poteritis seruire Domino, Deus enim sanctus, & fortis æmulator est; nec ignoscet sceleribus vestris atq; peccatis:* Iosue 24 Num: 19. Quasi diceret: Ne vobis nimiùm tribuatis: quia quantumcunq; vires atq; animos intenderitis, nunquàm ad eam seruitutem, quæ diuinæ sanctitati debetur, peruenietis. Quod Eliphaz confessus est Iob 4. Numero 17. *Nunquid homo comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea,* Vbi difficultatem diuinæ seruitutis, & ratione & exemplo confirmat. Ratione quidẽ; Quia creatura, sicut infinitè distat à perfectione sui Creatoris; ita à seruitute quæ illi debetur, longe recedit? Exemplo quoq;: quia, si Angeli qui inter ceteras creaturas diuinã perfectionem proximè imitantur, à debita seruitute corruerunt, neque puritatem diuino obsequio necessariam conseruãrunt; qualem homines suapte natura labiles Deo deferent

Iosue 24

Iob: 4.

Thales Philosophus.

Thales Philosophus interrogatus quondam, quid esset omnium rerum vetustissimum? respondit quod Deus. Quia nunquam esse cæpit. Quid esset pulcherrimum? ait. Mundus: est enim opus Dei; Quid maximum? locus inquit, Nam capit omnia. Quid velocissimum? Mens dicebat: Hæc enim discurrit per vniuersa. Quid robustissimum? Necessitas asseruit? quia seperat omnia. Quid sapientissimum? Tempus posuit. Nam inuenit omnia. Sed veriùs & meliùs dixisset, Deum sicut vetustissimum esse, ex eo, quoniam nunquam cæpit; ita quoq; esse pulcherrimum, quia ab illo omnis pulchritudo dimanat; esse maximum? quia non potest ab vllo intellectu creato comprehendi: esse velocissimum quia celeriùs est in cælo, in terra, & vbique; quàm ratio nostra fingere potest? esse robustissimum? quia fortitudo & decor indumentum eius, & cuius digitis tota mundi moles appensa est: esse demũ sapientissimum, quia fons est omnis sapientiæ, & quem nihil latere potest. Cùm vero talis ac tantus sit, meritò illi omnis creatura seruire debet. Atque hinc à contrario sumite argumẽtum, si diabolus omnium stultissimus est, qui amisit cælestia bona, ob superbiam, & detrusus est in tenebras perpetuas: si est turpissimus, quia cùm sole splendidior esset, natiuam lucem secum vbiq; ferens, in carbonem adustum commutatus est: totum, quod de misericordia Dei habuit, in sua insania perdens; si est tardissimus, cùm à sedibus æternis semel delapsus, nõ amplius ad illas reuerti queat. cùm

sit debilissimus: Nam licet sit magna circumferentia eius fortitudinis; adeò, vt rupes & montes possit transferre; tamen vt indomitus Leo ad vocem galli contremiscit, sic diabolus ad vocem Nominis IESV, ad signũ S. Crucis fugit. Quis inquam tàm vilissimo Domino, seruire volet, cùm magnificum quisq; & liberalem Dominum quærat.

Sed quid dæmonem crudelem, tyrannum vobis abominandum propono, cùm naturale cuilibet Christiano odium in eum sit. Est & alius potentior Dominus in terris, cui maior hominum pars stipatam manum ad seruiendum porrigit. nummus scilicet; qui omnipotens terræ habetur Deus, atq; is non rarò plus potest; quàm cælum. Sic expresse docet Tertullianus lib: 4. aduersùs Marcionẽ Tertul: *Iniustitiæ* inquit *cultorem & Dominatorem totius seculi nummum scimus omnes.* Perpendite quomodò tyrannus hic & intrusus Princeps nummus, suâ potestate propè exæquet verum nostrũ Dominum, Deum scilicet ipsum. de Prouerb: 21. Deo loquitur sapiens Prouerb: 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit inclinabit illud.* de numo pariter dicit Syracides: Siracid: *Multos perdidit aurũ & argentum, & vsq; ad cor regum extendit, & conuertit.* Quid nam verò extendit? Pineda in Ecclesiasten Cap: Pineda. 10. v. 19. exponit sic. *Extendit* inquit *dominatum & imperium, & conuertit illorum corda quocunq; voluit*, quasi diceret: nummus, aurum, argentum, Deus quidam est, qui æmulatione omnipotentis Dei, vertit Reges quocunq; sibi placet, inflectit. Certat, nummus de imperio cum vero Deo, & vix non parem in omnia potestatẽ exercet. Nemo inficias ibit, summo atq; omnipotenti Deo subiecta esse omnia, & obsecundare omnia, per potentiam quam Philosophi vocant obedientialem: propter quod S. Ioannes Apocalyp: 19. Num: 16. ait se Apoc: 19 in vestimento eius vidisse scriptum: *Rex Regum & Dominus Dominantium.* De numo pariter scribit Salomon. Eccl: 10. Eccles: 10. Num: 19. *Pecuniæ obe-*

A *diunt omnia.* Quæ verba Caietanus transfert. *Argentum humiliat omnes*: Caietã & Ioan: Lorinus ex Hebræo: sic vertit: *Pecuniæ respondet omne.* quasi omnes apertiùs dicere velint. Pecuniæ cum rebus omnibus magnam habitudinem esse, sibi optimè respondere, & per Prosopopeiam, perindè ac si præditæ res essent sensu, & intelligendi facultate, præcipere ac præstare, ac suppeditare pecuniam, quæcunq; imperantur & expectantur.

B Venit quispiam mente non nimis sanus, & petit sapientiam; respondet aurum, *ego dabo*: ecce pecuniæ respõdet omne, dum modò aurum habeat, de sapientiæ fama certare cum illis septem Græciæ sapientibus potest. Ducit alius suam ex montanis Iudææ originem, vult autem videri ex ijs, quæ Romanæ sedi adiacent, descendere; dicit aurum, *Faciam ego*, vt cõiunctissimi sint huic vrbi montes, ex qua oriundus videri cupis. Est mulier minus venusta, optat formæ elegantiam decentiorem, petit eam ab

C auro, & aurum libentissimè spondet daturum se pulchritudinem, cui nulla par alia, vt canit Horatius.

Fregen⁹ & formam regina pecunia donat.

En quomodo nummus precibus, expectationi, desiderio, vestrum omnium respondet? Nummo obtẽperãt omnia, cedunt omnia, succumbunt omnia; locupletauit quempiam vel sua industria, vel blandiens fortuna, valetq; iam ex opibus etiam dignitate & auctoritate, hic sibi in o-

D mnibus quæcunq; aggreditur, seu iure, siue iniuriâ id fiat, victoriam & optatum exitum promittit; vnde tanta illi fiducia? Nummus, quo abundat, in tantam spem illum erigit: vt præclarè dixit Pòéta.

Quidquid nummis præsentibus opta.
Et veniet, clausum possidet Arca Iouem.

Et quid modernis temporibus non obtinet, qui nummum sacrario domestico inclusum habet? certè omnia. Et pietas, & iustitia cedit, aureo muneri, flectiturq; nummo & in turpe nefas profunda virtus. S. Augu- S. Aug. stus: de Ciuitate Dei. lib. 4. Cap. 9. ait,

A ait. *Iouem Deorum omnium, Dearumq; Regem esse volunt.* Hoc eius indicat sceptrum, hoc in alto colle capitolium, quod nam autem nomen illi deastrorum Regi veteres dederint, respondet idem August: lib: 7. de Ciuitate. Cap: 12. *Pecunia vocatur, quòd* Idem. *eius sint omnia.* Quid est? sapientissimi illi Romani, postquàm Iouem Deorum omnium supremum agnouerunt, voluerunt simul vt pecunia vocaretur, scilicet vt satis insinuarent, quanta sit vis & potestas pecuniæ, quando parum duxerunt vocasse illum Deum, nisi etiam ipsorum met Deorum Deum appellassent. Equidem cum mecum diligentiùs cogito, quantum in mundo pecunia valeat, non miror veteres diuinum nomen pecuniæ attulisse. Vsurpat sibi iam pecunia, omnipotentiam quandam & æmulam deitatem. Quemadmodùm suggerit S. Gaudentius, Serm: S. Gau- 15. *Stirpem nobilitatis vsurpat.* Nec dentius. habet iam mundus illustrem Prosapiam aliam, nec familiam aliquam nobilem, quæ non aceruo nummorum suam debeat originem. Quibus in- C montibus aurum habet suarum venarum principium, ex eisdem nunc plerique habent illustrium natalium suorum primordia, & vnde argentum atq; reliquum æs emitur, ex quo cuditur pecunia, inde plurimorum hodie, nobilitatis insignia, proferuntur.

Veterum fabula est. Heraclem, quoties Amalthææ cornu ad conflictum veteretur, semper victore è certamine reuersum. Quæ illa vis incornu, aut quod in figmento illo mysterium? Respondent nonnulli, A- D malthæam diuitem mulierem, omnẽ suam pecuniam in quodam cornu detinuisse, quâ emebat Herculi omnia, quæcunque voluisset, aurum proinde vincebat Herculem, auro quoq; vicit Hercules. Quia mundi nummus Dominus; sed quid magnum dixi, quòd nummum numen omnipotens mundi appellaui, cum is nonnunquam cælo etiam plus valeat. S Chry Affirmat hoc audacter S. Chrysosth: sosth: Hom: 22. ad populum. *Regnum in-*

quit *Calorum non tantùm valet, quantum pecunia imò nec minimam partem.* Mirum forsan & audax nimiùm videtur hoc Chrysosthomi dictum, sed omninò verum. Occisus est quispiam, rogantur consanguinei per Deũ, per vulnera Christi, & regnum cælorum, vt detur Homicidæ venia: inexorabiles tamen manent, effusi sanguinis vindices: offertur postmodùm magna vis auri, en statim placantur animi ceditur iuri, & reus criminis absoluitur. Ecce quàm multum potest pecunia. Sed quàm miserum sit hominem, qui regia quadam potestate rebus omnibus ex Deo præsidet, in tantam vilitatem animum nostrum deijcere, vt subijciatur auro, cùm sit omnibus multò pretiosior, pecunia verò vilis vt potè rotunda & inconstans. Quærit Pius secundus Pontifex, quare pecunia domos sapientum fugiat, rudium verò & amusorum hominum ædibus sese plurimum insinuet. Rara enim auis in terra, homo sapiens, ac singulariter doctus, qui sit locuples, locorumq; simul & opum diues. *Nemirére*, Respondet S. Pon- Pius II. tifex, *non fortuna est quæ viros bonos pe-* Papa. *cuniâ priuat.* Sed habent ipsi nimis nescio quid sensûs: sunt enim ambitiosi & honoris cupidi: non teneri, sed tenere volunt. Numi verò quietem amant, libenter apud auaros sunt, qui eos Scrinijs claudentes, singulis horis visitent, atq; honorent, nec alibi cor habent quàm cum eis: apud Sapientem sunt pecuniæ quasi ancillæ, nunc huic rei, nuncilli seruientes.

Sapientes vos omnes Catholici mei voluit esse Deus, quia cælesti sapientiâ per spiritum sanctum illuminatos, vt sciatis vestro honore vti: Proinde cùm duos dominos crudeles spectetis, diabolum, & nummum, qui seruos in confusionem, perpetuam adducunt, fugite vtrumq; & solum amplectimini Deum, illi ad omnia obsequia parati; quia huius vni⁹ seruitus regalis præeminentia est, nec libertatem hominis minuit, sed cum summo honore illam sociat. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Nemo potest duobus Dominis seruire. *Matth: 6.*

Mundus suos seruos crudeliter captiuat, Deus liberaliter præmiat.

ADhuc aurea secula vigebant, cùm serui mensæ Domini accũberent, quia sic omnimoda potiebantur libertate. Nam vt refert Tertullianus. Romani olim volentes seruum libertate donare, illum secũ accumbere & eodem vesci ferculo iubebant, eaq; re manu missus & liber censebatur. Aureæ & tunc fluebant horæ, cùm serui coronis redimiti, in præsentiam dominorum suorum veniebant: quia non sine magno præmio tantus eis cedebat apparatus. Nam fatetur Tertullianus, de coronis militum, quòd, cùm donatiuum militibus & seruis Imperatorum iussu dari deberet, moris fuerit, vt illud accepturi, ob Cæsarũ solemnia coronis redimiti accederent. Albi adhuc dies serenaq; momenta voluebantur, cùm serui fuluo & gemmis conspicui, suis astarent Dominis, quẽ admodùm memoriæ prodidit antiquissimus Iosephus lib: 9. Cap: 2. Salomonis equites aureo puluere Cæsariem conspergere solitos fuisse, vt ad solarium radiorum cõtactum, fulgor à Capitibus eorum reflecteretur, sicq; nitidiore suo cultu Dominum proprium mirificè recrearent. Nec mirum: quia tunc vno quisq; contentus erat Domino, vnitas autem cùm bonitatem sibi ãnexam habeat, nonnisi optima quæq; conferre potest: sed ferrea postmodùm successerunt tempora, cùm & Dominus vno haud contentus imperio, plura sollicitè quæritare regna; & famulus vnum abominatus obsequium, multis temerè adscribi famulatibus cuperet: tunc enim seruos asperius tractare, in captiuitatem redigere, & in duram Gentibus seruitutem venundare cæperunt Domini. Nec mirum: monstra horrenda fugit Natura? Mõstrũ erat inter Deos apud veteres Ianus biceps, & ideo ita illum abhorrebant Romani, vt nemini apud eos per Ianum Deũ iurare licuerit. Monstrum erat inter animalia cerberus triceps, & ideo portæ inferorum alligatũ illum esse voluit Pluto, ne ampliùs in conspectu hominũ, horrenda illa bellua compareret. Et quod maius monstrum esse potuit; quàm hominem obsequio, & mente diuisum esse: & Deo & mundo simul seruire velle. Monstrosus homo est, qui duobus Dominis famulatur, qui voluptati dare operam vult simul & sanitati; qui Christum induit, nec tamen in nouitate sensus vult reformari. Fatetur hoc clarè Mellifluus Bernardus, qui propter eximiam mẽtis suæ humilitatem, existimans se nondum res humanas in totum abdicasse, nec in diuinum obsequium se totum impendisse ita de seipso queritur Epistola 249. *Clamat* inquit *ad vos mea monstrosa vita, mea crumnosa conscientia: ego enim quadam himera mei seculi, nec clericum gero, nec Laicũ: Nam Monachi iam dudùm exui conuersationem, non habitum.* Hæc est vnica causa Catholici mei. Cur misera seruitus in orbem introducta sit, quia homo mente diuisus, & suauissimos latices ac iucundissimum nectar de fontibus saluatoris haurire, & simul turbulentissimas aquas, ac teterrimũ venenum de cisternis dissipatis, & cænosis lacubus mundanæ voluptatis epotare satagit. Non enim Deus creauit seruum, sed Dominum Gen: 1. *Faciamus* inquit *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, vniuersæ terræ.* Non est introducta seruitus in mundum iure diuino: quia, *gloriâ & honore coronauit Deus hominem, & cõstituit eum super opera manuum suarum:* Psal: 8. inquit regius vates, Psal: 8. Sed humanâ temeritate & imprudẽtiâ, seruitus

Tertul:

Ioseph:

Ianus inter Deos monstrũ inter animalia cerber inter homines multorũ seruus.

S. Bernardus.

Gen: 1.

Psal: 8.

aditus irrepsit aspera, cùm homo duos omnino Dominos habere vellet: per quod quia monstrum quoddam horrendum factus erat, male ab orbe tractari, & in seruitutem venundari cæpit. Duos proinde ego vobis monstrabo Dominos, quorum vnus vos coronat, alter captiuat, atq; cui ex illis vobis adhærendnm sit, ostendam.

Duplex est Dominium, verum scilicet & apparens, Dominium verũ illud dicitur, quod est hæreditarium, perpetuum, plenam potestatem in rem sibi subiectam & eius vsum continens; Dominium autem apparens est, quod non nisi ad tempus conceditur alicui, idq; solum quoad vsum rei, non quoad proprietatem. Et quidem Dominium verum est penes solũm Deum, attestante id Ecclesia, *Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus.* Solus Deus & re & nomine est verè Dominus vniuersorum, in cuius rei testimonium Summo Pontifici lege veteri mandatum erat, vt nomen Domini super frontem gestaret, ostendendo solum Deum esse, qui dominatur vniuersis creaturis. Hoc ipsimet Fidei lumine destituti gentiles, agnouerunt, Nam Tyberius referente Tertulliano, cùm esset magnus Imperator, acceptâ Epistolâ, in cuius titulo appellabatur Dominus, deleuit hunc titulum, & inscripsit Reipublicæ seruus. Prudenter iudicans nulli mortalium, verum competere Dominium, nisi apparens, cùm homines sint fragiles naturâ, & sola potentia & dominatu fortes; Hinc Epictetus in Cap: 20. Enchyridij Quærit, Quis sit Dominus? & respondet; *cuius ꝯ Dominus is est, qui ea quæ ipse vult, aut non vult, potestatem habet conseruandi, aut eripiendi, quod soli Deo conuenit, ad cuius venerandum nomen omnia tremefacta cadunt, & eius iussa exequuntur.* Nam inter pleraq; mirabilia & prodigiosa, quæ diuinum nomen in terris operatur, illud singulare referunt Thalmudistæ, teste Iacobo de valentia: quòd dùm templum Hierosolymis ædificare deberent architecti, adeo impediebantur aquarum inundatione, vt nullo modo sufficientia fundamenta iacere possent, quousq; multis orationibus & mortificationibus præmissis Architoph, laminæ argenteæ inscriberet nomen Tetragramathon, illudq; proijceret in aquam, quæ illicò recessit versùs Centrum terræ, nec ampliùs fabricã ædificij impediuit. Et quoniam eo miraculo facto, subsecuta esset aquæ penuria in vrbe, ita vt nec puteos repleret, nec vllo artificio adduci posset, aliud quoq; miraculum in diuino nomine quærere necessum erat. Nam scripto iterũ diuino Nomine, & proiecto in profundum aquarum, coniurando aquas, mox illæ ascenderunt sursùm, quantum necesse fuit. Quocirca post consumationem templi illius, tanti memores beneficij Hebræi, instituerunt Canticum Graduum, seu iuxta translationem Chaldæam, Canticum pro ascensionibus abyssi, quod ad hæc vsq; tempora Catholica Ecclesia obseruat, quæ certis temporibus eosdem Psalmos Graduales decantat. Solus proindè Deus; est verus Dominus vniuersorum, quoniam ille solus disponit & moderatur omnia, res sublunares & cælestes, terrenas & diuinas, mixtas & Elementares. Homo autem est Dominus tantùm apparens, quia licet illum Deus in creatione coronauit gloriâ & honore, & constituit illum Regem super omnia manuum suarum opera, tanquàm vicè Deum. Non tamen illum constituit Dominum super homines, vt præclarè discurrit Diuus Augustinus libro de Ciuitate Dei 19. Capite. 15. *Rationalem* inquit *factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori.* Ac proindè omne terrenum dominium, vanum, leuè, & caducum est, vt optimè Laconum conuiuia insinuabant. Aptabant illi in conuiuijs moderatis tres Choros, secundùm tres hominum ætates, primus qui senior erat canebat: *Nos olim validi fuimus iuuenes.* secundus florentis ætatis respodebat: *Nos autem*

Summus sacerdos Synagogæ cur nomen Domini in fronte gestabat

Tertull:

Epictetus.

S. Aug:

Laconũ conuiuia

tem sumus, ac si vis contemplare, tertius puerorum, resonabat: *At nos erimus multò fortiores*. Quid hæc tragica scæna nobis ob oculos ponit; equidem flatum venti, turbinis strepitū, vanitatis fiduciam, Dominum te iactas ô homo, sed mox infirmitas, casus, hostis mors, totam spem & intentionis ardorem, in momento confundit, & euertit: mundi splendoribus & possessionibus confidis, sed & hæc omnia perpetua vicissitudo, inconstantis fortunæ rota girat.

Soldan. Cuius rei memor Soldanus quidam à Rege Franciæ captus, cùm mente fixus lapidis instar aliquantum hæreret, interrogatus, quæ eum inuaderet imaginatio. Currum in quit contemplabar & eius rotas, vt earum aliæ partes in imum, aliæ in summum obuertuntur. atq; hanc inconstantis hominum fælicitatis imaginem sentiens, risi, quòd in mentem mihi veniret, posse fieri, vt quemadmodùm ex summo infimus factus sum, ita ex humili rursum loco ad prius, attollar fastigium.

Si igitur soli Deo verū dominiū cōpetit, mūdo nō nisi apparēs, quis in eam non pronus ibit sentētiam, quòd Deus sit talis Dominus, qui suos seruos coronat, Mūdus verò qui eosdem captiuat. Coronat Deus seruos suos, quia seruire Deo regnare est, inquit S. Antonius, qui autem regnat, coronā redimitus esse debet. Et quis Mortalium tam glorioso Domino

Philo. seruire repudiabit; Cum Philo Hebræus libro de Cherubim dicat, *seruire* inquit *Deo maxima est gloriatio, non modo libertate maior* sed & diuitijs, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales admirantur, pretiosior, coronat Deus suos seruos, quia hominem in vita & moribus probum, liberum & similem sibi facit: *reuera*

Sophocles. inquit Sophocles, *solus liber est, qui solum Deum sequitur*. Imo vt equidem sentio, imperium habet in terrestria, tanquàm immortalis summiq; regis mortalis Filius, & quid eiusmodi reperitur in orbe, quod seruo Dei non obediat, seruus erat Dei Moijses &

Seruus Dei omnia obediunt

A Aaron, & ideo ad eorum imperium aqua totius Egypti in sanguinem versa erat. Seruus Dei fuit Elias, & ideo coruus latitanti in spelunca panes quotidiè deferebat, seruus erat Diuus Hyacinthus, & ideo aqua potuit sustinere ambulantem, & in pallio eius super aquas expanso socios per fluminis impetum transferre. Quid hac seruitute glorioſius? in qua tàm libera homini conceditur potestas, & tàm præclara dignitas confertur, vt qui Deo seruit, simul regnet. Quod Probat Diuus Ioannes, Verbum Incarnatū alloquens. Apocalypsis 5. *Fecisti* inquit *nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terrā* Apocalypsis 5. quasi diceret. Quos omnipotentis filius veniens in terras Deo in veræ fidei confessione mancipauit, & suis obsequijs addixit, simul eis potestatem regnandi contulit. Sed res admirationis plena, quomodò homo qui se in perpetuum seruituti diuinæ consecrauit, super terram regnare potest. Verùm re-

C spondet argutè satis Rupertus, ad hunc locum. *Confitentur* inquit *omnes redempti; & verum dicunt quia sunt serui Jesu Christi, qui eos redemit, quia ipse qui redemit, non seruos sed amicos, non subseruientes sed conregnantes & cohæredes sibi fecit?* adeò vt licet peccatores pœnitentes, conditione sua sint serui emptitij; dignatione tamen Iesu Christi, constituti sunt veri amici. Et certè si inueterata olim vigebat consuetudo, non solùm apud Romanos, sed etiam apud Hebræos, victi-

D mas coronatas immolari, vt testatur Plinius libro 20. Capite 5. Et virgilius Capite 2. Æneidorum, cui traditioni consonat illud, quod narrat Diuus Lucas, Actorum 24. quòd scilicet Lystrenses Barnabæ & Paulo tanquàm dijs sacrificare volentes, secum duxerint sacerdotem, tauros & coronas, quibus immolandæ victimæ coronandæ erant, quantò magis decebat, vt summus ille Sacerdos Christus Iesus, nos Patri æterno reconcilians, & iugum legis diuinæ nobis imponens, vt inquam nos omnes

Apocalyp. 5.

Act. 14.

mnes coronatos omnipotentis maiestati præsentaret, Coronâ virtutis & gratiæ, siue Triumphali si ad Cælestem illam Ierusalem, post assiduam præsentis vitæ pugnam, cum victoria de peccatis redimus, siue obsidionali, cùm tot alios seruitutis iugo misero pressos, de captiuitate diaboli eripimus. Sed ego triplicem potissimùm reperiò coronam, quam Deus capiti suorum seruorum imponit,

B vnam misericordiæ, alteram iustitiæ, tertiam gloriæ, quod insinuat

S. Bernardus. Diuus Bernardus. *videbunt eum filiæ Sion animæ affectuosæ in corona misericordiæ, & innitentur, videbunt eum impij in corona iustitiæ, & peribunt, videbunt eum sancti in gloriæ corona, & gaudebunt*. Et quid est aliud corona misericordiæ, nisi diuina prouidentia, quam Deus circam nos sollicitè gerit, quod veteres illi ingeniosè figurārunt: efformabant illi Deum ita, vt ab eius ore vniuersa mundi natu-

C ra, in forma globi prodire videretur, quo suo artificio, ostendebant, à Deo omnia produci & conseruari, atq; per debita media in suos fines dirigi. Vnde Tytus Vespasianus, in sua moneta excussa, manum spicam tenentem insculpi iusserat, tali inscriptione apposita. *Prouidentia Deorum, quies Augustorum*. Quasi dicere vellet: & abundantia alimentorum, & quies regnorum, & populorum tranquillitas, & pax ciuitatum, sunt opus Prouidentiæ diuinæ. Idem expressit Traianus (vt

D refert Curtius) qui depinxit prouidē tiam cum sceptro in manu, & infra sub manu mundum. palam faciens totum mundum de misericordissima Dei manu alimentum expectare, sed hæc diuina prouidentia triplex est, Generalissima & communis animatis & inanimatis, brutis & hominibus, nam ad diuinam prouidentiam spectat, gubernare cælum & terram, atq; in Cælo regere Angelos, in terra homines, & iumenta, arbores, & cætera animalia, pisces in aquis, & volucres in aëre. Et hæc prouidentia diuina ita succurrit omnibus, vt vilissimis etiam creaturis deesse nequeat.

Prouidētia cur sceptrū manu tenet & infra mundū.

Matt. 18 Quid enim vilius passeribus? & tamen ne vnus quidem ex illis cadit super terram sine voluntate Dei Matth: 18. Quid horribilius balenâ, nihilominus tamen Deus, quoniam cæca nascitur, prouidit ei piscículum panium, qui per loca maris profunda, magnitudini eius proportionata eum deducat, ne in terram siccam irruat.

Balena cæca nascitur.

Quid contemptibilius mustellâ venenato basiliſco perpetuo insidianti, quæ dùm à basiliſco ad conflictum euocatur anhelitu rutæ, quam paulo ante eo fine manducauerat, basiliſcū fugat. Quid abiectius Ciconiâ; quæ foliis platani, munit nidum, ne à noctuis pulli rapiantur: noctuæ enim timent, nec ferre possunt odorem foliorum platani? quid causæ quòd circa aquilam senilem grues volitant, illiq; inseruiunt, diuina certè prouidentia omnibus communis, hoc præstat, ne vlli creaturæ in suis necessitatibus naturam concernentibus, quicquam desit. Altera prouidentiâ est specialis circa homines, quâ Deus sapientissimè prouidet, res ad necessitatem hominis spectantes. Et licet perpetua rerum vicissitudo fiat in rebus humanis, diuina tamen prouidētia minime desistit, quin immò permittit prudenter multas oboriri aduersitates, ad maius hominis exercitium, vt hominem scilicet monitū reddat, quòd nullam securitatem habeat præsens vita. Permittit vt mali persequantur bonos, scilicet Turcæ, Tartari, Hæretici Catholicos, nec tamen hoc diuinam prouidentiā labefactat, quòd sceleratis bona eueniant; Dei verò seruis pleraq; aduersa: quia quosdam hominum Deus ordinauit, ad ministerium domus suæ, scilicet omnes in fide Catholica natos, & bonis operibus inhærentes, & hos vult viuere sub iugo legum, pati inediam, tribulationes, vt tandem aduenīente nocte mortis, ipse deijciat hoc iugum, educendo fideles suos sanos in prata beatitudinis. Quosdā verò destinauit ad sacrificandū igni, vt sunt omnes iugum Christi excutientes

Prouidentia Dei specialis circa hominem.

Deus permittit bonos affligi & malos licentiosè viuere.

entes, & hos non adigit legibus, sed A permittit licentiosè viuere, non agnoscere diem malum, splendidis vestiri indumentis, byssо & purpurâ ornari, odoribus perfundi: auro, gẽmis, onerari, quia eiusmodi homines, sunt tanquam animalia ad sacrificiũ præparata, quæ non laborabant, non trahebant iugum, non sentiebant calcaria, verùm serta in collo gestabant, sed omnibus hisce hora sacrificij priuabantur. Et hæc est magna Dei prouidentia circa res humanas, vt eos qui æternis deputati sunt sup- B plicijs, hic ad tempus prosperis omnibus afficiat, qui verò beatitudinis curules conscensuri sunt, æquum videtur, vt hic dùm viuunt, aduersa sẽtiant, quoniam per ardua in sublimè tendere virtutis & perfectionis est; specialissima tandem Dei prouidentia est, quando omnibus succurrit, inæstimabilibus redemptionis suæ beneficijs, quibus suffulti, gloriam illã ad quam conditi sunt assequi valeant. Est certè hæc prima corona quã Deus suis seruis imponit, misericordia sci- C licet, quam ille tribus digitis contexuit, & nostris imposuit capitibus, creatione, conseruatione, & redemptione, vt dicitur primæ Petri 2. *In hoc vocati estis quia & Christus passus est pro nobis*. 1. Petri 2

Sed est adhuc altera corona, quã suis imponit seruis: scilicet: corona iustitiæ, quæ corona ex tribus componitur, nimirum: ex submissione, fidelitate, & obsequio: ex submissiõe, quando homo debitum honorem Deo libenter & reuerenter exhibet: D ex fidelitate, quando mandata eius custodit, nec ea in vlla re transgredi vult: denique ex obsequio, quando homo suo libero arbitrio vtitur tantùm ad vsum honestum, & Deo placentem: hanc coronam iustitiæ imponit Deus suis seruis sanctè & piè in hac vita viuentibus. Imò dicam amplius, ex suis seruis Deus præpotens vnigenito filio suo coronam cõficit, teste D. Hieronymo, qui in Caput 9. Zachariæ Iustos vocat lapides Christi diadematis: *Lapides* inquit *sancti in tantùm leuati sunt leues, & in sublimè nitentes, vt non præstolentur ædificantium manus, sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi, & contineri, angulari lapide*. S. Hieronymus.

Tertia adhuc corona, quâ Deus suos redimitos facit, est corona gloriæ, vt inquit Psalmist: *Gloriâ & honore coronasti eum Domine*. Hanc coronam Princeps Apostolorum Christi Domini seruis pollicitus est in Epistola Canonica Cap: 5. inquiens: *Cũ apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem Dei coronam*. id est: vt exponit D. Augustinus in libro de Agone Christiano: *Coronam gloriæ & beatitudinis*. Sed coronam hanc non potest obtinere, nisi ille qui in obsequio Christi incessanter perstiterit, dicente Gentiũ Doctore. 2. ad Timoteum 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*. In cuius veritatis figuram Exod: 28. præceperat Deus, vt sacerdotes habitu longo in terram vsq; defluente amicti incederent. Quid habitus iste in terram vsq; defluens significat? quàm rectam Christiani hominis vitam, vsq; ad eius sepulturam, ac vltimum vitalis auræ halitum durare debere. Deus enim illis tantummodò gloriæ coronam daturus est, quorum in eius seruitute & obsequio, vsq; ad extremum spiritum constans durat perseuerantia, teste D. Ioanne Apocalypsis 2. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Bonus igitur Dominus & verus Deus, quia facit misericordiam timentibus se, retribuit iustitiam facientibus abundanter, & pro meritis huius vitæ exiguis, coronam gloriæ præbet. Et quis est alter ille Dominus, qui suos seruos captiuat? sed ostendit illum Christus suis Discipulis inquiens: *Nolite mirari si vos mundus odio habet, quia priùs & me odio habuit*. Mũdus infelix, quia est apparens tantummodò dominus, quia in exiguum spatium concessam sibi habet facultatem rerum prætereuntium, tyrannicè suos seruos tractat, & illos captiuat. Nec mirum? quia totus mundus in maligno positus, ideoq; nescit nisi mali-

Psal: 8.

Petri 5.

S. Aug.

2 Tim: 2

Sacerdotum habitus ad terram defluens rectam vitã significat

Apoc: 2

malignè cum suis procedere adhæ- A rentibus.

Mundo seruiuit infelix Iudas, diuitiarum lucra cupidè quærens: & quod præmium ab hoc crudeli domino retulit? non aliud, nisi vt mente excæcatus, in nocte & tenebris innocentem traderet Iesum. Sed mox & ipse laqueo suspensus, effusis in terrã visceribus, infelicissimè in tenebras æterni cruciatûs defluxit. Mundo seruiuit Simoniacus ille Elisæi puer Giesi, multa munera à Principe Naaman sanato à lepra accipiens, quasi id B Prophetam Elisæum lateret, sed mox maledictione Elisæi perfusus, in se, & suos successores, fœdissimam lepram euocauit. 4. Reg: 5. *Accepisti argentum & accepisti vestes vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas, sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsq; in sempiternum*. Paucine sunt modò, quos tanta inuasit auaritia, vt & pro ipsis reb⁹ sacris, ac Deo dicatis, sub fictis quibusdam formalitatibus, munera accipere, minimè erubescant: quasi Deum lateant C hæc figmenta eorum. Sed male illis cedunt mundi obsequia; quia dùm illis toto animo inhiant, tartareis adiudicantur pœnis, vt ibi cum suo auro iniquè congregato expoliantur; sed non ampliùs ad vsum & vtilitatem: quia mundus tanquàm apparens dominus, quos semel in captiuitatem detrudit, non ampliùs in libertatem dimittere solet, quod præuidens Salomon Prouerb: 23. Consilium tale filijs hominum præbet. *Noli laborare nimium, vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum*. Vbi non reprehendit Salomon diuitias, non vituperat prudẽtiam, in congregandis opibus, sed nimiam tantummodò abundantiam, & excessum impugnat. Neque enim casu ac prudentiâ diuites fiunt homines, sed diuinâ prouidentiâ, teste Salomone Prouerb: 22. *Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusq; est operator Deus, sed vsum diuitiarum iniquum vituperat*. Nam si diuitijs vteris, vt egẽtibus succurras, domini Dei seruus es: dicente Gentium Apostolo 2. ad Corynth: 8. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Verùm si diuitijs in fastum & arrogantiã, in libidinem & luxuriam, in oppressionem subditorum, & afflictionem abuteris. Mundi seruus es, qui totus mẽte excæcatus iam in captiuitate peccati detineris, ignorans; quòd hæc omnia in terris relinquere debeas; vt Eccl: 11. docet Sapiens Eccl: 11. *Nescit quòd tẽpus præteriet & mors appropinquabit, & relinquet omnia alijs, & morietur*. Mẽdacijs & periurijs plen⁹ es. Mũdo apparẽti Domino seruis, nec aliud nisi apparens præmiũ recepturus es, quia merces labori proportionata esse debet.

Qui mũdo seruiunt miserè pereũt

4 Reg: 5.

Prou: 23

Ibid: 22.

2. Corinth: 8.

Mirabile refert Scriptura quidpiam Actorum 5. temporibus Apostolorum, cùm homines Christiani bõa, sua venderent, & pecuniam pauperibus erogandam ad Apostolos deferrent, Anania & Saphira, venditis etiam suis bonis obtulerunt Petro pecuniam; & tamen Scriptura dicit, eos fulmine percussos subitò interijsse. Quid causæ, quòd pro bono opere non præmium, sed pœnam retulerunt? Causa est Catholici mei, quia mundo seruiebant, nam cor eorum erat in possessionibus D E O oblatis, nam dicit scriptura, dicebant se totum offerre, cùm tamen sibi partem reseruarent: idcirco quoniam mentiti erant Spiritui Sancto, maledictionis fulmine à Petro percussi, cælesti vltione profligati, subitò expirârunt. O quantus his temporibus Catholicorum eiusmodi numerus? qui D E O quidem offerunt munera, vt appareãt mundo esse liberales: tales mendaces sunt & mũdo seruiẽtes, neque Deus acceptat oblationes eorũ cùm magis illi placeat fidelitas in homine, quàm holocausta & victimæ. Pleriquè de rapinis & alienis bonis, templa D E O ædificant, Xenodochia extruunt: verùm quia sunt serui apparentis Domini, scilicet mundi, quia propter ostentationem, hæc omnia faciunt, & mentiuntur Spiritui Sancto, hoc quod est alienum offerendo tanquàm suum, idcircò, tanquàm ser-

Act: 5.

ui inutiles huius mundi, non præmia, sed captiuitatem inferorum sibi promerentur. Sed fortassè illa Christi doctrina non paucos confortabit. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.* Luc: 16 Fortasse nonnulli opinabuntur, quòd licet de iniustè collectis opibus, homo aliquid Deo offerat, adhuc tamen de illo mereri possit. Sed errant grauiter, Mammonam enim iniquitatis, Christus vocat diuitias huius mundi, quæ vt plurimum ad iniquitatem hominem incitant; vt scilicet ostendat, hominem etiam diuitem posse esse B gratissimum Deo, si sit Dominus diuitiarum, non autem seruus, quales fuêre Abraham, Iob, Thobias, cæterùm non intelligit bona per fas & nefas congesta, opes per oppressiones, & rapinas congregatas: nam talia non tantùm sunt mammona iniquitatis, sed etiam mammona iniquorum, quos abominatur DEVS. His ergo duobus Dominis nemo seruire potest, Deo scilicet & mundo, quia sibi sunt contrarij, & mentem hominis diuidũt, ac proinde mõstrosam ac bicipitem faciunt; Nemo potest seruire C Iustitiæ & iniquitati, quia hæc ad rapiendum aliena; illa ad reddendum vnicuiquè quod suum est, inclinat. Nemo potest seruire continentiæ, & voluptati: quia illa austeritate corpº hominis afficit, hæc in omia vitiorũ genera effrenatas laxat habenas, cum quibus in præceps ruit homo, & æternæ captiuitati adiudicatur. Verùm si vult homo æternis affici præmijs, mundum deserat, & diuinis obsequijs seipsum mancipet, necesse est. Nam solus Deus vt potè verus Domi- D nus, seruos suos præmiat & coronat, quæ Dei seruitus, in quatuor potissimùm consistit, scilicet in sanctitate, æquitate, pietate, & castitate; Consistit in Sanctitate: Nam Leuitic: Leuit: 10 10. dicitur. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Sed quia hanc sanctitatem homo habere non potest, nisi per gratiam Dei. Leuitic: 22. *Ego* Ibid: 22. *Dominus sanctifico vos, vt mihi seruiatis in sanctitate, & vt sine querela viuatis in hoc seculo.* Vnde dicit Apostolus 1. ad Thessalonicenses 5. *Ipse Deus pa-* 1. Thes: *cis sanctificet vos per omnia, vt integer* sal: 5. *spiritus vester & anima & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Et quid est aliud hæc sanctitas, nisi piè & iustè viuere in hoc seculo, nec operibus malis polluere nomen sanctum Dei, hanc sanctitatẽ proponebat quondam Diuus Hieronymus in Epistola ad Demetriam. *Bo-* S. Hie- *num est* inquit *obedire maioribus, parere* ronym: *perfectis, nec præceptore vti pessimo.* Scilicet Præsumptione, sed plerumquè diabolus ab hac vera sanctitate auocat homines, fictam illis proponens, (dum efficit annuente Beato Isidoro S. Isid: libro 2. Cap. 12.) vt pænitentes non ex vera cordis compunctione, sui accusatores fiant; sed tantùm vt ex ficta humilitate confessionis, locum inueniant sanctitatis. Expertus est hãc astutiam Diaboli Sanctus Vincentius Ferrerius, ex ordine Sancti Dominici, cuius sanctitatem omni conatu voluit impugnare diabolus, cùm enim librum de Virginitate Deiparæ Sancti Hieronymi legeret, ipsamq; obsecraret, vt eius Virginitatem custodiret. Vox quædam super eum facta est, non omnes possumus esse Virgines: & licet hactenus Virginem te appellare voluisti, tamen non patiar vt deinceps, tàm honorato nomine gaudeas. Attonitus Vincentius, tacitus mente secum voluebat, quid sibi vellet hic sermo; non credens eam Virginis esse vocem, quæ Virginitatis custodes semper amat. Igitur petijt instanter à Deipara, vt sibi ostenderet, cuiusnam vox illa esset, & quid portenderet? vbi plena lucis Deipara apparuit ei, alloquens eum, verba illa diaboli fuêre, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, tu verò cautus esto & constans; & licet Virginitatem tuam impugnabit, tamen spera in Deo, qui tibi erit Clypeus; ex qua Virginis allocutione, ita confortatus erat Vincentius, vt non homo, sed Angelus videretur. Deindè seruitus Dei vera consistit in æquitate: nam qui iniustè operatur, seruus est diaboli, qui est pater men-

dacij

dacij & omnis iniquitatis: qui verò A iustitiam sequitur, est Dei Filius, cum iustitia sit attributum Dei. Vnde di- 1. Ioan: citur 1. Ioan: 1. *Si scitis quoniam iustus Dominus est, scitote quoniã & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.* Status verò Christiani in æquitate principaliter fundatus esse debet, vt rectè operando omnia expectetis à Deo: ille enim est remunerator bonorum & malorum: bona præmijs gloriæ, mala cruciatibus pœnæ recompensabit, vt dicit Beatus Ioannes Apocaly- Apoc: 7. psis 7. *Vidi post Dominum turbam ma-* B *gnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, qui amicti erant stolis albis.* Et quæ est ista turba? non alia, nisi congregatio fidelium, quæ à Domino retributionem expectatam recipit, quam præmiandi in Deo beneficentiam, extollit D. S. Anzel- Anselmus, in meditatione inquiens: mus. *O Dei Sapientia! bene adornasti eos, in opus sacri ministerij tui: Hi sunt viua sidera superioris cæli; lilia interioris Pa-* C *radisi, rosæ plantatæ super aquas Siloè, quæ confluunt cum silentio, & ibi in radicibus adhærent immobiliter.* Tertiò Dei seruitus consistit in Pietate: quæ pietas potissimùm elucet in referendo cultu & honore Deo, vt dicitur Ma- Ma- chabæorum 1. *Si ego Pater, vbi est ho-* chab: 1. *nor meus.* Hæc certè pietas quâ Deum honoramus, omnia penetrat, omnia ex cogitat, perfusus erat pietate S. Cam: in Deum Beatus Cantius, ideo non arduum illi erat tempore frigoris vestes, & tempore famis portiones suas pauperibus ac egentibus suppedi- D tare: Denique seruitus Dei consistit in castitate. Vnde Origenes super Le- Origen: uitic: Homilia 8. dicit. *Nescitis si Corpus nutriatur, & ipsum frequenti mollitie ac iugi deliciarum fluxu foueatis. Insolescit caro aduersus spiritum, & fortior illo efficitur; quod si fiat, sine dubio in ditionem suam, redactum spiritum cogit, suis legibus & vitijs seruire.* Verùm qui in castitate seruit Deo, dabit ei Dominus in domo sua locum, & nomẽ melius à filijs & filiabus, dabit nomẽ sempiternum. Non patitur DEVS quicquam nocere homini casto, quia castitas est galea salutis, gladius defensionis, lorica victoriarum, toga æternitatis.

Ecce igitur vobis monstraui duos dominos, Deum & mundum; sed mundus cùm sit apparẽs tantùm Dominus, suos seruos captiuat. Deus cùm sit verus Dominus, præmiat & coronat; si igitur libertatem affectatis, ad quam Deus vos condidit, & captiuitatem ac seruitutem fugere vultis, deserite mundum, & si longo tempore ei adhærebatis in voluptatibus, per reliquum tempus commissa deflete crimina, arripiendo Dei obsequium, cui seruire tenemini, tùm propterea, quòd hoc voueritis in baptismo renuntiando diabolo. Proinde non est, cur vestra promissa exequi differatis, cùm dicat sapiens Eccle- Eccl: 1. siastici primo. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* Multò meliùs est enim non vouere; quàm post vota, promissa non reddere, tùm propter carissimam emptionem, quia pretioso Christi sanguine, ex perpetua captiuitate redempti estis. 1. ad Corinth: 6. 1. Co- *Empti estis pretio magno, glorificate &* rint: 6. *portate Deum in corde & in corpore vestro.* Tùm denique, quia merces copiosa in cælo vos ad diuinum obsequium allicere potest, vt dicitur Mat- Matt: 6. thæi 6. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Arripite igitur Dei obsequium, clamando cum Propheta: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram.* Hoc est; nolo diuisus esse, ad tuum & mũdi obsequium, sed tibi tantùm seruire volo, vt coronã gloriæ apud te merear, quã fidelibº tuis seruis præparasti in æternum. Amẽ.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA.

Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; aut corpori vestro, quod induamini. Matth: 6.

Sollicitudo circa bona temporalia, quæ saluti obsunt, inhibetur; secus circa ea, quæ fundantur in Dei timore.

DElicatum satis hominem Deus in mundo esse voluit. Auditor. omnis penitus sollicitudinis expertem, vt sic homo veluti rex quidam, omni rerum copiâ affluens, & omnem sibi semper Dei prouidentis abundantiam possidens, arctiorem cum inamissibili diuina felicitate amicitiam iniret, Amicos enim nos agnoscit. Ioannis 15. *Vos amici mei* Ioan: 15 *estis, iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Et hic est profectò, quod admiremur tantum Dei in nos amorem, qui quod omnibus creaturis negauit, id nobis duntaxat concessit. Negauit illis veram secum amicitiam, homini illam vltrò contulit. Quid enim quæso aliud dicemus esse amicitiam, iuxta doctrinam Aristotelis in Ethicis, nisi perfectam sui ipsius alteri cõmunicationem, quam à Deo nulli creaturæ præter hominem concessam esse videmus; Inspiciamus creata inanimantia, prout sunt saxa, & lapides, hæc in solo esse à Deo sibi participato, cum suo creatore communicant. Consideremus animata entia; vt plantas, & arbores: hæc in solo esse, & viuere cum suo conditore participato conueniunt; Perpendamus sensitiua animalia, illa & esse, & viuere, & sentire, diuinum, participant. Trutinemus cælestes intelligentias, communicant illæ cum cælesti numine, in esse viuere, sentire, & intelligere; sed necdùm perfecta est Dei attributorum cum illis communicatio. Expendamus denique hominem ad imaginem Dei creatum, in hoc solo perfectam Dei amicitiam reperiemus. Participat ille esse diuinum, Formam illius toti mũdo repræsentans: participat viuere, non mundanum hoc & temporale, sed æternum, & ad cælestem ordinatum felicitatem: Participat sentire, non brutale illud, & ad carnis tantùm obsequium, atq; corruptionem inclinans, sed spirituale & ad perennem acquirendam salutem mouens: non B terrena homini sapida proponens; sed Dei solius gloriam dulcorans. Participat intelligere, non illud solũ Angelicum, in spirituali mente Deũ agnoscens, sed subtilius longè & acutius, in mortali etiam corpore Deum eiusq; inscrutabilia mysteria, per discursum atq; fidei reuelationem, inuestigans. Sed insuper participat & ipsum esse Deitatis, cum Deus homo, & Homo Deus factus est. Et quemadmodùm Aristoteles 8. Ethi- C corum Cap: 3. duplicem amicitiam statuit; æqualitatis videlicet & Excellentiæ, hanc vtramq; vltra omnes creaturas Deus cum homine contraxit. Contraxit amicitiam æqualitatis, hominem per vnionem hypostaticam ad tantum euehens honorem, qui soli Deo debetur. Contraxit & amicitiam Excellentiæ, vt scilicet homo licet incomparabilis sanè cum Deo gradus, ad eundem nihilominus finem, scilicet æternæ felicitatis metam, tendat; in eoq; per omne æuũ D cum Deo communicet. Iure igitur nos ab omni sollicitudine immunes vult esse, ne solliciti nimiùm simus animæ nostræ, quid manducemus, aut corpori nostro, quid induamur. Idcirco in hac Dei amica prouidentia iam constituti, considerabimus Deo adiuuante, quid in illa Deus nobis prohibeat.

Deus soli homini suã amicitiam cõtulit.

Amicitia duplex.

Duplex sollicitudo in homine reperiri solet, Alia circa salutem animæ, Alia circa temporalem corporis sustentationem. Priorem Deus minimè prohibet, quinimò illam omnibus iniungit. Iosue 23. *Custodia-* Iosue: 23

mus sollicitè animas nostras & cuncta quæ A terræ fructus in horrea per septem
Ephes: 4 *legis sunt;* & Ephes: 4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Nam quemadmodùm Naturalistæ docent summum bonum omni studio est curandum; at quod maius cogitari potest, animæ salute, quæ & interminatam æternitatem, & æternam Dei bonitatem in se includit, sollicitè admodùm Incarnatus Dei filius, circa hanc animarum nostrarum salutem ambulauit, quem nos tanquàm veræ eius imagines imitãdo, in hac sollicitudine sequi, & naturæ & Dei iuribus B obligamur. Non enim deesse quicquam potest, sollicitè salutem animæ
Esdræ. 1 ambientibus, Esdræ 1. *Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum.* Quæ ergo sollicitudo nobis indicitur à Domino? certè non alia nisi temporalis, quod in hodierno Euangelio æterna sapientia clarè
Matt: 6 insinuat, inquiens: *ne solliciti sitis quid manducetis, aut quid induamini.* Mirantur super his verbis Doctores, quomodò Deus sollicitudinem circa C temporalia bona prohibuit homini, cui tamen sacræ literæ industriam, laborem, & sudorem, ad victus acquisitionem indicunt; quemadmodùm ipse Dominus Adamum alloquitur.
Gen: 3. Genes: 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo,* quod Chrysost: Homili: 17.
S. Chrysostho: in Genes: perpendens, inquit: *Animaduertè qualiter post peccatum, omnia secùs; quàm antea contigerunt.* Quod postea in persona Dei clariùs illustrat. *Ego quidẽ cum in hunc mundũ prodire feci, volebam te degere absque laboribus, doloribus, sudoribus, & ærumnis, & omni sælicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse. Quia verò non profuit tibi tanta securitas, ea propter terræ maledicam, ita vt absq; satiatione, & aratione, non proferat fructus sicut ante, sed cum multo labore, molestijs, & ærumnis, afficiam te tristitijs & continuis fatigationibus.* HincGen: 41
Gen: 41 Pharao constituerat Ioseph Patriarcham, supra omnem Ægypti regionem, qui sollicitè & industriosè

annos colligeret, antequàm fames, aliorum septem annorum in somnis ostensa Pharaoni euenit? & tamen hanc sollicitudinem, non vituperat scriptura, sed potiùs laudat ibidem. *Nunc ergo prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Egypti, qui constituat præpositos, per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea.* & Psalmista Psalmo 127. beatum Psal: 127 vocat hominem, qui per labores corpori temporalem hanc sustentationẽ procurat. *Labores* inquit *manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Vnde Prouerbiorum 6. Prou: 6. Dominus ad labores hominem excitat, exemplo formicæ: *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ parat in æstate cibũ sibi, & congregat in messe, quod comedat. Paululum dormies, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Demùm Apostolus Actorum 20. n. 35 Act: 20 Commendat seipsum ex eo, quòd sedulò incubuerit operibus quibus seipsum & suos sustentauit. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Immò idem Apostolus otiosos homines, & ignauos reprehendit, tanquàm indignos hoc temporali victu 2. ad Thessalonicenses 3. n. 10. *Qui non vult operari, non* 2. Thessalon: 3. *manducet.* Si ergo Deus hominem in laboribus viuere voluit, si literæ sacræ ad sudorem hortantur: si Doctores curam etiam temporalium cõmendant, & ipse Apostolus, quid est? quod hodiernum Euangelium hominem non iubeat esse sollicitum, quid manducet, aut quid induatur.

Soluit quæstionem hanc acutè Antonius Peres. *Non omnis* inquit Antonius Peres. *circa temporalia sollicitudo cauenda est, sed ea tantùm quæ sic temporalibus inhiat, vt spiritualibus deroget.* Siquidem spiritualia bona temporalium solliciD tudi-

tudine sopiuntur, atq; suffocantur, dicente Domino Lucæ 8. 13. *Semen est Verbum Dei, quod autem inter spinas cecidit, à sollicitudinibus vitæ suffocatur.* Quod considerans Theophyl: super Matth: 13. & Lucæ 12. inquit: *videns de his qui suffocantur loquitur Christus, quomodò non dicit, quòd præ diuitijs suffocantur, sed præ curis diuitiarum & sollicitudinibus: non enim diuitiæ nocent sed sollicitudines earum.* Quod adhuc S. Basilius confirmat, explicans illud Psalmi 209. Homil: in Psal: 45. *vacate & videte quoniam ego sum Deus.* vbi ait: *Quatenus ijs rebus vacamus, quæ alienæ sunt à Deo, Dei notitiam recipere non valemus: Quis enim eorum quæ mundi sunt sollicitus, seque immergens multi modæ distractioni carnis, attendere possit verbis Dei, satisue facere tot tantarumq; contemplationum exactæ comprehensioni.* Nonne vides, quòd in spinas delapsũ verbum à spinis suffocatur? spinæ namq; carnis voluptates, & diuitiæ & curæ sunt huius sæculi: Extra hæc omnia constitutum esse, opus est eum, qui Dei cognitionem desiderat, hæc enim misera rerum temporalium sollicitudo, mentem hominis à Deo auocare solet, quemadmodùm docet Gregorius Magnus 1. Moralium 14. *Solet* inquit *rerum abundãtia, tanto magis à diuino timore mentem soluere, quanto magis hanc exigit diuersa cogitare.* Hæc potissima ratio est, ob quam Christus dehortatus est, temporalium sollicitudinem, vt scilicet consuleret atq; prospiceret emolumento, & profectui segetis suæ, quæ spiritualis omninò & ad salutem animæ est. *Nec solliciti sitis* inquit; ac si apertè insinuare vellet: Ne per sollicitudinem vestram, seruire rebus terrenis videamini: seruit enim temporali bono, quisquis circa illud anxius est, qui squis in eo confidit, quisquis circa illud habendum primariã habet curam. displicet Christo talis sollicitudo, quia impium est hominẽ, ita temporalibus immersum esse, vt in illis omnem suam spem & fiduciã collocet, cùm in solo Deo omnis creatura confidere debeat. Impium est, primariam curam, in temporalibus acquirendis ponere, quia vt docent Philosophi, omne agens rationale finem suum primariò intendere debet, postea verò media ad illum assequendum procurare. Quis quæso Auditores nostræ immortalitatis finis est, nisi cælestis illa gloria, ad quam conditi sumus: media autem sunt omnia temporalia, necessaria ad vitam sustentandam, sine quibus quia viuere non possumus, etiam Dei gloriam per virtutes (quæ vitæ rectæ innituntur) mereri minimè valemus. Non igitur Deus interdicit nobis, omnem circa res terrenas sollicitudinem, sed hortatur nos, vt memores animarum nostrarum, priùs regnum Dei quæramus, ideoq; subiungit in hodierno Euangelio: *Quærite primò regnum Dei* quasi diceret: etiam quidem terrena necessaria vitæ humanæ quærenda sunt, sed primò ante hæc omnia regnum Dei. Vnde D. Augustinus Homil: 22. in Matth: ait de Christo. *Non dixit quia seminare non debes, sed quia sollicitus huic atq; anxius esse non debes, nec ait, non oportet operari, sed quia Pusillanimem esse non oportet, & curarum angore distendi.* Et in opere imperfecto in Matthæum, Homilia 16. Dixit Deus primo Parenti, *In sudore vultus tui comedes panem tuum: non autem dixit in sollicitudine & cura, vt scilicet non sollicitudine spiritus, sed labore corporis acquirendum esse panem monstraret.* Damnat igitur Christus solicitudinem anxiam & inquietam, circa temporalia, quia hæc affectum rerum spiritualium, homini adimit, Lucæ 8. *A sollicitudinibus & diuitijs & voluptatibus huius vitæ euntes suffocantur.* Damnat sollicitudinem rerum caducarum nimiam, quia fiduciam hominii in diuina prouidẽtia aufert. *Deus* (inquit Basil: Epist: 165) *omninò prouidentiâ suâ res nostras multò melius dispensat; quàm nos optare poterimus.* Sed quoties ijs, quæ salutem animæ concernunt, neglectis; colligendis temporaneis bonis toto animo insudamus, Deus nos veluti minus illius prouidentiæ confidentes iuuat:

iuuat: inquit S. Chrysosth: Homilia 56. ad populum. *Si spiritualibus omissis, alia tractaueris, non multam eorum Deus curam geret.* & Homilia 23. in Matthæum dicit: *Quam tu opinaris causam tibi curandi? hanc ego idoneam esse dico quæ te ab omni liberet intentione curarum, si enim dixeris, propterea me oportet esse sollicitum, quia sunt necessaria, ego è regione respõdeo: Propterea non oportet te esse sollicitum, quia sunt necessaria: si enim essent superflua, non deberes de eorũ præstatione confidere, nunc verò quia necessaria sunt, non oportet prorsus ambigere.* Laborare quidem debet hõo, & prouidere suis rebus necessarijs, neque congerere diuitias, asseruare opes filijs, cumulare hæreditatem relinquendæ proli, prohibemur: quinimò dicit Paulus 1. ad Tim: 5. *Qui domesticorum curam non habet, infidelis est.* Sed ne vehementer, & intensè illis in hæreamus, ab hoc Christi doctrinâ abducimur. *Attendite* (inquit ille, Lucæ 21.) *vobis, ne grauentur corda vestra curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.*

Ecce causam repentini & non expectati iudcij extremi, solam temporalium sollicitudinem ponit Christus: *Tanquam laqueus*, inqnit, *supervenit in omnes: (scilicet dies illa) qui sedent super faciem omnis terræ:* ideſt; qui terrenis rebus inhærent, & solliciti occupantur, circa illas, sedere enim super terram, est quodammodo deorsùm deflectere, & recedere à Deo, hominem autem Deus fecit rectum, & ad cælestia appetenda stabilem, ne pondere rerum terrenarum, depressus, ad ima propenderet: sed vt cælestium spirituali pulchritudine eleuatus, soli Deo coniungeretur, ad quod hortatur nos Apostolus ad Colossenses 3. *si Consurrexistis cum Christo.* (id est si regenerati estis) *quæ sursùm sunt, sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt quærite, non quæ super terram.* Et sanè ista rerum terrenarum sollicitudo, animæ nostræ tribus modis summopere noxia est. Nocet primò animæ, quia mentis lumen offuscat, teste D. Basilio Epist: 1. *Quemadmodùm* inquit *oculus iste corporeus, continuo circumactu versatus, & nunc horsùm atq; illorsùm deflexus, nunc sursùm deorsumq; erectus, vicissim ac depressus exactè eernere nequit, sed obtutu incumbere eum in rem visam oportet, qui perspicuè contemplari vult, sic humana mens, sexcentis munai curis distracta, euidenter cernere veritatem, vix vnquam poterit.* Hæc cæca sollicitudo, cum inaccessum illud diuinæ veritatis lumen ferre nequeat, Deo cor hominum claudit, & mundo fallaci, in cuius noxijs vmbris plus delectatur, illud aperit; cælestia ex obscurata peccatorum maculis humana mente reijcit, terrena verò in sinum miseræ animæ, anxiæ huic sollicitudini obtemperantis recipit, eaque toto affectu fouet. Nocet secundò nimia temporalium sollicitudo Animæ, quia summam affert difficultatem ad virtutes exercẽdas, ad pietatis opera, & ad seruiendum Deo. Hanc veritatẽ in hodierno Euangelio Christus aperuit, in quiens: *Non potestis duobus dominis seruire.* Quinam sunt isti duo Domini? Deus & mũdus, à primo statim creationis die sibi contrarij. Deus hominem vocat, ad animæ ostium pulsans; Mundus itidem eundem trahit, sed corporis aures inclamãs, cui istorum magis auditum præbet homo, illi soli obsecundat; Si obsurdescit anima ad Dei vocem, mundus patulas corporis aures reperiens, facile illum ad se allicit: si verò pulsus Dei, à salutari diuinæ è cælo gratiæ lapsu excitatus, in obsecundante anima resonat, mundi illecebræ facilè spernuntur. Nocet deniq; hæc anxia sollicitudo animæ, quia ipsam paulatim enecat, & ad cælestia appetenda prorsùs inhabilem reddit. Mors animæ consistit in sola gratiæ sanctificantis expulsione; at vbi terrenarum cupiditate rerum premeris, gratiam Dei penitùs absumis, animamq; perimis; cùm inordinata rerum cupido, turpitudinem quandam secum animæ afferat, cùm qua nulla cælesti diuinæ gratiæ pulchritudini societas esse

esse potest, pulcherrimâ illa innocentiæ & iustitiæ veste tàm diu homo indutus est, quam diu pura, quieta, & tranquilla conscientia Deo soli vacat: at vbi anxiè nimiùm, & sollicitè terrena quærit, ab ista terrestri caligine deturpatus, veluti degener & perditionis filius, in lacero & misero peccati habitu apparet.

Habetis igitur Auditores duplicem sollicitudinem, vnam circa temporalia bona, aliam circa animæ salutem, sed temporalium solicitudo vobis prohibetur; non quidem omnis, B sed ea quæ saluti animæ obest; non prohibetur sollicitudo bonorum tẽporalium fundata in Dei timore, si illis tantùm ad necessariam corporis sustentationem vtimur; non autem animo illis inhæremus, teste Apostolo: *& qui habent tanquàm non habentes.* non prohibetur sollicitudo possessionum in Dei prouidentia nixa, dummodò non in caducis rebus istis, sed in Deo prouido confidat. dicente Apostolo: *& qui possident, tanquàm non possidentes;* Sed prohibetur ea tãtùm, C quæ nos à Deo auocat, & in æternum ducit interitum. Consolemini igitur hodiernâ Christi doctrinâ, & ne solliciti sitis: scit enim Pater æternus, quibus nos rebus maximè egemus, & illas nobis prouidebit teste Chrysostomo Homil: 26. in Matthæum, *vt igitur eorum magnam gerat prouidentiã, ipsi soli omnia committe.* Et Homil: 69. in Matth: *vt igitur hæc omnia tibi benè disponantur, spiritualia tene, contemne seculania; sic enim & cum cælis terram habebis, & futura consequeris bona.* Cõ- D temnite proindè & vos caduca ista secularia, non quidem penitùs illa abijciendo, ad hoc enim neminem Deus necessitare vult, sed illa pro breui naturæ mortalitatis duraturæ, necessitate, per ordinem ad voluntatem, & Dei prouidentiam appetendo. Et quoniam Christus animæ salutem nobis primariò curandam suadet, inquiens; *Nonne anima plus est, quam esca.* Idcircò hoc potissimùm tempore, quo Deus portam ad salutem omnibus aperuit, ad Ecclesiam, ad obtinendam veniam, & à pœna & à culpa inuitat. Quo Cælestis gratiæ thesaurus, in salutem redemptæ animæ asseruatus, vberrimè è primatu Petri in totum orbem dimanat, omni conatu incumbite in id, vt postpositis rebus caducis & vanis, animas vestras peccatorum maculis expiatas; Deo in sincera mentis puritate vniatis, illiusq; læsam per fragilitatis offensas amicitiã, per moderna pietatis opera, ab Ecclesia præscripta, per virtutum reassumptionem in cordibus vestris, feliciter instaurate, vt iam tuti & non solliciti per hanc salutarem saluandæ animæ sollicitudinem, quæ sola vobis & conceditur & mandatur, æterna pud Deum præmia mereamini. Amen.

S. Chrysosth: — Matt: 6.

EADEM DOMINICA

CONCIO QVARTA.

Non potestis Deo seruire & Mãmonæ. *Matth: 6.*

Dura seruitus est, seruire Mammonæ.

ITa Deus generosum hominis animum esse voluit, vt nulli creaturæ, præterquàm soli Deo se submitteret. Hoc verè regium, hoc nobile est, vni Deo subijci. Nam ingenuus animus ita se debet respectu omnium aliarum rerum gerere, vt vni Deo humiliter subijciatur. Hinc de Domino Iesu dicebat S. Paul⁹ 1. ad Corint: 15. 1 ad Corint: 15. D *Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicit: Omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cùm autem illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi.* In quibus verbis duo specialiter considerãda sunt, nimirum quia oportet Dei filiũ regnare, & subijci, & quãdo obsecro regnabit, quando subijcietur? Equidem, dum res cum creatis potestatibus agitur, tunc regnare debet

debet Dei Filius, & ita regie se gerere, vt omnes sibi submittat; at vero quando iam creatæ potestates silent, nec est, qui mussitet, sed solus omnium Dominus apparet, tunc vni Deo sese nobilissimus Filius subdit. Nam gloriosæ ingenuæque naturæ indicium est, quòd vni Deo se submittat, illiq; fiat subdita, cæteris autem creaturis semper imperare præsumat. Et certè, quando Deus adest, ibi seruitium: quando autem creatæ potestates insurgunt, ibi nobilissimũ regnum fit Dei Filijs. Quod B diligenter perpendens S. Chrysosth: S. Chrysosth: ait: *Neque enim cum omnem principatum, omnem potestatem, omnem virtutem, diabolum, dæmonum tot phalanges infidelium turbam, tyrannidem mortis, mala deniq; omnia abolita iri audiuisti, conturbari, velut ipse quoq; desiturus sis: debes: tantisper enim dum hæc faciat, regnare inquit, oportet.* Bene est: quousque homo Christianus, cum Principatu, cum potestate, cum potentia, cum diabolo, cum hominibus, cum morte, cum malis omnibus cõfligit, C eousq; regnare præsumat. Tamdiu inquam se regiè habeat, se regnantem ostendat, quamdiu cum creaturis cõfligit. At verò vbi Deus apparet, Regem exuat, speciem subditi assumat, sceptrum dissimulet, seruitium præbeat. Hoc consilium nobis in hodierno Euangelio proponit Christus, dum dicit Matth: 6. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ,* palam ostendens, quòd repudiet seruitium illius hominis, qui etiam Mammõæ seruire vult. Quid causæ? ergo D ne hõo non potest Deo simul & mãmonæ seruire? Profectò non potest duplici de causa. Inprimis ex vi status: Deus enim hominem Christianum per fidem susceptam ita eleuat, vt imperio non cedat præterquam vni Deo. Sic docet Tertul: lib: 4. in Marcionem scribens; Tertul. *Bene Dominus Mammonam veluti Dominum quendam cum Deo componit, vt ostendat eos, qui studio pecuniarum occupantur, rei mortuæ inseruire, cui maximè deberent imperare.* Ad Mammonam ergo non seruitium, sed imperium hominem christianum decet. Deinde repellit Christus hominem Christianum à suo seruitio: quia pecuniæ amor, etiam cum vmbra Christi est incompossibilis. Reuocate vobis in memoriam Nabothum Deo fidelitet seruientem, qui Achabo Regi pro vinea sibi pecuniam offerenti animosè respodit, 3. Reg: 21. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* Super quæ verba S. Ambr: lib: de Nabuthe Cap: 3. ait: *quasi quandam contagionem fui pecuniam esse diuitis arbitretur. Quasi dicat: Pecunia tua tecum sit in perditionẽ; ego autem hæreditatem Patrum meorum non possum vendere.* En quomodò Naboth abhorrebat à pecunijs Achabi, velut à quadam pestifera contagione, quæ cum seruitute Dei nequaquam cohærere potest. Hoc edocere voluit Christus, quando ingressus templum Hierosolymitanum, vendentes, & ementes expulit, Ioan: 2. *Nũmulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Aduertite: in nullam rem seuerius animaduertit, quàm in nummos: oues enim & boues eiecit, columbas iussit auferri: at verò nummos effudit, nec dum satis, verùm etiam mẽsas eorum subuertit. Causam non aliam reperio, nisi quia in illo templo erat figura, & vmbra Christi, quæ magis pecuniam; quàm vmbra iuniperi serpentes, & venenatas bestias fugat. Hinc D. Paulinus Epist: 16. monebat suos fideles, dicens: *Expellat à nobis Dominus oues, & venditores columbarum, & mensas nummulariorum subuertat, vt ab omni immunditia, & cupiditate purgati, castam sinceritatem fidei, charitatisq; teneamus. Quia Christi figura seruatur, vnde Cæsaris nummus expellitur.* Ergo nec figura, nec vmbra Christi potest esse cum nummis, sed opus est illos expelli à loco, vel persona, in quo vmbra Christi clarescit. Ostendam itaq; non esse duriorem seruitutem, quàm Mammonæ seruire.

3. Regum 21. — S. Ambrosius. — Ioan 2. — S. Paulinus.

Equidem nihil durius esse, quàm Mammonæ, seu diuitijs seruire, vel

inde colligere possumus: quia nihil magis hominem deturpat, quàm diuitiæ: dicit enim S. Vincentius. *A capite vsq; ad pedes diuitiæ turpiter maculant homines intus, & extra.* Maculant, certè diuitiæ homines extra, quia illos ad mendacia, homicidia, periuria, & quæuis alia enormissima vitia impellunt. Maculant intus, scilicet in intellectu & voluntate ac in tota anima: Nam ingrediente auro in cor humanum, inde statim Deus exsufflatur. Sic quondam Iudam Iscariotem impleuerat cupiditas auri; & statim eum omni prorsus virtute exuit, vt docet S. Leo Serm: 9. de passione his verbis: *Nullum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Imò quod magis dolendum, etiam ipso Deo penitus vacuum reddidit. Matth: 26. *Abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Auaritiâ suâ raptatus miser accepit nummos à Pharisæis, sed vt nummi venerunt in eius manus, recessit Deus ab eius anima. Ait D. Chrysosth: Serm: 3. de Resurrectione. *Parricida pariter, & coniuia vendidit argento Dominum, fecit de Magistro ferale commercium. Accepit aurum, & perdidit Deum.* Quod ad nostram cautelam factum est, vt caueamus nobis ab auro, quoniam simul solent esse iuncta, quòd aurum acquiratur, & Deus perdatur; quòd veniat aurum, & Deus abeat. Non vult diuitias, consortium auri, & auaritiæ sodalitium fugit, nec patitur cum ea in eadem sede contineri.

S. Vincentius.

S. Leo

Matth: 26.

S. Chrys:

Ad comprobandum id, occurrit mihi elegans locus Scripturæ sacræ Exodi 32. Morabatur Moyses cum Deo apud Sinæum montem, vt legem Dei digito scriptam, lapideisq; tabulis insculptã portaret; per quam quasi per regiam viam Hebræus populus ad terram promissionis recta pergeret. Interim vniuersus populus Ducis absentiæ impatiens furere cœpit, & congregatus aduersus Aaronem dixit: *Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant.* Quærit Abulensis, vnde in ingentem adeò insaniam prolapsi fuerint Hebræi, & qua occasione permoti. Et respondet q. 2. putasse populum Moysen iam demortuum fuisse, dæmonemq; illis in aëre ostendisse feretrum. Sic enim ex Rabbinorum sententia loquitur: *In trigesimo nono die, quem putauit populus esse diem quadragesimum, fathan turbauit aërem, & monstrauit similitudinem feretri, atq; dixit Moysen esse mortuum: ex quo populus fuit concitatus ad petendum Deos.* Moysis ergo obitus, cogebat Iudæos ad sequendam veritatem, & existimati obitus occasione auidissime aduolauerunt in errorem. En, quò deduxit Hebræos celeberrimi illius Ducis potentissimiq; hominis apparens feretrum. Per quod doctrina datur hominibus præfecturas tenentibus. o quoties alicuius magnatis obitu cognito, illius dignitatem auidissimè concupiscunt, munus exambiunt, & vnde deberent appetitus frænari, contingit plerumq; impelli. Quos sæuissima non raro manet vindicta, & turpissima erroris mulcta. Hac de causa Hebræi inimicis in captiuitatem traditi fuêre. Psal 105. v. 37. *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hereditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.* Interdum autem vltore gladio percussi, acclamante Moyse: *Occidat vnusquisq; fratrem, & amicum, & proximum suum: fecerunt q; filij leui iuxta sermonem Moysi: occiderunt q; in die illa, quasi viginti tria millia hominum.* Feretrum proinde Moysi Hebræis in aëre ostensum, ad insaniæ fomentum eos detorsit, vt impudenter nouos Deos exposcerẽt, immemores Dei beneficiorum abundè sibi præstitorum. Feretra quoq; Magnatum, senatorum, ac regni officialium ad insaniam pleroſque deducunt, vt honores atque officia per summam impudentiam, & modos illicitos quærant, vt potiùs dignitatũ munia

Abulẽs:

Exodi 32.

Dæmõ mortẽ Moysis Iudæis denũtians eos decepit.

Psal: 105.

munia inuasisse, quàm suscepisse videantur.

Vtinam cunctatiùs egisset Aaron, summus populi Hebræi sacerdos, nec tàm citò annuisset idololatræ impietati. Qui præter consuetudinem suam vrgenti populo respondit: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me.* Mirum profectò est, quòd tunc Aaron ita promptè annuerit execrando nimis piaculo. Nonnè magis è re fuisset, si pontificia auctoritate idololatricum culpassset facinus, aut festinatum populi ardorem mitigasset, aut saltem prudenti cunctatione idoli fabricam in aliud tempus distulisset? Quare proximum Moysis aduentum non spopondit; quare irritandi DEI minas non fulminauit? quare barbaricam ingratitudinem in Deum semper ad illud tempus munificentissimum non ptoposuit? sane: quia Aaron, aurea vxorum, filiorum filiarumque ornamenta exposcens, putabat se facilius hoc modo populum auertere posse ab idolorum cultu. Sic censet Tertullianus incitatum Exodi locum ita scribens: *Poterat Aaron petere aurum aliud ab illo, quòd erat formatum in inaures: sed quærens cautè diuertere furorem populi, proposuit hoc difficile. Quod & difficilius reddidit dicendo, Ex auribus vxerum, filiorumq; ac filiarum vestrarum, & afferte ad me. Vt dissensio domestica qualibet in domo oriretur, reluctantibus mulieribus, & pueris.* Fateor ingeniosum sagaciter fuisse Aaronis arbitrium, ad auertendum populi studium à recentium Deorum votiuo cultu. Verùm arguta hæc sagacitas optato euentu frustrata est: nam Hebræi expetita monilia vltrò obtulerunt, vt tantummodò suæ idololatricæ ac summè impudicæ concupiscentiæ satisfacerent.

Exodi 32.

Tertull.

Quibus vltrò obiatis dicit sacer textus: *Formauit Aaron opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerunt q;: Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Obstupescite: viderunt Iudæi fusoria arte vitulum exculum, & confestim acclamârunt: *Hi sunt dij tui.* O brutam idolatricè impietatem: quod muliebre ornamentum nuper fuerat, hoc in brutum Numen recusum est: imò cùm vnicus fuerit vitulus, pro pluribus dijs à populo Hebræo agnitus est: *Hi sunt dij tui.* Vnde tàm fœcunda subitò Numinum multiplicatio? Respondet S. Ambrosius in Catena apud Lipoman. quia per hoc significabatur futura Ieroboami impietas, qui vitulos Hierosolymis erecturus erat, ab Hebræis idololatricè adorandos. Sic enim ad rem præsentem scribit: *Cur autem caput vituli exierit, sequentia docent. Quia significabatur futurum, quòd Hieroboam posteriore tempore, hoc genus sacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos.* Nimirum in vno tunc vitulo sacrilegè erecto, Hieroboami vitulos multiplicato sacrilegio postmodùm adorandos, præproperè iam tunc colebant, & præcoqua impietate venerabantur. Considerate quæso vberes peccatorum propagines: vnus vitulus in sacrilegum numen erectus, ita fuit fœcundum ad similium sacrilegiorum augurium, vt execrabiles Hieroboami vitulos, velut Israëlis DEos iam tunc infaustè ominarentur. Sic sic Catholici mei, adeò altas vnum peccatum radices in moribus humanis agit, vt pœnalissimo per Moysen inflicto supplicio, non solùm non extirparetur; verùm etiam ad impietatẽ ita pullularet, vt iam tunc vnus sceleste vitulus, tanquàm plures Dij sceleste nominarentur.

S. Ambrosius.

Illud tamen mirantur non pauci, quòd cùm Hebræi vltrò obtulissent aurum, ex quo longi ac periculosi itineris Ducem ac Rectorẽ conflatum haberent: quòd inquam Aaron interea subpræfectus, illud aurũ, adhibitâ diligenter cautelâ, coram omni populo ligauerit, & in crumena reposuerit. Vnde Caietanus pro illis verbis: *Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem*, ex Hebræo legit: *Ligauit illud in crumena significatur*,

Caietanus.

quod vniuersas inaures ligauit in vase vno, sigillans illas publicè in crumena ad tollendam suspicionem omnis furti, fraudis, vsurpationis, & exemptionis: vt certus esset populus, quòd omnes inaures pariter ad faciendum Deum eorum funderentur. Ergo ne vel leuissimæ suspicionis notam incurreret Aaron, totum illud aurum in præsentia populi ligauit, & in crumena reposuit. Ita mihi credite populo suspectus esse solet tributi publici exactor & sequester, vt vel Aaron ipse, opinatissimus omnium vir, auri summam, quæ publicè pendebatur, cautè in crumena ligauerit, & sigillo impresso cautiùs obsignauerit, vt sic penitus clancularię, & fraudulentæ vsurpationis obuiam suspicionem excuteret. Ita solet esse infida exactoris, & sequestris fides. Ita publica quæ penditur, pecunia, Præfectorum vsurpationib⁹ tributaria est: sæpè etenim tributa, non tàm Principi & Reipublicæ; quàm potius ipsis ministris, & officialibus penduntur, ac in ipsis exactorum manibus absumuntur. optarem ego vt quod olim suo exemplo bonus Aaron præcauit, id nunc caueant optimi Principes, ne non tàm auri publici ministros, quàm rapaces Rerumpublicarum Harpjias ad miseram populi defraudationem foueant. Aurum Iudaicum, dicit Chrysologus, ita suo captiuauit aspectu, vt aureum Deum exposceret; aurum quoq; de publicis tributis collectum, ita animos officialium Reipublicæ dementat, vt non alium Deum, præter aurum de sudore populi congregatum, & suis cupiditatibus appropriatum velint habere. Hinc quondam Ephraim suam iactabat felicitatem: *Diues effectus sum, inueni idolum mihi.* Osee 12 textus Hebræus legit: *Inueni censum mihi.* Bene equidem: omnis enim auarus, & potissimum de alieno diues factus, habet domi suæ idolũ, quod adorat, scilicet mammonam.

Et ne recedamus à scriptura sacra, paulisper reuertamur ad caput 31. Genes. vbi Iacob pertæsus diuturnæ suæ mansionis apud Labanum socerum suum, accepta Rachele, & Lia vxoribus, ac filijs, & omni substantia, atqué gregibus, pergebat ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Interim quia Laban abierat ad tondendas oues, Rachel ingressa capellam rapuit idola: *Rachel furata est idola Patris sui,* Gen. 31. cum quibus se itineri commisit. Reuersus Laban cùm non inuenisset idola, assumptis fratribus suis, persecutus est Iacobum septem diebus, & comprehendit eum in mõte Galaat, dicens: *Cur furatus es deos meos?* S. Chrysost. Ridet D. Chrysi Labani stultitiam homil. 57. *O excellentem* inquit, *insipientiam! Tales sunt dij tui, vt qui eos furari queat, qui neq; cùm furaturi se quidam erant, seruare se potuerunt?* Quasi diceret: quid te, & alios isti dij tui iuuabunt, qui ne sibi quidem prodesse possunt? Et clariùs adhuc id enucleat homil. de Naaman Syro, ita eum sua idola detestantem introducens. *Nunc primùm addidici, quia vnus est venerandus Deus. Cæteri dij gentium nec saluare potuerunt, nec nocere: quippè qui humano indigentes auxilio, auxilia ipsi præstare non possunt: nec enim seruare potuerunt, qui seruantur.* Quod totum paucis verbis eleganter incluſit Tertullianus cap. 25. Tertull. in Apocal. *Qui nihil sentiunt, tàm impunè læduntur; quàm frustra colunturi.* Indagate diligenter, quinam fuerunt isti dij, quos tanto studio quærebat, & tanta requirebat auiditate Laban? Respondet Origenes: *erant conflata idola ex auro, & argento.* Origen. Consentit Abulensis in caput 31. Genes. Abulēs. scribens. *Inquirebat* ait *idola, quia erant pretiosa, & conflata ex auro, & argento.* Nunc inquiro, quare non dicit Abulensis fuisse veros deos, non dicit, quòd vera numina erant, sed ex auro? sanè ideò, quia diligebat illa, & seruabat sacrosanctè. Sic respondet ipsemet Abulensis: *Quia* inquit, *in maiori pretio habebat aurum; quàm Deum.* Aurum ergo captiuauit cor Labani, vt cum tanta diligentia deos suos quæreret? quoniam aurum intus maculat turpiter homines, seipsum pro Deo adorandum ipsis exhibens.

Rachel qua intẽtione idola Patri furata est.

Equidem Rachel, vt cum viro suo proficisceretur, furata erat idola Patris sui, non auri cupiditate ducta, sed putans se posse in mariti domo idolis seruire. Vnde ergo postea non multum progressa, idolis abiectis, & sepultis, vni Deo verò coniuncta est? certè magnum hoc bonum non aliunde Racheli euenit, quam ex consortio Iacobi sanctissimi mariti. Audite Rupertum lib. 7. in Genes. c. 42. Rupert. ita fantem: *Rachel quòd idola furata est, claret quòd non rectæ fidei tunc erat, sed antequam obiret, opportunè à Iacob dictum est: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundabimini. Dederunt ergo ei. At ille infodit eos sub therebinthum. Nec multo post scriptum est: Mortua est ergo Rachel.* Statimq; addit citatus Author. *Non ergo paruo bono suo virum fidelem sortita, vel secuta est, cuius fide saluata est.* Ad magnã proinde felicitatem fœminæ pertinet, quod sortiatur sanctum maritum, de cuius cõsortio habebit, quod ipsa renuntiet idolis carnis, ac mundi, & adhæreat Christo, moriaturq; Christo. Post formatam Euam de costa Adami dictum est, Genes. 2. *Erunt* Gen. 2. *duo in carne vna*: quasi educta mulier è costa, iam non Osseam virtutem quærat, sed ad carnis voluptates aspiret. Quod minimè euenit Racheli, quin potiùs ex quo adiuncta fuit Iacobo tanto viro, non ad carnem, sed ad spiritus fortitudinem respexit. Nimirum hoc habet fœmina, quæ sancto adiungitur marito, vt etiam Deo simili nexu adiungatur. Ex consortio itaq; Iacobi, sancti & Deum timentis mariti abiecit Rachel aurea idola, vt ostenderet per aurum intus turpiter homines maculari.

Vultis adhuc scire quomodò aurum, seu diuitiæ turpiter homines extra maculant, aspicite in primis os hominis diuitis; quid de illo scribat Apostolus ad Rom. 3. Ad Roman. 3. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est.* Quid enim aliud faciũt auari diuites, nisi tot beneficiorum ingrati Deum blasphemant, contra bonos semper maledicta proponunt, in conuitia, & detractionem illorum prorumpentes. Aspicite linguas, de quibus ibidem dicit Apostolus: *Linguis suis dolosè agebant.* Quid enim his temporibus in linguis hominum candoris aut fidei deprehendemus? nonne aperta mendacia, & calumnias? teste regio Vate Psal. 134. vbi dicit: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Psal. 134. Quia enim venenum aspidum occultum, & insanabile est, vt pote per torporem & somnum læsos occidens, meritò calumniatoribus, & dolosè circumuenientibus inimicis assimilatur, ad ostendendũ, quòd dolus, & fraus cum insigni crudelitate coniuncta sit, qualis fuit in Herode, Pilato, Anna, & Caipha, ac Tiberio, de quo Tacitus profert; *Occultum & subdolum illi frangendis virtutibus ingenium, instabilis sæuitia.* Tacitus. Sicut ergo vulnus aspidis non sentitur, & tamen perimit, morsquè sensum plagæ antcuertit; ita dolosi homines nullâ industriâ vitari possunt, cùm latenter feriant, & dolo omnia misceant. Quid si adhuc talium cor aspicere liceret? nonne videretur esse sepulchrum, quod sua exhalatione pestem viuentibus generat.

Hinc illud pronuntiatum de diuite: *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Matthæi 6 Mortuus erat tem- Matt. 6 poribus S. Antonij, quidam diues, quem cùm Anatomistæ exentrarent, cor non inuenientes obstupuerunt, causam reddere non valentes, quomodo homo ille sine corde viuere potuerit, cùm sit primum viuens, & iuxta Philosophos sedes animæ, vnde spiritus vitales in totum corpus dimanant. Postquàm autem cista aureis repleta aperta esset, inuentum est cor eius viuum pecunijs incubans. En, quàm verissimum, *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Ita certè auaritiæ, & voluptabilium affectus, cor hominis rapit, diripit, vincit, & detriumphat. Pulchrè hac de re S. Hieronymus in caput 6. Matthæi. *Vbi* Quo quisque vincitur huic seruit.

inquit, *est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Hoc non solum de pecuniis, sed & de cunctis passionibus sentiendum est. Gulosi Deus venter est; ibi ergo habent cor, vbi est thesaurus. Luxuriosi thesaurus epulæ sunt; lasciui ludicra; amatoris libido. Huic seruit vnusquisq; quo vincitur.* Quid ergo superbis ô homo diuitijs, gloriæ fastu, & auara voluptatum ambitione? voluptatũ seruus es, & passionum mancipium. Quid de infami seruitute arroganter tumes; & vecors, qui victus es, quasi triumphalis victor è peruerso gloriaris? Tibi gratularis, quia aduersario manus dedisti, quia aduersarius de te trophæum erigit, quia tanquã vile mancipium illi seruis? o pudor, o insipientia humana. Seruimus tanquàm mancipia mammonæ, incumbimus toto animo diuitijs congregandis, quæ præter apparentem exteriùs colorem nihil sunt, & fumo citius euanescunt.

Futura dies inuestigatur ex angulo aureo.

Pulchrum istius rei documentum nobis suggerunt Naturalistæ, inquirentes, vnde homo in tali loco constitutus, vbi neq; gallus habetur, qui suo cantu redeuntem ad nos solem & diem appropinquantem prænuntiat, nequé horologium quod certis horis ortum solis & occasum, Hesperi quoq; & Phosphori vicissitudines denuntiat, possit cognoscere diei imminentis tempus. Et respondent ex annulo aureo id facilè inuestigari posse: hic enim per totam noctem calidus esse solet; sole autem ad nostrum hemisphærium appropinquãte frigescit. Sic docet Vincentius Bellouacensis Episcopus, inquiens: *Contra diem frigescit, & sic homines cognoscunt habentes aurum, quando diescit.* Quodnam sit hoc mysterium? respondet citatus Auctor: quia aurum interdiu videtur esse aliquid, & interdiu nihil est. S. Ambrosius scribens super hæc verba, dicit, quòd quisquis auare diues est, & seruus diuitiarum dicitur; & ipsæ diuitiæ velut somnus illi reputantur. *Diuitiæ* ait, *hîc acquiruntur, hîc relinquuntur, somnium igitur loquimur, non patrimonium.* Addit lib. de Naboth cap. 15. *Quicunq; igitur patrimonio suo tanquam possessione non vtitur; qui largiri pauperi, & dispensare non nouit; is suarum seruulus est, non dominus facultatum: quia aliena custodit vt famulus, non tanquam Dominus suis vtitur.* Annuit huic sententiæ D. Cyprianus lib. 2. epistola 2. vbi de diuite auaro sic loquitur: *Suspirat ille in conuiuio, vigilat in pluuia; nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri: & possideri magis, quàm possidere diuitias.* Tandem D. Augustinus in illa Ps: 75. verba: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* hæc pro coronide subiungit: *Venerunt diuites in hanc vitam, & per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic, & exceperunt illos diuitiæ, & vanæ pompæ volaticæ, & transierunt.* Ergo diuitiæ iuxta Psalmistam, & Doctores sanctos nihil aliud sunt, nisi vana somnia, eludentia oculos hominum, vt quo plura se habere arbitrantur, eò pauperiores euadant.

A S. Ambor:

S. Cypr:

B Psal: 75. S. Aug:

C

Auctor Incognitus.

Quærit nihilominùs Futhymius, quo modò diuites, postquàm dormierint nihil inuenerunt in manibus suis? Et respondet Auctor incognitus: *Auari sunt dormientes, & somniant se habere magnos thesauros, & postquàm euigilauerint, nihil inuenient.* Ad eum planè modum; queadmodùm homo famelicus interdum somniat se exquisitissimis dapibus refici; vbi autem euigilauerit, perinde atq; antea fame cruciatur. Hinc Poëtæ Iunonem Deam diuitiarum statuebant; in Iunone autẽ aër adum brabatur. Iouem enim igne depicto exprimebant, Neptunum aquâ; Cererem terrâ, Iunonem aëre, per quod in aëris instabilitate diuitiarum vanitatem exprimere volebant. Hinc D. Bernardus meritò exclamat: *Filij Adam, quid vobis cum diuitijs, quæ nec veræ, nec vestræ sunt.* quod si enim respexeritis argentum, terra alba est: si aurum, terra flaua est. Proinde diuitiæ non sunt res veræ. Sed apparentes, quarum fucato colore plerumq; decipimur. S. Thomas

Dijiu elementis adũbrati

S. Thomas de Villanoua.

mas à Villa noua dicit: *Diuitiæ quas tam auide quærimus, quid sunt nisi vmbræ, & imagines bonorum cœlestium.* Paucis multa: diuitiarum cupidi similes sunt illi vulpeculæ, quæ clam ingressa domum pistoris noctu, & tortam pinguem furata venit ad aquas, in illisq; serenâ lunâ lucente vidit alteram tortam similem, quam dum rapere vellet, priorem amisit; ita planè diuites auari somniant se habere multos thesauros, & vbi euigilauerint, nihil inueniunt.

A

Huc spectat illud Salomonis mo- B
Prou: 23 nitum, Prouerb. 23. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Et quomodò possibile est pecunias volare, cum terrenam grauitatẽ sibi congenitam habeant. Non benè successit volatus Icaro, qui cum vellet vsq; in cœlum euolare, in aquas graui lapsu decidit, & in profundo maris sepulchrum inuenit. Alludere tamen vt video voluit Salomon ad hominum auaritiam, qui dum nimis sollicitè diuitias quærũt, C ad cœlum sua ardenti cupiditate videntur euolare, & interim in profundum barathri decidunt, ibiq; tumulantur. Hoc egregio commento veteres ostenderunt, asserentes totam rerum congeriem cessisse in ius trium fratrum, scilicet Iouis, Neptuni, & Plutonis, quorum Iupiter cœlum suum fecit; Neptunus verò aquis delectatus eas sui iuris posuit: demum Pluto penes quem erat omne pondus auri, quod terra suo sinu opaco concludit, relegatus est ad in- D
feros, vbi gemit infelix turba diuitum. Ad quod pulchrè alludit Chrysologus. *Aurum* inquit, *naturâ graue, grauius fit auaritiâ. Hinc est, plus habentem deprimit, quam ferentem, & vehementiùs aggrauat corda, quàm corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, perq; ima venarum cæca discurrit anfractibus, & dum suam semper reptat ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit.*

Diuitiarum locus est infern°.

Chrysologus.

Vnde meritò Regius Vates, de impio florentissimâ fortunâ gaudente, sibiq; omnimode applaudente dicit, Psal. 37. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros libani.* Hebræus textus legit: *Vidi indigenam virentem.* vt sic ex imagine arboris in proprio, & natali solo exortæ, nec aliunde aduectæ, & per hoc valentioris ac firmioris, ostendat, hominem diuitem, dum nihil de scriptura, & cœlesti patria cogitat; verùm vt ciuem ac municipem mundi se gerens, profundiores ac firmiores radices, velut in proprio ac natali solo agit, ruinam suam quantocyùs maturare. Quo facto toto cœlo aberrat, & propriam patriam ignorans, quò magis terrenis rebus hæret, eò sese à naturali solo magis diuellit, & eradicat, ac debiliori fundamento, fragilioribusq; radicibus innititur. Talis fuit dies ille, qui fertilem segetem in agris suis videns, dicebat Lucæ 12. v. 17. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos.* Et mox, ne ex fertili messe pauperibus aliquid daret, sed omnia sibi soli auidè retineret, concluſit: *Destruam horrea mea, & maiora faciam.* Perpendite quæso accuratiùs diuitis genium. In destruendis horreis, & maioribus efficiendis ingẽtes erant necessarij sumptus. Et vnde auarissimus homo ad tantos sumptus faciendos poruit animari? Quis enim ab auaro animo ædificia grandiora expectaret? ne miremini; est certe auaritia, quæ scit largitatis mentiri faciem. Nam dùm auaritia in magnanimũ incidit, tunc is ingentes facilè aggreditur sumptus; & ipsum aurum videtur contemnere, atq; abijcere, sed pro habẽdo maiori cumulo auri. Sic quondam Hegesippus l. 1. cap. 41. dicebat de quodã Herodis aulico: *Se immersit in Iudæam vir Lacongonere Eurilces nomine, nimis cupidus opum: earumq; contemptor, vbi maiora potiundi spes refulgebat.* Ecce hic homo erat nimis cupidus opum, simulq; illarum contemptor, sed vbi maiora potiundi spes erat, sunt sunt profectò auarissimi homines

Psal: 36 v. 36.

Luc: 12.

Hegesippus.

nes valde magnanimi, qui in sumptibus faciendis, in profusionibus pecuniarum, videntur largissimos quosq; æmulari: in quibus auaritia ita nouit largitatis mentiri faciem; quemadmodùm in angustis, & pusillanimis cordibus sobrietatis faciem mentiri solet. Dives ergo ille volebat destruere antiqua horrea, & noua facere ampliora, sed ex motiuo auaritiæ maioris, vt nihil erogando, maiores diuitias accumularet.

Verùm licebat illi destruere horrea; non licebat tamen reædificare: non licebat inquam per tempus, quoniam multò citiùs solent perire immisericordes auari, teste D. Basilio in Catena Græca, vbi super citatum locum scripturæ ita dicit: *Maiora ædificabit; incertum est, si non destructa successori dabit. Nam ipse velociùs migrabit hinc arreptus, quam illa iuxta auaritiæ ipsius cogitationem erigantur.* Benè equidem: nam immisericordes in pauperes, omnium velocissime abripiuntur. Sic Ægyptij persequentes Israëlitas, in ipsa persecutione submersi fuerunt marinis aquis; & multò antea Sodomitæ cœlestibus flammis absumpti Quid causæ, quòd eorum supplicium in hac vita cœptũ sit? cùm alij peccatores, & sceleratissimi homines in futurum sæculum reseruentur puniendi, cur ergo illis à Deo supplicium maturatum fuerit? sola certè turpis auaritia, & immisericordia hoc effecit. Sic de illis fatur diuina sapientia, Sapientiæ 19. *Iustè enim patiebantur secundùm suas nequitias. Etenim detestabiliorem in hospitalitatem instituerunt; alij quidem ignotos non recipiebant aduenas; alij bonos hospites in seruitutem redigebant.* Vtriqué igitur in hospites crudeles fuerunt; Sodomitæ peregrinos egentes non admisêre: Ægyptij famelicum Israëlem recipientes innumeris ærumnis oppresserunt. Proinde non mirum, quòd incunctanter in vtrosq; pœna venerit. Ait D. Athanasius in Synopsi: *Pro morte verò Ægyptiorum in mari rubro, fuit ira Dei absq; misericordia, & iter populi insolens.*

S. Basil.

S. Athanasius.

A *Quod propter inhumanitatem erga aduenas mala ista passi sint Ægyptij, quemadmodùm & Sodomitæ.* Caueant itaq; diuites auari, caueant, qui sunt immisericordes in pauperes, ne sibi ineuitabiles pœnas velociùs accelerẽt.

En dives ille, qui de ampliandis horreis sollicitam curam habuit, in quibus felicissimos anni prouentus reponeret, illicò audiuit verba horrenda: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Luc. 12. v. 20. quasi rem debito alicui obstrictam, seu oppignoratam, nec pretio redemptam, vt illi notanter innueretur, iustissimo iudicio illius peccatorum nexibus obligatam, eorum pœnis obstrictam ab eo repeti; quod cum ditissimus esset, de ea eleëmosynis redimenda non ageret, imò nouas in futurum spes auaritiæ suæ pararet. Bone Deus: quando auarissimi, & insolentissimi Niniuitæ pœnas subituri erant, non ad proximam noctem, non ad diem tertium, sed ad quadragesimum vsq; differebatur supplicium; dies autem sine vlla dilatione punitus est. Cur adeò longa dilatio pœnæ perditis hominibus concessa fuerit? sanè vt etiamsi remedio pœnitentiæ euaderent satis tamen pœnarum darent in tam prolixa mortis expectatione, cùm ipsa mortis expectatio durior sit morte. Ita S. Ephrem in citatum locum: *Deus* inquit, *misericordiâ in eos motus est. Et licet non fuerint mortui; malæ tamen mortis expectatione, iam ante mortui erant. Nam timor rerum acerbissimarum, etiam viuentes enecabat: adeò enim emarcescere fecit eos periculorum comminatio, vt velut vmbræ viderentur.* Ita marcescebant, ita attenuabantur sub mortis expectatione vt non homines, sed hominum vmbræ potuissent credi. Hoc suo exemplo docuit Elias Propheta 3. Reg. 19. qui comminationem à Iezabele factam audiens, fugit, & post aliquot fugæ dies sedens iuxta iuniperum, mortem expetere cœpit, dicente sacro textu: *Petiuit animæ suæ vt moreretur.* Quia nimirum expertus erat, vitam sub expecta-

Luc. 12.

S. Ephrẽ

3. Regum 19.

expectatione mortis, longè duriorẽ esse ipsa morte. Ait Chrysologus serm. 147. *Elias ille, vbi sensit se toto timore aspergi, repetebat, quam fugerat, mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori.* Nihil siquidem acerbius; quàm diu sub timore mortis viuere. Deus ergo Niniuitis distulit pœnas, quia sciuit pœnitentiã acturos, & euasuros; diuiti autem in peccatis obstinato ac incorrigibili mortem accelerauit.

Chrysologus.

Nedum satis, sed insuper additur: *Et hæc quæ parasti, cuius erunt?* vt eius stultitia vndiq; appareret, ac irrideretur, cùm & animam, & illius pretium æquè perdiderit. Quò respiciens Petrus Chrysologus serm. 41 ita sapienter admonet: *Homo dando pauperi, das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solùm quod pauperi dederis, hoc habebis.* Vt hinc addiscamus, bona temporalia non esse auarè quærenda; sed potiùs liberaliter in pauperes eroganda, cum citò euanescant. Quod si quæsieris? cur summus & perfectissimus rerum artifex, hæc tàm caduca, debilia, & corruptioni obnoxia bona construxerit? Respondet Origenes homil. 12. in Hieremiam: quia omnia hæc à terra maledictione percussa, atqué damnata, quæ imperfectos & vacuos fructus reddit, proueniunt. Si verò animum intendere velis, ratio tibi præsto aderit: quia bona terrena, non in præmium, sed in pœnam sæpius à Deo dantur, vt facilè colligi potest ex illis Salomonis verbis Eccles. 2. v. 26. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget.* Bona igitur temporalia, ea potissimùm ratione hominibus à Deo siue conceduntur, siue permittuntur, vt illorum inanitate, & vanitate omninò cognita, ad bonam frugem sese ipsi recipiant, &

Terrena bona cur Deus caduca cõstruxit.

Origenes.

Eccl. 2.

ad vera, atq; æterna bona contendant, ac suspirent. Quemadmodùm ad citata Salomonis verba Olympiodorus sic obseruat: *Sciendum verò est, Deum dedisse homini peccanti, & congreganti occupationem, non vt peccet quidem, ac congreget, sed magis vt contemplatione, ac tædio vanitatis mundanæ, in cogitationem veniat laboriosæ huius vitæ, desideretq; immortalem, ac iucundam vitam, quæ in futuro sæculo sanctis in præmium danda est.* Huic sententiæ innixus D. Bernardus, postquàm de hominibus sæculi bonis addictis, & in circuitu ipsorũ indesinenter ambulantibus pronuntiasset. *Inde est, quod naturali quidem desiderio summum quiuis probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo requiem habiturus. Cæterùm errant miseri, non inuenientes viam, & vt scriptum est,* ambulant impij in circuitu, *dum minora quoq; bona quærentes, illud semper desiderant, quod sibi vicinius, nedum videntur adepti.* Mox sapienter ac opportunè subiungit: *Atq; vtinam si fieri posset, cætera omnia obtinuisset vnus; idemq; proculdubio, & ipsũ, quod sibi solùm deesse videret, summum vtiq; bonum desiderio quæsiturus, quo cætera quoq; semper expetit non adepta.* Egregie: profectò tunc homo verum bonum ardentiùs optaret, quando temporalia omnia internam animi sitim minimè explere, omninò cognosceret.

Olympiodor.

S. Bernardus.

Audistis iam Catholici mei, duram seruitutem esse, seruire mammonæ, seu diuitijs: quia diuitiæ ingratus, & extra maculant homines: ergo deserite mammonam, tanquàm Dominum crudeliter, & tyrannicè dominantem, & Christum, cui seruire, regnare est, amplectimini, & eius seruitium vos ad æternam beatitudinem feliciter dedu.

cet.

DOMINICA XV.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. *Lucæ 7.*

Defunctus filius est homo peccator gratia diuina spoliatus, cuius lapsum mater Ecclesia egrè fert.

VAmuis inconstans fortuna, in summo belli discrimine, & cruore, & magnorum corporibus Heroum, Bellonæ campos impleat, Martem alternis cladibus varians; leuiùs tamen spectaculum hoc, magnanimum turbat Imperatorem, cùm sciat dubiam esse Martis aleam, ibiqué vincendum aut moriendum omnibus. Verùm, domi vbi pacifica hominum vita, aut filiorum mortem siccis oculis spectare, aut certè funebri sarcophago inclusos, non lachrymari, ne ipsa quidem natura cohibere potest. Quod considerans D. Chrysosthomus. homilia 17. in Matthæum, & homil. 28. ad Populum, Perentum charitatem & propensionem erga filios, meritò, vocat quandam naturæ tyrannidem, quâ Patres inclusi teneantur. *Nam sicut serui à dominorum tyrannidè difficile eruuntur; ita æquè fieri potest, vt Parentes à naturali erga filios, propensione exuantur.* Stet hic illustri pallio Philosophus Anaxagoras, qui cùm in amicorum conuentu, subitam filij mortem audiens, quasi nihil perturbatus, *nouera*m inquit, *me genuisse mortalem*: quia licet lachrymæ eius pupillas oculorũ non conspersérunt; vehementissimus tamen dolor animum & cor eius feriebat. Nam & Deo familiaris Aaron, audiens à Moyse, duos filios suos subitâ de altari flammâ erumpente, correptos & interfectos esse. Cõtristatus erat super repentina filiorum morte, teste Radulpho super Leuiticum lib. 7 cap. 7. Et Iob perfectus auditâ filiorum clade, lachrymabundus corruit in terram. Quia arduum est, funesta mortis falce prostratum cernere, quem diu viuere optaueras; & in ipso ætatis flore occidentem lugere, cuius canitiem robusta ætas videbatur ominari. Sed frustra quis tentat contra stimulum calcitrare: nec lachrymis exoratur mors, quia oculis caret: nec gemitibus exoratur, cùm sit auribus orbata; nec robori parcit, quia omnium est validissima; vt pote tota ex ossibus compacta, Nec honoris respectum habet, quia nulla humana dignitas, sic attollit caput, vt illud mortis imperio non submittat. Nam vt loquitur Dauid Psalmo 81. num. 6. *Dij & filij excelsi omnes sicut homines moriemini.* in cuius rei declarationem illustre illud de Rege Tyri elogium affert Propheta. Ezechielis 28. Numero 13. *In delicijs Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & Iaspis, Chrysolitus & onijx, & berijllus & Sapphirus, & Carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui.* vbi à delicijs Paradisi, & à vestibus auro gemmisq; crepantibus, excellens huius Principis, maiestas declaratur à Propheta. Sed statim addit. *& foramina tua, in die quâ conditus es, præparata sunt.* Quæ verba cum variè à varijs explicentur, congruentissimè tamen à Chaldæo Paraphraste transferuntur sic. *Verùm non considerasti cadauer tuum, quòd factus es concauitatibus & foraminibus, quæ sunt tibi necessaria.* Vpi corpus Regis adhuc viuentis cadauer vocat, vt palam fiat, quòd sicut cadauer paulatim contabescit, ita hominum corpus adeò miserum est, vt quamuis fericis vestibus ornatum, aureis monilibus amictum, & pretiosis gemmis coopertum fuerit; facilè tamen soluitur in tabem. Non parcit demum mors ætati, quia teste Philosopho, *interitus ortum sequitur*; & mors viram hominis à prima statim infantia: sic illam describit Propheta Isaiæ 11. num 1. *Delectabitur infans ab vtero.* statimq; addit: *& erit sepulchrum eius gloriosum.* ibidem num. 10 Quid est hoc Propheta sancte? cur à Genethliaco transis in Epicedium? cur ab incunabulo desilis in sepulchrum? cur à natalitijs cantilenis, funebres in querimonias erumpis? scilicet vt ostendat nullum esse inter natiuitatem mortalitatemq; discrimen. Quemcunq; enim vterus Maternus effudit, idem procul dubio, terræ vtero recipiendus est; Quodsi nouum non est, toxica inter pocula propinari, & lethales potiones inter conuiuales delitias hauriri; etiam in ipsa hominum iuuentute, tristes morientium planctus misceri non rarũ est. Quoniam & vnicus Matris filius effertur ad sepulchrum. Mæstam igitur ex obitu filij Matrem, & quomodò vnicus filius ad vitam reuocandus sit, Considerabimus.

Matrem in funere nati flentem, dicit sacer Euangelista fuisse viduã. *Et hæc* inquit, *vidua erat.* Vbi Doctores sancti per hanc viduam tria intelligunt. Primò Ecclesiam sanctam, quæ ex eo dicitur vidua, quia viduata est, corporali præsentia carissimi sponsi, videlicet Iesu Christi. Filius istius Matris defunctus, est quilibet peccator, qui licet adhuc corpore viuat; in animo tamen spiritualis illum mors possedit, quæ prædonis instar vnumquemq; in via spoliantis, gratiâ sanctificante, quæ est primum mouens in homine vitæ spiritualis, animam peccatoris spoliat; Vnde peccatorem hæc sancta Mater amarissimè deflet, quia quilibet regeneratus ex aqua & spiritu sancto, est ei tanquàm vnicus Filius summè dilectus, cuius perditionem non potest summè non dolere. Verùm si Helisæus maximã habuit compassionem super mulierem & filium eius defunctum, qui paruulo corpori defuncti pueri, applicabat proprium corpus suum, & coarctabat membra sua super membris eius: sic planè, quoties pro peccatore lachrymantem Ecclesiam videt Christus, misericordiâ motus, subitò illum ex faucibus mortis eripit, & suæ reconciliatum gratiæ, matri Ecclesiæ in amplexũ reddit. Vnde dicit sanctus Ambrosius libro super Lucæ Caput 7. *Si graue peccatũ est, quod pœnitentiæ tuæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te Mater Ecclesia, assistat & turba iam resurgens à funere, & incipies aliâ vitâ loqui.* Defunctus igitur peccator, nonnisi per Matrem Ecclesiam supplicantem vitæ restitui potest: Nam sicut in veteri testamento ad solam Dei arcam in rebus afflictis aditus patebat; sic in lege gratiæ, ad solam Christi Ecclesiam refugium conceditur. Postquàm arca fœderis terram promissionis intrauit, bis in bellorũ discrimina ad ferendum auxilium prodijt. Semel iudicante Heli 1. Regum 2. *Cumq; venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.* Deinde regnante Saule. Sed temporibus tantùm Heli Arca subsidium tulit, pugnante Saule, negauit illud. Quasi illa Arca totam suam vim æqua portione diuisisse, nunc ad fouendum, nunc ad puniendum videretur. At verò sancta Mater Ecclesia, si eam infinities in auxilium requiramus, semper auxiliatricem experiemur. Non enim partiuntur eius studia, nunc ad bonum nunc ad malũ adferendum, sed semper ad patrocinandum & misericorditer agendum colliguntur. Iacobo in Mesopotamiam abeunti promiserat Parens Rebecca

S. Chrysosth. — Anaxagoras. — Radulph. — Pſal. 18. — Ezech. 28. — Chaldæus. — Maiæ 11. — Lucæ 7. — Ecclesia S. cur dicitur vidua. — S. Amb. — 1. Reg. 4

becca fore, vt eum inde opportuno tempore accerseret, & in patriam
Gen. 27. reuocaret. *Postea* inquit *mittam, & adducam te inde huc.* Genesis 27. numero 45. Nihilominùs in tota sacra pagina nũquàm inuenitur Rebecca, his suis promissis stetisse: nunquàm filium suum ab externi hospitij seruitute reuocasse in paternæ domus principatum. Cur obsecro Mater hæc filio datam fidem non seruauit? Forte? quia quamuis Mater esset, & Mater filij sui indulgentissima, tamen domesticis curis occupata, sic in filio reducendo cunctabatur, vt omnem illius memoriam deposuisse, immò & sepeliuisse videretur. Sanctæ verò Matri Ecclesiæ nulla vnquàm potest irrepere suorum obliuio seruulorum, & cum aliæ Parentes etiam pignora carissima aliquando obliuiscantur, Ecclesia sancta etiã mancipia abiectissima recordatur.

Mirum est, quòd olim acciderit Regi Salomoni, & eius Matri Bethsabeæ. Nam Mater de filio optimè merita. *Petitionem* inquit *vnam paruulam*
3. Reg. 2 *ego deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Cui statim filius obedientissimus respondit. *Pete* inquit *Mater mea: neq; enim fas est; vt auertam faciem tuam.* 3. Reg. 2. num. 20. Quis hic non crederet optima vbiq; præiacta esse fundamenta ad orandum & exorandum Pergit igitur Bathsabeæ & pro Adonia Regis fratre deprecatur. Ad quam Salomon. *Viuit dominus qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid Patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.* ibidem n. 24. Quis non miretur tantam Regis inconstantiam, ne dicam fraudulentiam, vt cùm promittat omnia, donet nihil: & non solum Matri se præbeat inexorabilem; verùm etiam; cum illa exiguum beneficium petat, ipse extremum supplicium minitetur, & re ipsa exequatur. Nam statim fratrem Adoniam, matre pro illo frustra deprecante, interfecit. sed nihil mirum? quia non erant apud Regem tàm efficacia merita matris; quàm demerita fratris. Vnde hæc faciliùs Regem ad vindictam; quàm illa ad misericordiam impellebant. Verùm Ecclesiæ sanctæ gratia & auctoritas tanta est apud Christum, vt non solum pro illius fratribus, sed etiam pro hostibus intercedat, & quidquid postulet, assequatur; quia simul & Mater & sponsa filij Dei est, proinde licet Matri aliquid iratus negare vellet, sponsæ non audet: cum enim hæc de latere eius profluxerit, & de sanguine ipsius cœpit initium, ideò cor illius ad omnia potentissimè mouet. sensit olim improbus Aman paratũ sibi à Rege malum, seq; paucas intra horas in cratem agendum esse, Vt igitur à suo capite exilium propulsaret: *Surrexit* (inquit textus sacer) *vt rogaret Esther reginam pro anima sua*, Esther 7 num. 7. Adeoq; efficaciter rogauit, vt dicatur ante lectulum Reginæ, siue adorabundus; siue tremebundus corruisse, ibidem num. 8. sed quid ei profuit tàm vehemens supplicatio; certè nihil. Nam statim ab ipso Reginæ thalamo abreptus est; & in patibulo suspensus, ibidem num. 10. scilicet non ea erat Reginæ Esther, quamuis alioqui sanctissimæ pietas & humanitas, vt suo vellet aduersario, etiam in preces & lachrymas effuso, patrocinari. At verò sanctæ Matris Ecclesiæ non hæc est misericordia, ad eius aras si sceleratissimus quispiam peccator, precator accedat, recedet sine dubio exorator; Patrauerat quondam impijssimus Ioab scelus nefandum, de quo Sacra Scriptura loquitur 3. Regum 2. num 5. *Effudit sanguinem belli* 3. Reg. 2
in pace, & posuit cruorem pretij in baltheo suo, sed timens, ne à Salomone occideretur. *Fugit* inquit *textus in tabernaculum domini, & apprehendit cornu altaris.* 3. Regum 2. num. 28. Quare non fugit in deserta, aut in aliquam abditissimam speluncam, vbi commodiùs lateret; sed in Ecclesiã, vbi totus hominum concursus fieri solet; scilicet; quia satis se putabat, ab omni mortis periculo tutum, & immunem, dùm intraret domum Dei,

Dei, & arcam Dei amplecteretur. Quod reipsa euenit. Nam Bananias missus ad eum occidendum, loci reueritus sanctitatem, ausus non est sacram aram cruẽtare, immò nec eum inde vi auellere, sed verbis tantùm alliciens: *Hæc* inquit, *dicit Rex: Egredere*: qui ait: *non egrediar, sed hic moriar.* Dixit autem hic moriar; non quod putaret se ibi occidendum; sed vt Bananiam à spe occidendi deturbaret, qui occidere ibi nollet, alibi non posset. Quo Deus figurare voluit, quòd quicunq; etiam sceleratissimus, si confugerit in Ecclesiam sanctam, ad placandum Deum, tutissimum ibi reperturus sit asylum. Adeò; vt licet tota infernalis furia instet; frustra tamen desæuiat, quia lácrymas plorantis Ecclesiæ Matris respiciens Christus, miserebitur, & vnicum, eius defunctum filium, vitæ spirituali restituet. Detentus est in captiuitate barbarorum aliquis: si Mater Ecclesia suas pro eo ad Deum fuderit preces, liberabitur. Tenebatur in vinculis & Iacobus & Petrus; sed Herodes occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio. Actorum 11 num. 2. Petrum verò non occidit, sed Angeli operâ illum ex manibus tyranni eripuit, vt fatetur ipsemet
Act. 12. ibidem num. 11. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Cur quæso Herodis gladio Iacobus cecidit? Petrus euasit? nisi quia non pro Iacobo, sed pro Petro sancta Ecclesia dicitur deprecata fuisse. iuxta illud. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* ibidem n 4. Quam Ecclesiæ orationis efficacitatem Diuus Chrysosth: homil. 79. ad Populum expendens, ait: *Vis discere quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia. vinctus erat Petrus multisq; catenis circumdatus, oratio autem sine intermissione fiebat ab Ecclesia pro eo, & statim eum à carcere liberauit. Quid hac igitur sit oratione potentius, quæ columnam & Ecclesiæ turrim adduxit, imò ditam verius mortuos resuscitat.* Quoties enim miser homo peccat, vitam amittit, nec digitum à defuncti cadauere discrepat. tange cadauer, quia exangue est, non mouebitur, terre peccatorem, & oraculis & miraculis, ad hæc ille omnia immobilis permanet. Quod clarè ostendit scriptura in obstinatis Hebræis Deutor. 29. num. 2. *Vos* inquit *vidistis vniuersa,* Deut. 29.
quæ fecit Dominus coram vobis in Egypto, statimq; addit: *Et non dedit vobis dominus cor intelligens, & oculos videntes; & aures quæ possint audire vsq; in præsentem diem.* Vbi ostenditur neq; ingentibus miraculis Hebræos ad veram fidem flecti potuisse. Nam Moyses aquam de Petra educturus. *Tulit* Nu. 20.
virgam in conspectu Domini, sicut ei præceperat. Num. 20. num. 9. vbi Rabbini dicunt virgam illam Moysis, cum illam ad percutiendam Petram ferret, floribus, frondibus, & fructibus ornatam fuisse. Vnde consurrexit quæstio, cur ad aquam de Petra educendam, virga illa suis ornata floribus, suis induta frondibus, suis grauata fructibus, adhibita fuerit. Rationem afferunt nonnulli, vt saltem ex hoc miraculo, non dubitarent Hebræi, duram illam rupem, in vberes fontes soluendam esse; videntes siccam quoq; illam virgam in virides frondes erupisse; sed quid Hebræi ad hæc portenta? quasi defuncta cadauera, ita suæ perfidiæ pertinaciter adhærebant, vt licet de priori miraculo certi, adhuc nihilominùs de posteriori dubitarent. propter quod illos arguit Moyses. Numero 20. num. 10. *Audite* inquit *rebelles & increduli. Num de Petra hac* Ibidem.
aquam poterimus vobis elicere: Defuncti cadauer, omnem sui funeris pompam, pro exiguo tricubitali sepulchro permutat: Homo peccator quasi defunctus, pro modica voluptate, vitam animæ, gratiam scilicet perdidit. sic immoderatus quondam Esau, tàm vile sui ventris mancipium exstitit, vt pro vna esca venderet primogenita sua. Gen. 25. n. 34. *Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quòd* Gen. 25.
primogenita vendidisset. Gen. 25. numero.

S. Chrysosth:

mer. 34. Quis non miretur, tàm præ-
cipitem ad ſuum appetitum explen-
dum auiditatem. vt pro tantulo vi-
ctu, tautùm à ſe pattimonium alie-
naret. Certè hæc vna cupiditas ſuâ,
eum primogeniturâ fecit indignum,
vt Procopius interpretatur : *Qui e-*
Procopius. *nim tàm vili appetitui ſeruiebat, dignus*
non erat, qui ſublimiori fortuna vteretur.
Non minori intemperantia vſus A-
dam, totas terreſtris Paradiſi diuitias, atq; delitias pto vno pomo diſtraxit ac diſſipauit, in quem ſeuerè inuehitur Tertullianus, libro aduersùs Philoſophos cap. 3. *Facilius in-*
Tertull. B *quit, ventri quàm Deo ceſſit; pabulo potius; quàm præcepto annuit: ſalutem gulâ vendidit.* Recordatione dignum eſt, quod refert Plutarchus, in Apophtegmatis, Lyſimachum cum Dromacheta in Tracia decertantem, tandem ſitis vi adactum, ſe ſuumq; exercitum pro vno aquæ cyato, hoſti tradidiſſe. ſed poſtquàm bibit, & ſuam ſeruitutem, in quam ſe coniecerat agnouit, doloris impatientem exclamaſſe. *O Dij! quàm paruæ volu-*
Plutarchus. *ptatis causâ, me ipſum ex Rege ſeruum* C *effeci.* Quid aliud miſer peccator facit, pro exiguo delicati potus ſci. pho, immò non rarò pro momentaneo inordinatæ concupiſcentiæ affectu vitam animæ, gratiam ſcilicet ſanctam perdit, æternamq; beatitudinem pro vili putredine commutat. ſpectat hæc Mater Eccleſia, & internis dolorum gemitibus rumpitur. Effertur defunctus eius filius extra portam Ciuitatis. Quia extra Ieruſalem mæniæ captiuatur ab iniquitate, iubetur exulare? Et cùm in re-
D bus humanis omne præſidium deſit, ad diuinam miſericordiam confugit, ne quem Deo genuit, cæleſtis medicus degenerem, interire patiatur. Verùm quemadmodùm docent Philoſophi. Cauſa non agit in diſtans, Nam vt aliquid operetur, neceſſe eſt, vt ſi non entitate. ſaltem virtute ſua effectum contingat. Et ſol enim terram minimè calefaceret, niſi ſuo radio potentiùs illam verberare poſſet: & ignis non vreret, niſi flammâ ſuâ pertingeret ad lignum. Ita quoquè & Deus licet ſit omnipotens, peccatorem in gratia mortuum, nequaquam reſuſcitare poteſt, niſi illum contingat.

Nam dùm quærunt Doctores ſancti, quid ſit, quòd Deus carnem ſuſceperit, cùm optimè potuerit abſquè hoc ſaluare hominem, vel condonando ſimpliciter illi offenſam, vel certè excipiendo omnes Adæ Poſteros (ſicut excepta eſt ſancta Virgo) & per gratiam præſeruantem reddendo impeccabiles, ne vllus eorum peccaret in poſterum. Reſpondent aliqui id factum ad maiorem naturæ humanæ dignificationem, vt per incarnationem Filij Dei, homo non tantùm à peccato redimeretur, Verùm etiam ad ſummum dignitatis gradum vltra Angelos erigeretur, dùm humanitati aſſumptæ, idê qui & Deo, penditur honor, ab omni Creatura. ſed non videtur hæc ratio ſubſiſtere poſſe. Nam ſicut Deus Angelum, in tàm eminentiſſimo gradu creauit, vt proximè ad diuinam accèdat perfectionem, perinde potuiſſet & hominem omni creaturæ præpoſuiſſe. cui etiam Angelici ſtatus eminentia, in dignitate cederet. Cauſa ergo, cur Deus in carnari voluit, eſt: quia niſi reali & intimo diuinitatis contactu, homo à peccati macula verè non ſurrexiſſet. Cum enim peccatum in Anima hominis, qualitatem quandam deturpatiuam imprimat, quæ hominem turpem & abominabilem Deo facit, atq; hominem ipſum ſegnem reddit. Hinc eſt, quòd Dauid qui nullis armorũ Pon-
D deribus ſuccumbebat, & tamen ſub vnius peccati mole anhelauerit. Pſal: 37. n. 5 *Iniquitates* inquit *meæ,* Pſal: 37. *ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* vbi illud: *ſuper me,* interprete Caſſiodoro, non ſignificat ſolùm *ſuper caput,* Caſſiodorus. ſed potiùs *victoriam peccatorum ſuo pondere caput frangentium. & opprimẽtium, illidentiumq; ad terram.* Nec certè mirum: hominem ſub peccatorũ pondere premi: Cùm & Diabolus ipſe

Natura humana aſſũpta ſũmè dignificata.

Dei cur incarnatus.

ipſe opprimatur à peccato, vt fate-
Iob 1. A tur ipſemet cum Deo locutus Iob 1. num. 7. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* vbi verbum *perambulauit,*
S. Greg ſegnem prorsùs, non celerem ſignificat motum, vt exponit D. Gregorius: *Cùm* inquit, *ſe non peruolaſſe, ſed perambulaſſe inſinuat, quantò peccati pondere in animis prematur, demonſtrat.* quoniã inquam hæc turpiſſima qualitas, ex peccati Veneno animæ noſtræ infixa maneat, & per Philoſophos contrarium ex vno ſubiecto expelli non poteſt, niſi per alterum
B contrarium in eodem ſubiecto poſitum. Ita neceſſe fuit ex natura humana peccati turpitudinem, per gratiam IESV Chriſti excludi, tanquàm ipſi naturâ ſuâ incompoſſibilem. Et quia peccatum in naturam humanã inductum erat ſuggeſtione diaboli, qui ſtatim in corde peccatoris tentorium ſuum locauerat: ita gratia ſanctificans & nos à peccato emundans, induci debuit per incarnationem filij Dei, vt ipſe ſuum ſolium in animo hominis ſimul erigeret, illum ſanctificando. Et quoniam inſuper
C homo duplici vitâ viuit, ſpirituali ac còrporali: ideò neceſſe eſt, vt Chriſtus, ſuâ humanitate contingat defunctum peccatorem, vt ſic & animam in priſtinum innocentiæ ſtatũ reſtituat, & corpus labefactatum veneno peccati viuificet. Præſentem Dei filium habetis Catholi in ſacroſancta Euchariſtia, proinde ſi quem peccati mors inuaſit, vt reſurgat, ad contactum huius viuificatoris depurgatâ cõſcientiâ confugere debet.

Geneſis 2. num 7. dicit ſacer tex-
D tus, quòd formato hominis corpore de limo terræ, Dominus Deus, inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, in Hebræo autem habetur. *Chaim,* id eſt; *ſpiraculum vitarum,* hoc eſt, quòd ille æterni Patris halitus, triplicem homini vitam, ſaltem virtute diſtinctam, vegetabilem, ſenſitiuam, & Rationalem communicauerit. Chriſtus Dominus ſpiritus oris
Thim. 4 noſtri vocatur. Thimotheorum 4. num. 20. Quia ab æterno Patre exſpiratus, non quidem perſonaliter, neq; enim per ſpirationem procedit. ſed ſpiritualiter, noſtriſq; mentibus inſpiratus, triplicem nobis infundit vitam, corpoream, ſpiritualem, & æternam. vnde illud Pſalmi 115. n. 5. *Calicem ſalutaris accipiam.* textus He- Pſ: 115. bræus in plurali legit: *Calicem ſalutarium;* vt non vna tantùm ſalus, ſed triplex vita nobis in Euchariſtia cõmunicata, ſignificetur. Nam inprimis vitam corpoream ſacra Eucha, riſtia confert, aut conſeruando habitam, aut perditam reuocando, vt docet ipſemet Chriſtus Ioan. 6. n. 10. *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi-* Ioan. 6. *quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Vbi quærit S Thomas Opuſculo 58. S. Thõ. de Sacramento altaris. cap. 9. Cur hoc Sacramentum Panis & Vini ſub ſpeciebus à Chriſto Domino inſtitutum ſit, & reſpondet. Quia hæc ſunt præcipua corporibus vitæ conſeruandæ alimenta. Nam panis præſertim triticeus, qualis Euchariſticus eſſe debet. Cor hominis confirmat Pſalmo 193. num. 15. Vinum quoq; præſertim aquâ dilutum, quale debet eſſe Euchariſticum, vt Paræmiaſtes ſignificauit inquiens. *Miſcuit Vi-* Pſ: 183. *num.* Prouerb. 9. num. 2. *Lætificat cor hominis,* Pſalmo ſuprà citato, ſub ſpeciebus igitur cibi ad corporalem vitam ſuſtentandam accommodatiſſimi, & ſacra Euchariſtia inſtituta eſt, vt hac etiam re ſignum ſignificato reſpondeat, & virtus huius Sacramenti, ad tuendam vitam corporalem ſignificetur. Quod ipſum expreſſit Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioannem cap. 24. Vbi quærens, quare Chriſtus defunctum filium ſuſcitando tetigerit: Reſpondet. *Hac de cauſa* S. Cyril. Alexãd. inquit, *in excitandis mortuis, non ſolùm verbo atq; imperio, vt Deus vtebatur; verùm etiam carnem ſuam, quaſi cooperatricem aliquomodo adhibebat, vt reipſa oſtenderet carnem quoquè ſuam viuificam eſſe.* Et paulo poſt optimam ex hac conſecutionem doctrinâ deducit. *Quodſi* inquit *ſolo tactu ſuo corpora redintegrantur, quomodò non viuemus, qui carnem illam guſtamus*

mus & manducamus. Sæuiebat olim Angelus Domini in primogenitos Ægypti, Exodi 22. n. 29. sed à Primogenitis Hebræorum abstinebat, ibidem num. 13. illos sternebat mortuos; hos conseruabat, viuos. Quæ nam quæso discriminis ratio, nisi quia solos Hebræorum primogenitos inueniebat Paschalis agni carne non tàm pastos; quàm armatos: & solos Hebræorum postes aspiciebat eiusdem agni cruore non tàm tinctos, quàm munitos. Hanc enim rationem allegat Cyrillus Alexandr. *Quid* ait *maiores eorum* (id est Iudæorum) *ab ira liberauit, quando mors in primogenita Ægypti fœuiebat? Nonne palam est, quia diuina institutione perdocti. Agni carnes Manducauerunt, ac postes, & superliminaria sanguine perunxerunt? propterea mortem ab eis diuertisse.* Si ergo mortem omnibus terribilem caro, & sanguis Paschalis agni perterrebat; quomodò vera Christi Domini Caro, cum diuinitate coniuncta, eandem ab homine non propulsabit. Confert præterea contactus iste corporis Christi homini vitam spiritualem, hoc est; gratiam: vt docet S. Thomas 3. parte quæst: 79. Dubitatio solùm est inter Doctores, de quanam gratia hæc doctrina intelligenda sit. Num de Prima, num certè de secunda, sed cùm indubitatum sit, duo tantùm Sacramenta conferre primam gratiam, Baptismum scilicet & Pœnitentiam, propter quod vocatur. *secunda post naufragium tabula*: ideò manifestum est sacrosanctam Eucharistiam, conferre homini secundam gratiam, seu augmentũ gratiæ, ad quam per se Sacramentum hoc institutum est, cum sit *Sacramentum viuorum*, scilicet dignè cum omnimoda præparatione, ad sumendam Eucharistiam accedentium. Quod expressit Propheta Psalmo 22. num 27. *Edent* inquit *Pauperes, & saturabuntur, & viuent corda eorum*, scilicet vitâ spirituali gratiæ sanctificantis. Tandem vltimò, sumptio cibi Eucharistici, cõfert vitam æternam, vt testatur Christus Ioan. 6. num. 58. *Qui manducat* inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, scilicet in spe certissima, & pignore possesso futuræ gloriæ.

Exodi 22

Idẽ qui supra.

Psal: 22.

Theophylactus verò, per viduam intelligit animã hominis, quæ dùm sponso suo Christo orbata est, statum vidualem gerere videtur, hæc vnicum filium habet, intellectum scilicet; quem potissimùm educare debet in diuinis legibus, iuxta illud. *Si vis ingredi ad vitam serua manda Dei.* verùm si quando filius iste insolens, qui totus in speculatione curiosa fundatur, vertitur ad errorem, mortem incurrit, quo conspecto, mæret anima, sed non audet pro filio defuncto supplicare, ne potiùs arguatur, quòd filium insolenter educauerit. sed lachrymas eius respiciens Christus, potissimùm verò pœnitentiales, plerumq; hunc filium resuscitat, inspirans misericorditer, quid credere & facere debeat. Quia cum Anima filia Dei sit, omni thesauro carior, non conuenit eius bonitati, vt filium eius, scilicet intellectum, de prauatis imbui erroribus patiatur.

Theoph.

Quærunt Theologi, cur solus Dei filius incarnatus sit. Nunquid Pater æternus, aut Spiritus sanctus, naturam humanam assumere non potuerunt? Respondentq;ue vnanimiter, potuisse omnes etiam tres personas incarnari, sed non fuit indigentia, sine necessitate autem frustra multiplicantur Entia. Proinde cum vna persona sufficienter hoc totum redemptionis opus impleat, quorsùm necesse erat, omnes tres Personas humanari: cum id humanus intellectus difficulter credidisset, putaret enim in vno composito tres esse homines quot enim personæ, tot suppositа in rebus creatis. Cur ergo potiùs nõ Pater aut Spiritus sanctus. sed filius naturam assumpsit. Ratio fundamentalis hæc: quia si Pater fuisset incarnatus, non esset missus, cum non procedat ab vllo, vt potè fons & origo cæterarum personarũ. Missio autem ex vi naturæ, debet esse

Cur solus Dei Filius incarnatus.

esse ab alio. Si quoq; Spiritus sanctus fuisset incarnatus, non esset mediator Dei & hominum: cùm sit tertia in Trinitate Persona, debuit ergo filius æternus incarnari: vt impleretur illud. *Mitte Domine agnum Dominatorem terræ.* Vtq;ue inter homines & Deum esset mediator. Si Missus est Catholici Dei Filius, ad mysterium incarnationis operandum, considerate ad quem missus? certè ad hominem, quia hîc solus est vera imago Dei: si ad hominem? Principaliter ad Animam: quia hæc nobilissima hominis pars, & sola vt pote spiritus, ad simi litudinem Dei aliquantum accedit. O quantum ergo malum! si anima hoc mediatore viduatur, si & intellectus filius eius hallucinatur in fide. Meritò lachrymabunda esse debet, ne simul cum filio errante, scilicet intellectu, & ipsa miserè pereat.

Tertiò demùm, per viduam aliqui hanc tristem, intelligunt Sapientiam; sed terrenamnè an cœlestem? Forsan vtramqué. Nam & Pallas sapientiæ Dea, postquàm Athenis ex literarum Emporio pulsa esset, ad littora Maris fleuisse dicitur. Flet etiam mundana sapientia, dùm crebro filios suos defunctos, ad sepulchra deferri videt. Nam licet naturâ ipsà ita comparatum est, vt extinctis prioribus, noua succedant: licet & in domicilio sapientiæ accrescant, in dies noui alumni magis, tamen vnius viri perfectè in sapientia culti interitus affligit; quàm plurium ortus solatur: quia & arborem facilè est germinare, atq; proferre vuas, verùm ad perfectam maturitatem eadem deducere, mille impedimenta obstant. Plorat & cœlestis sapientia, dùm paucos habet, qui illam æmulẽtur. Apocal. 3. num. 30. *Ecce* inquit *ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam intrabo ad eum* Quasi non minus increata sapientia, suis seruis dirigendis, quàm ipsi serui suis dominis honorandis assistere videatur. hoc solo discrimine, quia seruus Domini semper curam habet, cœlestem sapientiam plerumq; negligit. Quam tamen Salomon ardentissimè postulabat Sapientiæ 9. num. 1. & 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.* Vbi manifestè ostendit hominem, quantumuis dono creatæ sapientiæ polleat, puerum esse, quousq; à cælesti sapientia illuminetur. En vobis defunctum filium hominem peccatorem, qui dùm gratiâ IESV Christi spoliatus est, phantasma quoddam esse videtur, non homo. Mater vnica istius Filij Ecclesia sancta est, quia dolet ob peccatum hominis, quia sponsa Christi, proinde ægrè illam afficit labes peccaminosa, simul tamen compatitur humanæ infirmitati, & ad misericordiam sponsum suum cœlestem flectit, vt ad contactum humanitatis suæ contritos admittat peccatores. Igitur ne mors in animam alicuius dominiũ præscriptione obtineat, confugite ad orationes sanctæ Ecclesiæ, vt illis emollita cœlestis sapientia, vos contingat, atq; animam cuiusqué, & gratia sanctificante, & dono veræ sapientiæ impleat.

Apoc. 3.

Sap. 9.

AMEN.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus Matris suæ. *Lucæ 7.*

Hominem mortis memorem semper esse oportet.

QVemadmodùm rosa ardẽti solis æstu, aut gelido Aquilonis flatu marcescens, facilè totam suã pulchritudinem amittit; sic vita hominum lethali succincta falce, citò interit. Hinc octauus inter septem mundi sapientes Seneca, libro de breuitate vitæ inquit. *Maior pars mortalium malignitatem lethi sibilat, quòd plurimos in ipso vitæ apparatu, veluti rosas recens natas, & primùm suas ad solis*

Seneca.

ad ſolis ortum explicãtes comas inuadat. Neq; huic publico malo, rudis tantùm & indocta plebs ingemiſcit; ſed & clarorum quoq; hominum, hîc affectus querelas euocat. Inde illa maximi medicorum exclamatio nota eſt. *Vita breuis ars longa.* Inde Princeps Ariſtoteles Philoſophorũ, vitam omnium animalium accuratè ſcrutatus, naturam incuſat, quæ tantùm brutis animantibus indulſit, vt quina aut dena ſecula edurent; homini verò in tàm multa & magna genito, tantò citeriorem terminum ſtatuit. Sed quid ô bone Ariſtoteles miraris? Ecce tota hominis vita mors eſt; & quidquid iam præterijt illud mors abſorpſit, & quicquid præſens in vita cernitur, illud mortis imaginem præſefert, & quicquid futurum expectatur, è mortis vmbrâ aſſurget. Roſa eſt vita humana, pulchritudinem illa quidem admirandam, oſtentat, dùm in primo ſui ortu florere incipit, ſed durationis momentaneam breuitatem cum roſa ſimul participat. In florido mundi Parnaſſo inſerta fuit quondam roſa ſecus amaranthum, videns Amaranthus, roſeum illum decorẽ, odore & amænitate admirandum, cæpit eius formam maximoperè laudare, & ecce laudanti Amarantho reſpondit roſa. Quid mihi prodeſt forma, ſiquidem citò tabeſco, Tu verò ſemper recens viuis; Malim ego minus habere formæ, & plus vitæ. Quid aliud Deus fecit cùm homine? plantauit illum in mundo perpetuis ærumnis & moleſtijs obnoxio, vt ſcilicet homo, dùm eius pulchritudinem mundus ſuis blanditijs nimiùm extollit, vt inquam homo vitæ breuitatis memor, idem pernicioſo mundo reſpondeat, quod roſa Amarantho. Quid mihi prodeſt corporis venuſtas, quid oris pulchritudo, quid erecti vultus maieſtas, cùm citò tabeſco? vtq; ſic roſæ perennandi affectum in ſe excitet, inquiens: meliùs eſt, ſi æternum viuam, quàm ſi pulchritudinem meam, inter fallaces mundi illecebras explicando, roſæ inſtar citò tabeſcam, & propter momentaneam delectationem, in æternam mittar abyſſum. Idcircò & nos, vt memores ſemper noſtræ mortalitatis ſimus, deſunctum hodiernum adoleſcentem à Chriſto reſuſcitatum, & matri ſuæ redditum accipiemus conſiderandum, &c.

Memorem ſemper breuitatis vitæ hominem eſſe debere, duas ob cauſas voluit Deus: primò ne ſcilicet homo obliui ſceretur ſe diuinæ legis præuaricatorem eſſe, propter originalẽ primorũ Parentũ trangreſſionẽ; ſed vt ſemper & vbiq; recordetur, ſe & peccatorem natum eſſe, & peccatis obnoxium, iuxta illud Pſalmi 50. *Ecce enim in iniquitatibus ſum conceptus, & in peccatis concepit me Mater mea.* Iſtæ enim pœnilitates, nimirùm: ſubtractio gratiæ originalis in Anima, ignorantia in Intellectu, malitia in voluntate, in ſenſualitate fomes peccati, & in corpore, mors, infirmitas, morbus, ex illa originali labe pullulârunt, effectuſq; peccati originalis cenſentur; vt ſcilicet dùm homo, ſiue ſalutaribus Spiritus ſancti donis in anima ſpcliatur, ſiuè defectus corporis patitur, meminerit iuſto Dei iudicio hæc omnia in ſe immiſſa eſſe. Deumq; celeriter pro ſuis delictis deprecari contendat. Quod pulchrè Deus figurauit Gen: 3. Vbi ſcriptura refert, quòd cùm primi Parentes poſt peccatum nuditatem ſuam cognouiſſent, *Fecit quoq; Dominus Deus Adæ, & Vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, inquiens *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Vbi manifeſta ironia fiebat ex tunicis eorũ pelliceis. *Quo enim maiori indicio.* (inquit S. Auguſt: lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 21.) *potuit ſignificari mors, quàm ſentimus in corpore, quàm pellibus, quæ mortuus pecoribus detrahi ſolent? itaq; dùm contra Præceptũ non imitatione legitima, ſed illicitâ ſuperbiâ appetijt Deus eſſe homo, vſq; ad belluarum mortalitatem deiectus eſt.* Vbi rectè diſtinguit ſanctus Doctor, quomodò innocenter & ſanctè, vt ſicut Deus eſſet, appetere potuiſſet homo, nimirùm ſectando iuſtitiam eius, & imitando ſanctitatem eius. Et hic diſcant homines, qui in coniugio ſunt; illecebris Vxorum non induci, ad ea quæ præceptis diuinis repugnant, diuit enim Deus Adæ, Gen: 3, 17. *Quia audiſti vocem Vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Nonnè iuſtum erat (inquit ſanctus, Bernardus in paraſc. Serm. 27.) *Vt illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat.* Plus debes ô homo Deo, quàm Vxori; plus Animæ, quàm corpori, quia hoc pelliceis tunicis indutum eſt, proinde mortale, Anima verò ſanguine Chriſti veſtita, proinde immortalis.

Altera ratio, quare Deus hominem ſuæ mortalitatis memorem eſſe ſemper voluit, quia tempus moriendi incertum eſt omnibus, Matthæi 16. *De die illo & hora nemo ſcit.* At cur incertam mortis horam Deus omnibus poſuit, non aliam certè ob cauſam, niſi vt homo in qualibet ætate, in quolibet ſtatu, in quocunq; tempore mori paratus eſſet, atq; ad hanc aſſiduam mortis cõtemplationem incitat Chriſtus mundum Matthæi 25. *Vigilate quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.* Iuuenes, mortem tamen meditare, quia incerta eſt eius hora, nec vllum ætatis diſcrimen facit: roſam te eſſe puta, cuius amæna quidem pulchritudo, ſuauis odor, ſed exigua duratio, & tua ætas iuuenilis pulchra aſpectu, ſed mortuorum pellibus induta animalium, vt mortis ſententiam præ oculis vbiqué circumferas. Ecce enim inquit Euangeliſta defunctus effertur hodiernus, & hic adoleſcens, in primo ætatis vigore, Filius vnicus Matris ſuæ, idq; Viduæ adhuc. Vbi ſi Filij ætatem ſpectas? hæc primùm florere cæpit, & maiorem expectabat ſui maturitatem: ſi mœſtam matrẽ, eamq; viduam conſideras? hæc filij diuturnam deſiderabat vitam, vt ſic ſuæ ſenectuti & viduitati ſolatio eſſet Defungitur tamen in hac vita, & defunctus effertur in ſpectaculum

toti orbi, vt mortis memoriam ſuo exemplo omni viuenti ſuggerat. Sed etſi ætate flores, virtute & robore multum vales, memor tamen teneris eſſe, quòd mortale indumentum, tunicam ſcilicet pelliceam geſtes. Potiſſimùm autem Deus iuuenes tribus de cauſis morte punit. Primò, quando futuros videt eos, aut Eccleſiæ damno, aut reipublicæ nocumento. Si enim (vt ſcribit Quintilianus libr 5. cap. 9.) Areopagitæ damnârunt aliquando puerum, quòd cornicum oculos crudeliter confixiſſet, colligentes inde eum futurum fuiſſe crudelem & immanem. idem planè Deus facit, videt infinitâ ſuâ ſapientiâ iuuenem peſſimè victurũ, ſi diutiùs viueret, ſuiſq; vitijs Deum à ſe alienaturum, & maximum damnationis periculum ſibi acceſſiturum, mox in tenera adhuc iuuentute, dùm illæſam adhuc retinet innocentiam, præuenit eum morte, ne malitia mutet intellectum eius. Videt iuuenem nociturum Eccleſiæ aut Reipublicæ, aufert illum ex hoc ſeculo, antequàm ad maturiorem perueniat ætatem. Pſal. 57. *Priuſquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes, ſic in ira ſua abſorbet eos.* Sic abſorbuit Anathaſium Imperatorem ſuam perſequentem Eccleſiã: ſic Eutichianum, Iuſtini, Iuſtiniani, & aliorum fidelium Catholicorum mortem machinantem fulmine occidit; hæc nihilominùs præmatura mors, fit in bonum, ſiue ſaluandorum; ne pereant: ſiue damnandorum; ne grauiùs & diutiùs peccando, maiorem pœnarum patiantur taxã. Secunda ratio, propter quam Deus iuuenes ex mundo citò rapit eſt, cùm ſunt immorigeri, & non debita reuerentia ſuos parentes venerantur. Sicut enim in Decalogo, filijs Parentes honorantibus promiſit Deus vitam longæuam. Sic diſcolis & dishonorantibus breuem minatus eſt. ſic 1. Reg. 4 duos Heli filios Ophni & Phinees, qui non obediebant Patri ſuo, ſed contemnentes eum in ſenectute, maiora in dies vitia in Deum

Puer oculos auiculis effodiẽs ad mortem damnatus.

Pſal: 57.

Iuuenũ præmatura mors vnde.

um cumulabant, DEVS permisit vt in florida sua ætate à Philystinis cum Israëlitarum exercitu necarentur. nec dum satis est diuinæ vltionis? sed & senem illum Heli, Nonaginta octo annorum morte Deus puniuit, propterea quòd insolescentes filios non coërceret: dicit enim ibi scriptura, 1. Reg. 4. *cùm audisset Heli fusos esse duos filios, & arcam Dei captam, cecidit de sella retrorsùs iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Sed magno satis exemplo omnibus esse potest rebellis ille Absalon, in Patrem suum Dauidem, quem Deus in pulcherrima illa & florida iuuentute miro modo quercui implicuit. Vnde D Chrysosthomus homilia de Absalone tomo 1. inquit. S. Chrysosth: *Adest arbor in campo ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris in turiam in Parricidam defendat.* Adest inquam arbor, quæ nec Patrem vt tibi parcatur, audiuit, & iussa Dei constanter implere contendit. Tertia ratio immaturæ iuuenum mortis est, quando in iuuentute peruersè viuunt ex præsumptione, quasi in senectute pœnitentiam acturi sint. De quibus S. Cyrillus Alexand. oratione de exitu animæ pulchrè ait. Cyrillus Alexan: *Qui dicunt peccemus in iuuentute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ij à dæmonibus illuduntur ac deridentur, quoniam qui vltrò peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in iuuentute falce mortis demetuntur.* Sic 4. Regum 21. Amon ille filius Manassis Regis Iudæ, cùm viginti duorum annorum mortuo Patre, regni gubernacula susciperet, mox Parentis sui vitia imitari cæpit, qui duodecim quoque annorum factus Rex, omni libidini & immunditijs deditus erat. De quo scribit Glycas 2 parte annalium, quòd talem secum iuuenis cogitationem voluerit iste: Glicas *Pater meus à puero multa scelera fecit, in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipse hac ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam*, & ecce hac de causa, Deus pœnitentiam illius non expectauit, sed secundo regni illius anno, à proprijs seruis extingui illum permisit. Mirabile est, quòd in nouo testamento, immutata sit sepultura, secùs; quàm in veteri: Iudæi enim corpora defunctorũ sepeliebant extra ciuitatem, ideoq; & hodiernus adolescens defunctus efferebatur ex vrbe, cùm iam Christus portæ ciuitatis appropinquaret, fortassè, ne illis in ciuitate mors vllum terrorem incuteret. at verò in statu gratiæ & noui testamenti, solemus mortuos sepelire in templis, aut propè templa, vt scilicet; quilibet Deum oraturus ad templum veniens, his recentibus sepulchrorũ vestigijs mortis memoriam præsentem sibi renouet. Sed quid nos facimus? ecce Iudæos imitamur. Iudæi vt primum corpus extra ciuitatem extulerunt; & tumulârunt, post lachrymas & eiulatum, ad ciuitatem reuersi, statim omnium dolorum obliuiscebantur; sic nos planè, dùm corpus alicuius ad sepulchrum duci videmus, dùm strepitum campanarum quæ lugubriùs & prolixiùs tunc pulsantur, audimus; non nihil commouemur, & aliquãto mortis horrore corripimur. Sed peracto funere, mox in nostram ætatem, veluti in floridam rosæ pulchritudinem oculos conuertimus, prolixiorem nobis adhuc vitam promittentes, nec ampliùs in mortis memoria, nisi velut in somnis occupamur: ideoq; Christus nos ex hoc somno excitat, Matthæi 24. *Vigilate quia nescitis, quâ hora dominus vester venturus sit.* Mat. 24. Multi quidem longiorem sibi promittendo vitam, ex hoc somno surgere volunt, sed quia serò, non possunt. Sic superbus ille Pharaó, cum suo exercitu persequẽs filios Israël, cùm iam se morti propinquum cerneret, ab incepto opere desistere voluit, inquiens. *Fugiamus Israëlem dominus enim pugnat pro illo contra nos.* Exodi 14. Exodi 14. sed quia id nimiùm serum erat, vt pote cùm iam mors in oculis staret. inquit scriptura: *Illis fugientibus occurrerunt aquæ, & inuoluit eos dominus in medijs fluctibus.* Tempestiuè igitur præcogitanda & præuidenda est mors, ne illa adueniente, inuoluant nos corporis angustiæ & morbus, ita vt subuersi eiugilare nequeamus.

Rem prorsùs mirandam narrat Plinius, Cygnum morti vicinum suauissimè cantare, serenam verò auẽ marinam morti quoque vicinam amarissimè flere, atq; ingemiscere. Discrimen tàm diuersi è rerum natura exitûs, assignant naturalistæ, quia inquiunt tempore mortis sanguis totus ad cor recurrit; idcircò, cùm in Cygno sit sanguis purus & generosus, hilaritatem illi affert, cantumq; excitat in moribundo, iam verò in serena, sanguis est vilis & corruptus; idcircò circa cor congregatus, tristitiam generat, & gemitum prouocat. Istæ duæ aues tàm diuersimodè morientes, designant nobis bonos & malos Christianos: Bonis enim & iustis, qui post minima etiam peccata Dei amicitiam per salutarem pœnitentiam restaurant, mors solet accidere grata, eiusq; recordatio iucunda, tanquàm desideratus laborum terminus, & optata gaudiorum ianua atq; introitus. Malis verò & impijs, tussis, & horrenda mors euenire solet, tanquàm mundi gaudiorum finis, quibus se diutiùs fruituros sperabant, at vnde tantùm moriendi discrimen? Non aliunde sanè, nisi quia recti & Deum timentes, cælesti Eucharistico pane cum pura conscientia satiati, purissimum quoq; sanguinem, è diuina gratia natum acquirunt, qui in termino vitæ, Deo plenum cor eorum ambiens, omnem lætitiam in illis excitat; è contra verò peruersi Catholici, qui eum fæda & maculis peccatorum onusta mente, ad diuinum hoc epulum accedunt, quia iudicium Dei & iram manducant, vilem & corruptum sanguinem acquirunt: ira enim sanguinem in aquam immutare solet, ideoq; in puncto vitæ, cum melancholicus iste sanguis cor fœtore plenum occupat, tristem nimium reddit hominem. Lætus fuit Paulus etiam in Puncto mortis, iucundum illum edens cantum: *cupio dissolui & esse cum Christo* Philipp. 3. quia diuinâ gratiâ plenus. Sed tristis peccator. Lachrymabilem illam vocem moribundus intonans: *Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat.*

Cygnus morti vicinus quare cantat

Serena moriẽs cur flet

Iustorũ læta mors impiorum tristis

Quodsi nos in hac mortis meditatione somnus occupat, Christo nunc omnibus obuianti, efferamus nostras conscientias, consolatus est ille hodiernam viduam, inquiens: *Noli flere*, & nos, si cum lachrymis & dolore ad eum recurramus, consolabitur. quia oculi eius semper misericordes sunt. Vidit enim ille in deserto multitudinem magnam, quæ illum triduò secuta erat, & misertus est illius. *Misereor* inquit, *super turbam* Ioannis 6. Ioan. 6. Egrediens è templo, vidit cæcum à natiuitate, & misericordiâ motus, sanauit illum Ioan. 9. vidit Matthæum sedentem in telonio, & vocauit eum. Vidit Zachæum in arbore, & statim hospes eius esse voluit, vt salus fieret toti eius domui: vidit discipulos laborantes, in remigando, & eos à tempestate liberauit. Vidit duos fratres Simonem & Andream piscantes in mari, & ait illis: *Venite post me.* Matthæi 4. Mat. 4. Vidit hodiernam Viduam defunctum adolescentem secutam, & inquit: Euangelium: *Quam cùm vidisset, misericordiâ motus dixit, noli flere.* Luc. 7. Quid hæc Vidua aliud nobis repræsentat? nisi Animã per peccatum diuinâ gratiâ orbatam. Quid filius defunctus? nisi rectam rationem, à debito ordine legis & naturæ recedentem; quid loculus in quo efferebatur defunctus? nisi corpus hoc mortale, in quo peccatrix anima, velut in sepulchro iacet. Quid illi qui defunctum portabant steterunt? nisi passiones inordinatas, quibus anima tota in declive vitiorum fertur, quas Christus tangens cor hominis sistere iubet, ab immoderato vitiorum cursu: sed quemadmodùm vt defunctus hic adolescens resuscitaretur, non satis erat, cùm dominus dixit: *Adolescens*

tibi dico surge: Sed & loculum tangere debuit, vt quasi è graui somno eum excitaret; sic planè in peccandi consuetudine inueterati, surgere nolunt, cùm dominus per pastores Ecclesiæ clamat. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Sed expectant donec sua dextera loculum, scilicet; corpus hoc mortale tangat. Pulchrè hoc illustrat Ieremias cap. 8. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium*: sicut enim equus ad pugnam currens nec tormentorum strepitum, nec hostem timet; sic impij præcipites ad malum feruntur, quò eos libido & cupiditas impellunt, nec vel diaboli insidias, vel damnationis pœnas metuunt. Nihilominùs vt equus impetu summo currens, freno à sessore forti constrictus cursum sistere cogitur: sic Excelsi manus impios tangens, ab inordirato vitiorum cursu eos cohibet teste Psalmista 33. *Chamo & freno maxillas eorum constringens, qui non appropinquant ad eum.* Et hoc est maximum Dei beneficium, quando Deus peccatorem punit, vt hoc facto à via iniquitatis reuertatur. Sic quando Deus percutiebat Pharaónem Exodi 11. *Adhuc vnâ Plagâ tangã Pharaónem*, tactus Pharaó ad tempus resipiscebat. & 2. Paralipp. 33 memorat scriptura, cum Manasses Rex prospera stante fortuna, flagitiosissimè vitam ageret, Deus illum percussit magnâ plagâ vt regno exutus, & captiuus in Babylonem adduceretur. Et ecce sacra pagina inquit: *Postquàm coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam, valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum & obsecrauit intente, & exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum in Ierusalem in regnum suum, & agnouit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus.* Simili Plaga peccans Dauid, à Deo percussus inquit: Psalmo 68. *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animã meam.* Aqua est omnis tribulatio, peccãti mortali huic cori à Deo immissa, quæ per se quidem peccatori esset insipida, nihilominùs tamen per diuinæ gratiæ operationem, fit pœnitenti compuncto sapida, non quidem sapore dulci, sed salso; vtilissimo tamen: quia *tristitia quæ secundùm Deum est; pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Corinthiorum 3. 2. Corinth: 3.

Habemus igitur hodiernum Adolescentem defunctum, qui nos omnes repræsentat in peccato natos, & eidem obnoxios; vt scilicet eius exemplo recentem semper mortis memoriam præ oculis teneamus, nec emendationẽ vitæ procrastinemus, sed quàm primũ datur occasio, eluamus peccatorum noxas, Dominumqué parati expectemus, cuius incertus & inopinatus euentus. habemus Matrem eius Viduam; vt consideremus, quàm graue sit Animæ nostræ, diuinâ gratiâ orbatæ, habemus loculum, id est corpus hoc mortale, in quo velut in sepulchro decumbimus, quoties peccatis immersi hæremus. Proinde si cuius anima in hoc loculo propter peccata mortua sepulta est. occurrenti Christo obuiam esse-ramus, illum quærentes, vt tangat non tantùm corpus hoc mortale, sed & animam, vt ab illa infelici peccatorum morte resurgat. Neq; desperate: operabitur diuina gratia, feliciter salutem & vitam in omnibus vobis. Pulchrè hoc tetigit S. Augustinus de verbo Domini Serm. 44. *Alij post consensum peccati eunt in factũ, tanquàm offerentes mortuum suum, vt quod habebat in secreto vitium, appareat in publico. Nunquid iam isti qui in factũ processerunt desperandi sunt? Nonne & illi iuueni dictum est? Tibi dico surge: Nonne & ille est redditus Matri suæ. Sic ergo & qui iam fecerit, si fortè commonitus & commotus, verbo veritatis, ad Christi vocem resurgit, viuus redditur.* Occurramus ergo hodie obuiam Christo Domino? efferamus nostras conscientias in peccatis emortuas, imploremus eius subsidium, vt sua dextera, gratia scilicet sanctificante nos ab his vitiorum maculis resuscitet, in æternumq; victuros suæ Matri, scilicet virgini sanctissimæ, tãquàm vnicos filios reddat. Amẽ. S. Aug:

EADEM

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Er resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. *Lucæ 7.*

Ex defuncto adolescente, vitæ mutabilitas, & incertitudo mortis deducitur.

PRodigio simile est, quod Alexander magnus totum orbem mucrone possidens, non priùs victorijs & triumphis satiari potuerit, donec in vltimis Indiæ partibus, ad montẽ adamantinum peruenisset, vbi fati dicas solis & Lunæ arbores, de vlteriori vitæ progressu, aut mortis euentu consuleret. Vbi cùm secum Alexander animo volueret, an deuicto orbe terrarum, in patriam triumphans ad olympiadem Matrem sororesq; carissimas posset reuerti: mox diuina auribus aucupauit oracula ab arbore solis respondente. *Inuictæ bellis Alexander* (vt consuluisti) *Vnus eris terrarum orbis dominus, sed vitus in Patriam non reuerteris, ita enim fata de tuo capite statuerunt.* Nondum contentus Alexander, adhuc vbi nam moriturus esset, alteram Lunæ arborem consuluit, quæ illicò græcè respondit. *Alexander* (inquit) *plenum iam ætatis terminum non habes, sed tamen sequenti anno Mense maio in Babylone morieris.* Illachrymatus Alexander, tertiò adhuc solis arborem consulturus accessit, cuius nam percussoris manum cauere deberet, & quem exitum Mater sua habitura esset, cui respondit arbor: si mortis tibi insidiatorem tuæ prodidero, sublato eo instantia fata facilè mutabis. Igitur Babylone morieris, non ferro, sed veneno: nam à quo minimè speras, decipieris; Mater verò tua, turpissimo, & miserando exitu, quandoque insepulta iacebit in via, auium ferarumq; præda, quod ipsemet Alexander in sua Epistola ad Aristotelem testatur, sed & Deus præ-

potens. non minus ostendit miraculum, duas in Paradiso terrestri producens arbores, vnam vitæ alteram mortis, vt scilicet oraculis illarum edoctus homo, sæpiùs ante oculos sisteret & vitæ breuitatem & incertũ mortis euentum. Nam hæc sola est homini saluberrima contemplatio, vt dicit sapiens: *Memorare nouissima tua, & non peccabis.* Vnde Scriptura sacra. 4. Reg. 5. narrat, quòd postquàm Naaman fuerat per Elisæum à lepra curatus, petijt ab eo vt sibi permitteret terram aliquam ex eo loco in propriam patriam asportare. *Concede mihi* inquit *seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra*: Causam istius facti assignat Glossa ordinaria super 4. Reg. 5. vt scilicet Dominum Deum per illam terram, semper in memoriam reuocaret. *Partem* inquit *sanctæ terræ secum tulit Naaman, vt poneret in templo idolorum, & super eam consistens, Dominum cuius erat terra, adoraret, ne offenderet Dominum suum.* Nicolaus verò de Lyra super 4. Reg. 5. putat ideò Naaman portasse illam terram, quia reputabat sanctam propter cultum Dei ibi vigentem, ideòq; tulit illam Naaman, vt ex illa faceret altare in domo sua, iuxta illud Exodi 2. *Altare de terra facietis mihi.* Deniq; Abulensis in Commentario huius loci, in ea fuit sententia, vt putaret, quòd Naaman idcircò consulto terram illam asportauerit, in temploque suo collocauerit, vt illam intuens ab idolorum cultu animum coërceret, nec alios idolorum cultores, ibidem sacrificia offerentes imitaretur. Verùm licet hæc omnia sint ingeniosè probata, multò tamen verior mihi videtur aliorum expositio, qui dicunt terram illam secum tulisse Naaman, vt memor lepræ, quâ tanquam mortalis homo laborauerat, consuetudinem idololatrandi fortiter compesceret, iudicans prudenter, nihil eum à tanto scelere efficaciùs auocare posse, quàm mortalitatis & miseræ conditionis suæ crebram recordationem: idcirco Naaman asportans

4 Reg: 5. Glossa. Lyran. Exodi 2. Abulẽs:

tans terram illam subiecit? *Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum aut victimam Dijs alienis nisi domino.* 4. Regum 5. Similiter 4. Reg. 31. refert 4. Regum 5. facer textus, quòd Rex Iosias diuini honoris zelo accensus, non solùm præceperit omnia vasa Baal comburi, auruspicés eorum penitùs deleri, locum ex cuius lignis idola fiebant, in cinerē redigi: altaria idolorū solo æquari; sed insuper loca illa omnia mortuorum ossibus repleri, putans nihil magis idololatras deterrere posse ab idolorum cultu; quàm mortis memoriam. Quid aliud Christus dominus in hodierno Euangelio ostendere voluit, defunctum Adolescentem ad vitam resuscitans, nisi vt nos edoceret, ad vniuersa vitia cōércenda mortis recordationem præsentissimum remedium esse, cuius doctrinam sequendo, duplex oraculum ex defuncto adolescente capiemus, vitæ scilicet mutabilitatis, & mortis in certitudinis atque resuscitationis'.

Non adeò mirum est, quòd olim diabolus primis Parentibus persuaderet facilè, neutiquam morituros. Gen: 3. Genes: 3. *Nequaquàm morte moriemini*: cùm nec mortem nec vllum adhuc eius vestigium viderent. homo autem faciliùs exemplis; quàm speculatione ad credendum aliquid impellitur. Non mirum quod homo pulsus de Paradiso edictum illud diuinum contempserit, Hebræorū 9. *Statutum est hominibus semel mori*: cùm homo animæ suæ immortalitatem agnoscens, non facilè eius separationem à corpore capere posset. Ex quo factum erat, vt perinde homo viuere vellet, acsi tanquàm æternus, nunquam esset moriturus. Sed vt Deus ostenderet, quam falsò sibi blandiuntur homines, dùm se immortales autumnat, non iam præceptis, sed exemplis docere voluit, defunctum adolescentē toti spectantium & credentium multitudini obijciens, vt quilibet, quotidiè Parentes, filios, consanguineos, amicos, Principes, Plebeios interire cernens, se quoq; ijsdem obnoxium legibus agnoscat. Nec certè decet hominem ipsis animantibus insipientioré esse: si enim volucres escam sumētes, & sub vmbra arboris tempore æstiuo reficientes sese, dùm accipitrem aduentare animaduertunt, omnes continuò relicta escâ & vmbrâ, quibus refocillabantur, aufugiunt, & in securum recedunt locum, quantò magis homini rationis non experti conuenit, vt crebrò cernens mortis accipitrē, rapacibus suis vnguibus, fratrem suum, amicum, vicinum, & alios per plures inuadentem, voluptatum escam, profani honoris vmbram, illicitos contactus, peccaminosa lucra, odium & rancorem, atq; his similia deserat, aufugiat exterratur. non illi tenaciùs adhæreat. Nam ex vno defuncto certum oraculum? vitæ suæ in exiguum duraturæ, quisq; desumere potest; quod variæ quoq; illæ hominis descriptiones insinuant, quas scientiæ in vnum congregatæ, ex præcepto Mineruæ tradiderunt. Dialectica enim dixit. *Homo est breue quoddam enthymema.* id est; velut oratio breuis, non habens aliud; quàm antecedens & consequens: vt in suo antecedenti, conspiciat suum ortum, In consequenti autem interitū. Astrologia paulò aliter illum descripsit, inquiens: *Homo est mutabilis sicut Luna.* quasi diceret; sicut sola inter planetas est Luna, quæ perpetuo crescit & decrescit, sic inter nobiliores creaturas solus homo, qui quotidiè quasi ad suum incrementū festinat, & mox Lunæ instar deficit, atque in splendore florentis vitæ diminuitur. Physica rursùs hominem definiuit. *Homo est animal rationale, mortale.* At demùm Mathematica multò accommodatiùs, in hunc modum? *Homo est velut figura Spharica.* quæ definitio hominis præ alijs placuit Mineruæ. quia sicut figura Sphærica, in idem quo incipit punctum, desinit; ita homo incipiens ex terra esse, vt dicitur Genes: 2. *Formauit Deus hominem ex limo terræ*; Gen: 2. in terram quoq; desinit, testante eadē scriptura

scriptura Gen: 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hoc certè requirit à nobis Deus, vt ex hodierno defuncto adolescente, hoc principale oraculum desumamus, instabilitatem scilicet, & in exiguum vitæ nostræ durationem. Non est confidendum florenti ætati, quia & arbores immaturis orbantur fructibus, & castis Lilia floribus.

Sed multi vitæ huius momentaneæ decore & dulcedine falluntur, quæ potiùs mors est dicenda quam vita, alliciuntur ad sequendam vitā præsentem, quoniam procedit ab oriente, pomposè vestita, floribus ornata, per orientalem partem ingreditur: sed plura promittit, quàm præstat. *Nam* inquit Iob. *sicut flos egreditur, sed conteritur & fugit velut vmbra.* Videtur vita iuuenilis formosa & benеuola, sed est terribilis truculenta. Nam postquàm mortalium orbem, tanquàm aper hortum ingressa esset, protinus recentes plātas demoliri, flores conculcare, antiquiores corio spoliare, cœpit. Vnde potiùs mors dicenda esset, quàm vita, cùm sit inquieta & periculosa, momentanea, & innumeris crebrò hominem telis petens. De cæteris enim creaturis illud Ecclesiastici dici potest. Eccl: 33. *Duo contra duo, & vnum contra vnum.* Ecclesiast: 33. Dæmones contra Angelos, vitia contra virtutes, antidotum contra venenum, aqua contra ignem, lux contra tenebras, mors contra vitam continuo prælio atque duello certant. Inter alia bruta, Elephas contra draconē, Delphines contra Crocodilos, scarabei contra aquilas, certant. Sed cōtra hominem omnia cucurrisse videntur. cœlum, terra, aër. Cœlum influxu suo interficit; aër malignitate inficit; terra enecat, dùm alimenta subministrare desinit, inimici visibiles & inuisibiles, domestici & extranei & prorsùs omnis creatura videtur esse in armis contra hominem. Persequitur eum mundus Ioan: 15. Ioannis 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret.* Quis igitur dicet hanc vitam esse quietam? Quis non fatebitur esse periculosam? vbi frater fratri, filius Parenti, vxor marito, amicus amico, insidiatur ad mortem. Vbi si manducas, si bibis, si dormis, periclitaris; manducando contrahis infirmitatem: dormiendo, somno, aut sanguine suffocaris; negotiando, honores procurando, & dignitates, possessiones, famā, vitam deniq; periculo exponeris. Si abundas pecuniâ & thesauris; latronibus assiduum imminet periculum; ne spolieris: si nihil habes? adhuc grauiùs instat malum, ne fame & siti pereas. Nec tantùm inquieta & periculosa est mortalium vita, sed etiam insuper est certissima mors, quoniam nec sumptuosa medicamēta, etiam ex auro purissimo, aut pretiosissimis lapidibus confecta, nec medicorum scientia, nec Astrologorum fatidica prædictio, valet ad detinendam animam in corpore, accedente Dei voluntate. Legimus quidem tâm in sacris, quàm profanis libris, homines vixisse longissimo temporis interuallo, at neminem perennare vidimus. Adam vixit 930. annis; post multa tamen temporis curricula, potestati mortis subiectus est. Superstes fuit Seth 972. annis; post tamen transacta feliciter secula, mortuus est. Vixit Enos 905. annis; non tamen mortis falcem euitauit. vixit Cain 910. annis; nec tamen Libithinæ foueam euitauit. Vixit Matusalem 969. Nōé 950; quos tamen omnes mors angusto satis inclusit sarcophago. Miser proinde homo, qui spem in longitudine vitæ ponit, cùm Psalmista dicat: *anni nostri septuaginta sunt.* immò veriùs dixisset: *anni nostri momenta sunt.* quoniam viuendo morimur, & in ipso momento, quo viuimus à vita transire incipimus.

Homines qui diu vixerunt.

Proinde arborem inuersam, adolescentem scilicet defunctum intueri oportet, & ex illo vitæ mutabilitatis atq; incertitudinis, mortis, sumere oraculum necessum est. Defunctum se quilibet agnoscat, expedit.

Hōo ex quatuor elemen-

tis constat; peccator ex quatuor generibus peccatorum.

dit. Quid enim aliud iste defunctus nobis præ oculis ponit, nisi peccatorem: & quoniam omnis homo est peccator, idcircò omnis etiam defunctus. Homo ex quatuor elementis constat teste Philosopho, videlicet aëre, igne, terra, aquâ; peccator pariter ex quatuor generibus peccatorum, nimirum: ex superbia, quæ per aërem notatur, quâ semper appetens excellere, vult alijs dominari. Ex ira, quæ per ignem significatur: quoniam hominem intrinsecùs inflammat. ex auaritia, quæ per terram repræsentatur; quoniam terrena desiderat, & tandem ex luxuria, quæ per aquam figuratur; quoniam semper despumat in libidines. Defuncto homini sepulchrũ, est terra, defuncto verò peccatori, infernus. Ferretrum defuncti hominis est lignum; defuncti verò peccatoris, corpus mortale. Nam hoc feretrum, mortale scilicet corpus, ad sepulchrum illud æterni cruciatus, portat primùm superbia. Nam hæc est initium omnis peccati, quia vt inquit Beatus Isidorus, *tàm per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat.* Vnde Valerius Maximus de Alexandro lib. 9. cap. 5. superbissimo & dementi homine, refert: quòd huius regis virtus & fælicitas, tribus insolentiæ gradibus exultauerit. Fastidio Philippi Patris sui, dùm Iouem Hammonem Patrem asciuit; tædio morum & cultus Macedoniæ, dùm vestem & instituta Persica assumpsit, & spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus est, nec fuit ei pudori, filium ciuem, homlnem dissimulare. En quo superbia ducit hominem, vt sui ipsius oblitus, diuinam sibi impudenter & temerè excellentiam attribuere audeat, paucasne illa demẽtauit nationes, & ad superfluam colorum varietatem, ac vestimentorũ luxuriantem profanitatem impulit; præcipuè tamen nostram Poloniam, in qua singulis annis, singuli prodeunt vestium ornatus, nullusque ita gratus est, qui exiguo temporis interuallo, fastidire non incipiat. Hanc nostræ Poloniæ præ ceteris nationibus effrenatam consuetudinem obseruauerat pictor ille, qui varios vestiendi modos iuxta populorum varietatem depingens, cùm singularum nationum homines efformasset ad amussim, solum Polonũ tanquam Chamæleontem quendam, & Chimeram ex omni vestium genere cõpositum, cùm exprimere non posset, ignoraretq; penitus, quo genere vestimenti eum depingeret, videns eũ nunc thorace Gallico; nunc calligis Burgundicis, nunc pileo Mediolanensi, nunc pallio Boëmico incedentem, tandem in hanc cogitationem incidit, vt eum ante se pannum, & forcipes in manibus tenentem depingeret, significare volens Polonã gentem, nunquàm à nouis vestium inuentis, varioq; earum se abstinere ornatu.

In Polonia fręquẽs vestiũ mutatio.

Vestiũ varietas vnde.

Vt tamen vestium cultores erubescant, considerent quæso originẽ earum; tunc primùm enim hæc misera varietas initium sumpsit, quando primi genitores illi Adam & Eua in Deum peccauêre. Nam videntes se esse nudos. protinùs ad operiendam suam nuditatem vestimenti modum inuênere, sub folia ficus confugiendo. Hæ fuerunt Adami calligæ, hi thoraces; hæ, Euæ tunicæ, hæc vestium eius ornamenta; vbi quilibet facilè colligere potest, vestimenta nihil aliud esse, quàm vittas quasdam ad sanguinem vulneris peccati cohibendum. Non alia misericors Deus, aduersùs temporum iniuriam. & aëris inclementiam vestimẽta homini dedit gestãda, quàm ex pellibus animantium, vt scilicet homo semper mortalitatis suæ memor esset. Verùm eò paulatim creuit, hominum insolentia, eoq; peruenit hominum arrogantia atq; profanitas, vt vestium cultum atq; ornamentum, peccati fomentum effecerint. Et quod ab origine in peccati pœnam datum fuit, in lautitiã, gloriam, & honorem, conuerterint. Phrygios omnium primos, acu, filoq; farciendi, artis inuentores fuisse dicit Plinius, sed effrænata mortalium libido, huic inuento tot superaddidit, vt sola femoralia tanto, tàm vario cultu confecta sint, vt si ea dissui cernas, diuersarum mercium sarcinam dissolui existimes: ibi enim tela linea, ibi tela cannabina, ibi sericum gausapinum, ibi sericum rasum, aliaq; id genus penè innumera, sibi immixta cohærent.

S. Isidorus.

Alexandri magni superbia.

Regis Bathorei piũ factum.

Ira duplex.

Et quid ad hæc inuenta adduxit hominem? certè insana superbia, aut superba potiùs insania, quæ virtutes in homine eradicat, & vitia plantat, iamque ex corpore mortali viuentis adhuc hominis feretrum facit, & sepulchrum in tenebris inferi condit, dùm id præstat, vt qui corpore adhuc viuit, mente iam defunctus sit, sed habet & hæc suam sociam, cum qua defunctũ in gratia peccatorem ad sepulchrum miseriæ portat, scilicet vanã gloriã. Et quæ est hæc gloria inanis, respondet Apostolus, *inuicem prouocare* (puta ad fastum) inuicem inuidere (quod similis ei non sis quòd non ita vestiaris, quod non tam egregijs polleas dotibus) vana hæc gloria consistit in hoc, existimare se aliquid esse, cùm sis nihil, & maxima quæq; sibi impudenter arrogare, quod summè pernicioſum est. Sed ad inanis gloriæ abominationem, posset permouere vnumquemq; heroicũ Stephani Bathorei Regis Polonorum factũ: quoniam deuictis hostibus, erexerat in loco pugnæ crucem domini, hæc apponens verba. *Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo sit gloria.* confringeret dubio procul Deus capita draconum, in Christianitatem virus suum euomentium, sicut olim contriuerat exercitum Pharaónis, in mari rubro submersum, si talis vanæ gloriæ abominatio, vigeret in populo fideli. Sed quia nos superbia & inanis gloria, in feretro dementiæ ad sepuchrum portat, idcircò improbi sua vexilla explicant.

Alter defuncti peccatoris portator est, ira: non illa per quam auferuntur delicta, & refrænatur licentia, quod iustè & sapienter fit: sed illa de qua Aristides apud Stobæum: *Quæ est immanis perturbatio, dura & violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, concilians iacturam, & dedecus, pecuniarum pernicies, & omnis perditionis origo.* Hæc ad infernale sepulchretum portat ira peccatorem, per quam vt dicit S. Gregorius l. 6. Moralium. *Iustitia derelinquitur, quia dùm perturbatur mens, iudicium sine ratione exasperat, & omne quod furor suggerit, rectum putat. Per quam gratia amittitur, quia iracundus, qui se ex humana ratione non temperat, necesse est vt bestialiter viuat. Per quam mansuetudo & lux veritatis amittitur, rumpitur concordia; & Deus contemnitur.* Et hæc habet sororem cum qua feretrum defuncti peccatoris ad sepulchrum, inferorum gestat, scilicet, inuidiam. Nam quæ inuidus habere non potest, id alteri cum ira, furore, & malitia inuidet. Vnde dicitur Sapientiæ 6. *Cum tabescente inuidiâ, iter non habeto, quia talis homo non erit particeps sapientiæ*, quasi diceret scriptura: nihil insipientius est homine inuido, qui & sibi inuidet, & alteri mala intentat; vnde dicitur Ecclesiastici 14. *Qui sibi inuidet nihil est illo nequius, & hæc est redditio malitiæ eius.* Hinc rectè dixit B. Isidorus de summo bono lib. 3. cap. 25. *Liuor alieni boni suum punit authorem, nam vnde bonus proficit, inde inuidus contabescit.*

Aristides. S. Greg. Sap. 6. Eccl. 14. S. Isidor.

Tertius defuncti peccatoris portator est, Auaritia. Nam vt dicitur 1. Corint. 6. *Auari regnum Dei non possidebunt.* Pulchrè auarum hominẽ descripsit Propheta Ezechielis 8. inquiens: *Eleuauit ipsum spiritus inter cælum, & terram, & conuersus vidit abominationem, aspexit terram, & ecce vacua erat.* Quasi diceret: Auarus qui totam cogitat possidere terram, mare & àéra; vult dominari hominibus, piscibus imperare, volucribus & aquis præesse: est cogitatione sua, inter cælum & terram defixus; sed cùm ad finem vitæ, & mortem conuerterit intuitum, videbit abominationem

1. Cor. 6. Ezech. 8

tionem: quia nec ille, nec posteri-
tas, nec consanguinei, de eius male
partis gaudebunt. Videbit tunc abo-
minationem suam imminentem ab
Angelis, & Deo: quia terrena cœle-
stibus antepositi. Videbit suos in
inferno, vt ille diues, qui pauperem
Lazarum noluit subleuare in egesta-
Aelianus te. Vnde præclarè dicit D. Ambro-
sius lib. 9. super Lucam: *Discant di-
uites non in facultatibus crimen haberi,
sed in his qui vti nesciunt. Nam diui-
tiæ vt sunt impedimenta reprobis, ita sunt
bonis adiumenta virtutis.* Refert Ælia-
nus lib. 3. cap. 145. quod vir quidã
magnæ dignitatis, acceperat in Bœ-
tia oraculum, vt caueret sibi à cur-
ru, quare ille nec ascendere ampli-
ùs currum voluit, metu oraculi. Ni-
hilominùs tamen currus ei interitũ
attulit. Nam aliqui dicunt, quòd
Pausanias qui eum occidit, habuerit
currum ex ebore capulo gladij in-
sertum: alij verò autumant, quòd
lacui, ad quem occisus erat, nomen
esset currus, certè non aberraret,
quisquis currum infelicem auariti-
am diceret. Voluitur enim hæc suis
rotis, & inter milites, & in campo,
& in terra, & in mari, & prorsùs vbi-
qué. sed certum oraculum accipiat
homo, quia si ab hoc auaritiæ curru
sibi non cauerit, in abyssum pœna-
rum citò præcipitabitur. *Quia auari
regnum Dei non possidebunt*, inquit
Apostolus. Nam in vnica rota cur-
rus iste voluitur, ideoq; semper in
foueam & casum declinat, scilicet in
acedia, quæ facit à bono resilire ho-
minem. Nam acedia vel tædium, D
est homini causa impatientiæ, & car-
nalis desiderij, est causa multiplicis
mendacij, ideoq; hominem Deo &
sibi inutilem facit, vt dicitur Mat-
Matt. 21 thæi 21. *Inutilem seruum eijcite in te-
nebras exteriores.*

Quartus defuncti peccatoris por-
tator est, Luxuria: à, qua Dauid eri-
pi postulauit à domino Psalmo 68.
Psal. 68. *Eripe me de luto, vt non infigar*, sed mi-
rabile est; iam enim si in luto fuit,
iufixus erat, quomodò igitur orat
ne infigeretur, quoniam prius ante-
quam in luto esset, orare debuit, ne
in illud laberetur: sed lutum hoc, fæ-
ditatem peccatorum & luxuriam,
denotabat. Et quia potest aliquis
magis & minus in peccatis demergi,
idcircò sapienter orauit Propheta,
de luto peccatorum eripi, quorum
grauedine in profundum deijciebā-
tur. dixit enim: *infixus sum in limo
profundi, & non est substantia.* Quasi
diceret: tui omnipotenti vnius præ-
sidio opus est diuina misericordia,
vt me subleues, ne in tantùm pro-
fundum deueniam, vbi vitam & sub-
stantiam amittere possem; siquidem
pro luxuria, non aliò; quàm in in-
fernum deputatur homo. Coram
Alphonso Rege Aragoniæ accusatus
erat quondam nobilis, quod ingens
Patrimonium per luxum, & libidi-
nem absorpsisset, nec modicam in-
super contraxisset vim æris alieni,
pro quo interuenientibus quibusdã,
ne saltem pro debitis in corpore pœ-
nas lueret. Respondit Alphonsus;
si tantam pecuniæ summam, vel in
Csui regis obsequium. Vel in patriæ
necessitatem, vel in propinquorum
subleuationem erogasset, parerem
postulatis; sed quoniam tantas opes
impendit corpori, par est vt corpore
quoq; luat. Quod rectum eius iudi-
cium probauit, posteritas; quantò
magis erit rectum Dei iudiciũ, dùm
luxuriosum, qui totus, non solùm
corpore, sed etiam animo, libidini &
voluptatibus deditus fuit, æternis
cruciatibus adiudicabit. Sed & So-
roretur suam habet, quæ defunctum
ad infernum portare iuuat, scilicet;
gulam: cui nihil in orbe sufficere
potest. Vnde gulosus ille Philogo-
nus, vt refert Aristoteles in Eticis, à Philogo-
diis ardenter postulabat, vt collum nij gulo-
sibi longius Ciconiæ collo concede- sitas.
rent; sic enim sperabat, ciborum &
alimentorum sibi largiorem fore de-
lectationem. Sed aberrauit profe-
ctò, quia nec tot carnibus & fructi-
bus terra, non maria & flumina tot
piscibus, non aër tot volucribus eti-
am tàm exiguo spatio, quale occu-
pat in homine gulæ gustus, satisface-
re

re potest. Ideoq; huic vitio grauissi-
mas Deus sacris legibus sanciuit pœ-
Deut. 20 nas. Deutoronomij enim 20. dici-
tur. *Filius vester si commessationibus
vacat, & Luxuriæ atq; conuiuijs, lapidi-
bus obruet eum populus.* Terribile sanè
decretum, sed grauius adhuc oppo-
Iob 20. nitur, Iob 20. *Panis eius in vtero ver-
tetur in fel aspidum intrinsecum.* Quasi
dicere vellet; Homo auarus, cuius
Deus venter est, cui vt placeat & in-
seruiat, nihil non tentat, noctes di-
esque illius obsequio impendit, qui
ventri tanquàm Deo addictus & mã-
B cipatus, tot offert sacrificia, quot
aues in aëre, pisces in mari, anima-
lia in terris vitâ priuat, vt suam de-
litiosè sustentet; cui tot immolat vi-
ctimas, quot lauta conuiuia, & splen-
didæ epularum accubationes ab ipso
exstruuntur, iste punietur & in cor-
pore & in anima. Vt qui se gustu
terrenorum oblectat, cruciatibus &
amaritudine repleatur; sed ex hodi-
erno defuncto, certum quoq; oracu-
lum sumat mortis, in exiguum dura-
turæ vitæ. Cadunt enim omnia ter-
C rena, & hominem illis strictum suf-
focari necesse est. Neq; tamen mors,
terrere debet fidelium animos, quia
& alterum indubitatum oraculum
nobis hodiernus proponit defũctus,
scilicet; futuræ resuscitationis, di-
Ioan. 9. cente scriptura: *& si quis mortuus fue-
rit, viuet in æternum*: ac si diceret;
non tantùm de morte corporali, sed
etiam de morte animi, potest surge-
re homo ad vitam gratiæ. Nam ad-
hoc vtrumq; nos vocat hodie Chri-
Lucæ 7. stus: *Adolescens tibi dico surge.* Et D
quomodo homo de morte peccati
surgere poterit, cum per illud Dei
inimicus constituatur? non aliter,
nisi per contactum diuinæ gratiæ
misericordiæq; omnipotentis. Pri-
ùs enim Christus Dominus loculum
tetigit, antequàm hodiernum adole-
scentem ad vitam reuocauit; priùs
& cor hominis per gratiam tangere
debet, antequàm illum ad vitam ani-
mæ reducat.

Tertull. Refert Tertullianus moris fuisse
Antiquis apud Romanos, vt cum eo-
rum Imperatores coronabantur,
publicum carcerem ingrederentur,
quadam togâ aut veste talari indu-
ti, quam quotquot vincti erant, illam
tangentes, liberi fiebant. Certè præ-
sens ac mortalis hæc vita, hæc cadu-
ca vita nostra, nihil aliud est, quàm
molestum ergastulum, ac fastidiosus
carcer, à quo erui postulabat Dauid
Psalmo 141. *Educ de custodia animam* Psal. 141
meam. alia autem versio habet: *educ
de carcere.* Carcer molestus est ca-
tena peccatorum, quia tamen sum-
B mus ille Imperator Christus IESVS,
humanæ carnis togâ indutus, huius
carcerẽ seculi ingressus est. ad hanc
eius togam confugiat oportet, quis-
quis grauatur peccatis, ille enim so-
lus de hoc tenebrarum carcere, de-
functum in gratia hominem, edu-
cere & resuscitare potest. Non igi-
tur mortem timet, qui ad hunc vitæ
fontem confugit: non mortis tene-
bras horret, qui lumen ad reuela-
tionem gentium sollicitè quærit; nõ
mortis noctem formidat, qui lucer-
nam mundi toto corde prehendere
C vult; sed illi tantummodò mors a-
spera, & truculenta videtur, qui pec-
catorum funibus in animo constri-
ctus ab illis resolui non curat, qui
crassissima flagitiorum caligine op-
pressus, conscientiæ, serenitatẽ non
procurat, qui in nocte scelerũ viuens,
diem æternitatis minime cogitat.

Sed ad hoc, vt ad spem vitæ æ-
ternæ à peccatis resuscitemur, qua-
tuor necessaria sunt. Primum, vt cle-
mentissimus Iesus accedat, & locu-
lum emortuæ conscientiæ necessa-
riò tangat. Nam si ille solus spira-
culum vitæ dedit homini; & per vni-
onem animæ, viuum corpus constitu-
it; sic planè ille solùm ius sibi re-
seruatum habet, vt spiraculum gra-
tiæ, quo anima peccatoris destitui-
tur, per vnionem sui ipsius, cum ho-
mine iustificato, resuscitet. Miran, Cur ad
tur Doctores quid causæ sit, quòd præsen.
cùm beata Virgo appropinquaret ad tiã Vir-
Elizabeth, protinùs exultauit infans ginis e-
in vtero eius; & rationem dant, quia xultauit
tunc sanctissima Dei genitrix, vitam infãs in
vtero E-
lizabeth

omniuu viuentium, in vtero suo portabat. Quod si vita ipsa Christus, pro peccatis totius mundi, Crucifixus, feliciter obuiauerit morti peccatorum nostrorum, nonne subitò expergefacta, de somno delicti, mens peccantis exultabit ? Nonne mors' contremiscet, & gratia diuina quâ iusti viuimus, & sancti sumus, ad vocem vitæ, redibit ad hominem per Pœnitentiam cuigilantem ? Hoc oraculum Enigmaticè edixit Prophe-
Isaiæ 8. ta Isaiæ. 8. *Voca* inquit *nomen eius, accelera, & festina.* Quasi diceret; peccatis obrutus es homo, voca supplex orando Deum, vt appropinquet celeriùs tibi, qui in maiora in dies & enormia prolaberis scelera. Voca vt acceleret & saluet te mergentem in profundo inferi, ne fias præda alterius in æuum. Nisi enim ille accelerauerit, & manum porrexerit periclitanti, non erit salua omnis caro sine ope redemptionis. Vt præcla-
S. Bern. rè dicit Diuus Bernardus in Epistola. *Nemo hominum nouit, nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsum contineat, huius venerandi mysterij, scilicet humanæ redemptionis altitudo inscrutabilis.*

Alterum, vt homo de morte peccati, in vitam gratiæ surgat, requiritur, vt hi stent, qui defunctum portant in feretro ad sepulchrum: Nam
Lucæ 7. dicit Euangelium. *Accessit, & tetigit Loculum, hi autem qui portabant, steterunt.* Feretrum certè in quo efferimur quotidiè ad sepulchrum, est obdurata conscientia, qui verò sepeliendum hominem portant, sunt vel immunda desideria, vel blandimenta rerum terrenarum. Vt ingenio-
S. Ambrosius. sè explicauit Ambrosius. *In feretro* inquit *iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat. Vel frigidus humor exundat, & pigra corporis Latitudine vigor hebetatur animorum.* Non igitur satis est, vt Christus conscientiam hominis per gratiam tangat, sed insuper requiritur, vt stent portatores feretri, hoc est; vt omnis ambitio, Luxuria, cupiditas, & auaritia, procul abscedant à nobis. Mirantur multi, quòd Isaac Patriarcha moribundus, cùm optimè ex voce noscet, Iacob filium suum non esse Esau, tamen illum vocauit Gen. Esau, tamen illum vocauit Genesis 27. *Accede ad me fili mi vt tangam te.* Sed non mirum quia odor vestimentorum eum ad hoc traxit: *Vox quidem* inquit *Iacob, sed odor vestimentorum filij primogeniti.* Quærite Catholici quid aliud potest allicere Christum, vt efficaci sua vocatione vocet peccatorē ad contactum, sola certe fragrantia vestimentorū, hoc est; bonorum operum renouatio, acceleratio pœnitentiæ, virtutis studium, ardor reconciliationis; hic est odor, qui nos primogenitos Christo ostendit, licet vox nostra degeneres & peccatores exprimat. Proinde dùm inueterata vitia ex animis nostris euellere incipimus, & ad amissum pignus gratiæ redire, tunc primùm nos Christus, nō tantùm tāgit; sed etiā benedicit, & sanctificat.

Tertium requisitum ad resuscitationem peccatoris est, Dei imperium: si enim ad verbum domini omnia facta sunt, quomodò & ipse peccator, ad vocem Saluatoris intùs sibi clamantem non surget ad vitæ emendationem ? cùm diuina potestas sit irrefragabilis. Vnde præclarè D. Augustinus, de immolatione agni Paschalis, hoc DEI imperium expressit. *Nunc* inquit *vocat nos dominus: venite vniuersæ familiæ hominum, qui estis commixti delictis & remissionem accipite peccatorum. Etenim ſum vere remissio, ego pascua salutis, ego agnus, qui pro vobis ſum iugulatus, ego vestra redemptio, ego vita, ego vestra ſum salus, ego vestra resurrectio, ego resuscitabo per dexteram meam.* Quartum tandem requisitum ad resuscitationem peccatoris est, vt se defunctus erigat & loquatur, tunc enim cum peccator vera compunctione tactus, se ad Dei deprecationem erigit, cum loqui contrito corde, & ore incipit; *Peccaui Domine, sed tu parce seruo tuo.* Signum est resuscitationis indubitatum,

tum, quia Deus gratiam nemini denegat, sollicitè eam quærenti; sed protinùs occurrit, & quod in homine deesse videt, id suâ omnipotentiâ supplet.

Habetis proinde auditores, defunctum adolescentem, quid hic? arbor inuersa, & morte euulsa, sed fatidica simul, & duplex oraculum mundo inclamans, mortalitatis, scilicet & resuscitationis. Cùm igitur annus, mensis hora, dies, sit incerta vestræ mortis, metu oraculi prospicite, ne vos imparatos Lethum inuadat. Et si quibus iam venenum peccati propinauit infernus, alterum resuscitationis oraculum vos confortet, vt efficax antidotum in Christo IESV quærere velitis, vt cùm defuncto adolescente hodierno, ex ore & faucibus mortis æternæ erepti, audite mereamini, surgite & reflorescite in gloriam æternitatis. Amen.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Cum intraret IESVS in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare Panem. *Lucæ* 14

Ecclesia sancta est domus Principis, sanguine, & cruce Christi adornata, in qua panes doctrinæ spiritualis ad manducandum proponit.

ÆTernus Dei filius, qui vile stabulum suæ incunabulæ voluit esse infantiæ: abiectum præsepe fæno stratū, Regij capitis puluinar; qui pro comitatu, iumenta; pro delicatis ferculis, austera ieiunia; pro dulci potu, aquam simplicem; pro splendido vestium apparatu, tunicam inconsutilem elegerat: ad magnatum tandem diuertit commercia hodiè. Ingreditur domum Principis, & ab exiguis pauperum casis, ad augusta Regum Palatia sese transfert. Nec mirum? sat paupertati, sat inopiæ, & labori concessū iam est. Ita enim sibi maiestas incarnatæ sapientiæ cōplacuerat in paupertate, vt & nasci, & mori in illa voluerit; nec alios; quàm pauperes in sui consortium
Leuit. 21 admiserit, iuxta illud Leuitici 21. *Inhabitabo* inquit *in illis & inambulabo inter eos.* & 2. Corinth. 6. num. 16. quasi Christus pauperum animis, ita se includat, vt nulla sui parte supereffusus videatur. Quod expendens S. Ambrosius, Serm. 8. in Psal. 118. S. Ambrosius. *Quid* ait *magnificentius hospite cœlesti? Quid beatius possessione diuina? Alij queruntur de sui ruris angustijs, in te Deo est ampla possessio, in quo deambulare se dixit laxæ spatia habitationis inuentens, qui terram includit manu.* Soli pauperes ad hanc prærogatiuam sublimati fuerunt, vt essent possessio Dei, tàm actiuè, hoc est; quòd Deum possiderent; quàm Passiuè, quòd vicissim à Deo possiderentur. Vnde de solis Leuitis, qui pauperem ducebant vitam, illud ad Aaronem protulit Deus num. 18. n. 20. *Ego pars &* Num 18 *hæreditas tua in medio Israël.* in quem locum scribens D. Ambrosius, supra S. Ambrosius. Psalmum 118. *Negatur* inquit *his terrena possessio, vt ipsi dùm sæcularem sibi non vendicant portionem, fiant cœlestis* posses-

Cur soli pauperes possessio Christi, & non diuites.

possessio: vel hoc solum nouerint possidere, fidei & deuotionis obsequium, multò ditiores; quàm qui possessionum suarum, natia ampla diffundunt. Quare autem pon diuites, aut mundi potentes; sed oauperes & ignobiles suam possessipnem vocauerit Deus, vt ipse palam rroteſtatus est per Apostolum. *Gloi iabor in infirmitatibus meis*, hoc est; n pauperibus, rationem reddit sanctus Ambrosius citatus, quia diuitibus nihil sufficit. *Nam diuites*, inquit, *quantumlibet fines suos extendant, & terra deficit, & mare indidit insanas cupiditates, & pendunt tributa maiora;* B *quàm fructus sunt: At verò iste* (id est pauper) *nihil possidens, nulli nisi Deo militat; super terram eius est portio, non enim deficit, non mari claudtur, cui portio Deus est, totius posseſor est naturæ.* Satis proinde se Christus Dominus, ista tenui iactauit in aula. Ad principum etiam Palatia diuertere debuit, vt pauper eum & diues simul amplecterentur, vtq; natura humana à Christo Domino assumpta, ex tugurio paupertatis suæ, in solio regali subleuata collocaretur, quemadmo- C dùm ipsemet Deus prædixerat Regum 2. num. 8. 4.Reg.8. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Quæ verba, Glossa exponit de Christo, quem Deus suscitauit de puluere, id est; de sepulchro, ne videret corruptionem: & eleuauit eum de stercore, hoc est; vt D. Augustinus lib. 17. de Ciuitate cap. 4. Augustinus Beda & Rabanus interpretantur, de populo Iudaico, qui instar stercoris vilis & superfluus effectus est. Helias autē Cretensis in oratione 1. Nazianzenus ad finem, pauperis nomine, naturam nostram intelligit. Helias Cretēsis *Quidenim* inquit *ea paupertas erat. Et tamen Deus eam per incarnationem suam, è stercore erexit ad cœlestia.* Fauet huic expositioni, D. Gregorius, Magnus, in posteriori huius loci commentario intelligens pro puluere honorem, & pro stercore diuitias mundi, per solium autem gloriæ, cœlestem beatitudinem. *Quid* inquit *sunt aliud labentium dignitatum insulæ, nisi puluis? Nam eam quam blandiendo sordidant, à veris splendoribus mentem cæcant. Et quid diuitiæ prætereuntes & transitoriæ facultates, nisi stercora. Quæ sancta animæ in contemptu vilitatis habent.* non in appetitu desiderij. Igitur perpendamus cuiusnam Principis hodiè domum Christus ingreditur.

Contra doctrinam DEI videtur egisse Christus Dominus die hodierna, cum domum principis ingreditur, quoniam viris perfectis, quorum caput est Christus, illud consilium proposuit Deus Ecclesiastæ 7. *Melius est ire ad domum luctus; quàm ad domum conuiuij,* quia in domo conuiuij, facilis in virtutibus ruina, in domo vero luctus, gradus ad Dei amicitiam. quod luculenter testatus est Iacob Patriarcha. Euocatus ille à filio suo Ioseph in Ægyptum, quamuis incredibili eius videndi desiderio teneretur; nihilominùs pauens ac timens in medio itinere hærebat, & resistebat, adeò, vt opus fuerit eum ab ipso Deo his vocibus compellari. *Iacob, Iacob, ego sum fortissimus Deus Patris tui, noli timere, descende in Ægyptum.* Genes. 46. num 2. & 3. quasi diceret. Quid times o Iacob, ad pacem mitteris, non ad bellum: inter amicos incedis, non inter hostes: à filio tuo euocaris, non à tyrranno. Quid autem in illo itinere timuerit Iacob, variæ hic doctorum sententiæ. Rupertus existimat, quòd timuerit difficilem in patriā regressum. Verùm nonne sciebat optimè, filium suum esse totius Ægypti proregem, qui posset sufficientem patri daro comitatum? vt secure in patriam reduceretur. Caietanus autem censet timuisse Iacobum, corruptissimos mores Ægyptiorum, ne forrē gens sua illis inficeretur, & proinde à Deo in pœnam tanti sceleris desereretur; facilè enim homo praua consuetudine corrumpitur. In eandem sententiam conspirat. Iosephus lib. 2. Antiquitatum, cap. 7. qui dicit: timuisse Iacobum, nimiam Ægypti felicitatem

Ecclesiastæ 7.

Gen. 46.

Rupert.

Caiet.

Ioseph.

licitatem, quæ si eius filijs atq; amicis blandiretur, periculum esset, ne omnes Hebræi patrias ac diuinas leges obliuiscerentur. Et reuera optimè censuit Iacobus, certissimam bonorum morum corruptricem esse felicitatem. Si ergo in domibus magnatum, vbi crebra iucunditas, delicatissima viuendi ratio, opulentia summa, mores deprauati, quomodò Christus in domum Principis intrauit? forsan, vt sua præsentia, facilius dissolutam luxuriosè viuentium malitiam cōerceret: præsente enim B domino, & indomitus hominis affectus facilè frænatur. Intrauit Christus in domum Principis, vt etiam bonos inter peruersos protegeret, & pauperes à crudeli dominorum tyrannide defenderet. Non est enim difficilè Deo, vt etiam illo præsente musca Leonem terreat. Sic quondam Deus bellicos Saulis apparatus, & conatus, ad vnum Dauidem profugum & inopem capiendum, facilè Psal. 56. eluſit, vt testatur ipsemet Psalmo 56. num. 3. *Clamabo* inquit, *ad Deum altissimum, qui benefecit mihi.* Chaldæ- C us verò transfert. *Ad Deum, qui accersiuit aranearn, vt conficeret in ore spelunca telam propter me.* Quasi sic interpretetur: vt Dauid fugiens Saulem, in speluncam se abderet, cuius aditum subitis aranearum telis, ita Deus prætexuit, vt Saul nullum ibi latibulū suspicatus, irritus præterierit, Quemadmodùm in lege quondam gratiæ Martyrem Felicē in angusto loco latitantem, aranearum tela, diuinitùs expensa, ab insequentibus hostibus occultauit.

Et aëreo cessit vis ferrea filo.

vt eleganter cecinit, D. Paulinus in tomo 1. Bibliothecæ carmine de decem natalibus sancti Felicis Martyris Vbi postquàm totum hoc miraculum descripsit, concludit.

Sic vbi Christus adest nobis & aranea muro est, (ranea fiet.

At cui Christus abest, & murus a-

Optimum igitur remedium est, & ad bonos in prauorum cōfortio protegendos, & ad potentum insolentiam frænandam Christi præsentia, & gratiæ eius sanctæ communicatio, vt docet S. Chrysost: hom. 46. in Genesi. *Maxima* inquit *securitas & inexpugnabilis murus est gratia Dei, videamus quomodo Dauid de loco in locum transiens, & quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit: Saul autem cùm esset in medijs Ciuitatibus, & tantū secū duceret exercitū: & satellites habens & armigeros, quotidiè timebat, & tremebat inimicorum insidias.* 1. Reg. 18. num. 12. & 29. *Et ille quidem qui solus erat, non* 1.Reg.18 *indigebat humano præsidio; hic verò coronatus & purpurā indutus, illius auxilio indigebat: & Regi opus erant Pastoris opera, & diademate redimito, priuati adiumentū.* Atq; vtinā ad hunc Christi ingressum in domum Principis, Magnatum aulæ salubriùs agant. Sed prō dolor! hostes Samariæ, solo curruum sonitu, atqué armorum, eoq; nō vero, sed vano, & eludente potiùs aures; quàm pulsante terruit Deus, & dissipauit. 4. Reg. 7. n. 6. *Dominus* inquit textus, *sonitum fecerat audire in Castris Syriæ, curruum &* 4.Reg.7. *equorum, & exercitus plurimi: surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, animas tantùm suas saluas cupientes facere.* Nunc verò hostes suos, qui audacter crimen læsæ maiestatis illius perpetrant, ne vero clamore suo exterrere potest. Hostes Israëlis niue & grandine fugauit quondam Deus, Iosue 10. numero 11. Iudicum 5. num. 20. 1. Regum 7. num. 10. Psalmo. 17. n. 10. & Iob 38. num. 22. *Nunquid* ait *ingressus es thesauros niuis, aut thesauros* Iob 38. D *grandinis aspexisti: Quæ præparaui in tempus hostis in diem pugnæ.* At nunc eos, qui contra ipsius nutum temere insurgunt, ne quidem fulgure & fulmine. quæ sunt duriora iacula, exterrere valet. Quærunt hic Doctores sancti quid sit causæ, quòd, cùm frequenter Deus paruis auxilijs suum populum protegeret, cur tamen Israëliticum imperium, per totum orbem non propagauit. Respondet Rupertus lib. 10. de Victoria cap. 25. *Quia* inquit *propositum* Rupert.

Dei non erat, vt viri suæ benedictionis hæredes, in ista valle lachrymarum : in isto loco, qui positus est eis ad flendum & esuriendum, & ad sanctæ paupertatis studium : more gentium dominarentur, vtq; nulla fieret pressura mundi : sed vt defenderetur gens, vnde esset ventura salus mundi. Sed veriùs dixisser, Deum non propagasse Israëlitarum regna per totum orbem, quia licet præsens inter eos conuersaretur, ad eius ta men præsentiam pauci ad meliorem frugem redire voluerunt, sed plurimi contra omne vetitum, resoluto passu nitebantur. Neq; tantùm plebeij homines ; sed etiam simplices, quemadmodùm Aaron, qui cum optimè legum diuinarum esset conscius, quòd Deus prohibuisset idola
Exodi 20 fabricare Fxodi 20. *Non habebis Deos alienos coram me, & non facies tibi sculptile.* Et tamen Aaron qui legē hanc diuinam custodire debuit : eò processerat, vt non tantùm permitteret Israëlitis, vt vitulum aureum conflarent, sed ipse quoqué dicit Sacra
Ibid. 32. Scriptura Exodi 32. n. 5. *Ædificauit altare coràm eo, & præconis voce clamauit, dicens : cras solemnitas Domino est.* Vbi Caietanus insaniuisse putat Aaronem:
Caietā. *Insaniuit* inquit *ipse longè magis, quàm alij. Nam alij non nisi nomen Elohim, & Elohe, quæ sunt nomina communia, tribuerunt idolo : ipse autem incommunicabile & ineffabile nomen Tetragramaton attribuit, nullo adhuc instigante, & quod maius est, voce publica.* At vnde hæc insania Aaroni orta est ? profectò ex amore rerum temporalium, quas diuinis antepositit : ex timore enim temporalium, bona diuina non curauit, dùm timuit, si hæc curaret fore, vt illis priuaretur, *Ecce*, inquit Caietanus, *quò ducit ambitio Principatus ? scilicet ne ipse de principatu dejceretur, passus est ab eo populo idolum in Deum excitari.* Vnde quoniam non omnes morigerabantur præsenti, & domos suas inuisenti Christo, digni non erant, vt eorum imperium Christus propagaret. Ex quo loco argumentemini vobiscum, quid est, quòd licet Christus Dominus, promiserit vobis suum Patrocinium. *Ego* inquit *vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* cùm ex paruis principijs creuisse fecerit regnum Christianum, cur tamen vos tanquàm gentem electam, populum sanctum non propagat per totum orbem ? sed minuit, & plurima regna, quæ iam in possessionem Christianis dederat, barbaris iterùm in ditionem tradit, causa est, quia non ducimur præceptis eius, sed abutimur. Deos alienos prohibuit colere Deus ? en contra eius vetitum, tot sectæ & dogmata falsa in regno Christiano conturrexerūt, quæ quoniàm veri Dei æqualitatē diuidunt, quid aliud faciunt, quàm Deos sibi & idola ritu diuino colenda conflant. en tot veneficorū Phalanges replent orbē, qui cùm dæmoni stipulata manu seruiant, quid aliud faciunt, quàm Deos multiplicant. Ingreditur Christus Principis domum, vt hæc mala de regno suo optimus Princeps proscribat. Sed quid ? boni temporalis iactura, præ foribus terrorem figit.
C ne fortè si Princeps, in scelera seriùs animaduertat, principatu priuetur: Permittunt ergo Principes etiam pessima in suis regnis, & Deum ostensiua grauiter patrari, vt tantùm secure viuant, & à subditis qualibuscunqué meliùs habeant. Non ergo crediderim, quòd alicuius terreni principis domum Christus fuerit ingressus, quoniam ad eius præsentiam sic oscitantes, mundi principes, in seruandis Dei mandatis procedūt.

Quid ergo per domum Principis,
D nisi Ecclesia Sancta designatur, sic illam vocat cœlestis Sponsus Canticorum 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia Sion Principis.* Cant. 7. Vbi Ecclesia sancta vocatur, domus Principis, quia ab ipso cœlesti Principe Christo IESV, in cruce pertincta est. Stemma enim Principis huic domui affixū est, scilicet Crux sancta, quam Dominus IESVS portando in humeris, meruit Principatū, imperij sempiterni. Domus Principis tria habere debet, scilicet politiem, facilitatem ad omne opus præstandum, & generosi-

generositatem : his tribus præroga-
A siuis adornata est Sācta Ecclesia, tanquàm vera æterni Principis domus. Fuit in illa polities, quoniam & aggrestem atque incultum villanum in benemoratum aulicum transformat iuxta illud. *Vox domini concutientis desertum.*
Psal. 28. Psamo 28. nun. 8. Hieronymus autem ad eum Psalmum, &
S. Hieronym° in capite 66. Isaiæ, ex Hebræo transfert, *Vox Domini parturire faciens desertum.* Vbi nomine deserti, interprete Hieronymo intelligit Prophe-
B ta desertas gentes, in quibus ait nullus succus prædicationis impositus erat ad suscipiendum Verbum Dei ; quæ nihilominùs Euangelicâ doctrinâ cultæ, è syluestribus atq; horrentibus dumetis in satiuos, & frugiferos agros redierunt Vbi videtur propheta comparasse Ecclesiam gentium, cum illa area, in qua Gedeon sum illud vellus collocauerat, quod
Iudic. 6. madidum fuit in area sicca, & rursùs siccū in area madida. Iudicū 6. num. 37. Sed cur non potiùs cum agro fertili, pingui, ac benè culto ?
C Credo quia area, est omnium quodammodo terrarum vberrima, atq; fœcundissima, nam è terris aliæ aliarum frugum matres sunt, *nec enim omnis fert omnia tellus*, at verò area omniū quodammodò mater est; nam omnes fruges quodāmodò cōportantur omnes in area exteruntur. Quod D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto in prologo egregiè expēdit. *Non otiosè* inquit *Vellus non in campo posuit, vel in prato ; sed posuit in area. Vbi messis est tritici, eò, quòd per fidem domi-*
D *ni futura esset Messis fœcunda virtutum.* Area igitur est Ecclesia tàm fœcunda, vt ex ea in omnem terram, & in fines orbis terræ innumeræ fruges sanctitatis, & veritatis, atq; pulcherrimorum morum distribuantur. In domo Principis facilitas ad omnia reperiri debet. In Sancta pariter Ecclesia fuit omnimoda facilitas, ad parturiendā fidei prolem, quod clarè insinuat Isaias, cap. 66. num. 7.
Isaiæ 66 dicens : *Antequàm parturiret, peperit, antequàm veniret partus eius, peperit masculum quis audiuit vnquàm tale, & quis vidit huic simile ? Nunquid parturiret terra in die vna ? aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit filia Sion filios suos.* Vbi commendat partum sanctæ Ecclesiæ à felicitate, & breuitate parturiendi, quia vt dicit S. Ambrosius, in exhortatione ad Virgines,
S. Ambrosius. *Ecclesia habet filios sine partus dolore.* Et paulo post : *sine aliquo dolore multos filios, & filias solet Ecclesia parturire.* Non quòd Ecclesia non doleat, per contritionem, & mortificationem in
B regeneratione filiorum, sed quòd sentiat eum dolorem per internam Spiritus sancti vnctionem, sic attemperari ac deliniri, vt non tristari, sed lætari videatur, Commendat etiam partum propheta Ecclesiæ à fœcunditate prolis, quòd patuit vel in ipsis Ecclesiæ primordijs, cùm ad Apostolorum prædicationē semel tria millia Actorum 2. n 24. & iterum quinquē millia Actor. 4. per baptismum regenerata, in spiritualem fidei lucem prodierunt. Hinc Ecclesia per
C Excellentiam dicitur ea, *quæ habet populos* Cantic. 8. num. 11. seu vt est in Cant. 8. Hebræo, *Domini multitudinis*, quòd sola propemodùm infinita populorum multitudinem complectatur. Hic est ille fœcundissimus partus, de quo Dauid Psalmo 86. num. 5. *Homo* Psal. 86. *& Homo natus est in ea.* Vbi illa geminatio, *Homo & Homo*, idem valet, *atq; multi homines* : qui in Ecclesia ex aqua & spiritu quotidiè regenerantur, quorum multitudo tanta est, vt à solo DEO numeretur, iuxta illud
D Psalmi supra Citati num. 6. *Dominus narrabit* ex Hebræo autem legitur, *recensebit* seu *numerabit in scripturis populorum.* Quasi solus Deus, qui numerat multitudinem stellarum, possit fidelium, qui ad Ecclesiam veniunt multitudinem recensere. Non frustra enim in eodem Psalmo, Prophera Cathalogum credentium, scripturam populorum appellat, quia in illo non vnus populus, sed innumeri continentur, vt docet Regius Vates, Psalmo 21. num. 28. *Conuertentur* Psal. 21. inquit *ad Dominum vniuersi fines*

terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium. Vbi obſeruat, S. Auguſtinus, non dici ſolùm fines terræ, ne quis hæreticorum putaret, vnam tantùm prouinciam, quæ ſiue S: Aug. in Mauritania, ſine in Gallatia *finis terræ*, appellatur, ad Dominum conuertendam, ſed expreſsè ponit, *Vniuerſos fines terræ, & vniuerſas familias gentium, ne qua in orbe terrarum plaga, ne qua hominum natio ab hac conuerſatione excludatur.* Deniq; addit idem vates, Pſal. 64. *Omnes gentes quaſcunq; feciſti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Pſal. 64. num. 6. quaſi diceret: ſicut nulla eſt gens, quam diuina potentia non condiderit, ita nulla potuit eſſe, quam diuina fides ſuo ambitu non amplecteretur. Tandem in domo Principis debet eſſe generoſitas. In Sancta Eccleſia ſummam agnoſcit generoſitatẽ Scriptura Sacra Iſaiæ 66. cùm dicit: *peperit maſculum*, & paulo poſt, peperit *Sion filios ſuos*. Vbi non fœminæ, ſed viri dicuntur Eccleſiæ filij, vt ſignificetur Eccleſia non molles & effeminatos, ſed ſtrenuos & maſculos parturiuiſſe. Talem gignit prolem Sancta Mater Eccleſia, qualem Deus Pater, cui filij præcipuè tribuuntur, iuxta illud Gen. 6. num. 2. Vbi vides Sacram Scripturam, Deo filios tanquam generoſam prolem: Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*: hominibus verò filias, tanquàm degenerem prolem tribuiſſe. Quod rectè expendit Philo Hebræorum libro de Philo Hebr. Gigantibus. *Qui ſunt* inquit *parum viriles, fracti, effœminatiquè, gignunt fœminas, vt expertes virtutis feracis, vt plantatores omnium vitiorum. Qui verò generoſi ſunt Parentes, gnaui & ſtrenui, gignunt viros; quippe qui virtutum, non delitiarum ſint propagatores.* Sic igitur Eccleſia viros parit, vnde eam Pſ. 112. Pſalmographus, appellat *Matrem filiorum lætantem* Pſalmo 112. num. 9. non filiarum, quaſi non tàm filias, quàm filios genuiſſe lætaretur. tantam erga filiorũ generoſitatẽ miratur ipſamet Mater Eccleſia Iſaiæ 49. Iſai 44. num. 21. *Quis* inquit *genuit mihi iſtos? ego ſterilis & non pariens: & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta & ſola: & iſti vbi erunt?* Quaſi obſeruans omnes filios mares ſibi natos eſſe, incredibiliter admiretur, ſibi tàm debili & infirmæ, tàm robuſtam ac generoſam ſobolem, maſculorum, hoc eſt virtute præſtantium, proceſſiſſe? ſed non eſt mirum tantam generoſæ prolis fœcunditatem, in Eccleſia ſancta fieri; quia in eam tanquàm in domum principis ingreſſus eſt Chriſtus, ſicut autem pingueſcit terra, cui Sol adeſt, & cui abeſt, ſterileſcit; ita Eccleſia Chriſto præſente florere debet, quo abſente Iudæorum aruit Synagoga; quamuis nõ tàm ſol ſynagogæ; quàm ſynagoga ſoli defuit: iuxta illud Ieremiæ 15. num. 9. *Defecit anima eius, occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies* Quid eſt hoc? Quomodò ſol occidere potuit ſynagogæ, die adhuc luceſcente? ea ſcilicet ratione? Quia cùm Chriſtus Dominus eſſet lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſeu quæ apta ceſſet illuminare. Synagoga ſuis ſe peccatis; tamquàm denſiſſimis nubibus ſic obtexit, & obduxit, vt perpetuis circumfuſa tenebris remanſerit, teſte Iobo cap. 5. num. 14. *Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palparunt in meridie.* Quem locum Rabanus in caput Ieremiæ ſupra citatum, exponit de Iudæis. *Per diem* Raban⁹. inquit *tenebras incurrerunt, quia in ipſa veritatis præſentia errore cæcati ſunt.* Et peulo poſt, *Perſecutores* inquit *redemptoris noſtri, dùm diuinæ virtutis miracula cernerent; & tamen de eius diuinitate dubitarent in die tenebras paſſi, quia viſum in luce perdiderunt.* Vnde Prophe-ta præuidens Chriſtum Dominum, in medijs Iudæorum tenebris, quodammodò oberrantẽ, & quò ſe verteret, vt ita loquar, neſcientem, ad mirabundus exclamat, *Cuſtos quid de* Iſaiæ 21. *nocte, cuſtos quid de nocte* Iſaiæ 21. numero 11. Quod exponi poteſt vel de Celeritate Chriſti Domini, ad ſuccurrendum humano generi, quaſi interrogaret Propheta: *Cur tàm matutinus & anteluccanus ad cuſtodiendum genus*

genus humanum euigilaſti? Vel de humilitate Chriſti Domini: quâ voluit peccatoribus ſimilis videri, & inter iniquos reputari: quaſi diceret Propheta. *Cur obſecro Chriſte Ieſu ſons omnis ſanctitatis, cùm ſis ſplendor gloriæ, ſub nube peccati, & carne peccatrice, quodammodo inumbratus, & obſcuratus apparere voluiſti*: Vel certè tandem poteſt exponi locus iſte de cæca Iudæorum infelicitate, quam veluti obſcuratiſſimam noctem eorum cordibus incubantem, ne ipſe quidem diuinus ſol in mundo exortus diſſipauit. Sic exponit Rabanus citatus, *De nocte* inquit *cuſtos venit, quia humani generis protector, & manifeſtus in carne apparuit & tamen hunc preſſa perfidiæ ſuæ tenebris Iudæa, minimè agnouit.* Nox igitur erat in ſynagoga, licet Chriſtus adeſſet præſens, quia peccati nubes radios diuini ſolis non patiebatur; ſed in Eccleſia ſancta dies effulſit, dùm pro peccatis eius filiorum Chriſtus pateretur. Et nube enim diſcuſſa purum aëra reddit Phæbus, & Chriſto pariter mortem perferente, gratum ſalutis lumen effulſiſſe debuit. Vnde benè reſpondit ipſemet Deus, ad illam interrogationem. Cuſtos quid de nocte, ibidem num. 12. *Dixit cuſtos, venit mane & nox.* Vbi vt Rabanus citatus obſeruat, mane & noctem non ſine myſterio coniunxit. Raban⁹. *Quia* inquit *per eius præſentiam & nota lux mundo inclaruit; & tamen in corde infidelium vetuſta infidelitas remanſit.* Hæc eſt domus Principis, quàm hodie ingreditur Chriſtus, ſcilicet Eccleſia ſancta. Domus hæc cùm ſit aula regis Regũ, circumdata eſt omni varietate, id eſt; Sacramentis ſanctis, aut diuerſitate ſtatuum. Sacerdotum coniugatorum, virginum, viduarum Eremitarum, Doctorum, Prædicatorum. Sed audiamus, vt quid in hanc domum ingreſſus eſt Chriſtus? Reſpondet ſacrum Euangelium, *manducare panem ſabbato.* Luc. 14. Ergone ita famelicus fuit Chriſtus, vt pane indigeret, ad refectionem ſuarum virium? abſit: Deus enim verus erat, proindeq; potuit ſuam humanitatem abſq; cibo, ſola intimé præſente diuinitate ſuſtentare: quis ergo panis iſte fuit quem manducare volebat Chriſtus? in ſenſu literali Doctores ſancti accipiunt verum panem temporalem, quo veſcimur, quem Chriſtus Dominus Sabbatho in domo Principis manducare voluit, vt abſtinentiam & frugalitatem nobis commendaret: ſi enim Chriſtus in domo Principis non exquiſitiſſimas dapes, non præſtantia feralia, ſed ſolum panem manducaſſe narratur, quid innuere voluit, niſi vt omnem luxum à nobis propulſaret, ne plus ſtomacho; quàm animæ tribuamus, Ita exponit Euſebius Emiſſenus. *In eo* Euſebius inquit *quòd ad panem manducandum in* Emiſſ: *domum Principis Phariſæorum Dominũ intraſſe Euangeliſta ſcribit, eum ſolis neceſſarijs contentum, & non delitioſit cibis, inhiaſſe oſtendit, præſertim cum neq; in ipſius principis domo, aliud manducaſſe dicatur.* Diſce ergo ô homo, quomodo paucis contentus eſſe debeas, ne tibi ad luxum tua ſeruiat opulentia. Verùm ſicut per domum Principis, non hic vidimus ſignificari domum alicuius terreni magnatis, ſed myſticè Eccleſiam ſanctam deſignari; etiam panem hic non literaliter. Sed myſticè accipere debemus. Crediderim proindè panẽ hunc eſſe ipſam doctrinam cœleſtem, quam Chriſtus potiſſimùm in domo Eccleſiæ, ſanctæ voluit manducare, hoc eſt ita elucidare, vt licet abſtruſiſſima eſſet à ſenſibus humanis; omnibus tamen fieret manifeſta. Ita expreſsè cenſet S. Ambroſius, lib. 6. in Lucam cap. 6. *Hic panis* inquit *quem frangit Ieſus, myſticè quidem Dei verbum eſt, & ſermo* S. Ambroſius. *de Chriſto, qui cum diuiditur, augetur, De paucis enim ſermonibus omnibus populis redundãtem alimoniam miniſtrauit.* Dedit ſermones nobis velut panes: qui cùm in noſtro libantur ore, geminantur, viſibiliter quoq; panis iſte incredibili ratione dùm frangitur, dùm diuiditur, dùm editur, ſine vlla diſpendij comprehenſione cumulatur. Edẽtibus populis creſcunt ſuis fragmenta diſpendijs, & de quinque

panibus maiores reliquiæ, quã sumA ma est, colliguntur. Hunc panem in Ecclesiam sanctam venit Christus manducare die Sabbathi : hoc est; die festo; diuino cultui dicato, vt omnes Ecclesiæ filios ad eiusdem panis gustationem alliciat, vt saltem hic dies specialiter Deo consecratus, sit ita felix, vt non operibus seruilibus, sed diuinis laudibus & sacris eloquijs impendatur, vt hoc pane ita solidus fiat homo, vt ampliùs ad mundi vanitatem non redeat, semel Deo affixus. Verùm frustra : quia homo B ex omnibus creaturis maximè mutabilis & inconstans, adeò vt in hoc vniuerso, nihil homine mutabilius videatur esse. Mouentur quidem cæli, sed proprium locum nunquàm deserunt. Mutatur luna, sed à cælo in quo est. nũquàm discedit, Mare nũquam quiescit, sed limites à Deo sibi præfixos, nunquàm transilit. Animalia quamuis diuersimodè mutantur, naturales tamen propensiones, & instinctus semper firmos & stabiles conseruant, solus homo, omnia hæc C mutabilitate superat, mutabilior est cælis, siquidẽ à proprio centro, quod Deus est, sæpè discedit. Mutabilior est Lunâ, quæ non ita facilè rubescit, ac nigrescit; ac homo à rubore charitatis ad peccati nigrẽdinẽ se transfert. Mutabilior est tempestuoso mari, cum legis terminos diuinarumq; sanctionum limites non semel transgrediatur, spectans autem Deus tantam hominis mutabilitatem, panem cum homine manducare vult, vt saltem illum hoc facto penes se facilioùs retineat. D

Domum ergo Principis vobis ostendi Ecclesiam sanctam, quæ meritò domus principis dici meretur, quoniam & sanguine Christi velut purpurâ regis, & cruce velut stemmate gentilitio adornata est, ostendi panem designare doctrinam salutis, & verbum Dei. Igitur si vos tenet desiderium cum Christo regnandi, in hac domo principis manducate sæpiùs cum illo panes scientiæ spiritualis, vt postmodùm & panem beatitudinis, in aula cæli cum illo suauiùs degustetis, AMEN.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. *Lucæ* 14.

Gloriam æternam desiderare laudabile est, sed vituperabile temporalem ambire.

VIrtutem generoso passu sequitur honor, vitium verò contemptus & ignominia. Auditor. Etenim nõ tàm celeriter in vasto maris ambitu, procellosis agitata turbinib⁹ nauis, in portum declinat; quàm virtus in honoris ornamenta: non adeò in splendenti syderum circulo, per signa Zodiaci currit desideratus ille mundi oculus, ad supremum solstitij gradum; quàm vera virtus ad debitæ brauium gloriæ. Non sic irretor- Virtutis quanta præstãtia.
to solem prospectans oculo aquila, pernici volatu in excelsa montium & Libani cacumina tendit; quàm ardua virtus in emeriti fastigia honoris aspirat; Quotirca non inficior, virtutem multò feliciorem esse illâ Iasonis naui, quæ vellus aureum Colchis sustulit. quia hæc nullis obnoxia procellis, ex ipso æterni patris sinu diffluentem beatitudinis gloriam homini confert. Non recuso virtutem sole fulgentiorem esse, multoq; potentiorem, quia illam nullus vnquàm in suo cursu reuocabilem Iosue retardare potest, ne ad maiora semper perfectionum curricula tendat. Fateor virtutem aquilâ celeriorem esse: quia illam ipsemet honor suis alis, non modo ad excelsa fastigia; verùm etiam ad illam ipsam, quâ nihil melius, effert immortalitatis felicitatem ; Hinc Peloponæ templum magno sumptu virtuti dedicatum erat, in quo aurea statua, mundum sinistra manu tenebat, repositis in eo regum diadematibus, sceptris, & clauis imperatorum, cæteriscq; Templũ virtuti dicatũ.

teriscq; amplissimis gloriæ insignijs; A dextrâ verò tenebat auream statuam ex purissima Crystallo, summo artificio sculptam, atque zona aurea præcinctam, in qua fuluo purissimo fusæ literæ conspiciebantur, *Tibi vni & soli*, quasi palam faciendo, illa magnifica insignia soli tantummodò virtuti deberi. Hinc plerosq; mortalium legimus, tanti æstimasse honorem, vt ne vel minimam eius iacturam subirent, mortem sibi consciuerint; satiùs sibi vitam eripi, quàm famam maculari iudicantes; testatur- B què Plutarchus non tàm doluisse Alcibiadem exilium, rei familiaris deuastationem, immò & vulnera sibi inflicta; quàm contumeliosum Themistoclis verbũ, quod aduersùs illum protulerat. Honoris siquidem appetitus, tàm altas in hominum animis egit radices, vt somniata inimicorũ trophæa, non secus, ac si vera essent, vehementem dolorem ingerere soleant, vt Themistocli accidit dicenti, Miltiadis trophæa me excitant, & in somnis quietem capere non sinunt. C Hoc ipsum & fratribus Ioseph accidisse sacra Geneseos historia commemorat, qui eam tantùm ob causam Iosepho indignati erant, quòd somniasse referret, se à stellis, sole, & luna, adorari. Si igitur appetitus honoris ab ipsa natura est insitus pectoribus mortalium. Si vnicum virtutis præmium est honor, quomodò Christus in hodierno Euangelio, iubet homines, vt in conuiuijs nouissimũ occupent locum, *Et tunc* inquit *erit tibi gloria coram simul discumben-* D *tibus*. Siquidem humiliare se vltra statum & conditionem suam, sit temeritatis & imprudentiæ signum. Discutiemus igitur in hodierna Concione; quomodò ambire gloriam sit laudabile, & virtutis opus; quomodò verò vitij opus, est ignominiosum.

Mori præstat quã in honore periclitari.

Luc. 14.

Appetitum honoris esse naturalem mortalibus, nemo vsquàm inficiabitur, cùm nihil magis ad ardua quæquè obeunda alliciat hominem; quàm honoris cupido ; sed duobus potissimum gradibus thronum eius conscendunt homines, scilicet ambitione & magnanimitate. Ambitione, dùm nihil aliud cogitant, quàm vt altiùs semper in dignitatibus promoueantur, dicente Propheta Psalmo 73. *Superbia eorum ascendit semper*. Quod cùm aliter obtinere nequeant, seipsos subijciunt, humiliant etiam vilissimis obsequijs, sed corpore tantum ; mens enim illorum procul à veritate aliena est. Vnde dicit D. Ambrosius lib. 4. in Lucam. *Tales qui ambitione honorem quærunt, fingunt se esse omnium seruos, & vt dominentur alijs, priùs seruiunt, curuantur obsequio, vt honore donentur, & dùm volunt esse sublimiores, fiunt remissiores.* Hinc D. Cyprianus Epistola ad Donatum, idem de ambiente honores, quod de splendide vestito iudicium fert, inquiens: *Qui amictu clariore fulgere vult, quantis illum sordibus emit, vt fulgeat; illi quod debuit, retinet, huic quod suum est, eripit. Vnum decipit, alterum fallit; vt hisce pessimis medijs fulgorem vestium sibi comparet.* Prætendit aliquis dignitatum splendorem, curules senatorũ conscendere vult, in Rempublicam literatorum adscribi postulat, cùm optimè noscat, id sine magnis expensis, donis, muneribus, atq; largitionibus varijs fieri non posse, priùs sollicitè & auarè sumptus ad id necessarios congregat, pauperes proprijs bonis spoliat, atq; ficta humilitate, quod ex virtute habere non potest, assequitur. Quemadmodùm de Ottone Imperatore scribit Tacitus lib. 1. Annalium. *Extendebat* inquit *Otto manus ad populum supplicando illi, tanquàm dijs osculabatur manus plebis, adorabat viles seruos, inclinabat se omnibus, humilitatem in verbis & gestis profitebatur.* Et quæ tantæ subiectionis causa: *Pro Dominatione* inquit Tacitus, vt gratiâ plebis ad imperij dignitatem ascenderet. Et quotusquisquè est his temporibus, qui hoc ambitionis gradu honorari non quærit. Antea virtuti dabantur præmia; nunc verò soli deferuntur adulationi ; antea scientiæ conferebantur dignitates; nunc verò hypocrisis

S. Ambr.

S. Cypr.

Tacitus.

crisis magis præmiatur. antea spectabatur dignitas personarũ, & præstãtissimarum quarumuis perfectionum, nunc sola circũspicitur externa adoratio, & auri obligatio, cui omnia in mundo parere coguntur, Quod pulcherrimè tetigit sapiens Eccles: 2. *Donec accipiant osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.* Sed gradus hic ambitionis est, & tali motiuo quærere gloriam vitij opus censetur. Laudabile quidem est humiliare se ad onera supportanda, & dignitates appetere: vt tanto commodiùs in laudem Dei possis laborare; virtutis & magnanimitatis indicium est; sed humiliare se, vt tantùm per fictam humilitatem, primos accubitus occupes, summè vituperabile. Vnde dicit Saluator in hodierno Euangelio, *recumbe in nouissimo loco, vt qui te inuitauit dicat tibi, amice ascende superiùs.* Quasi dixerit, non est festinandum ad honores, quousque virtus tua adolescat, & dextera excelsi te in destinatam tibi ab alto efferat dignitatem: dùm te iam agnoscit sufficientem, vt & tibi ipsi ad salutem, & cæteris magis prodesse valeas. Sed exulauit hæc perfectio: lachrymabundis hisce temporibus, à Christianorum consortio. Non est qui expectare velit, donec illi ab inuitante dicatur, amice ascende superiùs: sed omnes æqualiter allicit honor. sed per diuersa motiua, ambitiosos tantùm, vt præsint; magnanimos autem vt prosint.

Eccl: 2.

Luc. 14.

Et quomodò igitur dignosci potest, quis ad honoris fastigia per gradum ambitionis progreditur, quis verò per gradum humilitatis? sed lapis lydius est ipsamet honoris duratio, ex hac dignoscitur virtutis ad gloriam studium, & simul vitij ad honorem appetitus. Nam si ipsemet Lydius lapis verũ ab adulterino probat aurum, sic perpetuitas virtutem, aut vitium in honore procurando monstrat. Duplex etenim est honor vanus, & apparens: atq; verus & realis: Vanus & apparens honor est ille, qui non fundatur in meritis, qui non ordinatur ad propugnandam Dei gloriam, qui non fertur in vtilitatem proximi, qui procuratur modis indebitis, ac demùm qui non confertur à Deo; sed à fallaci mundo; & talis honor per gradum ambitionis conscenditur, facitq; homines mentis elatæ. in cuius veritatis ostensionem, ambitiosi depingi solent, ore aperto inhiantes, & ventum hauri entes, qui eos, inflat; & talis est omnis ille honor, quem homines assequuntur in mundo, per adulationes, humilitatem fictam, & munera aut promissa, aut elargita. Sed non istam gloriam pro virtutis indefesso studio Deus homini pollicitus est, hæc enim cum sit apparens, facilè euanescit, & desertum relinquit hominem. Nam licet tria potissimùm reperiuntur in mundo, quæ in summo mortalium pretio habentur, atq; sollicitè quæruntur ab ijsdem, scilicet; diuitiæ, honor, & voluptas; minimè tamen humanæ mentis capacitatẽ explent, cùm teste D. Thoma 1. 2. quæst: 4. non sint vera bona; quis enim nescit honoris & fortunarum comites esse, metum atq; sollicitudinẽ, conseruandi ea quæ possidemus? quare cùm in mundi istius honoribus & diuitijs adsit semper perturbatio, quæ animum torquet & angit, facilè quispiam fatebitur, illa apparenti tantum colore hominem trahere ad se. Quod eleganter testatur Palladius his verbis: *Aurum doloris est, & curæ filius honor.* & Apostolus comprobat, 1. Timotheorum 6. vbi de ambientibus honores & diuitias differens dicit. *Inseruerunt se doloribus multis*: quasi diceret; nihil magis hominem affligere potest, quàm sollicita honoris cura; antequàm enim illum possideas, non modica expendere debes; quod si spes votorum magnitudinem non adæquauerit, ibi primùm intolerabilis dolor, animo oboritur. Quid dicam de voluptate, quæ ab omni prorsùs molestia hominibus esse videtur remotior? nonne illa summũ quandoq; homini dolorem affert, ad cuius vehementiam significandam veteres

S. Tom.

Palladi.

1. Timotheor. 6.

S. Isidor. teres (teste D. Isidoro in Theologũ) finxerunt Prometheum, ideò quòd ignem cælo surripuisset, montis caucasi rupi alligatum, cuius iecur aquila vorax perpetuò depasceret; vt scilicet hominem voluptatibus toto animo deditum, pari modo excruciandum; & quia ignem veneris atqué cupidinis admisit, pro libertate vincula, pro delectatione dolorem experiundum: & quia mollibus inhonesti amoris compedibus alligatus erat, conscientiæ animum vermè rodentè, grauiùs angendum & torquendum exprimerent, ac proinde mundi honor, voluptas, & diuitiæ, nonnisi vanum & apparentem colorem habent, quo omnes, indiscriminatim homines seducuntur, & alliciuntur. Atqué hoc singulare in vanæ laudis & humanæ gloriæ apperentiâ obseruari potest. quòd licet non omnia vitia omnium corda subintrent, quædam enim sunt familiaria diuitibus, vt auaritia; alia sapientibus, vt arrogantia; iuxta illud Apostoli, *scientia inflat*: alia Principibus, vt voluptatibus supra modum immergi, & tyrannidem exercere; alia subditis, vt leges transgredi, & mandata superiorum contemnere: solius humanæ gloriæ appetitus instar passionum Entis omnia transcendit, omnium pulsat animos, & instar vniuersalis pestis vndiq; grassatur atqué per omnes mundi incolas serpit vt cancer. Inquietat enim vani honoris sollicitudo, & diuites, dicente Apostolo 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere.* Sollicitat sapientes & literatos: quæ enim alia illorum intentio, nisi vt emeritis quandoque afficiantur præmijs. imò iustos etiam & sanctos eadem passio crebrò agitare solet, quod fatetur D. Thomas 22. quæstione 123. art. 3. dùm ait: *Cum alia vitia locum habeant in seruis diaboli, inanis gloria locum habet in seruis Christi*: & isti enim non rarò operibus suis proprijs humanam laudem aucupantur; quos grauiter increpat Propheta Christi Isaiæ 58. dicens in Persona Dei: *nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere animam suam, nunquid contorquere quasi circulum caput suum.* Originale verò Hebræum legit: *Nunquid contorquere quasi hamum collum suum.* innuere volens, quòd quemadmodùm piscatores hamo vtuntur, ad capiendos pisces; sic multi qui spirituales haberi volunt, dùm ieiunant, orant, vel alijs bonis operibus vacant, quasi hamum ad collnm contorquent; ad vanas hominum laudes captandas. Sed tales vani honoris zelatores, oleum & operam perdunt, atq; cœlestem illam mercedem, quam æternum pondus gloriæ vocauit Apostolus, pro inanis gloriæ mercede, quæ instar fumi, nullius prorsùs ponderis est, insipienter ac infeliciter comutant.

2. Timotheor. 6

S. Thõ.

Isaiæ 58.

Cum Nero Imperator relaxandi animi causa piscaretur; Romanorum quidam hamum eius non ferreum, sed aureum esse videns, subrisit, inquiens: *vt quid quæso perditio hæc?* piscis sæpè oboli pretium non excedit, & frequenter secum in profundum hamum trahit, qui centuplum maioris valoris erat. Quid aliud vestra Christiani mei bona opera sunt? quàm aureus hamus, charitatis nitore adornatus, quo Deus ipse potenter trahitur; hæc tamen si omninò propter vanam gloriam fiunt, pereunt; solumq; ventum in præmium obtinent, vt proinde meritò mundi honorem quærentibus dici possit, *vt quid perditio hæc*, tota gloria mundi vix obolo æquiualet, & propter illam aureum diuinæ gratiæ hamum perdere, quo Deus ipse animæ affixus tenebatur, quantæ temeritatis & imprudentiæ signum? Finge obsecro agricolam toto decursu anni terram colentem, diebus & noctibus arantem, expurgantem, seminantem, metentem, triturantem, ac tandem magno labore triticum in horrea inducentem, si tunc cũm iam tritico in quiete vti oportet, à gurgulione deuastatum illud reperiret, nonne infelicem se procul dubio exclamaret? atq; tot expensas & labores

se feciſſe mirum in modum do-
leret. Quomodò & Chriſtianorum
viſcera non rumpentur, qui tot per
vitæ ſuæ curriculum eleëmoſynas ſe-
minando, orationes ſæpiùs puro cor-
de igne diuini amoris æſtuante ad
Deum humiliter fundendo, tot alia
caſtitatis & continentiæ, pia opera
exercendo, & pulcherrimè in Dei
amore tranſactæ vitæ ſuæ fœcundos
fructus in æternæ patriæ horrea
inducendo. ſi tunc cùm iam in æ-
terna illa & quieta beatitudine hiſce
fructibus perfrui neceſſum erit, vo-
cati in iudicium Dei, videbunt om-
nia illa pulcherrima facinora, ab v-
nico vanitatis gurgulione prorsùs
deperdita. Meritò equidem ſe infe-
lices exclamabunt, & dicent, *vt quid perditio hæc?* propter momentaneam
mundi delectationem, interminata
cæli gaudia, propter apparentem ter-
reni honoris ſplendorem, verum
immortalitatis decus, propter modi-
cam humanam complacentiam, in-
circumſcriptam cum Deo regnandi
libertatem perdere. Ingeniosè ad-
S. Fulg. modùm S. Eulgentius libro Myte-
rologiæ hieroglyphicè, vanam hanc
vanæ gloriæ hiero-glyphi-con. gloriam, quam mortales appetunt,
expeſſit. Iuuenem quendam depin-
xit facie pulchrum, & reti indutum.
Honorem apparentem hoc ſymbolo
exprimere volens. Iuuenem ideò de-
pinxit, quia vana gloria à primis Pa-
rentibus vſq; ad nos omnes perdu-
rans, nuſquàm emarcuit, immò quo-
tidiè efflореſcit & iuueneſcit; pul-
chrum faciè ideò: quia vanæ gloriæ,
vitio ſtimulatus homo, ſua opera
ceu omnium venuſtiſſima, ab omni-
bus laudari cupit. Tandem reti in-
dutum idcirco: quia vani honoris
illa præcipuè cura & ſollicitudo eſt.
vt vbiq; rete expandat, ad humanas
laudes capiendas, tanquàm per in-
ſtrumenta ad venandum aptiſſima.
Sed quia hoc rete foraminoſum eſt,
idciro omnia hominis bona opera
per illud citò difluunt. Inſuper vani
honoris appetitus etiam hoc ſingu-
lare habet, quòd cùm cætera omnia
peccata, à vitijs & materia peccami-

noſa generentur, nam ex otio gene-
ratur gula, ex gula luxuria, ex luxu-
ria prodigalitas, prodigalitatem ſe-
quitur rapina, rapinam furta, furtum
iniuriæ, iniuriam demùm maleuo-
lentia; quæ omnia generant vicif-
ſim; & generantur, ſed ſingula virtu-
tibus ſibi oppoſitis extinguuntur, &
corriguntur, ſola vani honoris cupi-
do, ex ipſis virtutibus naſcitur, nec
niſi bonis inſidiatur: ex pietate or-
tum ducit, & incrementum capit;
quia quemadmodùm ignis ſulfureus
iniectâ aquâ roboratur, ſic terreni
honoris appetitus creſcente honore
& rebus præclarè geſtis, augmentum
ſumentibus magis incenditur, omne-
ſqué ſimul in homine perimit vir-
tutes, bona opera tollit, præclare
geſta euacuat, mercede ſpoliat, &
Deo accepta, exoſa reddit. Hinc Do-
ctores ſancti, ab hoc vani honoris ſol-
licito ſtudio auocare volentes Chri-
ſtianorum animos, exiguam iſtius
honoris durationē nobis proponunt,
quòd ſcilicet totus ſplendor, gloriæ
huius ſeculi, cum vita mortalium
ſimul commutatur. Nam de huma-
no fauore nullus ſtabilis honor ha-
beri poteſt, vt dicit Chryſoſthomus
homil. 2. in Ioannem. *Homines* in-
quit *nihil, ſolidæ, vtilitatis nobis afferre poſſunt, ſed tantùm inſpicere quæ facimus ac inſpiciendo ladere, laboremqué noſtrum inanem reddere.* S. Chryſoſth:

Refert ſcriptura Exodi 2. quòd Exodi 2.
cùm Moyſis elegantiam mater eius
videret, abſconderit eum, ne ab Æ-
gyptijs ſurriperetur. quod miratur
Origenes hom. 2. in Exodum inqui- Origen.
ens: *Ait ſcriptura quòd de Tribu Leui quædam genuit maſculum, & videns infantem eſſe elegantem, occultauit eum tribus menſibus.* Sed itane potuit al-
licere pulchritudo infantis illius in-
ſidiatores? vt niſi occultatus fuiſſet
dubio procul raperetur. Sic ſanè?
Nam dicit ſcriptura: *Poſtquàm adoleuit Moyſes, cùm tranſiret per mediam ciuitatem, artifices omnes, repoſitis ſuis inſtrumentis, intuebantur eum omnes, vt amæno eius ſatiarentur aſpectu.* Crediderim ego per hanc Matrem, nihil aliud

aliud deſignari; quàm vitam homi-
num piè & Sanctè viuentium, qui
quotieſcunqué vel eleëmoſynam in
nomine domini erogant pauperibus,
vel corpus ſuum ieiunijs alijſq; mor-
tificationibus, aſperiùs mortificant,
magnæ venuſtatis infantem in corde
ſuo parturiunt, ſcilicet Ieſum Chri-
ſtum, per gratiam in illis inhabitan-
tem. Sed inimicus à tergo mundus
adſtat, vt hunc filium, ſcilicet opus
quodlibet bonum ſurripere poſſit;
ſed diligenter occultandus eſt iſte fi-
lius, donec, perfectè adoleſcat, &
poſt tres illos menſes, ſcilicet legem
naturæ, ſcriptam, & gratiæ, per me-
diam Ciuitatem cœleſtis illius Ie-
ruſalem incedere incipiat. Hoc etia-
Coloſſ: 3. m D. Paulus ſuadet, Chriſti militi-
bus ad Coloſſenſes 3. *Non* inquit
ad oculum ſeruientes, quaſi diceret;
noh in oculorum ſeruitute vitam ve-
ſtram traducatis, nec hominum ocu-
lis, qui omnia faſcinant, ſeruiatis;
vt tantùm ab illis poſſitis habere glo-
riam, & apparentē ſolùm honorem.
Quorsùm enim pretioſæ bombici-
næq; veſtes gemmis auroq; diſtin-
ctæ? quorsùm magnifici prandio-
rum apparatus? Quorsùm equorum
argento auroq; radiantes Phaleræ?
quorsùm famulorum ingens cater-
ua? quorsùm adamantina periſtro-
mata? multorum ſumptuum aulea?
hic ſcilicet gradus eſt, ad conſcen-
dendum vani & apparentis honoris
thronum, ſed quia ſumme lubricus,
idcircò facilè hominem, in inſpera-
tam damnationis foueam præcipitat.
Nec enim magnifica eleëmoſyna
Deo placet, ſi propter inanis gloriæ
Chryſol. lucrum fiat. Nam inquit Chryſolo-
gus, ſerm. 9. *Deus arguit largientem ad ſuam famam, non ad pauperis famem; vota culpat, non loca.* docuit miſeri-
cordiæ auctor, vt miſericordia non
terræ ſit nota, ſed cælo, non homi-
Plinius. nibus inſinuata ſed Deo: Plinius de
hiſtoria animaliū refert, quòd aqui-
læ pullis, (quæ in alto ſemper nidi-
ficat) ſerpens qui vocatur *Parias* in-
ſidiari ſoleat. Sed videns ſe propter
altitudinem, ad illos aſcendere non
poſſe, trahit ad ſe ventum, & vene-
num emittit, vt aër infectus per ve-
nenum ad pullos deductus, illos oc-
cidat. Sed aquila ex inſtinctu natu-
rali vt huic malo occurrat, nido ſuo
inædificat lapidem, qui vocatur *Ga-
gates* ſemperq; in illa parte, quæ eſt
contra ventum, illum ponit, quo re-
mouetur venenum, ne pullos inficiat. Aquila hæc in ſublime volitans,
eſt anima hominis Chriſtiani, pulli
eius, ſunt actiones honeſtæ, & omnia
opera bona, quæ per Dei gratiam in
ſublimi virtutum exercitio operamur: ſerpens venenum ſibilans, eſt
appetitus honoris immoderatus; hic
cum aliter hominem præclaris vir-
tutibus exuere non poteſt, ventum
attrahit, ſcilicet mentis humanæ in-
ſtabilitatem, vt ſupra modum vanæ
gloriæ inhæreat. Verùm ne præcla-
ra virtutum noſtrarum germina, ve-
nenato eius ſibilo inficiantur & pe-
reant, in alto nidificare debemus,
& lapidem illum gagatem, Chri-
ſtum ſcilicet Iesvm, pectori no-
ſtro firmiter inſerere, hic enim ſo-
lus omne venenum, quod ſaluti fide-
lium contrariatur, perimere poteſt.

Alter gradus, quo homines aſcen-
dunt ad honores, eſt magnanimitas,
quæ conſiſtit in meritis præcedenti-
bus, ferturqué in honorem verum,
tanquàm præmium ſibi debitum or-
dinato modo, ſcilicet non propter
proprium commodum, non propter
redituum annalium cenſum, ſed pro-
pter commodius laborandum & ſer-
uiendum Deo. Hic eſt verus honor,
ſanctitati, ſcientiæ veræ hominis de-
bitus. quandò homo non poſtulat
honores abſolutè, ſed ſub conditio-
ne, Quemadmodùm fecit D. Petrus,
qui cum in monte Thabor, transfi-
gurati Chriſti magnum videret ſplē-
dorem, cognoſceretq; ſummum eius
erga diſcipulos affectum, non eſt au-
ſus honorem illum abſolutè poſtula-
re, ſed tantùm ſub conditione: *Domine* inquiens *ſi, vis faciamus hic tria tabernacula.* O præclara magnanimi-
tas! non aliud quærere, quàm quod
Dei voluntas decreuit. Hoc Altiſſimi

prudenter operantis primum erat intentum, mentem humanam suæ voluntati subiectam esse, nec aliud quærere velle, nisi vnde omnipotentis maiestas laudẽ capiat. Nouerunt hoc optimè sancti illi Viri, qui nolebant vllum capessere honorem, nisi ad augendum Dei gloriam, sibimet nihil tribuere ausi. Daniel vocatus à Nabuchodonosor, & sapientiæ nomine commendatus, vt somniũ eius interpretaretur, respondit, omnem sapientiæ opinionem & laudem à se remouens, *Est* inquit *Deus in cœlo reuelans mysteria, mihi quoq; non in sapientia, quæ est in me plusquàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est, sed vt interpretatio regi fieret.* Hæc est vera & solida magnanimitas, vt homo licet magnarum virtutum; non sibi tamen, sed Deo tribuat, omnia. Multi quidem cupiunt sanctissimi, doctissimi, prudentissimi videri, cùm reuera vix aliquid sanctitatis, aut sapientiæ possideant, non aliam ob causam, nisi vt per gradum ambitionis fastigia honoris conscendant. at verò qui ex magnanimitate & perfecta virtute honores quærunt, totum priùs Deo subijciunt. Quod præclarum in sancto Eligio Nouiomensi Episcopo vigebat studiũ, erat vir iste nobilitate, eruditione, & pietate celeberrimus, à quo cùm mendicus quidam cæcus eleëmosynam accepturus esset, manum subtraxit, & famâ sanctitatis eius permotus orans, vt potiùs oculis suis crucis signum imprimeret visumq; restitueret, S. Eligi. ille verò subridens, respondit. *Nec dum* inquit *amicè nosti te signare, docebo te, moxque signum crucis imprimens, oculos eius aperuit.* totumq; illud miraculum, non sibi, sed Deo, & hominis illius fidei esse tribuendum asseruit. Idem vir Sanctus, cùm in publica via transiens suspensum cerneret, eumq; sepeliri & per suos deponi curans, mox alijs sepulchrum parantibus, ipse orans cæpit illud ab imis vsq; ad summa palpare, vbi verò sensit adesse animam, vt omnem sanctitatis à se opinionem repelleret, in hæc verba prorupit. O quam grãde scelus, nisi Deus iuuisset perpetrare poteramus, si corpus hoc humo texissemus, cùm anima eius in ipso sit, hæc dicens, mirantibus famulis, iussit eum vestibus indui, & quiescere paululum, quo surgente & iam recreato discessit vir sanctus, quasi nullum virtutis signum feciſſet. Rara sunt hæc, sed pulcherrima virtutis exempla, & magnanimitatis; quando sic ascenditur ad honores, vt ne quidem in veris virtutibus, veraque laude dignis, vllo modo admittatur vana gloria, dicente Chrysostho mo hom. 5. in Epistolam D. Pauli secundam: *Hæc summa virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum dicere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita, quia is est, qui rationem exacturus est.* S. Chrysosth: Sed ad tantam operis perfectionem vnicus stimulus est, amor: hic enim hominem fortiter Deo copulat. Nam D. Hieronymus in cap. 2. Michææ dicit: *Amor aut pares accipit, aut facit.* S. Hieron. Si enim Dei amorem erga hominem spectes, hic Deum homini parem reddidit? cùm enim Deus infinitæ maiestatis esset, homo verò finita & limitata virtute circumscriptus, (infiniti autem ad finitum nulla proportio, sed infinita inæqualitas consequenterque nulla paritas) idcircò paritatem inter Deum & hominem, quam ratio humana ignorabat, diuinus amor, qui sapientissimus est, adinuenit; hominem efficiens Deum, & Deum hominem, deprimens Deum ad humanã naturam induendam, & exaltans hominem ad vnitatem personæ verbi diuini amplectendam. Quodsi verũ quoq; fatentur Philosophi, intellectum intelligendo omnia fieri: & amor ferri non potest nisi in cognitum, *incogniti enim nulla cupido.* Quis non fatebitur quod amor diuinus homini Deum manifestans, illum eo ipso Deo parem facit, & cum illo perfecte vnit, iuxta illud Apostoli. *Scientia inflat charitas autem vnit.* Tali equidem homini qui per magnanimitatis gradum, amoris scilicet diuini,

tini & subiectionis ad honorem progreditur verum, Deus in hodierno Euangelio pollicitus est gloriam: Luc. 14. *Tunc erit tibi gloria corã simul discumbentibus.* Et quæ obsecro? non humana, quia hæc citò euanescit, sed cœlestis, quæ mundo capaciorem hominis appetitum perfectè explet, vt Psal. 16. dicit Propheta Psalmo 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* quasi diceret; siue diadema regium tuo capiti mundus imponit, nondùm exsatiatur tuus animus, sed grauiori adhuc pondere premitur; siue omnibus mundi dignitatibus exornaris, necdùm perfectam satietatem habes, quia hinc curæ & sollicitudines perpetuæ oboriuntur, sed vnica tantùm beatitudinis cælestis gloria, quæ omne delectamentum in se continet, appetitum mentis humanæ vltimò adimplere valet, ne ampliùs appetere valeat. Nec enim alia de causa D. Augustinus beatitudinem coronam vocauit, libro de Agone Christiano, S. Aug. *percipietis* inquit *immarcescibilis gloriæ coronam,* nisi vt declararet, quòd sicut rotunda figura, omnibus alijs capacior est, ita beatitudo cælestis sinu suo capacissimo omnia bonorum genera includit, & omnia mala à sui consortio repellit. Illic enim est sine fastidio saturitas, Eccle. 24. Ecclesiastici 24. *qui edunt, ad hunc esurient.* hoc est; in tantum beatitudo illa mortalũ animos oblectabit, vt nusquàm in illa degustanda vllum sentiant fastidium, illic adest scientia sine errore 1. Corinth. 13. *Videmus* 1. Cor. 13. *nunc per speculum, tunc autem facie ad facie,* & quia videbimus omnia, in causa immediata essendi, idcircò omnis error ab illa cognitione exulabit. Illic erit verus honor, & vtilitas Psal. 111. perfecta Psalmo 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* illic plena animæ delectatio, Psalmo 36. *Et torrente voluptatis potauit eos.* illic pax extra periculum turbationis, Psalmo 157. *Qui posuit fines tuos pacem.* illic securitas ab omni malo, Psalmo 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die.* illic corona victoribus, Psalmo 20. *Posuisti domine in capite eius coronam de lapide pretioso.* illic nulla fames aut sitis, Apocal. 7. *Non esurient; aut sitient amplius.* illic nullæ lacrymæ, nulli gemitus, nulli singultus, Apocalypsis 21. *Non erit luctus, neq; clamor.* illic non aspera temporis hiberni tempestas, sed floridum, perpetuum, amænissimum ver, Canticorum 2. *Iam hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Illic mortis nulla potentia, immò nec præsentia. 1. Corinth. 15. *Absorpta est mors in victoria.* illic denique est omnium, quæ iustus desiderat perfectissimum complementum, ideoq; hanc solam gloriam ardenter postulauit Dauid Psalmo 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini.* Quod D. Hieronymus vertit, *Vt videam pulchritudinem Domini,* Chaldæus autem legit, *vt probem dulcedinem Domini.*

Psal. 20. Apoc. 7 Ibid. 21. Cant. 2. 1. Cor. 15. Psal. 26. S. Hier. Chald.

In hoc Igitur vera sistit gloria, vt præsentem Dei pulchritudinem intueamur, & inenarrandam degustemus dulcedinem. Et quoniam vnicum virtutis præmium est honor, seu gloria, quis est qui ad honorem non aspirabit? sed quemadmodùm duplex est virtus, mundana scilicet Ethica, & Christiana siue Theologica; ita quoq; duplicem honorem & gloriã habemus, scilicet temporalẽ & æternum; & in temporalẽ per gradũ ambitionis ascendẽdũ est; ad æternum verò per magnanimitatem. Estote & vos Christiani mei magnanimes, despicite mundi pompam, & gloriam, vt pote vilissima: ne in lubrico ambitionis gradu stantes, prolapsi in tenebrarum foueam ruatis, sed solam beatitudinis gloriam, quæ æterna & stabilis est, quærite: in qua æternùm hærendo, Deo honor, & vobis tranquilla pax atq; gaudium oboriatur. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Si licet sabbatho curare. *Luc.* 14.

Deo in celebrandis festis maximè displicet, ignorantia, seruilis animus, & vana gloria.

CReatio mundi laborantem hominis vitam pulchrè expressit Auditor. Sex diebus illa totum peregit vniuersum teste sacra pagina. Genesis. 2. *Compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrauerat.* Et licet Ecclesiastes capite 18. dicat: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Per ly tamẽ *omnia* intelligit substantialia tantùm, non verò accidentalia & mista, idqué hanc ob rationem, quia duplici fine Deus mundum condebat, Primò, vt satisfaceret suæ bonitati, & sic omnia mundi substantialia prima die simul condidit, vt cælum Empyreum, terram, aquam, ignem, aërem Angelos &c. Secundò vt homini commodam faceret habitationem, proprer quem successiuè sex diebus omnia disponebat & ornabat, secunda die creauit Firmamentum; tertia aquas, terram ambientes diuisit partim in maria, partim in subterraneos meatus, terramq; in montes & insulas eleuauit, proferentem suam amænitatem nemora & hortos pomiferos: Quarta die produxit solem & Lunam. Quinta pisces & volatilia ex aquis formauit, id circò duo hæc genera corpore fluido vehuntur & sustinentur, quia similitudinem magnam cum aqua habent. Sexta tandem die creauit, animalia terrestria ac iumenta, feras ac reptilia, & demũm ipsum hominem, tanquàm Principem & dominum rerum omnium, introduxit in paratam aulam. Et ecce causã suggerit Scriptura, cur producto mundo septima die quieuerit Deus inquiens. *Et benedixit diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.* Vt scilicet instrueret hominem, vt sex diebus circa temporalem necessitatem laborans, septimum tanquàm benedictum sanctificaret, Deoq; debitam redderet gloriam, quod seuere Iudæis præcepit Exodi 12. 16. inquiens. *Dies prima erit sancta atq; solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Hinc dies Sabbathi in tanta veneratione fuit apud Iudæos, vt neq; ignem accendere, nequé ligna struere, aut colligere impunè erat, prohibente Domino Exodi 35. 2. *Sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum & requies Domini, quicunq; fecerit opus in eo, occidetur. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris, per diem sabbathi.* Vnde Iudæi cùm viderent Lucæ 6. 2. quod Christi discipuli cõuulsillent spicas, vt manducarent, cæperunt illos tanquàm legis diuinæ transgressores criminari. *Quid facitis quod non licet in sabbathis.* immò & coram Christo accusare: *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet in sabbathis* Matthæi 12. Cur tamen Christus quæsierit ex Iudæis, an liceret die sabbati curare, causam inquiremus, diligenter perpendentes, quomodo festa colere, & à quibus abstinere operibus, quæue facere teneamur, Auditor.

Tribus potissimùm de causis, quæsiuit Christus ex Iudæis, vtrum liceat sabbatho curare: primò, vt argueret eorum ignorantiam, quia nesciebant, quò sabbathi obseruatio spectaret, Augustinus contra Adamantum cap. 16. *Iudæi* inquit *seruiliter obseruabant sabbathum, non intelligentes ad quarum rerum significationem & prænunciationem pertinerent.* Hanc ignorantiam culpat in illis Apostolus ad Galatenses. 4. *Dies obseruatis, & menses, & annos, & tempora,* quasi diceret: non diem colere debes ô homo, sed Deum ipsum, ad quem honorandum, dies illa aut tempus institutum

stitutum esi. Etenim Iudæi, ita die sabbathi ab omni opere vacari debere putabant, vt etiam ab illis operibus abstinerent, quæ ad salutem hominum referuntur, teste Augustino contra Adamantum cap. 2. *Sabbathi obseruationes non intelligebant Iudæi qui putabant ab ijs etiam operibus, quæ ad salutem hominum valent, debere cessari.* Tu verò qui Christi fidem amplecteris, abstinere debes ab operibus mundanis & seruilibus, non autem ab operibus pietatis & religionis. quemadmodùm dicitur Deutoronomij 5. *Obserua diem sabbathi, vt sanctifices eum.* id est; vt Deum omni cultu venereris. Cùm enim nostra dies dominica, quæ loco sabbathi posita est, sit perpetua resurrectionis memoria dominicæ, hoc nobis sua festiuitate inculcat, vt cum Christo in nouitate vitæ resurgere conemur, hortante ad id Apostolo. *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, vt quomodò Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Vis igitur diem sabbathi ritè sanctificare; totius vitæ puritatem & innocentiam indue, & sollicitè tibi cõpara; non enim tale opus à DEO prohibitum est. Hic noster est sabbathismus, vitæ puritatem seruare, terrena abominari, & cœlestia quærere, ad quæ licet omni tempore teneamur; maximè tamen die sabbathi, die dominico, quo non tantùm corpore, sed & mente Deo vacare debemus, vt inquit S. Gregorius libro Epistolarum 11. Epistola 3. *Dominico die à labore terreno cessandum est, atqué omnimodè orationibus insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Num. 28. apud Iudæos in alijs diebus vnus tantùm agnus offerebatur, die autem sabbathi duo agni. Quid hæc obligatio figurabat? nisi nostram deuotionem, quam diebus ferijs licet satis exiguam Dominus libenter recipit, sciens quàm multis homo implicatus sit laboribus: at verò die Dominico, die festo, geminam voluit nostram pietatem, vt tunc ab omnibus curis secularibus, & mundi laboribus quiescentes, accuratiùs Deo obsequia debita persoluamus, ad quod appositè Chrysosthomus ait, homilia de Eucharistia tomo 3. *Centum & sexaginta horas habente hebdomada. Vnam & solam horam sibi segregauit Deus (horam scilicet sanctissimi sacrificij) cui omnes eo die interesse voluit,* hanc horam vt in opera secularia & ridicula conuenticula insumas, nefas est; & contra ipsum institutorem Deum sacrilegum facinus. Et S. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel, cap. 2. *Festus* inquit *dies Domini est, vbi perfecta virtutum gratia est, quæ tunc perfectè fiunt, si sollicitudinum secularium, & corporalis illecebræ, victor animus delinimenta voluptatum excludat, liber à seculo, Deo deditus.* Tunc primùm perfectè sabbathum sanctificas, cùm solùm Deum meditaris, tunc debito cultu diem festum honoras, cùm omne periculum peccati aufugis, in locum soli Deo patentem piè oraturus, recedendo. Delicatum sanè est hoc tuum sabbathũ, absq; Dei offensa peractum innuente Propheta Isaiæ 58. *Si vocaueris sabbathum delicatum, & glorificaueris Deum, dùm non facis vias tuas & non inuenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Dominum.*

Secundò quæsiuit ex illis Christus, vtrum liceret sabbatho curare, vt exprobraret illis seruilem Deum honorandi animum, si quidem illi in sabbatho, non ex amore iustitiæ, sed ex timore pænæ ab opere seruili abstinebant. Et ex hac Christi interrogatione discant fideles Christiani, sibi adueniente die festo, nõ propter operum seruilium cessationem, non propter corporis recreationem esse gaudendum, neq; propter lucri cessationem dolendum. Sed gaudere debet quia festo die liberiùs Deo suo vacabit; gaudere debet, quia eo die inuitatur ad spirituales epulas à Spiritu Sancto Psalmo 33. *Gustate & videte quam suauis est dominus.* Gaudere debet, quia eo die plenum ius habet ad Deum, tanquàm filius ad Patrem

suum

suum accedendi, & animæ ac corpo- A ri suo necessaria impetrandi. Roma-
Rom. 8. norum 8. *Non enim accepimus spiritũ seruitutis iterum in timore. Sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater*, hoc die delitiæ domini sunt, esse cum filijs hominum, hoc die quoq; deltiiæ hominum esse debent, in diuino cultu & seruitio occupari, & cùm illo tanquàm cum Patre per pietatis exercitium, & studium orationis colloqui. Quadruplici sanè ratione Deus nobis Pater dicitur. Primò propter creationem, si- B cut per Moysen dicitur. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit & fecit & creauit te.* Fecit corpus, creauit animam, possidet totum, nec solùm creando nobis pater est; sed etiam recreando, per verbum suum increatum, missum propter nos & incarnatum, & quid vtilius ast animæ, quàm die festo sacram eius adorare incarnationem, & paternam laudare clementiam! Pater nobis est secundò Deus, propter paternam dilectio-
Luc. 15. nem de qua Lucæ 15. dicitur: *Cum* C *adhuc longè esset, vidit eum Pater illius, & misericordiâ motus, accurreus cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Et quis est iste Filius, cui adeò benignum & paternum osculum dedisset Christus. Certè non alius nisi peccator, qui patrimonium suum viuendo turpiter consumpserat. id est; qui vires & sensus (quæ sunt æterni Patris bona) detriuit in peccatis, quem tamen sabbatho per resipiscentiam redeuntem ad se, misericorditer ex sua dilectione, recepit cœlestis ille D Pater. Cuius clementiam decantat Propheta: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est dominus timentibus se.* Tertiò. Pater nobis dicitur esse Christus, propter necessariam ad vsus vitæ prouisionem: Magis enim Deus ipse in nostra conseruatione laborat, quàm nos ipsi. Matthæi 6.
Matt. 6. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, sicut pauit olim totis quadraginta annis filios Israël in deserto, vbi nec arari potuit, nec meti, ideoq; institutum habes ô homo sabbathum, vt hanc Dei clementẽ prouidentiam circa te mediteris; piè & religiosè cogitando, quomodò ille prouidet sedulitate paterna, nõ modo corporibus, verùm etiam animabus circa obtinendam salutem. Lu- Luc. 11.
cæ 11. *Si vos cùm sitis mali nostis bona dare filijs vestris quantò magis Pater vester, de cælo dabit spiritum bonum petentibus se.* Institutum habes ò Christiane diem festum, ad quid? vt Deum pura mente, & simplici corde, & toto affectu colas. cum Diuo Bernardo illam considerationem accuratiùs perpendens. *Deum meum* inquit S. Bern.
timeo. Vitæ meæ non modo gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem; æternum conseruatorẽ, glorificatorem, &c. Quartò deniq; nobis Pater esse dicitur Deus, propter hæreditatis collationem, ipse enim per suam immensam charitatem fecit nos filios, & hæredes regni cœlestis Lucæ 11. *Complacuit Patri vestro da-* Lucæ 12.
re vobis regnum.

Tertia ratio est, cur Christus interrogauerit Iudæos, an liceret sabbathi curare, vt ostendisset vanam eorum gloriam in celebratione sabbathi, minimè Deo acceptam esse: siquidem illi putabant se, ex sola nuda sabbathi obseruatione iustificari, seq; populum Dei esse, non gratuito Dei beneficio, sed iure quodam hæreditario, quod scilicet semen Abrahæ essent, vnde vanam hanc gloriam coram Christo iactabant, Ioan-
D nis 8. *Nos semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquàm, Pater noster Abraham est, Nos ex fornificatione nati non sumus, vnum Patrem habemus Deum.* Christus autem vt ostendisset illos fuisse mancipia peccati, & seruos diaboli, respondit illis. *Si filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis*, quasi nihil hominem posset à lege peccáti liberare nisi gratia IESV Christi, filij Abrahæ, ad Romanos 7. *Quis me* Rom. 7.
liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum, hanc spiritualem à peccato liberationem,

tionem, Iudæi non agnouerunt, teste A
S Aug. Augustino Epistola 95. *Ignorantes Dei iustitiam, & suam voluntes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Quæstionem illis ideircò proposuit Christus, an liceat sabbatho curare, id est; ostendit die sabbathi, maximè curandam esse Christi gratiam, & consequentem ex illa in anima nostra iustificationem? hæc enim sabbathi celebratio, non tantùm ideò fieri debet, vt legem impleas, quemadmodùm Iudæi faciebant, sed vt Christum adores, eiusq; immensa bene- B
Romani 10. ficia ex gloriosa morte in totum genus humanum redundantia recolas: inquit enim Apostolus Roman. 10. *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti*, id est, tota perfectio implendi legem diuinam à Christo procedit, quia eius adiutorio lex perficitur. Hoc principaliter in obseruatione sabbathi curare debes ô homo, vt ex Dei misericordia, non ex tuis operibus iustitiam quæras. Hæc est propria pietas, hæc vera religio, hic debitus Deo cultus, vt in Deo non in te C ipso requiescas. Hæc fidelis sabbathi obseruatio, vt Deo gratias agere non negligas, quia te creauit, redemit. Ho cluadet faciendum sabbatho Augustinus de spiritu & litera
S. Aug. cap. 11. *Cultus Dei seu pietas, in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non fit ingrata.* Ingrata autem est Deo anima (vt idem docet D. Augustinus) si quod illi ex Deo est, sibi tribuit, præcipueq; iustitiam. Sed si satagis vt diem festum dignè celebres, memineris te nihil habere, quod non ex D
clementi Dei manu acceperis, ideoq; illi specialiter die festo, pro omnibus tàm naturæ, quàm fortunæ bonis, maximèq; pro salutaribus eius auxilijs, ac spiritualibus talentis gratias age, quia hoc obsequio nihil illi dignius esse poterit. Augustinus con-
Idem. tra aduersarium legis & Prophetæ cap. 18. *Quod est* inquit *sacratius laudis sacrificium, quàm gratiarum actio? aut vnde maiores Deo agendæ sunt gratiæ; quàm pro eius gratia, per Iesum Christum Dominum nostrum?* Sabbathum apud Iudæos institutum erat in perpetuam gratiarum actionem, pro liberatione de seruitute Ægypti: vt habetur Deutoronomij 5. *Memento* Deut. 5.
quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento, idcircò præcepit tibi, vt obseruares diem sabbathi. Ad quid aliud Christiana Ecclesia diem Dominicũ instituit, nisi vt perpetuò gratias agamus Deo & Christo Iesu, quod nos liberauerit à seruitute peccati, ideò hoc die tenemur adesse sacratissimo sacrificio, quod in cõmemorationem mortis Dominicæ offertur Deo, vt scilicet in hac sancta celebratione, commemoremus, quanta pro nobis filius DEI passus sit, vt dicit Apostolus ad Ti-
mot: 2. *Dedit semetipsum pro nobis,* Tim. 2.
vt nos redimeret sibi populum acceptabilem. Deum igitur colere debemus die festo, ab omni opere seruili abstinendo, vti docet Augustinus sermone 251. de tempore. *A sanctis Patribus nostris institutum est, & Christianis mandatum, vt in dominicis diebus, otium haberent, & à terreno negotio vacarent, vt paratiores & promptiores essent, ad diuinum cultum, vt relictâ terrena sollicitudine, faciliùs intenderent in Dei voluntatem.*

Sed quod nã est illud seruile opus, à quo abstinere debemus die festo? respõdent cõmuniter Doctores, esse op9 seruile, quod cum quadam corporis fatigatione fit, quemadmodùm Exodi 16. Prohibuit Deus Iudæis, ne die Sabbathi manna colligerent, siquidem id sine corporis inclinatione & quadam molestia non accidisset, idcircò laborare eo die seruiliter peccatum est, nisi necessitas humana exigat. quod clarè aperuit Christus, cùm accusantibus eius discipulos, quòd spicas sabbatho colligerent respondit; id eos non fecisse propter ingluuiem, aut gulam, sed propter oppressionem famis; quasi insinuare vellet, quòd licet aliquando diebus festis, homo paupertate adactus, laborare cogatur; Deus tamen illi non imputat peccatum, dùm modo id

non ex vllo in Deum contemptu, sed ex necessitate humana faciat, sicut fecit Dauid 1. Regum 21. quando fugiens à Saul, venit ad Achimelech sacerdotem, & comedit panem propositionis, quod laicis non licebat; Deus tamen illi non imputauit peccatũ, quia id fecerat fame cõstrictus, cæterùm ego inter opera seruilia maximum esse iudico, peccatũ, quia hoc Dei cultum impedit, & festi celebrationem à tali homine factam exosam Deo reddit

Isaiæ 1. Isaiæ 1. *Neomeniam & sabbathum & festiuitates alias non feram, & cum extenderitis manus vestras, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Sed prô Deum immortalem, vt quid causæ est? quod adeò sabbatha Iudæorum Deo sint inuisa, & oratio non acceptabilis? & ecce rationem subiungit scriptura, *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, & opera vestra peccato fœdata, & cor vanitatibus plenum.* Dies Dominicus est, eo vitia fugere debes, ne cum Deum illo die velut ad conuiuium in tua anima præparatum inuitas, illum indignè tractans, ad iracundiam prouoces. Plerumq; euenit vt Deus nostras festiuitates, non accepter, & orationes non exaudiat, quemadmodum dicit Propheta Amos. 5.

Amos. 5 *Odi & proiecti festiuitates vestras, non capiam odorem catuum vestrorum.* Causa non alia est, nisi quòd eo die, quo maximè peccata eluere debemus, grauiora adhuc accumulemus crimina. Ad peccatum te ornas die festo, opus seruile facis, & Deum prouocas, vt te cum tua festiuitate abijciat. Ma-

Malach. 2. lachiæ 2. *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus. Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos secum.* Ludouicus Granado Concione secunda in hanc Dominicam, tradit ex veteribus Iudæorum Rabbinis, sabbathi sanctificatione adeò offensos fuisse diabolos, vt ea die nullus illorum, in populi frequentia remanserit, sed omnes ab infestatione hominum cessantes, hominibusq; relictis

Ludouicus Granado. ad deserta & speluncas effugiebant. ô vtinam nostris diebus Dominicis & festis, tantus Deum colendi in nobis ardor ferueat, vt à nobis eo die omnes profugiãt dæmones, ne vllam nobis Dei offensæ suppeditent occasionem; sed omne fermè Cacodæmonum genus euolat, vt nostris potissimum festiuitatibus nostras animas illaqueent, tum curiositatis, tum ebrietatis, tum inhonesti ludi funiculis.

Sabbathum igitur noui testamenti, id est diem Dominicum hodiè celebramus, cuius festiuitas à Iudæis celebrata tribus de causis Deo displicuit; primò, quòd ingnorarent an illa festiuitas, ad celebrandum & colendum Deum spectaret, secundò, quia cultum sabbathi seruiliter non liberè Deo pendebant, propter solius pœpæ metum. Tertiò, ex hac sabbathi celebratione, inanem gloriam quærebant, existimantes se ex lege, non & Dei gratia iustificari; At nos celebremus nostra sabbatha, Deum & Christum Iesum in illis honorando, non propter metum pœnarum infernalium, sed propter summam Dei dilectionem, obsequium hoc pietatis illi persoluendo, agnoscamusq; omnem gloriam nostram, non in celebratione festorum, sed in Christi morte sitam esse, ex qua salus mundo profluxit, & gratia peccata nostra delens nosq; iustificans, promanauit. Hoc die opus seruile nobis prohibetur, quod maximum est peccatum, Igitur vitemus illud omni studio diebus Dominicis, diebus festis, & si fortè fragilitatem nostram labi contigerit, memores hanc peccati turpitudinem, & Deo nostras festiuitates, non acceptabiles reddere. & nos metipsos abominabiles, eluamus nostras conscientias, curemusq; infirmitatem animæ, quam dominus in hodierno hydropico curauit, Amen.

EADEM

EADEM DOMINICA

CONCIO QVARTA

Da huic locum. *Lucæ* 14.

Homini ambitioso nihil grauius est, quàm de sublimi loco moueri.

VNusquisqué opinor facilè assentietur huic sententiæ, *Miserum ac pessimum est, habuisse & postea non habere.* Reuocate vobis diuitem illum purpuratum, & simul vulneratum pauperem, Lucæ 10. *Homo erat*

Lucæ 16. *diues, & induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, cupiens, saturari de micis, quæ cadebant de mensâ diuitis.* Induebatur diues purpurâ, pauper liuore: diues byssõ, pauper squallore: auro diues, pauper fœtore: diues pulmeo decumbebat, in sigmate, iacebat durissima pauper in terra: diues ructabat epulas, saniè pauper anhelabat: fundebat vina diues, pauper lachrymas: exsatiatus diues proijciebat panes, micas pauper esuriens non habebat: pascebat oblatrantes pauperem, diues ferculis suis, pauper vulneribus suis saturabat diuitis canes. Sed breui tempore pauper ad palmam, diues peruenit ad ruinam: pauper in sinu Abrahæ repositus, diues in flammis infernalibus sepultus. Quid ergo factum? dicit sacra pagina: *Eleuans oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abrahã à longè & clamans dixit: Pater Abraham miserere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia cruciar in hac flamma.* Ita miser tunc erat diues, vt qui in vita dolores Lazari despexerat, post mortem in refrigerij pœnarum gutam aquæ ab ipso exposceret. Cui respondit Abraham: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Quid blandius dici potuit? Nequissimum pauperum verberonem, & corripit Abraham, & vocat filium, cauens vel in illum iaculari contumeliosum verbum. Hinc Diuus Chrysostomus Concion. 2. de Lazaro dicit: *Vide Philosophiam, vide humanitatem iusti.* S. Chrysosth: *Non dixit, inhumane, crudelis, sceleratissimè, cùm tàm multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis misericordiæ? Non pudet te? nõ erubescis? sed quid dixit? Fili inquit, recepisti bona.* Hæc est magnorum gubernatorum, & Patrumfamilias Philosophia præstantissima; quòd in corrigendis ab omni verbo contumeliæ abstineant, sed semper studeant inuentis laudabilibus. Sic olim Iosue, Achan per sortes diuinitùs reo deprehẽso, & authore calamitatis Israëliticæ apud Ierichontinã vrbẽ, dicebat illi: *Fili mi,* Iosue 7. *da gloriam Deo, & confitere, atq; indica mihi, quid feceris.* Authorem calamitatis agnouit, & filium vocauit, cur non acerbis illum verbis potiùs impetijt? Respondet Carthusianus in citatum locum: *Sanctus Iosue vir discretus, ac mansuetus, non turbulenter,* Carthusianus. *sed piè, ac mite primò alloquitur reum, ne ex dura allocutione perterritus, aut exacerbatus non acquiescat veram dare responsionem.* Equidem optimus Præsul etiam inter apertissima subditorum crimina nihil agit turbulenter, nec voce tonat, nec verbis fulminat, sed tranquillè, & placidè cõuenit reum, illumq; sceleris admonet, & correctionem expectat. Quærit nihilominùs Chrysologus, cur Abraham diuitem vocauit filium, quem per omnia degenerem sciebat? vt pote impium, crudelem, immisericordem in pauperem. Nam qui genitoris opera non facit, negat genus, ipso Domino contra Pharisæos argumentante: *Si filij* Ioan. 8. *Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.* Ille etenim fidem generis maximè probat, cui tantus paterni operis assertor assistit. Et respondet idem Chrysologus, quòd Abraham hac responsione vicem pro vice reddiderit diuiti. Diues non verè Abrahamum agnoscebat Patrem; Abraham quoqué non verè illum vocauit filium. *Vide pezuersitatem*, ait Chrysologus, Chrysologus. *quomodò in tormentis non retinet veritatem.* Additq; serm. 123. *Sed ille fra-*

tres intelligit, se non esse filium, qui fa- A *tetur, & pensat de suo meritò, quod tàm pij patris perdidit de natura.* O mirã pietas Abraham! filium adhuc vocabat, quem videbat inferni vernulam, pœnarum sobolem, extremum gehennæ mancipium. Vocauit filium, vt magis magisquè filij probaretur impietas, quando cum tali etiam paterni sermonis pietas perseueraret. Quasi diceret: tu vocas me patrem, ego voco filium, vt te grauiter doleas perdidisse, quod natus es. Voco te filium, vt amariùs doleas perdidisse, B quod nactus es. voco filium, vt vehementius doleas perdidisse te, quod tibi gratia dederat, & natura: quia non habuisse, doloris non est tanti, quanti habita mæroris est perdidisse. Ergo verissima illa sententia, miserum ac pessimum est habuisse, & postea non habere: quam Christus in hodierno euangelio probauit, dum superbum hominem primos accubitus ambientem, loco mouendum assereret, non sine magno rubore. Ostendam igitur nihil grauius homini C ambitioso euenire posse; quàm de sublimi loco moueri, quàm de honore possesso deturbari.

Ego quidem existimo honorem tanti ab hominibus æstimari, vt potiùs mortem oppetere malint; quàm illo priuari. Vnde quidam de eminenti dignitate depositus, non sine mœrore dicebat, factus sum opprobrium hominum, & velut camelus risui cunctorum expositus sum. Nunquid ideò? quia camelus bibendo aquam conturbat, propterea, quòd aqua turbida nimium delectetur, Auctore Iulio Solino, qui de camelis ita scribit cap. 72. *Sitim etiam in qua-*

Solinus.

Cameli turbida aquâ delectãtur.

triduum tolerant, verùm cùm occasio bibendi data est, tàntum implentur, quantum & satiet præterita desideria, & in futurum diu prosit: lutulentas aquas captant, puras refugiunt, deniq; nisi cænosior liquor fuerit, ipsi assidua proculcatione limum excitant, vt turbetur. Non hæc sanè ratio: homo enim in dignitate constitutus defecata vina crystallinis poculis sumere solet. An certè ideò, quia camelus portandis oneribus assuetus: sic enim de illo refert Gulielmus Sandisius apud Samuelẽ Purchasium lib. 6. cap. 1. *dum onerantur, aut onere leuatur, in ventrẽ procumbit, & vt sentit, æquale viribus suis onus habere impositum, exsurgit, nec plus recipit.* Non abnuo: nam etiam homo appetens honoris, supplex ad genua maiestatis procumbit; vbi verò dignitatem obtinuerit, cælum se attingere putat.

Sãdisius

Refert Gulielmus Hermanus camelum ab Ioue petijsse cornua cerui, vt gibbosus, & cornutus magis insolesceret; verùm & cornua non obtinuit, & aures amisit, dicit citatus Auctor: *Camelus sui pœnitens gerebatur tauros insignes ire geminis cornibus. se inermem cæteris animalibus, orat Iouem donari sibi cornua. Ridet Iupiter stultitiam cameli, nec modo votum negat, verùm & auriculas bellua decurtat.* Quod cultis versibus expressit eleganter Festus Anienus.

Gulielmus Hermã.

Contentũ proprijs sapientem viuere rebus,
Nec cupere alteriùs nostra tabella monet.
Indignata citò ne stet fortuna recursu,
Atq; eadem minuat, quæ dedit ante rota.
Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
Et magnis precibus solicitasse Iouem.
Turpe nimis cunctis irridendumq; videri
Insignes geminis cornibus ire boues,
Et solum nulla munitum parte camelum,
Obiectum cunctis expositumquè feris.
Iupiter arridens postquam sperata negauit,
Insuper & magnæ sustulit aures onus
Viue minor meritò, cui sors nõ sufficit, inquit
Et tua perpetuum liuidè damna geme.

Camelꝰ cornua petẽs aures perdidit.

Hinc illud ortum adagium: *Camelus cornua petens, & aures perdidit,* quod plerumquè hominibus euenit, qui dum plura appetunt, etiam habita perdunt, atq; tunc pristinum honorem suum recogitantes maximopere cruciantur. Sic olim Carolus V. Imperator, regnis, prouincijs, insulisq; etiam in nouo terrarum orbe se exuens, eorũ semel omnium possessionem ac iura Philippo filio addixerat. Insuper imperij coronam sceptrumq; Ferdinando fratri, Regi Romanorum transmiserat. Verum non multò post, Carolus ex tanto rerum dominatore iam nullus factus, priua- A ta in domo consedit, atq; imperialem dignitatem licet sponte abdicatam, vehementer doluit. Cùm enim anno elapso Cardinalis Granuellanus, ex occasione Philippo Regi reuocasset in mentem, Anniuersalem illum esse diem, quo Carolus pater imperio, regnisq; cesserat: respondit illi Rex, Et hunc quoq; diem anniuersarium esse, quo illum cessisse pœnituit, quia miserum ac pessimum est habuisse, & postea non habere.

Carolus V. imperium se abdicasse doluit.

Procedamus ad Scripturam Sa- B cram Genes: 16. Fuit Abrahamo vxor sterilis Sara, quæ sterilitate diu improles, ancillam Ægyptiam nomine Agar, marito in coniugium dedit, Verum Agar generosis superba nuptijs, & fœcunditate tumens, despexit dominam suam: plerumq; enim sordida ingenia felicitate insolescũt. Sara princeps Abrahami coniunx, ancillarem fastum, & fastuosum Agaris supercilium acerbè ferens, con-

Gen: 16.

questa est apud Abrahamum de an- C cillæ insolentia. *Dixitq; Sarai Abraham: Iniq; agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet.* Fateor iustam fuisse querelam Saræ. An non Agar conditione ancilla vili seruitio diu addicta, Saræ debebat libertatem, & generosum cum Abrahamo coniugium? Res verissima. Cæterùm Agar ingratitudinis seruili vitio ingenuam virtutem à Sara acceptam, in contemptus petulantis licentiam refinxit, & principale connubium, conciliatrice Sara contra- D ctum, in dominæ contemptum refudit. degenere ingratitudine, quæ beneficia contra benefactricem ignobiliter armauit. Eleganter S. Chrysosthomus ad præsens negotium alludit in Melissa lib. 2 serm. 58. *Multos hominum videre licet, beneficijs acceptis, mancipiorum ritu, de se bene meritos contemnere, & aduersus illos supercilia contrahere.* Sanè barbarica ingratitudo, agreste vitium est, homine ingenuo indignum, dignum quidem Agare seruiliter ancilla, quæ etiam in

S. Chrysosth.

principatu seruiles retinens mores, ingenuitatem à Sara acceptam, mancipiorum ritu in contemptum conuertit, inde impudenter licentior, vnde credi poterat obligatior.

Quid ergo Abraham ad illam Saræ dilectæ coniugis querelam respõdit: Enucleat sacer textus Gen. 16. *Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet.* O bone Abraham ita dilectam ancillam tradis in manus iratæ? nonne in delicijs hæc ancilla tibi erat? nonne tibi filium genuerat? Fateor; sed tamen ancilla erat, nec in eius affectione Abrahamus exuerat dominium. Quòd solerti ingenio trutinans D. August: lib. 16. de ciuitate Dei ait: *Demonstrauit Abraham non se amatorem seruam, sed liberum fuisse genitorem. & in Agar Saræ coniugi pudicitiam custodisse: ait enim, ecce ancilla tua in manibus tuis, vtere eâ, quomodo tibi placuerit. O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancillâ obtemperanter, nullâ intemperanter.* Ergo Abraham in carnalium voluptatum vsu, non seruum, sed dominum agebat; & impotentibus carnis affectibus imperabat, non seruiebat. Vtinam ita saperent moderni Catholici, qui temporarijs voluptatibus student; ne velint temporalitatum esse vilissima mancipia, sed malint affectibus imperare; quàm seruire. Hoc consilium dat sapiens Cantic. 2. inquiens: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vbi in læua temporalia bona intelliguntur; in dextra verò spiritualia: & ideò notanter posuit læuam sub capite, vt ostenderet temporalia bona seruituti potiùs; quàm dominio destinata esse. Ait Rupertus in Apocal. lib 4. *Nonnulli quidem de vtraq; parte acceperant, vt Dauid, & Salomon, de dextera scilicet librum, de sinistra diuitias, & gloriam; qui tum scientia legis diuitias quoque habuerunt temporalis regni: & vtraq; dona Dei fuerunt; sed expedit omni animæ, cui hæc data sunt, vt quod à dextera datum est, habeat in iucunditate; quòd autem à sinistra, teneat sub se, & moderetur liberali dispensatione, dicatq; læua*

Gen: 1.

Cant. 2.

Rupert.

eius sub capite meo. Ergo quia Agar temporali felicitate nimium insolescebat, meritò Saræ ab Abrahamo castiganda tradita fuit. Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere eâ vt libet.

Vix Sara Abrahæ coniux leuiter insolentiam Agaris increpauit, & illa statim fugam arripuit, dicit sacer textus: *Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit*, Miratur Abulensis, quòd Agar pro nimia insolentia leuiter, & iustè castigata fugerit: *Mulier* inquit *Sara sancta, non iniustè illam affligebat, sed moderata castigatio erat.* Vbi statim fugam Agaræ, in superbiam reijcit: *Mos est* inquit *superborum, & cum humiliationem aliquam exprimere contigerit, statim intolerabile illis videatur.* Planè ita secum discurrebat Agar, ego ad tantam felicitatem deueni, Abrahamo sum in amoribus, ex quò concepi, & Saram sterilem fœcunditate superaui; nunc autē ab illa opprimor, & sub manibus eius humiliari cogor, non faciam hoc, malo mihi fugâ consulere. Verùm, vt eius fastum repressisset Deus, misit Angelum in occursum ipsius, qui cùm eam inuenisset, quæsiuit. Agar Ancilla Sarai vnde venis? & quo vadis? Quæ respondit: A facie sarai dominæ meæ ego fugio. *Dixitq; ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuā, & humiliare sub manibus illius.* Textus Hebræus legit: *afflige te sub manibus eius*, quam lectionem approbat Caietanus. Res profectò stupenda: fugam Agar inijt, quia eam sara affligebat; & tamen ab Angelo reuerti iussa est. vt se affligeret. Sanè moralissimè nos Angelus Domini instruere voluit, quanta sit propriæ voluntatis efficacia ad leniendas vitæ asperioris molestias. Quasi dicere vellet: Fugam inijsti o Agar, vt fugeres, quam censebas intolerabilem ærumnam, nimirum aliena saræ manu affligi: igitur afflige te tua manu, & arbitrio; indeq; cognosces, quàm sit leue malum, quod vltrò expetitur, & sponte toleratur.

Infensus grauiter Deus Heli Sacerdoti dicebat 1. Reg. 2. *Præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo vniuersis prosperis Israël.* Videte, quot mala dicantur euentura domui Heli, vt ab illa sacerdotium esset auferendum, dandumq; alteri, cuius æmulatione vehementer posteri Heli torquerentur. Insuper quòd magna pars posterorum è vita immaturè abripienda esset. Quæ omnia venerunt super Heli, dicente sacro textu: *Arca Dei capta est, duo quoq; filij Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees.* Statimq; de ipso Heli addit sacra pagina: *fractis ceruicibus mortuus est*, & similiter nurus eius interijt. Necdum satis: verùm etiam omnes sacerdotes de semine Heli gladio extincti sunt. Nam iussu Saulis Doeg *irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta viros, vestitos ephod lineo. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & lactentes, & paruulos.* Et sic domus Heli præcisa est Saulis gladio. Et vnde obsecro boni illius Sacerdotis domus in tantam calamitatem deuenit? sanè propter filiorum peccata in Deum, & eius Ecclesiam commissa. 1. Reg. 2. *Erat ergo* peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificijs Domini. Deinde cùm ita sacrificia minuerent, incommodiq; essent cultui religionis, quid mirum, quòd perierint. Ait Tertullianus aduersus Phychicos: *Elliditur pro templi foribus senior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus exprirat infantem: hanc enim meruerat à Deo plagam domus imprudens, sacrificiorum carnalium defraudatrix.* Vbi ergo Dei veri cultum sacrificiorum defraudatione abstulit domus Heli, protinus extremam sibi acquisiuit ruinam.

Licet & tunc magna Dei misericordia ei affulsit, dùm verba illa audiret: *Verumtamen* non auferam penitus virum ex te ab alteri meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua. Et cur homini tot iras merenti consuluit Deus, ne funditus totam eius familiam perderet? quomodò

Gen. 16.

Abulēs.

1. Reg. 22.

Caiet.

1. Reg. 2

dò asseruit aliquem semper de domo Heli relinquendum altari seruientem? Nonne in hoc iam Dei ira videbatur aliquomodò emollita circa genus Heli? Aliqui censent id factum ob virtutes Heli in anteriori ætate factas, quibus nescit Deus aliquid nō concedere. Hæc est mens D. Gregorij lib. 5. expositionis in 1. Reg. caput 4. *Heli* inquit *à viro Dei audiuit: Pars magna Domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem peruenerit: verumtamen non auferam, penitus ex te virum ab altari meo: vt Sacra Scriptura hic apertè monstraret, & pro dissolutione pertussum, & pro præterita conuersatione respectum.* Nam pristinæ virtutes hominis, etiam inter supplicia posterorum scelerum, solent respici à Deo, vt saltem temporalem exhibeat aliquam veniam, vel excitationem ad maiora promerendam. Neq; solùm pristinæ virtutes propriæ id solent à Deo habere, sed etiam virtutes parentum, aut propinquorum. Ex quo Oseas Propheta monebat populum Israëliticum cap. 4. dicens: *Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Iuda.* Quia nimirum plurimum proficiunt parentum, siue propinquorum virtutes, vt à Deo peccatoribus veniam impetrent. Eruditè concludit Ruffinus hac pulchra paraphrasi: *Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Iuda. Cur prodigus propriorum bonorum, etiam fratris iura contaminas? Quid vno tumulo genus omne vis inuolui? Patere superesse aliquam tui sanguinis portionem, cuius adiuueris suffragio, reformeris exemplo.* Palam ostendens, dum portio aliqua tui sanguinis, videlicet aut parens, aut filius, aut frater, aut propinquus in virtutibus viuens agit, exemplum efficacissimum te habere, quo ad virtutem exciteris, te suffragium habere, quod tuam salutem apud Deum sollicitet.

Sed minimè emollitam Dei iram circa genus Heli credite; imò magis acerbam inde cognoscite, quòd voluerit manere aliquem ex Heli familia in templo, vt videns se deiectum in ea domo, in qua præcipuis insulis floruerat; & videns alium ibi in honore ac gloria esse, magis morderetur, & affligeretur.. Dicit Rupertus lib. 1. in lib. Reg. cap. 7. *Ideò se Dominus non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari suo dicit, vt semper de domo Heli esset in domo Domini vir, qui in dignitate sacerdotis alium constitutum videret, vt se eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima eius tabesceret.* Quis enim non tabescat, & supra dolorem mortis non doleat, videns alium elatum in bonis, quæ ipse perdidit? Hinc & Iudæis in extremo iudicio non tàm graue erit, quando flammis inextinguibilibus dabuntur, quando æternæ tradentur morti; quàm dum videbunt gentes ab Aquilone & Austro venientes, constitui Abrahæ filios. & recumbere in regno, quòd ipsi perdiderunt: hoc illis in summum fletum, & stridorem dentium cedet, Quoniam omni morte durior pœna est, quòd quis videat alios intrantes in gloriam, in eaq; triumphantes, à qua ipse excidit, & sine qua manet in summum opprobrium deiectus. Cùm nulla res magis hominem affligere possit, quàm de loco sublimi remoueri, aut de eminenti aliqua dignitate deturbari. Et ideò in honoribus constituti, ita sunt laudis, & gloriæ appetentes, vt magis timeant dignitatis habitæ, quàm vitæ æternæ amissionem.

Prodeat in medium villicus ille apud proprium dominum diffamatus, quasi dissipasset bona ipsius. Quo accersito Dominus dixit: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Ille suam infelicitatem agnoscens non sine magno dolore ingemiscere cœpit: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem, fodere non valeo, mendicare erubesco.* Quid est, legimus Matthæi 25. v. 18. de quodam seruo, qui vnum talentum à domino suo acceperat, quòd *abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* Ergo seruus, vt pecuniam absconderet, fodere valuit. vt autem honesto

S. Greg.

Rupert.

Luc. 16.

Mat 25.

honesto modo victum quæreret, non valuit? Ita sanè est: vt homo tetram vertat, & honesto labore viuat, manus ipsi torpent; vires lassantur, corpus teritur, ac tandem quia deest voluntas, & facultas etiam abest. Non valet homo fodere, vt tractet honesta; valet autem, vt sectetur otia, vt vitio viuat. O quàm suppetunt vires ad consectandas venandasqué voluptates, quàm deficiunt ad exercendas virtutes! vnus terram vertit, vt delinquat; alter vertere non potest, vt debita reddat. *Talentum quippè,* S. Greg. scribit Gregorius apud D. Thomam, *in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare.* Vt terrenis affectibus homo implicetur, nullis laboribus fatigatur; vt autem honestè viuat, nec fodere valet, nec virtutibus studere. *Impotentem esse in* S. Chrysosth: *opere crimen est vitæ inertis: non enim timeret, si consueuisset affectare labores.* dicit S. Chrysosthomus ad caput 16. Lucæ. Iners ergo honestos labores fastidit, voluptuosus terræ versioni non parcit, vt cognoscamus, quomodò vnus solerter terrena, alius ignauè diuina gerat.

Sed videamus astutiam iniquissimi villici, præsentiens se amouendum à villicatione, conuocauit singulos debitores domini sui, dixitq; Luc. 16. vni. *Quantum debes domino meo?* Illo autem respondente: *centum cados olei. dixit sede citò, & scribe quinquaginta.* Similiter alteri, qui debebat centũ Coros tritici, dixit: *Accipe literas tuas & scribe octoginta.* Videte quid faciat? seuere à domino admonitus, cùm deberet commissam sibi administrationem diligentiùs obire, adhuc magis bona domini dissipare cœpit. Glossa interlinearis in animum vehementer perturbatum id refert, quia homo inopinato timore perterritus, nescit quid agat. Verius tamen Aloisius Nouar. existimat villicum iniquè bona domini sui dissipasse, quia homines in honoribus constituti, maiorem suæ reputationis; quàm animæ propriæ, ac iustitiæ rationem habent. *Sæculi* inquit *cultores non curant,* Nouarinus. *quomodò, an iure, an iniuria prouideant, tantùm ne infamiæ notam subeant.* Benè equidem: nam & ipsius Christi Domini sententia, quâ villicum iniquitatis laudauit, quòd prudenter egisset, idem sonat loco citato: *Quia* inquit, *filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Id est: prudentiores atq; promptiores sunt profani, & perditi homines in malum; quàm iusti, & sancti in bonum. Quod emphatice locutus est Marcus Tullius in oratione pro Sextio. *Audaces homines, & perditi nutu impelluntur: & ipsi etiam sponte sua contra Rempublicam incitantur. Boni verò nescio quomodò tardiores sunt, & principijs rerum neglectis, ad extremum tantùm deniq; necessitate excitantur.*

Verùm quo res ista clarior fiat, à Villico ad D. Petrũ trãseamus. In vltima cœna Christus lauare volens pedes Apostolorũ, venit ad Petrũ cum aqua. Ille cœpit denegare: *Domine* Ioan. 13. *tu mihi lauas pedes? ego sum puluis & vilissimus, non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioan 13. Renuebat ergo Petrus lauari aquis à Iesu, & ideò statim minas sibi intentatas audiuit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Bone IESV, itane amantissimum discipulum reijcis à tuo consortio, eò quod à te nollet lauari? Catholici mei, respexit tunc Christus in illa sua comminatione ad aliud pretiosius sanguinis sui lauacrum, sine quo Petrus peccator non potuisset saluari. Ita Rupertus lib. 11. in Ioan. nomine Christi Domini concludit: *Nisi, ego altiùs præcinctus matori dis-* Rupert. *pendio lauero te, non habebis partem mecum. Verè enim nisi Christus dilectos suos lauisset à peccatis eorum in sanguine suo, nec Petrus, nec quisquam alius caterorum hominum partem habuisset cum illo.* Quo cognito Petrus, qui antea suos pedes respuerat lauari à IESV, respondet: *Non tantùm pedes meos,* Ioan. 13. *sed & manus & caput.* Et cur, qui pedes negabat lauandos, postea se totum à capite vsq; ad pedes postulabat lauari? Existimo, quia antea nihil præter externam pedum lotionẽ cogitabat, quam ex sua humilitate refugiebat accipere à tanto Domino; postea verò ex verbis saluatoris, intellexit spiritualẽ animæ munditiem ibi imbibitam esse, quam meritò non solùm pedibus; verùm etiam toti homini necessariam postulabat, vt omni ex parte purus euaderet. Sic in perBeda. sona eius loquitur V. Beda tom. 7. homil. Quadrages. *Quia iam te docente intelligo, quòd lauando pedes meos, errata mea te mundare significas, non solùm pedes; sed & manus & caput tibi lauandum offero: quia non solùm incessu,* B *sed etiam actu, visu quoq;, auditu, gustu, olfactu, & tactu multa me committere, quæ à te debeant dimitti, non ambigo.* Ecce vbi de lotione peccatorum agi cognouit, illicò studuit omni ex parte mundari: quoniam homo integrè purus esse debet, omni sensuum spurcitie sublata.

O magne Apostolorum Petre, docuisti nos profundam satis doctrinam tuo exemplo, quando non priùs permisisti pedes tuos à Christo lauari, donec inaudieris te non aliter, partem cum Christo habiturum. Vultis scire, quænam sit ista pars: clarè innuit eam sacer textus Matthæi 19. Mat. 19. his verbis: *Cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Israël.* Quasi apertiùs diceret: Triumphant nunc potentes sæculi, & in thronis sedentes, sententiam ferunt aduersus pauperes Christi. Sed heu vbi venerit mundi vicissitudo! paulò post tollentur sæculi potentes, & raptabuntur ad Dei tribunal, in quo Dei pauperes sedebunt, & sententiã dicent. Et cur tunc viles homunciones in sublimibus thronis apparebunt? Ingeniosè resoluit Diuus Chrysosthomus serm. 2. in Ascensionem tom. 6. S. Chrysosth: dicens: *Quandoquidem Apostoli, cùm ex Iudæis essent, non sapiebant ea, quæ Iudæorum erant; sed Christi supplicia, eiusq; stigmata cognatis suis interfectoribus Domini prætulerunt. O rem magnam, atq; stupendam! nouum atq; inusitatum iudicij genus, Piscatorem aspicere iudicantem, & Pharisæum iudicari; tabernaculorum opificem confidenter sedentem, & summum sacerdotem cum suspirijs iudicium subeuntem.* Sedent equidẽ nunc mundi potentes: iacent pauperes Christi. Verùm erit tempus, quando pauperes sedebunt in thronis, & potentes sæculi ad iudicium eorum, & carcerem æternum raptabuntur. Si enim auditis Christi Domini miraculis, stupefactus Herodes dicebat, Marci 6. Marci 6. *Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Vbi impius Rex compulsus B est confiteri, occisionem à se illatam Ioanni, eò peruenisse, vt Ioannes esset in virtute, ipse in metu. De quo pulchrè Petrus Chrysolog⁹ serm. 173 Chrysol. ait, Herodem sic alloquens: *Herodes, quid egit gladius tuus, si, vt ipse dicis, redijt ad virtutes, qui furore tuo putabatur extinctus? Ioannes surrexit, sicut fateris: non persona, sed infirmitas perijt: non Ioannes; sed mors magis tali morte succubuit: illusa est pœna; ipsa est miseri iudicis decepta sententia, quæ interemptum non perdidit; sed promouit.* Quanto magis potentes mundi, Christi C seruos opprimentes, illorum iudicio traditi expauescent, dum se ab illis condemnari videbunt.

Inuitatus quond ã Christus à Principe Pharisæorum, confederat ad mensã eius, interrogans: *Licetne sab-* Luc. 14. *batho curare?* Lucæ 14. Quasi diceret, habetis multos in lege doctissimos, in Scripturis sacris versatissimos, dicite ergo mihi si licet sabbatho curare. *At illi tacuerunt, & nihil respon-* D *derunt.* Forsan annuere volentes: sic enim vulgò dicimus, qui tacet, consentire videtur. Minimè: astutiam potiùs Pharisaicam in hoc silentio agnoscite. Non audebant respondere, ne ab incarnata sapientia intima cordis penetrante, & difficillima quæq; subtiliter dissoluente confunderentur. Vnde Glossa cum Caietano di- Caiet. cit: *Tacuerunt, quia quidquid dictum fuisset, contra se dixissent.* Si enim respondissent licere, audiuissent à Christo, quare me dicitis ex Deo non esse, quòd sabbatho vestros infirmos curauerim. Si dixissent, non licere, pro-

prijs succubuissent armis, Christo ex concessis inferente: Quare vos vestra pecora sabbatho curatis? Addit Caietanus: Et ideò tacuerunt, cum vtramq; partem contra se militantem viderent. Tacuerunt, quia nolebant confundi à IESV, ne eorum ignorantia in apertum prodiret, qui se in opinione hominum doctissimos iactabant; graue autem est reputationem licet semel sibi comparam perdere.

Nemo magis id expertus est, quàm infelicissimus lucifer, qui in delitijs cœlestis paradisi constitutus, non cõtentus præstantissimis naturæ suæ dotibus, non contentus animi donis, quibus longè cæteris Angelis antecellebat, inflatissimis buccis effutiebat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ac si diceret, ita illustre, & diuinum caput supra omnia creata attollam, vt nec Dei Filium, si humana induatur carne, velim vnquam reuereri. Quàm temeraria, quàm horrenda præsumptio? omnes Angeli stabant ante thronum diuinæ maiestatis, solus Lucifer eò superbiæ deuenerat, vt sedere vellet, quasi omnino Deo æqualis. Verùm in summam confusionem deuenit detrusus in infernũ, A occinente Isaia: *Quomodò cecidisti à cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Vnde S. Bernardus de grad. homil. 1. Sic illum alloquitur: *Elige ergo tibi in aëre locum, non ad sedendum, sed ad volandum. Te fluctuante inter cœlum, & terram, sedet Dominus super solio excelsum, & eleuatum.* Quasi diceret: Ille in solio sedet securissimè, qui ter sanctus prædicatur, cui nulla potest inuri peccati macula; qui autem in peccatis est, non sedem expectet, sed fluctuationem, & confusionem: quemadmodum Lucifer, qui locum suum Michaëli Archangelo, ob humiliter adoratam Dei maiestatem, & pro honore eius strenuè se opponenti, tanquàm honoratiori dare cõpulsus est, ad maiorem cruciatum, dùm se videt quod habuit, temere perdidisse. Bernardus.

Isaiæ 16.

Audistis iam Catholici mei, quanta sit confusio de superiori loco ad inferiorem dimoueri, de honore possesso deturbari, cùm non tàm graue sit carere honoribus; quàm habitos amittere. Igitur & vos si vultis sublimia loca in cœlis occupare, quamdiu mortalem hanc vitam agitis, locum profundæ humilitatis amplectimini, quia nonnisi per hunc gradũ, ad thronum æternitatis ascensus patet.

DOMI-

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Magister quod est mandatum magnum in lege? *Matthæi 22.*

Charitas est fundamentum mandatorum Dei, ad quem amandum quinquè rationes nos mouent.

MVndana Iurisprudentia in disputationem diuinam hodie euocat Theologiam. Audit: vt ab illa tanquàm a eminentissima scientiarum omnium præside, iurium diuinorum dignitatem, valorem & processum, discere possit. Etenim si Polonus Iurisperitus in suis iurium regni descriptionibus rectè pronuntiauit, nullam magis detestabilem ciuium labem esse; quàm leges Patriæ ignorare; quis inficiabitur nefandum magis, cœlestis illius patriæ ad quam conditus est homo, salutis mandata nescire, cùm eiusmodi homo apud supremum illum viuorum & mortuorum iudicem, nullam prorsùs veniam sit habiturus. Disceptatio hic est inter Doctores, pro quibusnam Christus in cruce orauerit illis verbis. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Num pro Iudæis mortem illius affectantibus? Num certè pro satellitibus, cruci illum affigentibus? hanc dubitationem mouet D. Augustinus, de quæstione veteris & noui testamenti, inquiens. *Quid est, quod in cruce positus saluator ait, ignosce illis etenim nesciunt quid faciunt? si enim nesciunt, quomodò peccant, cùm omnis error ex ignorantia oriatur; aut si non peccant, quid ignoscendum eis restat,* præsertim cùm dicat Rex Abimelech ad Deum Genesis 29. *Nunquid gentem ignorantem perdes?* sed respondet Diuus Augustinus: *Non omnis qui ignorat, immunis à pœna est; sed ille solus, qui à quo edoceretur, non inuenit, qui vero habet, à quo discat, & curam non adhibet, ad ediscenda ea, quæ non licet ignorare, ille reus est criminis.* Vnde ad istam dubitationem respondet Cassianus libro de passione; Christum orasse non pro Iudæis, maleuolè mortem eius affectantibus: isti enim ex prophetijs & oraculis scripturarum, cognouerunt eum Messiam esse; sed pro ministris crucifigentibus, de quibus dicit Cassianus, *sciunt quia crucifigunt, at vero ignorant quem crucifigunt.* Romani enim erant, aut de gentibus incircumcisis ministri, & milites Pilati, qui hoc ministerium exercebant, & nutriti sunt culturâ perfidiæ. quæ dicebatur seruitus idolorum, nec assueti erant vaticinijs Prophetarũ, vt coniecturare possent, aliquando in carne Filium Dei potuisse venire, vnde omninò nesciebant quem crucifigebant. Quamobrem misericorditer eis subuenit gratia Saluatoris, quia omnis culpa est mitior, faciliusq; meretur veniam, quæ ab ignorantia; quàm quæ à malitia sumit exordium. additq; inferiùs, *etiam Iudæos ad hanc Christi intercessionem pertinuisse, verùm illos tantùm qui Christum nullomodo cognouerũt.* Periculosum proinde est mandata diuina ignorare, cùm homo habeat, à quo illa discere possit. Ostendam proinde hodiè vnumquemq; Christianum debere esse Iurisperitum, Christum verò cœlestem Theologũ & Doctorem, à quo discemus, quod sit magnum in lege mandatum.

Christus pro quibus in cruce orauit.

Cassianus.

Peccatũ exignorãtia facilè veniã meretur.

Primum Iurisperiti fundamentum est, nosse authorem legis, vt sciat in quanto honore iura habere debeat; nam ex legislatoris notitia, iurium authoritas firmatur. Et hominis pariter Christiani principale fulcrum, nosse omnipotentis maiestatem, cuius legibus viuere debet. Quod moribundus Dauid Filio suo Salomoni magis; quàm imperium tradidit. 3. Regum 2. *Obserua* inquit, *vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias ceremonias eius, & præcepta, & testimonia.* Quasi vellet ostendere, non alio gestamine pro sceptro vti debere reges, quàm legum diuinarum compendio: hoc insigni gloriari debent mundi Principes, hoc illos inuictos reddet, & inculpatos, summique regis imitatores. Postquàm Philistini cæso Israëlitarum exercitu, Arcam Dei captam in templum Dagonis intulerunt, existimantes se illius Deastri fortitudine victoriâ obtinuisse, protinùs Dagon ex altari deiectus, pronus in terra iacebat, ante arcam Domini. Vnde quæso potentia illa arcæ diuinæ, & infirmitas Dagonis? vt ad illius præsentiam corruisset? vnde illa fortitudo, vt capta ab Azotijs simulachra deijceret? vnde illa vis, quòd illos, qui eam ceperant, percusserit? vnde illud robur, quando reddita Israëlitis, vt plaga cessaret, effecit? Respondet D. Chrysosthomus, totam Arcæ sanctitatem & potestatem proueniisse ex illis literis, seu ex illis tabulis diuinæ legis, quæ in illa includebantur. Nam lex diuina adeò potens est, & sancta, vt potentes & sanctos efficiat eos, qui illam amplectuntur. Quid animas Christianorũ Deus aliud esse voluit, quàm arcas mandatorum suorum, vt in illis inuiolata diuina lex semper permaneret, proinde legisperitum, non perditum decet esse Christianũ hominem, sed quia axioma Iurisperitorum proclamauit pridem, eiusdem leges esse interpretari, cuius & condere, idcircò nemo fidelium, vim legum diuinarum nosse potest, nisi ex mente ipsiusmet Dei. Quocirca si ambitis Christiani mei, nosse legum diuinarum authoritatem, ecce cœlestis ille Theologus Christus IESVS, respondet in hodierno Euangelio, omnem mandatorum Dei vim fundari in dilectione, dùm sciscitanti Pharisæorum legisperito, quod sit mandatum magnum in lege, respondet; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Hoc est mandatum primum. nam licet Dei mandata magna sunt, quia à magno Domino prodeuntia, & à seuero iudice requirenda, vt dicitur Psalmo 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Vbi ita Deus omnia mandata sua custodiri vult ab homine, vt ne minimum quidem præteriri patiatur; quin immo, qui offendit in vno, fit reus omnium: tamen inter omnia Dei mandata, principatũ per excellentiã, & anthonomasiam meritò sibi vendicat, præceptum de dilectione; Primùm ideò, quia est de virtute omnium maxima, scilicet charitate, sine qua omnes aliæ virtutes, aridæ & inanes fiunt, siquidem ab hac solà vitam, animam, succum & alimentum, quasi à radice & nutrice sua hauriunt. 1. Ioann. 2. *Qui non diligit, manet in morte.* Magna virtus est Theologica Fides, & quidem primaria, quia per illam homo ad Deum accedit, & per illam feliciter copulatur; sine Charitate tamen, nihil omninò prodest, testante Apostolo 1. Corinthiorum 13. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, sine charitate nihil sum.* Magna virtus est Castitas, quia homines Angelis ipsis facit æquales; & hæc tamen sine charitate suum nitorem perdit. Vnde meritò dixit D. Bernardus; *Castitas sine charitate, lampas est sine odio. Tolle oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas non placet;* Si igitur Charitas tanti æstimatur, vt sine illa nihil valeant hominis opera omninò, quis non fatebitur præceptum de dilectione maximum esse, nec solum dignitate, sed etiam necessitate primum? dicente Domino: *in hoc*

Dagon ejicitur arca de altari deijcitur.

S. Chrysosth:

Virtus Arcæ extabulis legis.

Mat. 22.

Psal. 118.

1. Ioã. 2.

1. Corint. 13.

S. Bern.

in hoc vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Hinc meritò exclamabit quispiam fidelium. *ô Charitas & dilectio, tu es summa actionum omnium bonarum, salus morum, Finis cœlestium Præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, causa bonorum meritorum, præmium perfectorum.* Addit vlteriùs beatus Prosper libro de vita contemplatiua. *ô charitas & dilectio, tu es mater & nutrix omnium Angelorum & electorum, omniumq; perfectorũ, quia Seraphinos generas, Apostolos procreas, Martyres efficis, Cõfessores producis, sanctificas Sacerdotes, consecras Nazaræos, Virgines germinas, electos omnes coronas.* Quia charitas est prima & maxima Filia Altissimi, ideò primum & maximum de illa mandatum habetur. Secundò, præceptum de diligendo Deo est maximum, quia fons omnis diuinæ legis & doctrinæ est Charitas, quod ipsemet dominus insinuauit Beatæ Catharinæ Genuensi, in spiritu quondam sic illam alloquens? *Cùm volueris recitare Pater noster, accipe semper pro fundamento. Fiat voluntas tua, ex reliquo autem totius scripturæ sume hanc vocem cui tanquàm fulcro continuò innitaris, Diliges.* quo significare voluit, totam Christiani hominis perfectionem, consistere in dilectione, & ad illam tanquàm ad finem ordinari. Tertio, præceptum de dilectione DEI ideò maximum censetur, quia est vniuersalissimum, & omni statui ac conditioni hominum maximè congruum, ita vt nullus cuiuslibet conditionis se ab illo excusare possit, aut difficultatem aliquam prætexere. Vt dicitur Deutoronomij 30. *Præceptũ quod ego præcipio tibi non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere; Quis nostrum valet in cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus. Neq; transmare positum, vt dicas; quis ex nobis poterit transfretare, & ad nos deferre, vt possimus facere, quod præceptũ est, sed iuxta te est sermo in corde tuo & in ore tuo.* Nã nõ amplius requiritur ad implẽda Dei præcepta, nisi vt cor tuum Deo offeras, quod in tua est potestate; vt amorem tuum integrum exhibeas, quo Deum tibi promereri, & cœlum comparare possis. Si enim Deus ad gloriam adipiscendam, scientiam multam requireret, multi se excusarent, quia ingenio rudes & illiterati sunt: si pro illa multæ opes impendendæ, & pro eleëmosyna erogandæ essent, iam pauperibus nulla spes salutis affulgeret: si asperis ieiunijs, austeris mortificationibus, molestis laboribus, eam Deus cõmutare vellet, tunc homo debilis & infirmus, facilè in desperationem cogeretur. Idcircò pretium ad emendam beatitudinis gloriam tale constituit Deus, à quo se nemo excusare posset: scilicet ipsam Dei dilectionem, tantundem enim Deum diligere potest pauperculus; & idiota; quantum dues, potens, & sapiens; æquè gratiæ & amoris diuini capax est vilissimus armentorũ Pastor; quemadmodùm vir dignitate & scientiâ sublimis. Non igitur dicant, illiterati & idiotæ quid agemus, cùm illis respondeat Diuus Bonauentura. *Non est quod conqueraris frater, sola enim sufficit dilectio.* Nemo insurgat cum Beato Ægydio. An ergo potest illiteratus & rudis, ita Deum diligere, sicut is qui multâ scientiâ est adornatus. Cum respondeat idem Doctor. *Immo verò muliercula simplex & pauper æquè potest Deum diligere, ac sublimis Theologiæ Doctor.* Ad quod cum magno feruore exclamabat Beatus Ægydius. *O simplices & pauperculæ mulieres, agnoscite gratiam Dei, & illum amate ex toto corde, & æquè magnæ apud Deum poteritis esse, ac ipse sanctus Bonauentura!*

S. Prosp.

Charitas filia Dei.

Præceptum de dilectione Dei cur maximum.

Deut. 30

S. Bonauentura

S. Ægyd

Quadruplex autem causa reperitur, propter quam tenemur Deum diligere; primò, quia nos ad imaginem suam creauit Ecclesiastici 17. *Deus creauit de terra hominem, secundùm imaginem suam fecit illum, & iterùm conuertit illum in ipsam.* Quæ verba Glossa ordinaria sic interpretatur, conuertit illum in ipsam, scilicet *in terram.* Verùm Lyranus multò subtiliùs & accommodatiùs, per

Eccl. 17.

Glossa.

Lyran.

ipsam, putat intelligi debere *imaginem*, ad cuius imitationem formatus est homo. Etenim non contentus Deus in primo mundi opificio, quòd hominem condiderit rationalem, non contentus quòd illum formauerit ad similitudinem suam, voluit insuper eundem sanctificare, vt sic homo per gratiam habitualem, sibi inhærentem, vera Dei fieret imago, siquidem illos tantùm Deus vult conformes fieri imagini filij sui, quos sanctificat, inquit D. Paulus; Ac proinde quia tota hominis felicitas inde dependet, vt à principio suo vnde ortus est, nusquàm se auertat, sed intimè illi coniungatur & conformetur, ideò Deus ab homine omnimodam exigit dilectionem, per quam fœdus indissolubile inire cum DEI amicitia possit. Quod ingeniosè admodùm gentilium Antiquitas figurabat. pingebat illa manum è cœlo egredientem, quæ circulum nondum clausum tenebat, in quo pulcherrima virgo illum claudere satagens, stabat Equidem Catholici mei manus de cœlo egrediens, diuina est omnipotentia, cuius nutu regitur totum, quidquid est in orbe terrarum, ab hoc orbe circulus pendens, terrena moles est, virgo pulchra in hoc circulo, est natura humana, quæ propter primæuum innocentiæ suæ candorem, adeò venusta in sua productione extitit, vt ore incomprehensæ Triadis? Dei imago appellaretur; hæc circulũ claudere procurat, summam animæ felicitatem in eo sitam esse perpendens, vt princio, à quo fluxit, suo nimirum authori DEO, copuletur. At videns Deus primum hominem, vt potè de terra terrenũ, ab aspectu diuinæ imaginis per peccatum se auertisse, secundùm hominem condidit *de cælo cæleſtem* (vt verbis D. Pauli vtar) quem adeò presse & strictè medio indissolubili, hypostaticæ vnionis vinculo, suæ propriæ imagini (hoc est filio, qui expressa imago Patris est) copulauit, vt non posset ab ea nec per momentũ auerti, sed semper esse in illam conuersus, & intimè ei coniunctus, non solùm cognitione, & affectione, sed reipsa in vnitate personæ. Hic enim est summus naturæ humanæ circulus, hæc suprema gloria & vnica felicitas, quæ hominem integrè ditat, plenè nobilitat, feliciter perficit, & capacitatem eius vndequaq; explet. Nam altiùs iam homo tolli non poterat; quàm vt esset & diceretur Dei Filius, quod in Christo Dei Patris naturali filio admirabili illa humanitatis ad deitatem vnione impletum est; sed quia & nos omnes illi conformes fieri æterna prædestinantis ordinatio vult, ideò datum est cuilibet nostrum, per quod in Dei imaginem (quam per peccatum amisit) iterùm conuerti valeat, scilicet; ardens in Deum charitas. Nam quemadmodùm vnio hypostatica, Deum hominem fecit, sic vera charitas hominẽ vicissim in Deum trasformat. Inter reliquas Ouidij fabulas, perquàm ingeniosè excogitatas, illud celebre annotauit Diuus Augustinus, quòd referat Poëta iste, Iouem amore Daneæ pulcherrimæ puellæ accensum, in pluuiam auri conuersum fuisse; immò vt (ait Terentius) per alienas tegulas clanculum in gremium virginis descendisse. Equidem mendacij limites non excedit hæc fictio; veritatem tamen rei gestæ in anima hominis Deum amantis illustrat. Vix enim mortalium indoles, diuino amore æstuare incipit, & subitò amantis Deum animæ pulchritudine captus Deus, in modum aureæ pluuiæ, in terram decidentis, in domicillium mentis humanæ illabitur. Canente id Ecclesia, *sicut pluuia in vellus descendisti*. Ecce ineffabilem charitatis & dilectionis potentiam, quæ sola incomprehensum comprehendit Deum, eumq; homini nexu fortissimo copulat. Vt proinde meritò inter Theologos illa orta sit controuersia, An gratia habitualis sanctificans, realiter distinguatur à charitate cum vtriq; ijsdem effectus, à scriptura attribui videantur. Gratia enim iuxta concilia & sanctos Patres

Hõo per gratiam fit imago Dei.

Terẽti⁹.

S. Aug.

tres facit adoptiuos Dei filios, sed hoc ipsum præstat charitas 1. Ioan. 3. *Videte* (inquit Apostolus) *qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus.* Gratia pœnitentes peccatores iustificat, ad Romanos 5. Sed & charitas idem operatur 1. Ioannis 4. *Per gratiam sumus dilecti Deo.* Sed & per charitatem hoc ipsum obtinemus, Ioannis 14. *Gratia peccatũ expellit*, sed neq; charitas idem compati potest, primæ Ioan. 3. Per gratiam Deus habitat in nobis; sed & per charitatem corda nostra possidet 1. Ioann. 4. Gratia est maximum; sed nequé charitate excellentius reperitur præmium 2. Petri 1. Quis igitur charitatem & dilectionem Dei non amplectetur, cum illa hominem sanctum reddat, & pulcherrimam illum Dei imaginem efformet. *Dilige* (inquit Augustinus soliloqu. capite 31. *Deum qui te ad imaginem fecit, & gratias age quotiescunquè respiras, operaris, cogitas, loqueris, moueris, Domino Deo age.* Refert Aulus Gellius lib. 15. capite 14. pro beneficio Leoni collato, ab Andronido, quòd illum scilicet in pede curauerit, tantam gratitudinem rependisse Leonem, vt à morte Andronidum eripuerit, illiq; eu domesticus canis fuerit obsecutus. Si bruta animantia exigua sibi præstita beneficia sic rependunt. Eritne mortalium non nemo, qui pro tot beneficijs in creatione sibi concessis, non magis Deo gratias agere volet? Reperieturne quispiam, qui cùm ad imaginẽ Dei sit conditus, illam profunda dilectione in se effformare negliget? An certè assurget talis è consortio Christianorum, qui conuertere in Dei amorem, suum & esse, & posse, & operari, non enitetur. Cum dicat scriptura Exodi 17. *Scribe hoc ob monimentum in libro & trade auribus Iosue.* Quasi diceret, tria hæc seriò tecũ ô homo recogita, scilicet quòd nudum te è terra creauerit Deus, vt in cœlesti gloria, nitorem, elegantiam, & pulchritudinem omnem obtinere contendas, perpende quòd sis imago Dei, vt in te resplendeat omnimoda Dei beneficiorum gratitudo. Considera demùm, quòd ad similitudinem Dei sis conditus, vt modum eius ad intra operandi imiteris, per intellectum & voluntatem: hoc est; cognitione & amore Deum in te ipse producas: hoc enim negligenti terribile auditu quidpiam scriptura cominatur Deutoronomij 31. *Generatio praua & peruersa, hæccine reddis Domino popule, stulte & insipiens. Nunquid non est Pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creauit te.*

1. Ioannis 3.

1. Ioannis 4.

Exodi 17

Deut. 31

Altera ratio, propter quam tenemur Deum charitatiuè amare, quia nos de potestate Diaboli, per suum sanguinem eripuit, ad Timotheum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* ad quod non aliud ipsum impulit, nisi amor immensus, Est etiam propria verè amantis affectio, si quem amat, ægrotare sciuerit, vigilanter quærere morbo remedia; diuinus pariter amor animum Christi impulit, & tanquàm vnicum animarum nostrarum medicum sollicitauit, ad quærendum remedium, quo ægrotantes morte peccati homines sanaret, idcircò vt se amantem nostri exhiberet, sanguinem suum, quasi vniuersale pharmacum nobis propinauit. in quo aduersùs omne spiritualium genus ægritudinum, virtus sanatiua contineretur. Antiqui bonum medicum depingebant capite diadema gestantem, canam barbam habentem, cuius vnum latus gallus, alterum canis, & inter ipsos positus serpens comitabatur. Vbi corona capiti imposita, medico, non secus quam regi obediendum esse figurabat; barba canitie decora, longam & profundam experientiam; gallus curam & Vigilantiam, in discutienda morbi natura: canis fidelitatem: ac tandem serpens, prudentiam summam, quæ rerum omnium moderatrix est, exprimebat. Quæ omnia in nullo quamuis præstantissimo medicorum, adeò excellenter, quemadmodùm in Christo reperiuntur. In eius enim capite fulget diadema, quia

1. Ioan. 3.

Tim. 2.

Leo, quã grat⁹ beneficij.

Medici archetypus.

quia est. *Rex Regum & dominus Dominantium.* Apocal. 19. Experientia A
Apoc. 19. summâ pollet; plenus est dierũ magis quàm Abraham, Ioannis 8. *Antequàm fieret Abraham, ego sum.* Est sollicitus &
Ioan. 8. vigilans circa vnumquemquè mortalium, ne peccet, Psal. 120.
Ps: 120. *Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israèl.* Est fidus supra modum
1. Ioannis 1. 1. Ioannis 1. *Fidelis & verax.* est deniquè prudentissimus & sapientissimus, ad Colossenses 2. Quia in eo,
Glos: 2. *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Solus proindè diuinus amor B
effecit, vt hic tàm eximius medicus, nobis iam iam pereuntibus succurreret. ordinaretq; extremè iam ægrotantibus, varia pharmaca, septem videlicet sacramenta, quibus omnis nostrorum animorum ægritudo, & morbus, sanaretur. Sed cùm tot ei simus titulis obligati, debemus illi beneficium creationis, pretium redemptionis, vocationis benignitatem. & gratiam iustificationis, quis' tantis expensis soluendo erit? solaprofectò charitas & dilectio Dei, hæc C
enim quia Deum ipsum attingit, pretium & dignitatem habet infinitam, vt proinde solo eius valore homo creditori suo satisfacere possit, hanc solam pro ineffabilibus suis beneficijs recompensationem à nobis Deus exigit. Deutoronomij 1. *Si quid difficilè vobis visum fuerit, referte ad me &*
Deut. 1. *ego audiam.* Quasi diceret; cùm nihil difficilius sit homini, quàm Deo reconciliari: nihil impossibilibus, quàm redemptionis pretium soluendo adæquare; idcircò mutuum tan- D
tummodò amorem, referat ad me homo, & ego cõtentus ero. Ad hanc dilectionem Dei incitat nos Prophe-
Ps; 122. ta Psalmo 122. *Oculi* inquit *mei semper ad Dominum? quia ipse euellet de laqueo pedes meos.* Quocirca si sapienter amandus est Deus, vt sapientia; si suauiter, vt dulcedo, si ardenter, vt amor; etiam fortiter, vt fortis redemptio nostra diligendus erit; immo
S. Bern. vt inquit Bernardus de diligendo Deo: *Solus dilectionis aculeus, debet esse Iesus hic Crucifixus.* Valerius maximus. libro 5. extollit Cimonis amorem in Parentem, eò, quòd pro Parentis sepultura carcerem ab hoste sustinuisset: tanta enim virtus non modo admirationem hominibus peperit, sed cum pietatem simul redoleret, etiam hunc promeruit amorem, vt Ciuis & dux fieret postmodùm. Sed quid hoc respectu amoris in Deum; si enim liberatorem tuum, qui te sanguine suo redemit, toto corde amaueris, licet propter hoc non rarò dæmonis tentationes te oporteat experiri. Cùm is dilectionis Dei flammas ferre non possit, sed propter hanc virtutem, & simul pietatem tuam in Deum hoc promereberis, vt ciuis postmodum cœlestis illius patriæ fias. Quia *superna*
S. Greg. *conari, iam sursùm est ire.* Inquit Gregorius 5 Moralium.

Tertium motiuum, quod nos ad amandum Deum ex tota anima impellit, est summa eius misericordia, propter quàm peccata nostra plerumq; dissimulat. Vt dicitur Sapien-
Sapi. 11. tiæ 11. *Misereris omnium quoniam omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam? diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, parcis autem omnibus, quoniam omnia tua sunt Domine, qui amas animas valde.* Vnde Antiquissimus O-
Origen. rigenes cogitandi acumine, & dicendi facundiâ celeberrimus, super caput primum Ieremiæ, hæc scribit. *Deus ad benefaciendum promptus est, ad puniendũ autem eos qui pœnâ digni sunt, dissimulat.* Nec mirum, quia motiuũ misserendi intra se Deus habet, scilicet; ipsam suam infinitam bonitatem, quæ illum semper stimulat ad misserendum homini. Quod ipsemet testatur Isaiæ 43. *Ego sum qui deleo*
Isaiæ 43. *iniquitates tuas propter me.* motiuum autem puniendi extra se reperit, idcircò tardiùs ad pœnam inclinat; nec enim sine causâ Christus Dominus, Ieroſolymis dicitur feciſſe flagellum de funiculis, quibus vendentes merces suas ligabat, vt illos expelleret de templo. Vbi interpretes id aiunt illum feciſſe ideò, vt ostenderet

deret nos ipsos, dùm peccamus, flagellum in manus Dei tradere, quo acriter vapulemus. Quia ergò domestica est & præsens semper adest Deo misericordia, ideò dissimulat peccata hominum, etiam tunc, cùm illos iam punire vult. Exodi 9. Scriptura refert, quòd Dominus cum in Pharaonem animaduertere vellet, priùs' illum his verbis allocutus fuit. *Pluam*
Exodi 9 *cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, congrega iumenta & omnia quæ habes in agro*; quæ verba perpendens Augustinus. B
quæstione 33. in Exodum. scisitatur causam huius facti: *Quid est* inquit
S. Aug *quòd mandauit Deus Pharaòni, cùm se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinaret congregare pecòra sua, vt quid præcepit bona illa Pharaòni incolumitate seruari, cùm ad eum puniendum progrederetur.* Respondetquè diuinæ misericordiæ id apertum fuisse argumentum. *Non tam* inquit *indignanter, quàm misericorditer videtur, admonere. Admonet ante pœnam, quia iacula præuisa minus feriunt, vt tempus peccatori concedat, quo ærumnis & calamitatibus sibi imminentibus occurrat.* Juxta illud Salomonis Sapientiæ 22. *Da*
inimicis tuis tempus, & locum, per quem possint mutari à malitia sua. Hoc ipsum Origenes de magna Dei misericordia commemorat. desolationem Ieroſolymæ considerans. *Condemnauerat* inquit *Deus Ierusalem, propter peccata quæ fecerat, & hæc erat extrema sententia, vt captiuitati relinqueretur; Verum tamen cùm hominum sit amator,* D
nec quenquam velit perire, antequàm depopulationis tempus inflaret, misit Prophetam, vt per sermones eius ad pœnitentiam conuerteretur, misit eundem sub secundo rege post primum, misit & sub tertio. Quid plura? Captiuitas iam imminebat, & adhuc excitabat Deus ad pœnitentiam. dicit enim scriptura: vsqué ad captiuitatem Ierusalem, & vsqné ad quintum mensem prophetasse Ieremiam. Iam hostium vincula restrinxerant manus, & nihilominùs hæc quodammodò dicebat Deus; ecce captiui estis, agite, licet A serò pœnitentiam; rogate me, & parcam vobis, nam possum eruere de captiuitate, qui tradidi. Nonne & hæc diuina misericordia nobis crebrò affulget? cùm Deus iuxta suam clementiam exhortatur nos ad salutem, vt cessante delicto etiam captiuitas conquiescat. Nam & nos si peccauerimus futuri captiui sumus: tradi enim satanæ per peccatum, nihil distat ab eo, qui in manus hostiũ traditur. Sed non aliud nos de hac misera peccati captiuitate eripere potest, præterquàm summa DEI dilectio: dùm enim ille dissimulat peccata nostra, quid aliud expectat; quàm vt per ardentem charitatem ad illum conuertamur. Valerius Maximus li- Valer. Max.
bro 6. cap 8. refert. quòd seruus quidam optimus cognito periculo, Dominum suum occultauerit, commu- Virtus
tauitq; cum illo vestem & annulum, & emisso latenter Domino, posuit se serui in domisuper lectum domini, & pro domi- num.
no mortem oppetijt. Quid aliud nobiscum diuina misericordia facit? C
dùm videt periculum damnationis imminere peccatori, occultat peccata nostra, dissimulando ea, ne rapiamur à diabolo; dissimulat inquàm pœnitentiam ex commiseratione expectando à nobis. Tantò igitur Dei beneficio gratus peccator, plange læsam omnipotentis maiestatem deprecando, & quo maiorem erga te experieris amorem, cum pœnitente Magdalena & Petro amantem Deum, non desinas redamare.

Quarta causa est, cur teneamur Deum ex tota mente diligere, quia D
omnibus temporaneis necessitatibus, nobis abundanter succurrit: *scit enim* Lucæ 12.
Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis. Lucæ 12. Et licet duæ sint in homine partes, quibus constat, corpus videlicet & anima, vbi homo similis est corpore animalibus, mente Angelis; proinde vtrumquè natura hominis exigit: & hoc, vt vitam habeat animalẽ, quâ crescat cum plantis, & sentiat cum animantibus; habeatque pariter vitam spiritualem, quâ Deum cognoscat, amet, & vene-

retur, Deus tamen cùm ad vitam corpoream sustentandam, tantam rerum copiam tribuerit homini, vt totum mundum in varietatem ciborum illi concesserit; non minus tamen liberaliter victum & omnia necessaria ad vitam spiritualem peragendam subministrauit, victus autem iste, quem dedit animæ nostræ adeò pretiosus est, vt non solùm dapibus regalibus, sed suæ ipsiusmet humanitatis corpore, illam vesci voluerit. Et licet cibus iste vnicus est, omne tamen in se condimentorum B delectamentum, & liquamentorum iucunditatem continet. Idcircò homo ex toto corde tenetur Deum diligere, qui omnium ad vitam corpoream congrue sustentandam (quæ à corde tanquam à primo principio vitæ diminat) omnem habet abundantiam, tenetur insuper tota mente & totâ animâ Deum diligere, qui alimentum spirituale de ipso Christi corpore & sanguine percipit, quod alimentum quia omnibus æqualiter C infantibus & adultis, pauperibus & opulentis propositum est, ideò nemo mortalium ab hoc præcepto excusatur: nam & qui puer est in virtute, alimento Christi corporis vesci potest, etenim in illo continetur succus lactis, quo adolescet, & qualitatum quæ in eo non sunt, particeps efficietur Nam quidquid fortitudinis, prudentiæ, iustitiæ, & magnanimitatis in nobis est, totum hoc à cœlesti illo ferculo deriuatur. Quodsi iam à pueritiæ & infantiæ annis recessisti, aut adolescens factus concupiscentiæ vexaris æstu, ad hoc ipsum diuini epuli ferculum accede: illic enim refrigeraberis, ne te in virtute progredientem libidinis ardor impediat. Si tandem vir iam es, & virtute perfectus, & tibi ad vitam spiritualem non aliud nutrimentum, nisi corpus Christi datur, quod manducantem digne, in ipsum Christũ transformat.

Quinta deniq; causa est, cur Deum teneamur ex toto corde diligere, ex tota mente, & ex tota anima, quia nobis regnum cœleste pollicitus est, A Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quod comprobat D. Petrus, 1. Cantic. 1. *Nobis* inquit *per Iesum Christum hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarcescibilis in cælis est conseruata.* Quod considerans S. Fulgentius ad Probam de oratione cap. 8. dicit. *Gemamus & flectamus ante Dominum, qui confecit nos vt à concupiscentia carnis, & à concupiscentia oculorum, & à superbia seculi, quæ non est ex cælo, sed ex mundo, liberet nos, & ad illam nos subiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum, quidquid in nobis est, fiat subditum Deo.* Tunc primum erit in nobis vera perfecta & excelsa humilitas, vbi in carne & mente nostra, nulla remanserit praua cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus, nulla enim tunc erit sollicitudo certaminis, sed perfecta securitas pacis; nulla erit iustitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. ibi primùm erit homo perfectâ celsitudine beatus, quia perfectâ erit carnis & spiritus humilitate Deo subiectus. Ibi non erit minor nostra laudatione dilectio, nec inferior dilectione laudatio, quia perfecta Dei aderit Charitas, & cùm ab hac perenni gloria neminem Deus excludat. idcircò vnusquisq; delicijs illius affluì cupiens, in toto corde, & animo igne dilectionis æstuans, in Deum feratur, necesse est. Mat. 25. S. Petrus S. Fulg.

D Habemus igitur Iurisperitum cum Christo disputantẽ, quemlibet mortalium: etenim vita nostra mortalis, tota est in perpetua litigatione, sed quia periculosa est hæc actio, nam multorũ hæreditates diuturnis præscriptionibus possidet; aliena, aut fraude, aut vi eripit, diutiùs tracto iurium processu, non paucos depauperat; idcircò nos cùm habeamus cœlestem Theologum Christum IESVM, noua nobis præscribentẽ mandata, hanc solam & non aliam quærere velimus iustitiam, vt Deum pro inæstimabili redemptionis pretio, diligamus ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & cum ibi debeat esse cor amantis, vbi amor: postulemus vt amando eum, qui est in cælis, per hunc amorem & nos ibi manere possimus in æternum.

EADEM DOMINICA

B

CONCIO SECVNDA

Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodò filius eius est? *Matthæi 22.*

Christus est Dominus Dauidis secundùm diuinitatem, est & filius secundùm assumptam humanitatem.

OBstupuit quondam Samuel Propheta; cùm imprudentem satis suorum Israëlitarum clamorem C audiret. 1. Regum 8. num. 20. *Et erimus nos quoquè sicut omnes gentes.* 1. Reg. 8. Quæ enim maior dementia esse potuit? quàm, quòd Israëlitæ putarent sibi laudi fore, si essent sicut cæteræ gentes? qui tamẽ erant super omnes gentes. Numer. 13. num. 9. *Populus* (inquit ibi Propheta) *solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.* Quasi diceret: tanta est populi Israëlitici dignitas, vt vnicus & singularis in mundo esse videatur: quemadmodùm Moyses ipse locutus est, Deuto- D ronomij 33. num. 28. *Habitabit Israël confidenter, & solus.* Quasi reliquæ gentes præ hoc populo nullæ censeantur. hic igitur populus cæteris gentibus superior, sua temeritate excæcatus, glorioſum se fore putabat, si reliquis gentibus par efficeretur. *Erimus* inquiunt *nos quoq; sicut omnes gentes.* Quod grauiter deplorat Oseas, cap. 7. num. 7. *In populis* inquit *ipse commiscebatur.* id est; qui per singularem Dei beneficentiam à cæterorum populorum gregibus erat egregius, ipse se per suam ignauiam, cum cæteris gregarium efficiebat. verùm in quonam Israëlitæ gentibus volebant esse similes, respondent Doctores sancti: quia Regem sibi hominem postulabant creari, cùm antea solum Deum regem haberent, vt palam insinuat litera sacra 1. Reg. 8. Num. 20. *Et iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Quod dictum dupliciter potest intelligi. Primò, per quandam contumaciam: quasi in hunc modum diceret, si omnes gentes habent non tàm Reges; quàm tyrannos, à quibus potiùs vexentur; quàm gubernentur: nos quoq; earum conditionẽ libenter patiemur. Cur quòd multi ferunt, nõ feramus? præsertim cùm ex ipsa laboris coronatione communis labor minuatur. Vel certè per quandam perfidiam: ac si dicerent; si non omnes gentes tyrannis Regibus gubernantur: cur nobis spes non adsit, fore vt & nos sicut & aliæ gentes mitissimos & iustissimos Reges sortiamur. Verùm vtrouis modo secum argumententur Israëlitæ, aut tyrannos habere per nimiam contumaciam cupientes; aut non habituros per nimiam confidentiam existimantes, grauiter errant: quia contra Dei voluntatem faciunt. Verùm crediderim ego Israëlitas cæteris gentibus per hoc similes fieri voluisse, quòd Deum pro Regẽ agnoscere nollent, illud temerè vociferando. *Regem non habemus nisi Cæsarem.* Sed & hic non leuior error, quia non tantùm similes, sed ipsis gẽtibus peiores effecti sunt. Quod pulchrè figurârant illa duo iumenta. quæ Christi natiuitati affuêre, de quibus dicit Isaias cap. 1. n. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* In quem locum S. Basilius: *Obserua* inquit *quia testimonio istius scripturæ probatur, bouem præ Asino pleniorem obtinere intelligentiam. Bos enim suum nouit possessorem: Asinus autem præsepe. Id docente scripturâ, quòd animal suffarcinando sit ventri deditum, ideoq; locum agnoscat suæ* Isaiæ 1. S. Basil.

tantùm voluptati destinatum. Tales sunt Iudæi cum gentibus comparati. Nam gentes instar bouis cognouerunt possessorem suum, Psalmo 85. num. 9. *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* At verò Iudæi more Asini solùm præsepe Domini sui agnouerunt. Ioan 6. num. 26. *Amen amen dico vobis? quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Non cognouerunt Christum Dominum, quia & ad hodiernam ipsiusmet Christi quæstionem, quomodò sit Christus filius Dauid, cùm sit eiusdem Dominus, obmutuerunt, dicente Euangelistâ. *Et nemo poterat respondere ei verbum.* Quam nos quæstionem licet profundissimam, Deo auxiliante discutiemus.

Incarnata sapientia, cui illud potissimùm in optatis erat, vt ab omni rationali creaturâ agnosceretur. Nam quid aliud causæ, quòd & Angelo in cœlis creato, & homini in paradisum perducto, Sacramentum Incarnationis reuelauerit Deus, nisi vt cùm postea Deus fieret homo, tàm Angelica; quàm humana ratio dominum & redemptorem suum agnosceret? cùm inquam incarnatæ sapientiæ illud singulare cordi esset, vt ab omni, agnosceretur creaturâ, idcircò grauiter hodie cum Iudæis conuersatus in terris argumentatur Deus homo: si Dauid vocat eum Dominum, quomodò filius est? quasi diceret; Agnouistis iam ô Iudæi Christum esse filium Dauid. Nam hæc vestra ad Christi interrogationem responsio. *Dicunt ei, Dauid?* non erubuistis, de filio Dauid, quia hoc nomine illum rectissimè transeuntem appellantes cæci illuminari meruerunt. Transibat enim IESVS, & illi audito sonitu transeuntis turbæ, aure iam illum cognoscentes, quod non poterant oculis, clamauerunt, voce magnâ & dixerunt. *Miserere nostri Fili Dauid.* Vbi protinùs tangente Deo oculos eorum, lux gratissima, cuius desiderio tenebantur, affulsit eis. Matthæi 9. num. 20. Fatimini etiam, quomodò sit Dominus Dauid? sed obmutuit ad hoc Christi Domini quæsitum Pharisaica malitia dicente Euangelistâ. *Et nemo poterat ei respondere verbum;* quoniam incredibile eis videbatur, vt vnus idemque homo, sit filius simul & dominus eiusdem Patris. Nam esse filium, est esse dependentem, & paterno nutui obsequentem; esse autem Dominũ, est esse superiorem: parere autem, & imperare; præesse, & subesse; non videntur secum posse stare. Proinde & Iudæi agnouerunt quidem Christum esse filium Dauid, sed Dominũ nolebant fateri; quasi filiatus & Dominatus respectu eiusdem sit impossibilis. Quorum imprudentiam, redarguit S. Augustinus in Psalmo 109 S. Aug. *Admiraris* inquit *hoc, quasi & in rebus humanis ista non fiant. Si enim contingat filium Regem cuiuscunque fieri, patre priuato, nonne erit filius simul & Dominus Patris. Immò admirabilius est, quod potest contingere, vt non solùm Rex sit filius priuati filius, dominus sit Patris sui, sed & Episcopus factus Laici filius, sit Pater Patris sui.* Quid ergo mirum? quòd Christus Dominus secundùm carnem, ex purissimo Virginis sanguine assumptâ sit filius Dauid: & secundùm eandem carnem diuinitate honoratam, sit Dominus eius. Propter quàm, teste Apostolo ad Philipens: 2. Phil. 2. *Exaltauit illum Deus & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quasi diceret: Nullibi erit Dauid, vbi non sit Christus, ei dominus. In cœlo sit, in terra sit, in inferno sit, Christus vbique aderit ei dominus. quia est dominus cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quid ergo ad hoc Iudæi? si Christus est Filius Dauid, quomodò illum vocat Dauid Dominum suum? Ecce in hac interrogatione non se Christus negat esse filium Dauid, sed tantùm modum quærit, quomodo sit Filius? Nam particula *quomodò*: verbum quærentis est, non negantis. Quasi diceret Christus Dominus Iudæis. Benè quidem dicitis, Christum esse filium Dauid, sed ipse

Dauid

Incartio Angelis & hominibus reuelata.

Matt. 9.

Mat. 22.

Ioan. 6.

Psal. 85.

Dauid Dominum eum dicit, quomodò ergo est filius. Dicerent Iudæi, si instructi essent fide Christianâ, quàm nos tenemus; si contra Euangelicam doctrinam corda non clauderent, si vitam spiritualem in se habere voluissent. dicerent inquam ad istâ quæstionem: *Quoniam in principio erat verbum, & verbum, erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Ioannis 1. Ecce quomodò Christus est Dominus Dauid? sed quia *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce quomodò est filius Dauid? sed nescientes obmutuerunt: hoc enim solùm in Domino nouerant, quod videbant, apparebat eis filius hominis, occultus autem erat filius Dei. Proinde hominem tantùm fassi sunt, Deum negârunt.

Hinc est, quòd eum & superari posse crediderunt, & ligno suspensum irriserunt, dicences: *si filius Dei est, descendat de cruce, & credemus in eum.* Matthæi 27. Non cognouerunt ergo Iudæi Christum esse Deum, sed tantùm hominem: quia dicit Augustinus sermone 234. de tempore. *Si enim cognouissent, nunquàm gloriæ dominum crucifixissent.* Verùm si non cognouerunt, quòd Christus esset filius Dei, quomodò peccare poterant, crucifigendo eum? cum omne peccatum & potissimùm mortale, debet habere istas quatuor conditiones, scilicet; vt sit materia sufficiens ad peccandum; paruitas enim materiæ, etiam si deliberatè fiat opus, interdùm excusat à peccato. Vt sit liberum & deliberatum, nam quæ inuiti & coacti facimus, non tàm nobis; quàm cogentibus imputari debent, tertiò, vt sit voluntarium; ac tandem, vt fiat ex præcognitione, nam ignoti quæ cupido esse potest? si ergo non cognouerunt, quòd Christus esset filius Dei, certè eum crucifigendo minimè peccârunt. Respondet S. Augustinus, Ignorantiam hanc Iudæorum, de Christi diuinitate fuisse crassam & affectatam, proinde culpabilem, & talem quæ à peccato nequaquam excusari potest, Serm: 234.

Idem.

Ioan. 2.

Mar. 22.

S. Aug.

Latet inquit *eos quod venerit, sed volentes latet, neque enim si pendentem in cruce non cognouerunt, & regnantem agnoscere non debuerunt.* Hanc cæcitatem Iudæorũ in cognoscenda Christi diuinitate, optimè præfigurauit Heli sacerdos veteris testamenti, de quo Scriptura Sacra dicit, 1. Regum 3. num. 2. *Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.* vbi Doctores sancti, hanc cæcitatem Heli, non propriam; sed mysticam esse putant. vt Gregorius Venetus tomo 1. de Historia sacra, problemate 443. hoc est prauam affectionem erga filios, quorum mala nec videbat, nec corripiebat. Et diuinarum rerum ignorantiam, quà laborabat, vnde verba illa, *nec poterat videre,* Sanctus Ephrem in Apologia de Heli, S. Isidorus in Epistola ad Messanũ de lapsu sacerdotis S. Bonauentura in cap. 12. Ecclesiastici ita legunt: *Nec poterat videre lucernam Dei, antequàm extingueretur,* in quibus verbis D Gregorius Beda Angelus & alij adumbratum censent populum Iudaicum, qui totius mundi lucernã, Christum Dominum coram se lucentem & ardentem, videre præ inuidia non valebat, seu potiùs nolebat. Licet haberet rationes satis conuincentes, cum plurimi eorum mortuum in cruce Christum, verè Dei filium esse agnouerunt, & prædicauerunt, contra quos conuictiuo vtitur argumento, sanctus Ephrem sermone de pretiosa margarita: *Dicitis* inquit *Iudæi, vos non credere Deum cum hominibus conuersatum vt hominem. Sed nonne creditis in Arca illa veteris testamenti, quæ vobis pro asylo data fuit, Deum conclusum fuisse, quid ergo præstantius Arcane an homo, si Arcam inhabitare non est dedignatus Deus, vt vos suâ præsentiâ vbique defenderet, quantò magis in humana ipsum naturâ, super terram venisse debetis credere.* Quod si vos ab hac fide deterret mors Christi crudelissima, quòd cùm Deus esset, crucifigi voluit. Sed nonne scitis & arcam illam, in qua Dei latebat virtus & potentia

1. Reg. 3

Gregor. Venet.

S. Ephrē

S. Ephrē Isidorus Bonau.

Gregor. Beda. Angel.

tentia, captam ab hostibus fuisse? scitis 1. Reg. 4. num. 11. *Et arca Dei capta est*, si Deus arcam illam sanctam in captiuitatem alienigenis tradidit, propter vestra execranda scelera, quæ iam ferre inter vos conuersando non potuit: Quomodò carnē suam sanctam crudelitati, & morti exponere non debuit, cum optimè sciret non aliter redimendum hominem, nisi sanguine suo inappretiabili, iuxta scelerati Pontificis vestri prophetationem. *Necesse est vt vnus pro populo moriatur, innocens pro nocentibus, sanctus pro peccatoribus.* Non ergo secundùm diuinitatem passus est Christus, cùm taliter spectatus, nullius qualitatis sit receptiuus; verùm secundùm assumptionē solam; quod cùm Iudæi pertinaciter credere nollent, ita excæcari meruerunt, vt quemadmodùm conuersantē in medio sui lucernam Christum Iesum nolebant videre, ne & postquàm in oculis eorum extincta est, illam cognoscerent.

1. Reg. 4

Quam incredulitatem Iudæorum pulchrè adumbratam reperio in Iacobo filio Isaac, vbi cùm Isaac, semel atq; iterùm interrogato filio & palpato, ac proinde adhibitâ totâ quam debuit diligentiâ, ne falleretur, in illud oraculum prorupit Genesis 27. num. 22. *Vox quidem vox Iacob est, sed manus sunt manus Esau.* Vbi præsentem sibi filium Iacobum, saltem ex manibus inculpabiliter ignorauit, & cuius futuros euentus prophetabat, præsentiam nō agnoscebat, non quidem prauo studio, sed planè prudenti iudicio, eum in hanc sententiam impellente. Quia populum Iudaicū adumbrauit, qui dementissimâ perfidiâ excæcatus, præsentem Dominum contemnebat, quem futurum prædicabat. Sic exponit D. Gregorius hom. 10. in Euangelia, vbi execratus cæcitatem Iudæorum, qui prophetias de Christo nascituro explicabant; & tamen natum nō agnoscebant, sic dicit. Quod profectò benè Isaac, cùm Iacobum Filium suum benediceret, designauit, qui & caligans

Gen. 27.

S. Greg.

oculis, & Prophetans in præsenti filium non vidit; cui tamen multa in posterum præuidit: quia nimirùm Iudaicus populus Prophetiæ spiritu plenus, & cæcus, eum de quo multa in futurum prædixit, in præsenti positum non agnouit, senioris Tobiæ cæcitatem, summa cum patientia coniunctam quis non laudat? quis non admiratur quis non veneretur. *Contigit*, inquit textus, *vt ex nido hirundinum illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretq; cæcus.* Tobiæ 2. num. 10. & 11. ex qua ille cæcitate non errandi, sed acutiùs cōtemplandi occasionem desumebat. Et tamen vt venerabilis. Beda ad eum locum interpretatur: *Cæcitatem Iudæorum cæcatus Tobias designat*, quia sicut Apostolus ait: *Cæcitas ex parte contingit in Israël.* Roman. 11. num. 25. Nec immeritò, quia vtraq; cæcitas dicitur contigisse, non naturaliter orta esse, vt intelligatur non infallibilis scripturarum veritas, sed libera iudiciorum peruersitas, cui adhærebant; sua eos in præcipitia deuoluisse; sicut enim Tobiam stercora excæcârunt; ita Iudæos legalia, quæ Diuus Paulus Philipensium 3. n. 8. stercora nuncupauit. Neq; mirùm, quòd per tàm sanctos Viros Deus populum incredulum præsignauerit, quia sicut mala ad significanda bona, ita vicissim bona ad significanda mala, passim in scriptura vsurpantur.

Tobiæ 2.

Beda.

Rom. 11.

Celeberrimum fuit illud Dauidis factum, præstantissimo dignum Imperatore, cùm aquam ex cisterna Bethlehem, magnis hausta laboribus, multis partam periculis, sibi à tribus ducibus oblatam, inquit textus. *Noluit bibere sed libauit eam Domino.* 2. Regum 23. num. 16. forsan, vt significaret res pretiosas, non sibi sed Deo potiùs offerendas: in militia non esse explendos appetitus, sed frænandos, à Rege præstanda non esse voluptatis exempla, sed virtutis. Nihilominùs tamen illud opus, in re optimum, in mysterio pessimum extitit: significauit enim Iudæorum perfidiam, fontem aquæ viuæ Christum

2. Reg. 22.

stum Dominum fastidiosissimè derelinquentium; & cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam, auidissimè consectantium. Ita interpretatur Sophonias Archiepiscopus Hierosolymitanus, oratione de Christi Domini natalitijs in 2. tomo Bibliothec. 2. edit. *Cur* inquit *noluit bibere? Quia prophetiæ lumine illustratus fore præuidebat, vt Iudæi aquæ illi viuenti, omnia viuificanti secundùm carnem è Bethlehem exorituræ, & è lacu virgineo nasciturę, & in lucem proditurę, hoc est Christo? fidem denegaturi essent; vt vates ergo sanctissimus, Iudæorum in Christum perfidiam facto adumbrabat, ob id, inquam diuinus ille vir aquam ad se delatam haurire noluit, quia insanos scelerato sq; Iudæos, Christi prædicationi in suum ipsorum interitum, & perditionem nequaquam credituros præsagiebat, certoq; præuidebat.* En cernis Dauidem opus prudentissimum exercentem, & stultissimum Iudæorum factum significantem. Quis innocentior Vriâ à Dauide quàm nequissimè interfecto? & tamen D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 87. Sentit in eo adumbratū fuisse diabolum, à Christo Domino iustissimè interemptum, locutus enim de Christo Domino subdit. *Sicut Dauid Bethsabee adamauit, & Vriam interfecit; ita Christum Dominum adamasse Ecclesiam gentium, & diabolum interfeciſſe. Ille inquit desiderabilis omnibus gentibus adamauit Ecclesiam, & post ab ea penitus separatum diabolum occidit, eamq; sibi perpetuo connubio copulauit.* Quis præterea eodem Vriâ fidelior & modestior, ad priorem domum ire, & in proprio conquiescere lecto recusante, quo tempore arca Domini sub pellibus, & Ioab in tentorijs pernoctabat 2 Reg. 11. num. 11. Et nihilominùs populum Iudaicum infidelem & inuerecundum, non obscure adumbrauit, Christi Domini consilijs & admonitionibus procaciter reluctantem, sic D. Gregorius lib. 3. Moralium c. 21. commentatur. *Quem* inquit *Vrias, nisi Iudaicum populum designat*, & statim pergit: *Vrias* inquit *qui Arcam*

Sophonias.

S. Aug.

2. Reg. 22.

S. Greg.

Domini esse sub pellibus meminit, respondit quòd domum suam intrare non posset. Ac si populus Iudaicus dicat; Ego mandata Dei in sacrificijs carnalibus video, & redire ad conscientiam, per spiritualem intelligentiam non requiro. Quasi enim Arcam Dei sub pellibus esse dicit, qui præcepta Dei nonnisi ad exhibendum ministerium sacrificij carnalis intelligit. Et vlteriùs legem itaqué Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Vrias ergo dùm Arcam obseruat, & Dauidi non obtemperat, significat Iudaicum populum legales cerimonias obseruantem, sed Christi Domini præcepta cōtemnentem. Mirum est, quod refert sacra pagina. Cùm olim Rex Assuerus suo in conuiuio, fuisset hilarior, & post nimiam potationē incaluisset merō. *Præcepit* (inquit sacer textus) *septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant*, vt introducerent Reginam, Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: *erat enim pulchra valdè*, Esther 1. num. 11. Quid verò Regina tanto euocata imperio, Respondet scriptura. *Renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit*, ibidem n. 12. Quis in hoc facto Reginæ temperantiam, prudentiam, immò & obedientiam non laudaret; quis non commendet? Nam imprimis quòd parere noluerit ebrio Regi, prudentissimè videtur fecisse, sobriæ enim Persarum leges teste Iosepho libro 11. Antiqu. cap. 6. Vxores ab alienis videri prohibebant, quasi prudens regina secum argumentaretur, potiùs iustæ legi; quàm iniusto Regi obediendum. Deinde prudenter satis fecisse videtur, quia suam noluit in honestis conuiuis prodere venustatem, quam insanus Rex prostituere non dubitabat; Adeò vt eius prudentiam tueri videatur, Seuerus Sulpitius, libro 2. sacræ historiæ. *Iussa* inquit *Virorum oculis, spectaculum corporis sui præbere,*

Esther 1.

Sulpit.

præbere, stulto Rege consultior, prudens abnuit. Benè docta continentiam coniugalem, non in publico theatro, sed in secreto thalamo conseruandam. Tandem seruare voluit temperantiam conuiualem, quæ licet palato ad gustum aliquantulum indulgere patiatur; non tamen oculis ad lasciuiam. Vnde illa fuit sympoſiaca lex, vt viri ac fœminæ in diuersis quoque cœnaculis conuiuarentur. Vt licet omnium linguæ reficerentur ad gustum, singulorum tamen oculi à lasciuis spectaculis ieiunarent. Consultissimè igitur videtur feciſſe Vasthi: dùm ipsius Regis vocata imperio, in publicum conuiuium venire recusauit. Nihilominùs vtraq; Gloſſa per hanc reginam Assueri imperio renitentē, intelligit synagogam, Christi Domini vocationibus reluctantem. Et fauet nominis Etymon, Nam *Vasthi* interpretatur, finitio consummata, synagoga verò finem consummatum habuit in Christo.

Conuiuium igitur fecerat Rex Regum Christus dominus, in cruce cunctis populis, & Principibus, sed ad hoc conuiuium synagoga à Christo Domino sæpiùs euocata venire noluit; nec solùm Apostolos vocantes, sed ipsum quoque Christum Dominum vocare iubentem, surdis quodammodò auribus contempsit. Quid enim de Christo dicunt peruersi Iudæi? hoc, quòd sit homo: *Est inquiunt filius Dauid*, Sed Dominum esse negant, quia Deum non cognoscunt. Quasi impossibile iudicantes, quomodò Deus verbum, si cum Christo humanitate simul coadunatus fuit, quomodò inquam tempore passionis humanâ fragilitate non est corruptus, aut inquinatus. Sed considerent obsecro ignem, quomodò ille licet ferrum arripiat, nihil tamen deferri proprietatibus accipit. Nigrum quidem ferrum ac frigidum est, at tamen ignitum ac candens, ignis formam subit. Et quanquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit, nequé ardens, flammam sua frigiditate destruit, aut tollit, sic planè humana Christi Domini Caro, ita particeps diuinitatis facta est, vt propria fragilitate illam minimè cõtaminauerit. Verũ quemadmodùm Vasthi ab Assuero repudiata est, eò quòd imperio Regis parere noluerit, & Esther in eius locum substituta; sic planè impia synagoga, eò, quòd Christum filium Dauid confessa esset, sed dominum negaret, eius imperio minimè subesse volens, dùm illud protulit. *Nolumus hunc regnare super nos*, repudiata pariter est à Christo, & Ecclesia gentium in eius locum electa. Quod si vos omnes, quos Ecclesia sancta Deo genuit, placuit immensæ bonitati diuinæ in locum Iudæorum subrogare, certè ea vocantis Christi primaria fuit intentio, vt quod Iudæi negârunt, vos confiteamini; quod illi non agnouerunt, vos credatis; hoc est, Christum esse Filium, & Dominum Dauid. Magnum est fateor, nosse mysterium hoc. Quomodò sit vna persona, homo & Deus, quomodò sit in forma hominis minor Patre, in forma Dei, æqualis Patri? vt ipsemet dicit Ioannis 14, *Et pater maior me est*, & rursus: *Ego & Pater vnum sumus.* Magnum inquam Sacramentum hoc, sed indignis tantùm clauditur, corde autem quærentibus aperitur, Et quia nemo est qui Christum Dominum filium Dauid non fateatur, quoniam hæc est apertissima veritas Euangelij sacri secundum Matthæum, quod incipit; *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid*, & Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem*, & 2. Timoth. 2. *Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum Euangelium meum.* Nec aliter Filium Dauid, quàm secundùm humanitatem assumptam, ex purissimo Virginis sanguine, quæ de stirpe Dauid ortum suum traxerat. Nemo quoq; est, qui non confiteatur Christum esse dominum, non tantùm secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm assumptam carnem, cui ex vi vnionis ad verbum, omne dominium & principatus debetur.

Rom. 1. 2. Tim. 2.

Verùm

Verùm vt hæc vera in Christum Dominũ fides eluceſcat, duplici potissimùm signo externo manifestari debet. scilicet reuerentia, & amore: si enim Christum esse creditis Dominum, omnem illi debetis reuerentiam. Nam si Regibus temporaneis omnem deferri voluit honorem Deus à subditis, qualem Dauid exhibuit Sauli 1. Reg. 24. num. 9. Clamauit inquit textus) *Domine mi Rex & inclinans se pronus in terram adorauit.* Talem Dauidi Nathan præstitit 3. Regum 1. num. 23. *Cùm introisset in conspectum Regis, & adorasset eum pronus in terram: dixit Domine mi Rex.* Daniel talem fecit Dario Danielis 6. numero 21. *Rex* inquit *in æternum viue.* Vnde D. Petrus 1. Petri 2. num. 17. monet. *Deum* inquit *timete, Regem honorificate.* Quasi ostenderet: proximè & secundùm Deum Regem honorificandum esse. Et quorsùm Deus tantam reuerentiam vni regulo homini voluit exhiberi? equidem illa intentione, vt cùm Christus Dominus sit absolutissimus, & excellentissimo modo supremus omnium Rex, illi quoquè summum honorem deferat omnis creatura. iuxta illud Philipp. 2. num. 10. & 11. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum.* Quasi diceret: terrenis Regibus, solus regni eius incola reuerentiam exhibet, quia regnandi eius potestas exiguis terræ circumscribitur terminis. At verò Christo Domino, cuius imperium vltra cœlos eleuatum, omnis creatura reuerentiam deferre debet. Nam imprimis de cœlestibus incolis non est dubium: si enim vagientem in præsepio, & esurientem in deserto, & pauentem, sanguineoque sudore manantem in horto Angeli coluerunt, & adorârunt, quomodò nunc regnantem & triumphantem, summo honore venerari; summo amore prosequi non debent? De terrestribus quis pariter dubitet: Nam licet in hac vita Christus Dominus à multis ignoretur, in extremo tamen suo iudicio, ab omnibus agnoscetur & honorabitur. Iuxta illud Isaiæ 52. num. 15. *Quibus non est narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati sunt.* Quasi diceret Propheta: in secundo Christi Domini aduentu, aderunt non solùm omnes iusti, sed etiam omnes reprobi oculati testes illius maiestatis, quam in hac vita vel ignorârunt, vel contempserunt. De infernalibus tandem quis dubitat? nam dæmones etiam in hac vita à Christo Domino agno mansueto fugabantur Lucæ 4. num. 41. *Et nunc credunt atquè contremiscunt.* Iacobi 2. num. 19. Nempe doloribus, quos sentiunt: fidem ipsis facientibus, vt docet D. Gregorius Nazianzenus oratione 42. *Debetur Deo omnis reuerentia à creatura, quia dominus vniuersorum est vt ipsemet de se dicit, si ego dominus vbi est honor meus.* Quasi diceret: si agnoscis ô homo, te creatum esse à me, si perpendis opus tuæ redemptionis, ex sola misericordia mea pendere: si consideras conseruationem tuam à sola Dei potentia & prouidentia fluere, cur eâ, quâ par est reuerentiâ, hoc Deo tuo non regratificaris? memor illius: quia nemini impune cedit, dishonor maiestatis diuinæ. Nam primi Regum 6. num. 18. dicit sacra litera: *Percussit autem de viris Bethsamitis, eò quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros & quinquaginta millia plebis.* Vbi quam ob causam hæc percussio grandis illata fuerit, variant Doctores. Theodorethus quæstione 14. censet propter inobedientiam; *Populus* inquit *Castigatus, vt qui noluerit pro arca adire periculum, & septem mentes eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susceperit.* Atq; in eandem pariter sententiam collimat Procopius, sed non videtur. Nam culpa hæc communis fuit totius populi: si ergo pro illa vindictam sumeret Deus, dubio procul non solùm Bethsamitas, sed vniuersum Israëlitarum regnum punire debuisset: qui enim complex est culpæ, particeps etiam debet esse pœnæ. Iam verò Hugo Cardinalis censet eam

Isaiæ 52.

Iacobi 2.

S. Greg. Nazian.

1. Reg. 6.

Theodorethus.

Procopius

eam esse causam, quòd Bethsamitæ reliquerint Aream in agro. *Jnquo* ait
Hugo Cardin. *culpa eorum notari potest, quòd non eam in domum introduxerunt, sed foris dimiserunt, vbi ab omnibus irreuerenter aspiceretur.* Sed neq; hoc videtur: neq; enim Arca Domini tanto tempore fuit in Bethsamitico agro, vt hæc mora vitio tribueretur Bethsamitis'. Nam primo statim tempore, quo decentem apparatũ, & solennem pompam expedire potuerunt, de illa in vrbem reducenda cogitabant. Verùm optimam rationem suggerit sacra litera, cùm dicit; *Eo, quòd vidissent arcam Domini.* Quasi diceret: quia irreuerenter viderunt arcam Domini, ideò puniti sunt, quemadmodùm exponit Hugo Victorinus,
Hugo Victor. hæc verba; *eò quòd vidissent*, inquit *scilicet non reuerenter, neq; cum timore, vt tantam rem decebat; sed audacter irruentes respexissent.* Et confirmat Eucherius. *Percussit* inquit *eos, quia non*
Eucher. *solùm appropinquauerũt; sed etiam despexerunt.* Ecce quomodò displicet Deo omnipotenti quando illi debitus honor à creatura non defertur.

Verùm scire forsan non nemo ambit, in quonam præcipuè consistat reuerentia Deo exhibenda; sed certum est illam, duobus potissimùm niti fundamentis, scilicet modestiâ & timore: vbi enim diuina præsentia colitur, ibi necesse est, vt summa modestia adhibeatur. Cuius rei singulare nobis exemplũ præbuit Abraham: Audiens enim ille ex diuino oraculo, fore vt vnus ei filius nasceretur, qui genus paternum in nationes, & Reges populorum propagaret: *Cecidit* (inquit textus) *Abraham in faciem suam, & risit.* Gen. 17. n. 17. Gen.17. Et cur obsecro risurus coram Deo, faciem suam abscondit? Respondet
S. Ambrosius. D. Ambrosius libro 2. de Abraham cap. 11. *Et hic* inquit *reuera significatur, quòd timuit Dominum, velut libero risu ladere, quamuis risus lætitiam declarat viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis.* Ibi sanctus Patriarcha non solùm apertâ immodestiâ & irreuerentiâ: sed tenuissimè quadam immodestiæ & irreuerentiæ vmbrâ diuinam præsentiam offendere trepidauit. Hæc modestia in vestris cordibus reperiri debet, si Deum tanquàm supremum Dominum vultis honorare. Quemadmodùm D. Paulus suis Philippensibus inculcauit; dicens: *Modestia nota sit omnibus hominibus, dominus enim prope est.* Nam vel ipso dæmone peiores sunt, qui debitam coram Deo modestiam & reuerentiam non seruant. Siquidẽ diabolus multa contra Iobum certamina machinatus, ab eo loco in quo diuina præsentia clarior apparebat, continuè recessit. *Egressus est Satan à facie Domini.* Iob 1. Numero 11. & 2. num. 7. Iob. 1. Quasi ibi non auderet vllas contra Iobum insidias moliri, ne vllâ contra Deum irreuerentiâ vteretur. Si ergo nec diabolus coram Domino, suam profligare modestiam, ac reuerentiam Deo debitam, denegare ausus est. Quis obsecro adeò sit improbus, & proteruus? vt coram Domino insanire ac tumultuari non vereatur. Fundatur debita Deo reuerentia & in altero fulcro, scilicet; in timore, à quo solo didicerunt homines suam mortalitatem fateri, & reuereri diuinitatem; vnde Dauid primarius perfectionis Candidatus, nullam aliam doctrinam; quàm diuini timoris inculcat hominibus, Psalmo 33. Psal. 33. num. 12. *Venite* inquit *filij audite me, timorem domini docebo vos.* Quasi diceret: (vt exponit Laurentius Iustinianus in ligno vitæ cap. 1. *non cursum syderum, non rerum naturas, neque cœlorum secreta, sed domini timorem docebo vos.* Horum scientia sine timore inflat, timor autem domini absq; scientia illarum, saluat. Hoc Deus innuere voluit, quando legem purificationis statuerat, vt mater filium in tẽplo oblatura, offerret duas turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato. Leuiticorum 12. n. 8. Leu. 12. At cur obsecro pulli columbini, ac turtures potiùs; quàm aliæ volucres offerri iubebantur. Ideò sanè quia pulli columbini, suâ simplicitate candorem

dorem animi & modestiam: turtures verò sua timiditate timorem Domini significabant, quorum vterq; in prima illa ætate ad sacrificia offerenda requirebantur. Sic interpre-
Clemẽs Alexan. tatur Clemens Alexandr: libro 1. Pedagog. cap. 5. *Cùm* inquit *iubet Deus duos pullos columbarum offerre, significat nullam cum peccato affinitatem. Turturum quoq; timiditas, quæ ne peccetur adhibenda est, cautionem significat.* Sed quia Christus Dominus non tantùm Dominus Dauid, sed filius est Dauid, ideò vltra reuerentiam, amorem illi debetis, non seruilem, sed filialem: vt non coactè, sed liberè eum ametis; tanquàm Parentem vestrum. Hoc docuit prodigus filius, à sua illa infausta peregrinatione regressus, qui non dixit, *Domine:* sed
Lucæ 15. potiùs, *Pater peccaui in cœlum & coram te.* Lucæ 15. num. 18. Quod D. Chry-
S Chrysosth. sostomus tomo 10. in Epistolam ad Romanos sic exponit. *Neq; enim* inquit *sic ille lætatur, cùm Dominus, vt, cùm pater, audiuit: neq; cùm seruum, vt, cùm filium habet.* Atque adeò hoc mauult, quàm illud Propterea omnia ille fecit, ac ne vnigenito quidem pepercit, vt adoptionem filiorum reciperemus. Vt non tanquàm Dominum solùm; sed tanquàm Patrem reamemus. Debetur Christo Domino summus amor, quia & ille maximè dilexit nos, amantem autem non redamare impium; cùm in beneficijs vicem talionis reddere sit summè honorificum. Debetur Christo omnis dilectio: quia illo melius nihil, bonum autem ex natura sua amandum. Qui enim Deum diligit ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, triplicem apud Deum consequitur mercedem. Primam, quia à Patre & Filio & Spiritu sancto amatur. Qui enim diligit sine modo, sine modo quoque reciprocè rediligendus est, proinde qui diligit Deum ex se toto, ita quoque rediligi à Deo meretur. Et quia dilectio est operatio Dei ad extra, ideò diligens homo, à tota Trinitate rediligi meretur. Consequitur ex hac dilectione homo alterum præmium, quia Christus cordi eius seipsum infundit Ioannis 14. *Qui diligit me, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Consequitur & tertium præmium, quia à tota Trinitate inhabitatur, Ioannis 14. *Si quis diligit me sermonem* Ioan.14. *meũ seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Declaraui igitur, quomodò Christus, cùm sit dominus Dauid, sit quoque filius: est enim filius per assumptionem carnis veræ, est quoq; Dominus, & per diuinitatem, & per humanitatem sibi vnitam, quia ex consortio diuinitatis, adeò honorificata est Christi caro, vt in eodem cum deitate, honore sit comparata; ostendi quòd & reuerentiam illi debeatis, vt domino: & amorem, vt filio. Agnoscite ergo dominum vestrum, & illi deferte cultum, tanquàm viles creaturæ suo creatori. Agnoscite filium, & cùm portionem carnis' vestræ habeat, diligite illum ex toto corde, vt per totum quoque ab illo æuum diligi mereamini, Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Matth.* 22.

Explicatur, quid sit Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus.

VErus amor nullibi magis; quàm in filio erga Patrem, & matre in filium elucere potest. Ratio istius rei naturalis hæc est, quia cùm filius aliquid Patris in se includat, vt pote de semine ipsius conceptus, & genitus; in remunerationem huiusce incompensabilis beneficij, ab ipsa natura ad amandum semper stimulatur Patrem. Iam verò maternæ erga infantem dilectionis causa est, magna in partu dolorum perpessio: quantò

quantò enim pro aliquo grauiora ſponte & voluntariè patimur, tantò magis eũdem ſolemus amare, quemadmodùm incarnatus Dei filius, dùm pro mortalium genere non humano corpore perferendos cruciatus tuliſſet, tantò plus de ſua charitate in filios effudit hominum; idcircò cùm & Mater in parturiendis infantibus, ſummum patiatur dolorem, nimio quoque illos amore proſequi ſolet. Typum iſtius magni amoris, luculenter nobis, teſtatur ſacra pagina, 3 Regum 3. Vbi ortam contentionem inter duas mulieres recenſet: quæ dùm in eodem habitaculo manerent ſimul, ecce vna illarum noctu dormiens oppreſſit infantem ſuum, quem mortuum videns, dormienti alteri mulieri ſuppoſuit, & viuum abſtulit eiuſdem. Venerunt itaque ambæ ad Salomonem; ſuperſtitem ſibi adiudicandum poſtulantes infantem. Cumq; vtraq; ſuum eſſe conſtanter aſſeueraret, Dixit ſapientiſſimus Salomon. *Afferte mihi gladium*: cumq; attuliſſent coram rege, *diuidite* inquit *infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, dimidiam alteri*, & ecce vera mater, repentè effuſa eſt in inſolitum amorem erga natum ſuum, ſuper quo cõmota erant viſcera eius, inquiens: *Obſecro mi domine date illi infantem viuum. & nolite interficere eum*, illa verò cuius non erat filius infans, è contrario dicebat: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur*. Vt potè materno carens amore; quid prudentiſſimus Rex facit, ex inſolito amore veram Matrem inueſtigat, & quæ incolumem ſeruari petijt infantulum, eidem adiudicat illum, dicens. *Date huic infantem viuum, & non occidatur, hæc eſt enim Mater eius*. Similis planè contentio hodie eſt inter Chriſtum, & Phariſæum: Legis doctor diuidi hominem voluit in mundi illecebras, & Dei obſequium, Chriſtus verò verum ſe illius Patrem oſtendens, amorem & totum cor hominis expetit, ad quem Præſtandum iuribus naturæ & Dei tenetur homo. Conſiderabimus igitur, quid ſit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima. & ex totis viribus Audit.

3. Reg. 3.

Diligere Deum ex toto corde nihil eſt aliud; quàm appretiatiuè eundem amare, id eſt præferendo eum omnibus alijs rebus in ſua æſtimatione, in tantum, vt hoc appretiatiuo Dei amore ita te affectum eſſe oſtendas & præparatum, vt velis potiùs omnia tua perdere. quàm ipſum: talis enim amor efficaciſſimus eſt, ad ſeruanda omnia præcepta. Diligere Deum ex tota anima, eſt illum feruentiori & intenſiori actu diligere; quàm omnia alia. Non ſolùm enim Deum appretiare debemus ſupra omnia, ad quod hodiernum Chriſti Euangelium nos obligat, ſed conuenit ſimul, vt intenſiùs quoq; eundem amemus, ſi & quando fieri poteſt. Docuit hoc æterna Sapientia Matthæi 10. *Qui amat Matrem, aut Patrem, plus quàm me, non eſt me dignus.* Vbi per ly *plus*, æſtimatio nobis Dei præcipitur, & intenſio quoque maior ſuadetur, quàm in amore Parentum reperiri ſoleat. Diſcuſſit hoc ipſum ſubtiliter S. Chryſoſthomus homilia 42. in Matthæum in opere imperfecto inquiens: *Diligere Deum ex toto corde eſt, vt cor tuum non ſit inclinatum ad alterius rei, quàm ad Dei amorem. Diligere ex tota anima eſt: certum habere animum in veritate, & firmum eſſe in fide. Diligere tota mente eſt, vt omnes ſenſus Deo vacent.* Itaque cuius intellectus Deo miniſtrat, cuius ſapientia circa Deum eſt, cuius cogitatio ea quæ Dei ſunt, tractat; cuius memoria, quæ bona ſunt recordatur, is tota mente Deum diligit. 3. Reg. 6. Memorat Hiſtoria ſacra ſtructuram templi Salomonis. *Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur, ſed & oraculum veſtiuit auro puriſſimo, & pauimentum domus texit auro intrinſecùs & extrinſecùs, & duo oſtia ad ingreſſum oraculi veſtiuit auro.* Quid hæc pulcherrima ſtructura portendebat, certè non aliud quid, quàm hominem, quem in ſanctum Dei templum Chriſti mors roformauit, in hoc nihil

Mat. 10.

S. Chryſoſth.

3. Reg. 6.

hil niſi aurum fulgere debet, vt & in corde diuinæ charitatis feruor, & in voluntate prompta in Dei obſequia propenſitas, & in mente vitæ puritas, & in intellectu myſteriorum Dei notitia, & in tota anima purpureus hoſpiti Deo acceſſus, & in vniuerſis ſenſibus, pura in Deum charitas ſplẽdeat. Vaſtante Hieroſolymam Rege Babyloniæ, licet ſacerdotes ante expugnationem templi, multa vaſa pretioſa aſportare poſſent, omnibus tamen neglectis, ignem tantum modò abſconderunt, qui in primo ſacrificio Moſaico è cælo delapſus in altari perpetuò ſeruari debuit, & ſeruabatur ad illa vſqué tempora, ignis iſte charitatem ſymbolizat, quæ in primo ſacrificio, ſcilicet in Baptiſmatis ſumptione, è cælo deſcendit in corda noſtra ad Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum*, idcircò licet toties ſiue infernalis ille hoſtis, ſiue aduerſantis fortunæ ineuitabilis caſus, noſtras vaſtare audet poſſeſſiones. ſolam charitatem in cordibus noſtris abſcondere tenemur, quia in gratum ſacrificium Deo exhibendum, è cælo delapſa eſt, vt perpetuò ardens in cordibus noſtris conſeruetur; ſi enim cor noſtrum à dæmonum inſultibus, cum charitate diuina abſcondere ſciuerimus, vita nobis eripi nullatenus poterit. Prouerb. 1. *Omni cuſtodiâ cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*, & quæ maior cuſtodia circa ſeruandum cor haberi poteſt, quàm amoris Dei fragrantia? ignis iſte in prima ſpirituali noſtra generatione, id-circò cœlitus deſcendit in nos, vt per totam æternitatem inextinguibilis maneat, vt non immeritò D. Bernardus dixerit, præceptum de diligendo Deo, non poſſe impleri in hac vita, ſed in futura, quaſi diceret; diligere quidem homo poteſt Deum in hac vita ſupra omnia eum appretiando, ſupra omnia colendo, ſupra omnia amando, ſed iſtam dilectionem complere nequit, niſi in futura vita, finis ſiquidem præcepti de diligendo Deo eſt: Deo incontinenter adhærere, quod homo præſtare nequit, niſi tunc, cùm præſentem contemplabitur Deum. Viſio quippè illa quò clarior eſt, eò fortiùs in ſui amorem ſpectantem animum rapit, cuſtoditur omnimodè cor hominis, dùm totum omnimoda charitate impletur; tunc enim, nec mundi inconſtantia, nec inferorum maligna aſtutia, ei quidquam nocere poſſunt. 3. Reg. Vltimo, Achab Rex Iſraël deſcenderat in prælium benè armatus, ex vna parte: ex altera verò inermis; & ecce vir quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigẽs, & caſu *percuſſit Regem Iſraël, inter pulmonem & ſtomachum, & lethaliter vulneratus eſt*. Si Achabus clypeo benè muniuiſſet latus, ſi totus lorica indutus in prælium deſcendiſſet, procul dubiò effugiſſet mortem. Quid homo in lucem editus facit, deſcendit in prælium aduersùs diabolum, & mundum; ſi totus armatus eſt, vitabit caſum; ſin verò ſolùm corpus erit munitum, nuda verò anima, facilè infernali ſagittâ lethaliter percuti poterit. Et quod propugnaculum cordis habere poteſt fortiùs, Dei charitate? certè nullum: obarmatus hoc clypeo Paulus, audacter perrexit in Hieroſolymam, vbi Spiritus Sanctus prædixerat ei multa pro Chriſto toleranda, & eum ibi vincendum ac ligandum, cumqué valedicentem eum diſcipuli profuſis lachrymis retinere vellent, diuino amore benè in animo & corpore munitus, reſpondit. *Quid facitis flentes & affligentes cor meum: ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum, propter nomen domini Ieſu*, Actorum 21.

Ignis ſacer.

Rom. 5.

Prou. 1.

S. Bern.

3. Reg. Vltimo.

Act. 21.

Hoc diuino amore nimiùm ebria Magdalena, non verita cuſtodes ſepulchri, Chriſtum quæſitura venerat, inquiens: *Si tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, vbi poſuiſti eum & ego eum tollam.* Ioannis 20. At vnde tibi mulier tanta audacia eſt, diuinus amor ita fortiter te accendit, vt in medios hoſtes proſilias, dum modò eum qui charitatem in cordibus auget, inuenire poſſis,

Ioan. 20.

sis. Pulchrè in hunc locum Origenes homilia 10. in diuersis discurrit. Origen. *O maria si corpus Iesu fortè positum est in atrio Principis sacerdotum, in quo Princeps Apostolorum calefaciebat se ad ignem, quid factura es? Ego eum tollam! ô mirabilis mulieris audacia. Et si ancilla ostiaria interrogauerit te, quid factura es? Ego eum tollam: ô ineffabilis huius mulieris amor, nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit. Dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Nec certè id mirum videri debet, ad omnia B probra & tormenta pro nomine Iesu, ad omnes casus & aduersitates, pro amore DEI paratus esse debet homo. Si enim pro ijs hominibus quos vehementer amamus, grauissima quæque vltrò patimur. Quemadmodùm Sichem ille Principis filius, Dinæ amore filiæ Iacob raptus, sese circumcidi permisit, dum modò in Vxorem reciperet puellam, quam supra modum adamauerat, ô quantò maiora pati debemus pro amore Dei, cuius pulchritudo niue C candidior, cælo clarior, splendidior sole. Appretiare tenemur eius maiestatem, supra omnia, pati pro honore illius obligamur supra omnia. Gentiles, qui falsos Deos colebant, tanto illos prosequebantur amore, vt perire maluissent; quàm Deos perdere, Quinqué viri de tribu Dan inquit scriptura Iudicum 18. ingressi domum Michæ, abstulerunt illi sculptile & conflatile idolum, quod colebat. quo viso Micha insecutus est illos; at verò raptores clamauerunt Iudic. 18 D ad eum. *Quid tibi vis cur clamas?* qui respondit. *Deos meos quos mihi fecitulistis, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis quid tibi est.* ecce quantus amor hominis in falsos deastros, vitam sibi potiùs eripi vult; quàm fictiles Deos. At in homine Christiano quantò maior in verum Deum amor reperiri potest, intrant toties nostram domum, scilicet corpus hoc mortale. quinque viri, scilicet; quinqué sensus externi, & ecce per illicitum abusum eripiunt nobis Deum ex imò corde; insequimurne illos statim, & amissum repetimus Deum? non: sed saxorum instat hæremus immobiles in peccati turpitudine. Et quid magis poterit nos condemnare, in seuero DEI iudicio; quàm tepor iste diuinæ charitatis? quàm Ethnicorum & Paganorum erga suos falsos Deos incredibilis amor & feruor? qui in seruando Deorum cultu etiam sanguinem suum toties profundebant. Nos verò ne minima pro amore IESV pati volumus, quod seuere arguit Deus per Prophetam Iudæos alloquens. Ieremiæ 2. *Quid inuenerunt Patres vestri,* Hier. 2. *in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum ait dominus, & cum filijs vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim* (id est Italiam) *& videte: & in Cedar mittite* (id est ad Ismaëlitas) *& considerate vehementer, si mutauit gens Deos suos: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Ergo ne & nos gloriam nostram mutamus in idolum? sic boni Christiani? quoties ad mundi illecebras, ad carnis voluptates, ad diaboli suggestiones descendimus, peiùs Ethnicis colimus idola. Et quæ enim est gloria nostra, nisi quòd populus Dei simus quòd charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris; & ecce si Deum feruenti deuotione non adoramus, si charitate omnes excedente creaturas, eum non colimus, gloriam mutamus in idola, id est; in peccatum, D quod est sculptile diaboli.

Discursus hic inter Doctores oritur grauis, si Deum super omnia tenemur amare, quandonam istud præceptum diligendi Deum nos obligat? circa quod varij variè opinantur. Alij enim dicunt, cùm primum homo rationis vsum assequitur, tenetur Deum diligere, quidam in ipso vitæ termino. Nonnulli accepto aliquo beneficio à Deo, tunc enim vt se homo gratum Dei donorum ostendat; tenetur Deum diligere, alij verò quoties auditur Dei blasphemia,

sphemia, aut tentatio odiendi Deum A suggeritur, Dei amor maximè est declarãd⁹, quia eiusmodi stratagemata diaboli, non alijs expugnari possunt telis; quàm charitate in Deum æstuante nostrâ Anima. Cæterùm hodiernum Euangelium difficultatẽ hanc resoluit, dùm inquit, *Diliges dominum* Ibidem. *Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente*, ecce nullum excipit tempus, sed Deum absolutè suadet amandum, quamdiu igitur viuis ô homo, quamdiu potes, Deum teneris amare; qui enim nul- B lum tempus excipit, nullum quoque negat, sed semper obligare videtur, Si enim præceptum de diligendo Deo maximum habetur: igitur & dilectio seu Dei charitas, maxima virtutum est; & quia maxima, sæpiùs exercenda. Nec mirum id videatur: sumus enim nos ex præcepto obligati, vt amemus Deum super omnia, id est sæpiùs; quàm omnia. & quia semper in aliquid fertur noster amor, idcircò & in Deum, nunquàm cessare debet, sed difficultatem no- C bis mouet S. Matthæus 22. *Secundum* Matt. 22. *autem* inquit *huic simile est, diliges proximum sicut teipsum*, si enim præceptum de diligendo proximo, est simile præcepto diligendi Deum, quomodò iam Deus supra omnia diligetur, cùm & proximus similiter? sed quæstio hæc sic à Doctoribus soluitur. Mandatum de proximo esse simile diligendi Deum, secundùm externa opera, non autem secundùm internum affectum. Deus enim cùm abscondita quæque cordis humani D scrutetur, internum amorem ex totis visceribus procedentẽ, tenemur illi persoluere; proximo autem magis externum affectum declarare, vt pote ipsi notum, & in bonum eius ordinatum, cùm igitur amor proximi ex amore Dei super omnia procedat, similis illi quodammodò esse ratione externi operis censetur. Pulchrè hoc ipsum declarauit S. Ioannes inquiens: *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, & quæ est ista proximi dilectio. Non velle ipsi malum, vnde quoties proximum tuum non honoras, sicut teipsum, præceptum amandi Deum non imples: charitas enim procedens in Deum, maximè in charitate proximi elucescit. Cæsar cùm exteros quosdam videret Romæ, catulos in sinu circumferentes, interrogabat, an apud illos populos liberi non nascerentur, indignatus videlicet amorem illum, qui liberis debebatur, in catulos transferri. Dominus Deus quoties videt, nos magis amare viliores creaturas, quàm homines, & proximos nostros, quid facit? indignatur maximè, quòd amorem homini debitum, canibus, aut alijs animalibus tribuamus.

Hinc appositè D. Gregorius homilia 38. in Euangelia inquit: *Duo* S. Greg. *hæc necesse est charitas præcepta custodiat, quisquis habere in nuptijs vestem nuptialem cupit.* Si diligis Deum super omnia, memineris huic amori annexam esse proximi dilectionẽ, quem ita diligere debes, vt nullum ei malum velis, sed bonum potiùs, talis proximi amor ipsis Ethnicis, & Deum nescientibus, natura duce ita insitus fuit. Vt qui virtute & ratione alios præcellerent, facilè viderent, hominis vitæ & saluti, nihil eorum omnium, quæ extra nos sunt, comparandũ esse, ne dum præferendum, quod Fulgosus lib. 5. cap. 1. pulchro illustrat exemplo, Pollio ciuis Romanus, Augusto Cæsari conuiuium apparauerat, cumq; seruus eius vas crystallinum confringeret, iussit illum Pollio in viuarium demergi, vt sic murænarũ pabulum fieret. Cumqué iam ad miserabile illud supplicium duceretur, euadens lictorum manus ad Augusti pedes sese proiecit, supplicans, vt alio mortis genere interiret. Cognitâ causâ & genere mortis Augustus, seruum fecit liberum, Pollionis verò omnia vasa crystallina allatâ virgulâ confregit, & Fulgos. viuaria euerti iussit, inquiens; *Hominem cuiuscunq; conditionis sit, hoc ipso quòd homo est, pluris faciendum esse, quam omnia totius mundi vasa & viuaria.*

At

At verò homo Christianus, toties in A bona proximi, leuissima de causa assurgit, famam mordaci lingua discerpit, & quod magis dolendum, in miseram mortem non rarò conspirat, fortassè doctrina veteris testa-
Mat. 15. menti citata à Christo Matth. 15. huc nos propellit, dicitur enim ibi: *Audistis quia dictum est Antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum.* Sed non est, quod preximi amorem in nobis extinguat: odium enim illud inimici permissum fuit à Deo, non inimicitiæ, sed abominationis, B hoc est, vt Israëlitæ abominarentur Chananæos, non propter propriam sui iniuriam, sed Dei, siquidem illi legem Dei per Moysen datam auersantes, ad idololatriam concitabant. Proinde si quis Catholice te læsit, eum putas esse tuum inimicum, non ideò illum odisse debes, sed potiùs, si te à Deo auocat, si ad peccatum inducit, iam propter hanc Dei offensam, contemnere & abominari illum potes, tanquàm præuaricatorem legis diuinæ, sic omnes hæreticos & C infideles Deum blasphemantes odisse tibi permissum est; non tamen quâ homines, quia sic proximi tui sunt; sed quatenùs legem Dei auersantes, & ad idololatriam te inducentes. Sed nos toties ad odium hominum, non Dei blasphemia, non abominabilis perfidia excitat (somniamus enim frequenter & dormimus in tali casu) sed potiùs respectus consanguinitatis, & mala persuasio. Plutarchus in græcis Apophtegmatis scriblt. Olympias vehementer vrge- D bat Alexandrum Magnum, vt infontem quendam occideret, cui respondit Alexander, aliam inquit Mater à me mercedē postula: hominis enim vita nullo beneficio compensatur, si nos Dei præceptum præ oculis haberemus, sæpiùs cùm nos hæc Mater, deprauata natura, ad proximorum odium, ad iniuriæ vltionem, ad inimicorum iram prouocat, respondere-mus; aliud à me postula, quia lex diuina nullatenùs violari debet. Qui enim diligit Deum ex toto corde, & proximum sicùt seipsum, legem impleuit, inquit, Apostolus Roman. 13. Rom. 13
Et in hoc vno recapitulatur tota lex.

Arripite igitur diuinam charitatem, per quam legem diuinam adimplebitis, omnia enim vitia per vnam charitatem deuitantur. 1. Co- 1. Cor. rinth. 13. *Nam charitas* inquit *patiens est*, idcircò facit, vt aduersa omnia æquo animo toleremus, *benigna est*, idcircò opera misericordiæ, & omne eleëmosynarum genus in nobis operatur. *Charitas auaritiam & cupiditatem expellit, quia non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei.* Charitas non irritatur, quia omnem mansuetudinem docet, & iram comprimit, charitas non cogitat malum, quia caret omni suspicione, & candore plena est. Charitas non delectatur alieno malo, sed compatitur potiùs, quia veritati congaudet, bonis alienis gratulatur, & particeps eorum fieri cupit, charitas omnia suffert siue ex Dei prouidentia, siue ex hominum malitia immissa mala, omnia credit suauiter se submittēs iugo fidei. Omnia sustinet, expectans in patientia laborum mercedem. Deniq́ue charitas nunquàm excidit, quia sempiterna virtus est, quæ & hic iustos facit, & in cælo beatos ornat. Arripite illam proinde toto corde vestro, vt Dei iustitiam induamini, & quia hic non potest tota expleri, vt potè sempiterna, eam sempiternis temporibus in iucundo Dei aspectu in cælis contemplandam Deo adiuuante ne dubitate.

DOMI-

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Ascendens IESVS in naui culam transfretauit & venit in ciuitatem suam. *Matthæi 9.*

Nauis est corpus mortale, ciuitas, beatitudo æterna, ad quam per virtutes, & magnos labores currendum est.

ADeonè iam & ipsæ inquieti A maris aquæ Christi imperio renuntiant? vt quæ antea beatis illius pedibus, velut solidum & marmore stratum pauimentum sese substernebant, dùm ad periclitantes transiret discipulos: *Et*
Matt. 14 *venit ad eos ambulans super mare.* Matthæi 14. Nunc illum non aliter velint sustinere; quàm nauiculæ incũbentem? quasi vnum purum hominũ, cui terra duntaxat ad ambulandum, & lignum, ad nauigandum cõ- B cessa sunt. Si enim grauitatem eius corporis ferre non possunt, ruent Philosophantium documenta, qui asserunt, elementa & corpora omnia in suo centro nec leuitare nec grauitare: corpus aùtem Christi, etiam dùm in terris conuersaretur, fuit in centro proprio, quia intima diuinitatis sibi vnitæ præsentiâ fruebatur, quæ sola vltimatus & animabus, & hominum corporibus terminus præ- C fixa est: quomodò ergo super aquas ambulans IESVS grauitare potuit, quem ipsa alleuiabat diuinitas? quomodò nauiculâ egebat, qui suâ virtute & terras, & maria sustentat. *Appendit enim tribus digitis molem terræ,* inquit sacer textus, id est; terram bonitati, vt eam in omnem fæcunditatem, & fructuum copiam erumpere faciat: mare omnipotentiæ, vt eius inundationes & procellas certis limitibus circumscribat, quas transire non possint, iuxta illud regij vatis:
Ps. 103. *terminum posuisti aquis, quem non trans-*
gredientur neque conuertentur operire terram. Animalia & creaturas rationales prouidentiæ, vt illis cuncta necessaria subministret, & in præfixum finem dirigat. Quid ergo tàm omnipotenti Domino, necesse erat, nauiculam conscendere, cùm perinde eum flumina sustinere possent, atq́; aër nubes. Respondet Abulensis in caput 15. Matthæi quæst: 100. *Quia* Abulen. *Christus iam satis ostenderat, sua potestati, non solùm terram sed etiam mariæ subesse, cùm per eorum, aquam siccis pedibus ambularet.* Proinde opus non erat, vt ampliùs sine necessitate miraculum hoc faceret, cùm vt verus Deus citra necessitatem non soleat quidquam operari. Cuius rei euidentissimũ fuit exemplum, quando Princeps ille Archisynagogus, qui pro filia sua periculoso morbo laborante, Christum supplex obsecrabat. Vt veniret, & moribundam sospitaret: & ecce nuntius occurrit, mortuæ iam puellæ nuntia ferens. Tunc mærenti Patri Christus: *Noli* inquit Lucæ 8. *timere, crede tantùm, & salua erit.* Lucæ 8: num. 50. Et cur obsecro Christus dominus, qui fidem vnicuiq́ue dare potest, & dat; fidem tamen à principe exegit, iussitq́; vt crederet? Respondet Abulensis quæst. 113. in cap. 9. Matth, causam eam esse, quòd Christus non faciebat, quidquid poterat diuinitùs facere; quia alias non oportuisset, quod prædicaret; cùm posset omnes facere bonos, per inspirationem, sed non fecit. Immò soli

soli hoc necessitati detulit, vt mira-
cula, si quæ exigerentur faceret, hoc
enim est generale, quòd quidquid
hominibus fieri poterat per Christũ,
nunquàm diuinitùs faceret, sed opti-
mè respondisset ad præsens, Chri-
stum ideò ascendisse nauiculam, vt
ostenderet, per solam amaritudinem
pœnarum, ad gloriæ dulcedinem pe-
netrandum esse. Ad quid enim Chri-
stus salsas procellosi maris vndas
transmisit, vt in patriam suam per-
uenisset? Cur potiùs non per apricos
portus, aut viridantia prata, eò tran-
sijt? scilicet; vt per mare, per ama-
ritudines, per scopulos aduersita-
tum, per fluctus ærumnarum nobis
contendendum esse intelligamus,
quicunq; ad illam gloriæ patriam ad
mittimur. Nauem igitur quam Chri-
stus Dominus ascendit, ciuitatem ad
quam venit, & quomodò ad eã trans-
fretare debeamus, cõtemplabimur.

S. Bern. Sanctus Bernardus lib. 2. de con-
sideratione, ad Eugenium per nauem
hodiernam, intelligit Ecclesiam san-
ctam. *Mare* inquit *seculum est, Eccle-*
siæ naues, quid enim aquæ multæ, nisi po-
puli multi sunt? Et ideò cùm quisq;
cæterorum habeat suam, tibi (id est
Petro) vna grauissima commissa est
nauis, ex omnibus facta ipsa vniuer-
salis Ecclesia; toto orbe diffusa. hanc
nauiculam. vbi conscendit Christus,
ita feliciter gubernauit, vt per totũ
mundi Oceanum, sine vllo tranaret
naufragio, ad extremas mundi pla-
gas, non gemmas quæsitura, sed ani-
mas, feliciter excurrens: suum naui-
gium in mari rubro de Christi late-
re profluente exorsa est: non ad vel-
lus aureum fabulosi arietis conqui-
rendum, sed sacrosanctum nomen
immaculati Agni coram regibus, &
gentibus exportandum. Et certè quæ
illam pericula frangere, aut tenere
poterant, quæ tàm bonum ferebat
nauclerum. Pergebat hæc nauicula
inter medias procellas, adeò cõstans
& secura, vt sibi videretur non naui-
gare inter fluctus, sed ambulare inter
flores, vt docet sapiens Ecclesiast: 43.
num. 25. de nauigante Christo lo-
quens. In sermone inquit eius siluit
ventus, & cogitatione sua placauit
abyssum & plantauit in illa dominus
insulas. Et certe nauigare debuit hæc
nauis; vt progeneraret ex aqua &
Spiritu Sancto, in adoptionem filio-
rum Dei vocatos, cùm diuinus spiri-
tus non alibi; quàm super aquas fe-
ratur. Genesis 1. Cæterum credide-
rim ego per nauem, quam Christus
Dominus conscendit, non aliud si-
gnificari; quàm corpus mortale as-
sumptum, à secunda deitatis perso-
nâ. Quiescebat enim æternus Dei fi-
lius in sinu Patris, antequàm homo
fieret, vt potè ens perpetuum & im-
mobile. Sed postquàm nauiculam
hanc de arbore leuigata veteri virgi-
nalis excisam conscendit, non iam
in molli lecto diuini augustalis con-
sidere, sed in amaro mundi ærumna-
rum oceano nauigare debuit; non
immobile in regali palatio hærere;
sed assiduis agitatam procellis vitã,
inter terrena naufragia traducere
compulsus est. Vt enim nauis vehe-
mentissimis impulsa turbinibus, nau-
clerum ad scyllas & Charybdes im-
pellit non rarò; sic assumpta huma-
nitas Dei filium, in maleuolorum op-
probria, & ludibria præcipitauit. De-
bebatur quidem Christo ex vi vnio-
nis, ad verbum, immortalitas & im-
passibilitas. Sed quẽadmodùm pru-
dens nauclerus vrgente summo flu-
ctuãtis æquoris discrimine, etiã pre-
tiosas merces in profũdo demergit,
dummodò vitam aliorũ conseruet;
sic planè Dei filius, cùm tumultuãtis
malitiæ persequentium turbines de
sæuirent, corpus suum quo nihil ca-
rius habuit, in profundum omnis cru-
delitatis præcipitauit, vt tantùm sal-
uas hominum animas conseruare
posset. O magnam cœlestis naucleri
prudentiam, perire ipse maluit, peri-
clitanti saluti aliorum consulendo.
Immo de corpore suo proprio na-
uem in cruce sancta excidit, vt quis-
quis illam conscenderet, æternùm
non pereat. In hac nauicula trans-
fretauit Iesus in ciuitatem suam, hoc
est; in gloriam beatitudinis. Nam

sacri Doctores excellentiam huius
præmij, quòd Deus legi suæ obse-
quentib⁹ pollicitus est, declarare vo-
lentes, pariterq; agnoscentes, nullo
vno nomine quantumuis præcellen-
ti, dignitatem & maiestatem eius ex-
primi posse, varijs ijsq; clarissimis
Epithetis, & nominibus, cœlestem
beatitudinẽ çohonestârunt. Vt quòd
vni deest, alia suppleant, omniaq;
simul iuncta, aliquid vt minimum di-
cant, cùm omnia quæ in ea latent,
aperire minimè valeant.

Apocal. 14. Ac inprimis S. Ioannes in sua A-
pocalypsi, æternam beatitudinem
requiem vocauit Apocalypsis 14. *Vt*
requiescant à laboribus suis. Beatitudo
enim est tutissimus portus, in quo iu-
stus post periculosam, ac turbulen-
tam huius seculi nauigationem, feli-
Gala. 4. citer quiescit. Diuus Paulus ad Gala-
tas, libertatem eam appellat Gala-
tarum 4. *Libertatem filiorum.* Iustus
enim ex huius vitæ tyrannica serui-
tute, ad libertatem filiorum Dei pro-
Psal 23. greditur. Dauid montem altum il-
lam nominat. Psalmo 23. *Quis ascen-*
det in montem domini, aut quis stabit in
loco sancto eius. Isaias pacem illam vo-
Isaiæ 66 citat. Isaiæ 66. *In pace in id ipsum dor-*
miam & requiescam, & declinabo super
eam quasi fluuium pacis. Ibi enim cru-
dele illud bellum, de quo D. Paulus
ad Galatenses, ait, caro concupiscit
aduersùs Spiritum, spiritus autem
aduersùs carnem, penitùs terminatur, & pax totam animam incipit oc-
Phip. 4. cupare, iuxta illud Philippens: 4. *Pax*
quæ exuperat omnem sensum. Demùm
Apoc 19 S. Ioannes Apocal. 14 Ciuitatem S.
nominat. *Vidi* inquit *Ciuitatem San-*
ctam Ierusalem. Et meritò ciuitatem
vocat: ciuitas enim quatuor ha-
bere debet, Munitionem, difficilem
aditum, amænitatem, & diuitias. Be-
atitudo æterna his tribus prærogatiuis gloriatur, habet enim munitio-
nem firmam, *quia & portæ inferi non*
præualebunt aduersùs eam. habet diffi-
cilem aditum, quia via quæ ducit ad
vitam angusta, & nimiùm arcta est.
duplex enim tantummodò in mun-
do via reperitur, vna quæ ducit ad
cælum, altera quæ ad infernum; sed
quia ad infernum iter latissimum,
ideò ad cælum summè angustum, vt
Auctor. Imperf. docet Auctor imperfectus in Mat-
thæum hom. 18. *Porta* inquit *perditionis est diabolus, per quam introitur in*
gehennã: porta autem vitæ est Christus,
per quam introitur in cælestia regna.
Lata autem porta dicitur esse diabo-
lus, non magnitudine potestatis ex-
tensus; sed effrenatæ superbiæ licen-
tiâ dilatatus; Porta autem angusta
dicitur Christus, non paruitate pote-
statis exiguus; sed humilitatis ratio-
ne collectus. Comprobatq; idem
Auctor; quare diabolus sit lata por-
ta, quia omnibus peccatis inuolu-
tos, & vniuersam mundi sarcinam
baiulantes, recipit, & ducit in mor-
tem. Hoc voluit exprimere Salo-
mon, quando Prouerb. 30. nnm. 15.
& 16. dicit Tria inquit sunt insatu-
rabilia, & quartum penitùs insatia-
bile, scilicet infernus, quia vt docet
Augustinus libro de salutaribus do-
cumentis, nunquàm dicit satis est,
& licet fluuium absorbeat, non satia-
tur, Iob 40. num. 18. *Ecce* inquit *ab-* Iob 40.
sorbebit fluuium, & non mirabitur, & ha-
bet fiduciam, quòd Iordanis influat in os
eius. Vbi D. Gregorius lib, 33. Mo- S. Greg.
ralium cap. 6. Per fluuium, improbos; & per Iordanem, iustos inter-
preratur; *Neque* inquit *mirum deputat* (nempe diabolus) *si eos absorbeat,*
quos superbia erigit, auaritia tabefacit,
voluptas dilatat, malitia angustat, ira
inflammat, discordia separat, inuidia ex-
ulcerat, luxuria inquinans necat, sed
illos magnoperè rapere nititur, quos de-
spectis terrenis studijs, iungi iam cælestibus
contemplatur. Neq; his dictis aduer-
satur, quòd aliquando dixit Eliu lo-
quutus de Deo cum Iobo. Iob. 36.
Saluabit te inquit *de ore angusto latissi-* Iob 36.
mè. Numero 36. hoc est; de inferno.
Nam licet inferni os dicat, esse an-
gustum, tamen statim addit, esse pa-
riter latissimum; latissimum qui-
dem ingredientibus; sed egredien-
tibus angustum, sic interpretabatus
Philippus. *Os* inquit *augustum amplis-*
simè, eò quòd amplum sit ad recipiendum,

& angustum ad emittendum, quoniam A *inferi mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire.* Cùm ergo latissima sit inferni porta, quis dubitabit latam quoque viam esse, quæ ducit ad interitum? Et nequis ab ea via paulisper declinet, ductor adest diabolus, qui morantes aut asiò deflectere volentes, arguit & impellit. Quod rectè expendens D. Basilius in
S. Basil. Psal. 1. *Via* inquit *illa facilis & lata pronoq; cursu decliui, habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem se sequentes ad perditionem trahit. Asperæ* B *verò, & accliui, & arduæ, Angelus præsidet bonus, qui per strenuos pro paranda via labores, ad finem beatum sequaces suos deducit.* Sed quò plures huius viæ facilitate delectantur, eò plures in calamitates, dùm illac ire pergunt, dilabuntur. Hoc expressit Dauid, qui hominis imperium Deo gratulatus,
Psal. 8. *Omnia* inquit *subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.* Psalmo 8. num. 8. Vbi Diuus Augustinus inquirens, cur pecora campi, ab alijs ouium gregibus, C boumq; armentis distinguantur. Respondet: Quia Ecclesia non solùm boues & oues continet, id est; sanctos Dei seruos, sed insuper & pecora campi, pecora enim campi congruentissimè accipiuntur, homines in carnis voluptate gaudentes, vbi nihil arduũ, nihil laboriosum ascendunt. Quare metuendum est, ne quis descendens de montibus iustitiæ, latitudines & facilitates voluptatis carnalis eligẽs, à diabolo trucidetur. Vbi allusio fieri potest ad illud Salomonis, loquentis de iuuene, latam voluptatis viam arripiente, Prouerb. 7.
Prou. 7. num. 22. *Statim* inquit *eam sequitur quasi bos ductus ad victimam.* Vt enim boues per vberrima & pinguissima pascua saginati, ad carnificinam rapiuntur, ita iuuenes per latam & spatiosam viam, liberè fluctuantes, in interitum præcipitantur. Angusta igitur via ad beatitudinem, quia per Verbum æternum in carne humana abbreuiatum. & in cruce extensum secundùm assumptionem, tendit. Ci-
A uitas debet habere amænitatem & diuitias. Quas odoratus Propheta dicit Isaiæ 94. *Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te,* Isaiæ 94
quem locum S. Paulus sic commentatur 1. Corinth. 2. *Neque oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2.
Vbi S. Paulus in his verbis, tribus vtitur amplissimis mensuris, ad explorandas æternæ fælicitatis diuitias, pariter & delitias. Prima est oculi, dùm inquit, *Neq; oculus*
B *vidit &c.* quæ quidem adeò cap ax est, vt tametsi ingenti cælum & terra intercapedine distent, tantaq; sit vnius stellæ magnitudo, vt vniuersam longè superet terram; nihilominùs tamen & vastissimi cælorum orbes, & planetæ, & stellæ, exigua pupillâ oculorũ capiuntur. Secunda mensura est auditus. *Nec auris audiuit.* Quæ iam oculi perspicacitatem superat, visu namque nonnisi præsentia cernimus, auditu autem; & præsentia, & præterita, & futura, percipimus.
C vnde D. Paulus auditum, organum fidei appellauit Roman. 10. *Fides* in- Rom. 10
quit *est ex auditu.* Tertia tandem mensura est, cor: quæ duas priores incomparabiliter antecellit. Videmus namque quòd in ictu oculi, imò & in momento cordis cogitatio in cælum ascendat, inferos penetret purgatorium visitet, mõtes pertranseat, maria nauiget, per septem mundi regiones vagetur, volat per aëris sphæram, & nubes transcendit, planetas perstringit, Angelos insequi-
D tur, mundi egreditur limites, graditurque per immensa illa imaginaria spatia, quæ vltra cælos confingunt Philosophi; ac demùm in vnico instanti mille mundos fabricatur, nec quicquam inueniri potest, quod aut naturali, aut supernaturali lumine intelligere nequeat. Et nihilominùs supremam illam beatitudinem, formalem, & obiectiuam comprehendere minimè potest. Neque in cor hominis ascendit. Contendit ergo Diuus Paulus, tres istas mensuras tametsi adeò ingentes, **ad declarandam**

æterni

æterni gaudij, atq; beatorum felici- A tatis excellentiam, neutiquàm sufficere. Quis ergo non agnoscit cœlestis illius ciuitatis summas esse opes? cùm mens humana, quæ nullis terrenis oblectamentis suum explere possit appetitum, ibi solùm ad contentationem vsque exsatianda sit. teste regio Vate Psal. 16. *Satiabor* inquit *cùm apparuerit gloria tua:* Quasi diceret: Domine, quamuis adeò capaces ac spatiosi sint animæ meæ sinus, vt neq; vniuersa elementa, neq; B cæli, neque Angeli, neq; omnes creaturæ præsentes, & in futurum creandæ, immò & creari possibiles, implere eos vllo modò valeant; solatamen clari vultus tui visio, & ardentissimus tui amor, eius capacitatem explere: & omni ex parte satiare possunt. Verùm obijciet quispiam, si ipse Deus per sapientem loquitur
Eccl. 24. Ecclesiastici 24. *Qui edent me, adhuc esurient.* id est; qui cibo æternæ beatitudinis reficientur, adhuc esuriem eius habebunt: quomodò mens humana satiari poterit cœlesti beatitu- C dine? quoniam vbi est satietas, ibi fames adesse non potest: vel si fames est, satietas non aderit. Respondet
Carthagena. doctissimus Carthagena, tomo 1. libro 8. hom. 7. per hoc maximè illius felicitatis æternæ excellentiam declarari. Fames enim duo continet, vnum molestum & ingratum: aliud gratum & iucundum. Ingratum est, qnòd quamdiu durat, stomachus caret sufficienti alimento; gratum verò est, quod excitat appetitum: vn-
S. Bern. de abijt Prouerbium D. Bernardi: D *Optimum condimentum fames.* Satietas pariter, habet aliquid vtile, & aliquid noxiuum: vtile est, qòd indigentiæ naturæ satisfacit: nociuum verò, quod fastidiũ & nauseam parit. Beatorum ergo facietas eius est conditionis, vt ex satietate & fame, quæ optima sunt, nociuis dimissis, in vnum copulauerit, è fame comedendi appetitũ, & desiderium mutuatur,
1. Petri 1 iuxta illud 1. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* E satietate verò accipit explere, ac plenè desiderio

satisfacere. Hinc est quod Christus loquens de Angelis custodibus, dixit Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident patris mei faciem, qui in cælis est.* Matt. 18
At verò Apostolus ait: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Vbi posset quispiam dicere. Si vident, quomodò videre desiderant? nam quod possidetur, non desideratur. Verùm vtraq; hæc in visione beatifica coniunguntur: satiat illa beatos, eisque plenè satisfacit, & ex hoc fit, vt ab omni molestia, & anxietate liberi, continuo quodam appetitu, & desiderio videndi, atq; fruendi Deo in æternum, & vltra, auidissimè trahantur, vnde vtroque bono, quod in fame & satietate reperitur, potiuntur. Quamuis autem tanta sit æternæ beatitudinis præstantia, tantùm cœlestis gloriæ pondus, nihilominùs tamen iustus, minimo bono opere, etiam calice aquæ sitienti porrecto, præmium illud ex iustitia meretur iux-
2. Tim. 2. ta Diuum Paulum 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi* inquit *corona iustitiæ.* licet enim Deus pro minimo illo opere bono, iusto donasset Cræsi diuitias, Romanorum imperium, Alexandri regna, aut Hispaniarum Regis innumeras prouincias, ad cõdignam illius mercedem minimè sufficerent: immò quibuscunq; alijs sibi donatis; si Deus videndum se ipsum non exhiberet, inæquale illius operis præmium essent. Quòdsi mirum alicui videatur, quomodò fieri potest, vt tàm parui momenti opera, tanti valeant, vt Deum ipsum in mercedem
D sortiantur. Gen. 15. *Ego ero merces tua magna nimis:* occurrunt tamen Gen. 15.
plurimæ istius veritatis rationes.

Prima est, quòd Deus Optimus Maximus, iure iurando pollicitus sit, bonis iusti operibus præmium hoc exhibere. vnde sicut si laboranti in vinea, quamuis quatuor argenteorum merces sufficiens esset; si tamen pacisearis cum illo daturum decem, tunc opera illius quamuis non ex se precisè spectata; ratione tamen pacti; condigna est solutionis decem argenteorum. Non secus opera nostra

ſtra bona, licet ex natura ſua exigui præmij, digna ſint, & bonis temporibus plenè ea Deus remunerare poſſet; tamen ipſe ſponte ſua voluit, iureiurando nobis promittere ſeipſum, in illorum mercedem daturum. Vt Hebr.6. docet Apoſtolus Hebr. 6. *Volens* inquit *Deus oſtendere hæredibus, immobilitatem conſilij ſui, pollicitationis interpoſuit iuſiurandũ.* Si ergo Deus authoritatem ſuam iuramento interpoſuit, cælum & terra faciliùs diſſolui poſſunt; quàm illius pollicitatio, aut iusiurandum, futile reddi, atq; hinc B opera iuſti bona, & ſi exigua videantur, tanti valoris ſunt, vt vitam promereantur æternam,

Secunda ratio, quia ob excellentiſſima Chriſti Domini opera, Deus exigua noſtra remunerat, vnde quẽadmodùm Principes, propter obſequia à Parentibus exhibita, filios eorum ampliſſimis beneficijs cumulant. Ita planè cùm Chriſto Patri noſtro (ſic enim Iſaias eum vocat Iſa- Iſaiæ 9. iæ 9. *Pater futuri ſæculi*) nullum eſſentialis beatitudinis præmium, ob heroicarum eius virtutum opera, Deus impertiuit, (animæ enim gloria, quæ naturaliter vnioni hypoſtaticæ debita erat, omnia eius merita anteceſſit, & independenter ab illis ei collata fuit) inde eſt, quòd cùm magni illius Patris inſignia, atq; memoranda opera, nullam eſſentialis gloriæ mercedem recepiſſent, Deus exigua quæq; filiorum illius remunerat.

Tertia ratio eſt, Angelici Doctoris, felici illius digna ingenio, is capite 2. quæſt: 114. artic. 3. ait. opus bonum alicuius iuſti, quamuis conſideratum, vt à libero hominis oritur arbitrio, parui momenti ſit, tamen vt ex gratia Spiritus S. procedit, magni valoris eſſe. Quod exemplo hominis argumento conſentaneo probat. S. Thomas. *Accidit non rarò, vt vir illuſtris, & nobilitate conſpicuus, cum infimæ conditionis puella matrimoniũ contrahat, tunc filij qui ex ea naſcuntur, quamuis ex latere materno paruæ æſtimationis ſunt, nihilominùs tamen, quatenùs paternæ nobilitatis radijs illuſtrantur, paternam quoq; nanciſcuntur hæreditatem, perinde acſi ex illo ſolummodo proceſſiſſent.* Ita ſimiliter deſpondet ſe Deus animæ, cui ſe in ſponſum exhibet. Oſeæ 2. Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide* Cumq; Deus & anima velut ſpirituales coniuges copulentur, vt bonorũ operum partus progignant; iuxta illud Iſaiæ 26. Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis*, & illud D. Pauli 1. Corint. 15. *Non ego*, 1. Cor. (intellige ſolus) *ſed gratia Dei mecum*; 15. ideò quamuis operum noſtrorum partus, vt à voluntate noſtra velut à Matre procedentes, exigui ſint valoris, maximi tamen; vt à diuino ſpiritu velut Patre prodeunt. Etenim cum gratia quàm infundit Diuinus ſpiritus, ſit æternæ vitæ ſemen, conſequens eſt, vt inde anima meſſem, & fructus ſempiternæ glotiæ colligat.

Sed cùm tanti pretij ſit æterna beatitudo, ne ipſi quidem Chriſto gratis conceſſa videtur, cùm dicat C Euangeliſta Lucæ 24. *Nonne ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, Si oportuit? quomodò ab inſtanti conceptionis ſuæ, beatificâ gloriâ in anima perfuſus erat? oportuit ſanè ex parte noſtri, vt exemplo eius incitaremur, non in voluptatibus; ſed in amaritudinibus, gloriam & vitam æternam quærere: Nemini quippe aſſa columba de cælo venit ſine labore: nec Dei viſio homini ſine meritò danda eſt, vt patet in cœleſti ſponſa. dicebat illa quondam ſponſo ſuo. *Lectulus noſter floriD dus eſt.* Cantic. 1. 16. quaſi diceret, Cant. 1. ſcire te vellem ſponſe, quàm mihi molle & ornatum ſtratum quàmq; omnia compoſita domi. Interea cœleſtis ſponſus, diſſimulabat ſe intellexiſſe hæc, reſpondens: *Ego flos campi.* In quibus verbis acutiſſima eſt Hugonis Cardinalis obſeruatio, quòd cum illa diceret, ſibi plenum floribus eſſe lectum, ille mox ſubiunxit, ſe florẽ eſſe campi; ſed quid flori campi cum lecto florido? aut quomodò cohæret reſponſum ſponſi cum eo; Hugo quod ſponſa dixerat. Reſpondet Hu- C ardin. go

go myſteriũ in reſpõſione ſponſi do- A ſultos peccatores, quos ſua improbimũs latere; quãdo enim dixit: *ego ſum flos Campi*, perinde eſt, ac ſi dixiſſet. *Tu vis me modò habere fructum lectuli, ſtuedomûs, ſuauitae mea paſci deſiderans. Sed ego adhuc ſum flos campi per certamen obtinendus, per laborem colligendus.* Flores ex dilecto ſuo legere, fructus ex illo carpere ſponſa optabat. Verùm ſponſus errorem illi ſuum aperit, dicitq; id fieri non poſſe, eò quòd ipſe campi flos eſſet, per certamen obtinendus, per laborem colligendus; Deum enim niſi per æ- B rumnarum tolerantiam nemo aſſequitur, nec cuiquam datur illo frui, qui non calamitatum patienter latarum pretio, meritum ſibi tantæ beatudinis comparauerit. Cõueniebant Chriſtum filij Zebedæi, petebantque primatum ſibi ab illo in regno cœlorum concedi, ex quibus ſciſcitatur Matt.20. primo Chriſtus: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum.* Matth. 20 num. 22. cumq; reſpondiſſent poſſe; ſubiunxit. *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam C vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Ibidem num. 23. videtur hoc loco ſibi ipſi aduerſari Chriſtus, & contradicere his, quæ apud Lucam affir- Lucæ 22 maſſe fertur, cùm ait. *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Lucæ 22. num. 29. quaſi diceret: Ego cuique ſuam apud ſuperos ſedem, quam promerius eſt, aſſigno. ſi ita eſt, quomodò dixit filijs Zebedæi: *non eſt meum dare vobis?* Sed ingeniosè ſatis diſcuſſit verba hæc Do- D mini, S. Ambr. l. 5. de fide, cap. 2. inS. Ambroſius. quiẽs: *Non dixit non eſt meum dare, ſed non eſt meum, dare vobis, vbi non ſibi poteſtatẽ deeſſe aſſerit, ſed meritũ creaturis.* Non enim dixit abſolutè ſe non poſſe facere gratiam regni cœlorum, ſed ijs præciſè, qui ambitione ducti, non glorioſis operibus freti, illam quæruntquo ſatis indicauit, non ob ſuam impotentiam, ſed ob illorum indignitatem, & meritorum inopiam, negari illis, quod expetunt.

Hinc miſeros errones, & in con-

Psal. 13. Psal. 13. *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non agnouerunt.* quaſi diceret: Eheu infelices peccatores, quàm præruptum, aſperum, & confragoſum iter tenent. Quàm infructuoſus eſt omnis illorum proficiendi labor? quàm nullum mouent ſine certo præcipitij periculo pedem? *Viam pacis non cognouerunt.* Et quæ eſt hæc via, quæ ad pacem, quietem, & tranquillitatem ducit? Reſpondet Hugo Cardinalis, eſſe pœnitentiam amaram, Hugo *Viam* inquit *pacis non cognouerunt*, id Cardin. eſt; *pœnitentiam*: quæ ducit ad pacem. Dicitur autem pœnitentia, rectè via pacis, quia per pœnitentiam & non aliter venit homo ad pacem Dei, ad ciuitatem ſolatij, ad triumphantem Ieruſalem; ſed qui aliam viam ingreditur, vanè laſſatur, nec quicquam eundo proficit. Comprobat hanc Hugonis doctrinam, ſanctus E- S. Eprẽ. phrem, qui de alijs beatitudinibus ſic loquitur: *Abſtinentia, lacrymæ, preces, vigiliæ, ipſæ ſunt viæ, quæ in cælum ducunt ad Dominum.* Qui enim exiſtimat, ſe ad æternam requiem peruenire poſſe, per amæna viridariorum ſpatia, per gratam planitiem camporum, per vmbroſa vallium, per otia voluptatum; is turpiter fallitur, & ſtulta laborat opinione. Per aſpera enim ad gloriæ illius dulcedinem, tranſeundum eſt, vt docet ſapiens, Sapientiæ 10. num. 10. *Juſtum* inquit Sap. 10. *deduxit dominus per viam rectam, & oſtendit illi regnum Dei.* Vt concipiatis myſterium hoc, fingite in animis veſtris montem valdè ſublimem, hominemq; qui recto tramite in illum contendat, relictis omnibus ambagibus, ac diuerticulis, quæ ad leuandos moderandoſq; aſcenſus, moleſti laboris, humana induſtria inuenit, eum tunc cogitare, quàm ardua illi hæc, tàm prona via accidit, quantopere illum & anhelare, & ſudare, & aduerſum grauia corporis, deorſum vrgentis, pondera conniti oporteat, donec in accliuis montis acumen peruenias.

at. Quod ergo sapiens ait: iustum à A Domino deduci, & adduci in excelsum montem gloriæ, per vias rectas, tantundem est, ac si dixisset: neminem qui adultiore sit ætate, beatitudine donari, nisi pro ea strenuè laborauerit, & desudarit, & plurimùm lassatus fuerit.

In monte Catholici vestra quies & beatitudo collocata est, quia in excelso cælorum fastigio, ideò in sudore ad eam peruenitur, vt docet Pro-
Isaiæ 25 pheta Isaiæ 25. dicens: *Et faciet dominus exercituum omnibus populis in* B *monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ defecatæ, & præcipitabit in monte isto, faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam ordituus est super omnes nationes, & præcipitabit montẽ in sempiternum.* Vbi primũ Isaias ait, hoc conuiuium faciendũ à Domino exercituum, ad innuendum has diuinas dapes, non parari nisi militibus, qui viriliter & legitimè certauerint. Nam sicut dux tempore belli, ne fortè annona deficiat, solet panem durum ad pondus, sali-C tas carnes in vncias, & aquam turbidam, per drachmas suis distribuere militibus: vbi autem victoriam adeptus est, & hostem deprædatus, spolia partitur, solenne conuiuium instituit victoribus, & quos in prælio nouit fuisse fortiores, digniorem & honoratiorem mensæ locum occupare iubet: ita Dominus exercituum, & Deus præliorum, quamuis' dùm superstes vita est, quæ (teste Iob militia est super terram) milites suos duro pane & aquâ turbidâ, id D est; diuersitate afflictionum & laborum perpessione sustentat. confecto autem bello, & victoriam iam adeptis, epulum apponit opiparum admodùm, & delitiosum, ait præterea, conuiuium hoc futurum vindemiæ defecatæ, per quod conuiuijs, quibus mundus suos pascit amatores, aduersatur. Nam quod conuiuis suis vinum apponit, quantumuis ille vobis suadet esse purum & generorum, plenum tamen est fæcibus. plenum sordibus, & mille dolis atque fraudibus confectum; quo non delectatio, sed malorum affluentia paratur. si enim mitram mundus tuo capiti imponit, onus pariter grauissimum associat: si Reipublicæ gubernatorẽ te creat; sollicitudinem tibi & laborem auget: si affluentiam offert diuitiarum, pariter metum injecit, vt perpetuò illas conseruandi studio, & pari timore amittendi torqueat: vinum autem quod in cœlesti beatitudine Deus suis sanctis bibendum præbet, vinum est defecatum, & generosissimum, purum ab omni sorde, atque syncerum. non dilutum aquâ sollicitudinis, doloris, & miseriarum, quibus delectatio minuitur, & labefactatur.

Nauem igitur vobis proposui, corpus hoc mortale, in quo Christus, omnes ærumnas, cruciatus, & dolores tulit, antequàm ciuitatem cœlestem ingressus est, ciuitatem ad quam transfretauit IESVS, æternam beatitudinem demonstraui: meretur sanè interminata illa felicitas titulum ciuitatis, quia est munitissima, quia difficilem aditum habet, quoniam angusta est via, quæ ducit ad vitam: quia est amæna, vbi lux inextinguibilis, oculos spectantium mirificè recreans splendet: quia est diuitijs affluens, cùm ipsũm Deum præsentem contineat. Nemo ergo sic desipiat, vt putet per anfractus, per ambages, per diuerticula penetrare ad portum gloriæ posse, verùm sciat salsa maria sibi trananda esse, procellosos fluctus innumerabilium fatigationum superandos, æstus plurimarum vigiliarum emetiendos, angustos sinus pœnitentiæ, asperiorem vestitum, abstinentias crebas, inedias frequentes, & varias corporis mortificationes sustinendas esse, qui in illum felicitatis sempiternæ portum contendit. Ascendite igitur nauem rectè viuendi, Christo vela dante, vt per inquietum mundanæ prauitatis oceanum, in ædificatam vobis ciuitatem, super cælos trãsfretare possitis. Amen.

EADEM

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA

Quid est facilùs dicere, dimittuntur tibi peccata tua: an dicere surge & ambula. *Matth. 9.*

Iustificatio hominis est maximum Dei opus, in quo tota omnipotentia desudat, destruendo peccatum, quod cum paralysi similitudinem habet.

QVæstionem non humano soluendam ingenio, increata illa sapientia mundo hodiè soluendam proponit Auditores. Quid nam sit difficilius, num fortè Paralytici curatio, an peccatorũ absolutio. Vt sic ex ijs quæ sensui difficilima videntur, in curando corpore, humanus intellectus arduitatem eorum facilius percipiat, quæ in sananda peccatoris anima fiunt; Vbi Chri-C stus profundissimè argumentans, euidentissimam hanc illationem deducit. Si paralysis curatio rarò, & non sine ingenti sumptu euenit, quis inficiabitur animã à putredine peccatorum erigere, maioris industriæ opus esse? cùm apertè dicat D. Augustinus tractatu 21. in Ioannem.

S. Aug. *Difficilius est hominem iustificare; quam cœlum & terram creare,* quia vt inquit

S. Thõ. D. Thomas, prima secundæ, quæstione 113. artic. 9. *Iustificatio impij maximum Dei opus est.* Quod ipsum vni-D ctus inter omnes mortales participatæ Dei sapientiæ phœnix Salomon, in spiritu diuino præuidisse videtur.

Prou. 30. Prouerb. 30. inquiens *Quis continuit spiritum in manibus suis,* quasi diceret. Quis tantâ potentiâ aut fortitudine pollet, vt hominis effrænem appetitum coërcere valeat, præsertim verò lasciui hominis amoris flammis exusti, qui nec per momentum ab ea re, cuius amore inardescit, mentem reflectit, aut cogitationem diuertit. Et vnde quæso hæc A insanabilis infectio peccatori aduenit? vt non facilè de suis prauis affectionibus dimoueatur? sanè ex eo, quòd ab initio, huius peruersi animi ac voluntatis cupidinem non refrænauerit, & indomitæ libidini habenas insolentiùs laxauerit. Nascenti etenim prauæ cogitationi, in infantia statim priusquàm adolescat, aut fortiores radices figat, via præcludenda est, ne damnum ampliùs incurabile afferat. Nam quemadmodùm cùm Pharao primogenitos Hebræo-B rum internecioni tradere iussit, vnus solùm ex omnibus qui euasit; in fiscella quadam scirpea, Moyses nomine, dùm postea adoleuisset, coronam capiti illius ac sceptrum manibus abstulit, regno priuauit, ac demùm in mari rubro, eundem cum vniuerso militum exercitu suffoca-Exodi 4 uit & extinxit. Exodi 4. Pari quoq; ratione obscænæ illæ cogitationes, quibus aditum in animam tuam irrepentibus patefecisti, sensim crescentes, tantum robur virelq; acquirere solent, vt charitate animam priuent, quæ virtutum omnium corona est, & de manibus sceptrum Christianæ fortitudinis eripiant, nec priùs desistunt, quousque in rubrum illud, propter ardentes flammas inferni mare, præcipitem trahant, atqué miserè submergant. Talem certè animam in peruersis atq; noxijs cogitationibus perseuerantem, Hebr. increpat dominus acriter, Hebræorum 14. *Quousq; morabuntur in te cogitationes noxiæ.* quod cõsiderans sanS. Greg. ctus Gregorius lib. 7. Moralium dicit, *Deum non reprehendere animam, quòd prauis cogitationibus agitetur, cùm id sæpius in eius posito non sit potestate, Nam plerumq; ea renuente, prauæ ebulliunt cogitationes, sed tantùm quòd in eis detineatur, ac morosa delectatione lasciuiat. Quousque ait morabuntur in te cogitationes noxiæ, cum propter moram hanc atq; delectationem peccatorum, difficiliùs fit multò animam sanare, quàm paralyticum curare.* Considerabimus proinde hodiè, vnde procedat difficultas in homine iustificando, & cur

Christus peccati sanationem, cum paralysis curatione comparauit.

Summam difficultatem in iustificando homine prævidens Salomon admirabundus planè exclamauit Prouerb. 30. *Quis suscitabit terminos terræ.* Quis inquit erit tàm potens, vt nouam vitam terminis terræ eos suscitans conferat? vbi per terminos terræ intelligit, *homines*: ipsi quippè in prima rerum creatione; vltimi fuêre, ipsi quoque sunt finis & terminus, quibus & propter quos Deus reliquas omnes inferiores creaturas condidit, & ordinauit. Vnde Salomon cum dicit. *Quis suscitabit terminos terræ.* hoc exprimere voluit. Quis erit tantæ virtutis, tantæq; potentiæ, vt hominem peccati morte extinctum, ad gratiæ vitam reuocare valeat. Etenim opus hoc quàm sit arduum, quantaque difficultate plenum, S. Cyrillus Alexandrinus eleganter docuit, verbum illud græcum ἄρρος obseruans, quod latinè sanctum significat, vbi ostendit idem illud esse, quod sine terra. Si ergo iustificatum reddi, idem est, quòd sine terra fieri, idcirco difficultas summa euenit in iustificando homine, quoniam is ex terra & cum terra semper est. Cùm enim Deus creauit hominem Genesis. 2. corpus eius è limo terræ formauit, & postea dicente scripturâ, *inspirauit in faciē eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, statimq; Deus hominem vocauit *Adam*, quod idem est, ac terrenum. Et licet non nemo Philosophantium meritò posset Deum interrogare, vt quid huiusmodi nomen homini imposuit? cùm in hoc composito, præter corpus terrenum & corruptibile, adesset anima immortalis atq; incorruptibilis, quæ est pars illius dignior & præstantior: iuxta Dialecticæ verò & Philosophiæ documenta, à præcipua & digniori rei parte sumi debet denominatio, proinde cur Deus hominem non cœlestem potiùs ab anima, sed terrenum à corpore denominauit? cùm diuinus potiùs dicendus esset, iuxta Pauli sententiam, illud Poëtæ Athenien sibus dicentis. Actorū 17. *Ipsius enim & genus sumus.* id est, ex ipsa progenie Dei, & sanguine regio, non autem ex humili & terreno. Sed prudentissimè vt video, Deus hominem terrenum vocauit, quia præuidit futurum, vt terræ semper adhæreret: In terra enim nascitur homo, & terram incolit; in terra laborat, & viuit; in terra dormit, & moritur, & velut in suum principium resoluitur vltimò, & quòd omnium grauissimum est, terræ amore trahitur, hic honoris; ille diuitiarum; hic ebrietatis, ille voluptatum, & similium. Ex hoc ergo ipso manifestè innotescit, quàm sit ardua res ac difficilis, hominis iustificatio & sanctificatio, cùm oporteat eum terrâ terrenum exuere, & quod naturâ suâ terrestre est, efficere ne terram aut terrena sapiat. Magnæ certè difficultatis est peccatoris iustificatio, *quia ad hoc* (inquit subtiliter D. Athanasius) *vt filius Dei hominem à peccato solueret, carnem opus erat, vt assumeret humanam.* quod egregia illustrat similitudine, dùm inquit aliquis habet apostema aut vulnus putrescens, tunc peritus præscribit medicus, vt applicato cremetur igne: verùm quia solus omninò perureret ignis, solusque etiam vulnus acueret ferrum, idcirco ferrum igne candens iubet vulneri applicari, atque eo primum modo, prodest cauterium inserens vlceribus. Equidem quoque; homo præ culpa in peccati infirmitate iacebat, miserrimum dolorum omnium compendium occupauerat cor eius: intellectus enim eius caligine obductus & excæcatus hebetabat, voluntas à verò declinabat tramite, in malum decliuis pronusq; ruebat appetitus, in passiones, affectiones, prauosq; motus erumpens; Anima tandem diuinâ iam expoliata gratiâ, inualescente in dies iniquitatis morbo, in maiorem deueniebat infirmitatis desperationē; si ergo homini sic constituto, seipsum applicasset Deus, iam libertate donatus non esset homo, suum etenim

Cyrillus Alexan.

Gen. 2.

Prou. 30

A

B

C

D

nim applicans ardentissimum iustitiæ ignem, totum perdidisset hominem, atq; in æternas deiecisset pœnas; proindè non sanitatem obtinuisset homo, sed maiori oppressus remaneret morbo, culpæ pariter & pœnæ; si quoque solus purusq; homo, humanis vellet mederi vulneribus, insufficiens omninò adhiberet remedium, & diuinam magis irritaret iustitiam, temere præsumens exequi, quod diuinæ soli proprium est omnipotentiæ. Efficacissimum igitur erat remedium executioni mandandum, vt diuinæ ignis naturæ, humanitatis vniretur ferro, sicqué præsentanea peccatorum vulneri applicaretur cauterij medella, quemadmodùm reipsa applicatum fuit, *cùm Verbum Caro factum est*; vt quid enim tanta filij æterni demissio? profectò eo solum fine, vt homo à peccatis' soluatur & iustificetur. Cùm igitur peccatoris iustificatio non aliter, quàm per verbi incarnationem fieri potuerit, quis inficiabitur, vnius peccatoris curationem, maximū omnipotentiæ diuinæ opus esse? hoc fassus est Doctor Angelicus, Christum non fuisse venturum asserens, si homo non peccasset; quia sola peccati miseria illum permouit, vt suâ passibili carne illam restaurare vellet; quemadmodùm diserte innuit Athanasius libro de humanitate verbi inquiens: *nostram illi culpam dedisse occasionem vt descenderet, nostramq; præuaricationem Verbi Dei humanitatem elicuisse, vt ad nos contenderet, inter homines appareret.* Sed & subtilis Scotus argutè satis concludit, licet homo non peccasset, adhuc tamen venturum fuisse verè vt saluatorem, licet in carne impassibili, quia & tunc homo, quòd non peccasset adhuc ex præuisis Christi meritis habuisset; quoniam igitur propter iustificationem hominis, Deum humanam naturam assumere oportuit, igitur arduum esse peccatorum remissionem opus, nemo inficiabitur?

Rursùs nihil difficiliùs esse peccatorum remissione, ex eo constat, quòd hominis iustificatio sit mystica quædam creatio, omni productione rerum sublimior. hanc certè creationem postulabat Dauid à Domino Psalmo 50. *Cor mundū crea in me Deus & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Vbi, vt quidam exponunt, nomine cordis intellectum & voluntatem intelligit, quia enim omnis peccans est ignorans, itaq; cæcitate læsus, vt practicè actum peccati minimè considerare velit, & insuper in voluntate ita fit deprauatus; vt plus terrena cœlestibus, temporanea æternis æstimet; idcircò Dauid postulans sibi cor à Domino creari, maximè cupiebat intellectum suum purificari per fidei illustrationem; & voluntatem emundari simul charitatis igne: quia sicut ignis metalla purificat; ita amoris diuini ignis, animam cælo puriorem reddit, Et reuera ita fit, Creat de facto Deus cor in iustificatione impij, quia illud malignitas peccati aufert ab homine, iuxta sententiam Prophetæ Oseæ 4. *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Nā si teste Philosopho anima plus est, vbi amat, quàm vbi animat; & cor certè impij tum abscedit ab eo, & aufertur. Quod ipsum ingenuè fassus est Dauid Psalmo 39, dicens: *Cor meum dereliquit me.* ideoque cùm sine corde, vita mortalium haberi nequeat, Deus hominem in peccato mortuum ad vitam resuscitare volens, cor nouum in illo creat, animam illius nouo gratiæ candore vestiens. Et licet difficultatem non modicam plerique ponant in verbo *creare*, quod est aliquid de nihilo producere, scilicet nulla materiâ, formâ, aut priuatione præsuppositâ; hæc tamen omnia in iustificatione impij peragūtur. Cùm enim ex vna parte peccatum sit nihil, iuxta expositionem D. Augustini, qui exponens verba illa D. Ioannis; *sine ipso factum est nihil.* ait; id est, *peccatum*, ex altera verò parte peccans, ad peccatum se conuertendo, conuertatur ad nihilum, vt fatetur ipsemet Dauid Prolapsus, inquiens: *Ad nihilum redactus sum & nescivi.*

S. Thomas.

S. Athanasius.

Scotus.

Psal.

Psal. 3

S. A

Hinc est, quòd Dauid bonæ Philoso-
phiæ & Theologiæ non ignarus, iu-
Iustifica tio est mystica creatio. dicauerit iustificationem esse quan-
dam spiritualem & mysticam creа-
tionem; & in hac enim æquè sicut in
illa, inuenitur *nihil* scilicet; *peccatum.*
quod velut terminus, à quo, excludi
& expelli debet; inuenitur simul &
terminus *Ad quem*, qui est puritas &
munditia cordis; In creatione rerum
nihil penitùs præsupponitur subiecti
illius quod producitur, ex parte quo-
que cordis humani, dùm illud Spi-
ritus Sanctus per primam gratiam
purificat, nihil etiam præsupponi-
tur, cui ex rigore iustitiæ, primæ
gratiæ infusio debeatur, cùm hæc
tantummodò ex immensa Dei mise-
ricordia soleat dari, amitteretque
gratiæ nomen, si meritum aliquod
ex parte hominis respiceret, vt in-
Rom. 11 geniosè intulit D. Paulus, ad Roma-
nos 11. *Si autem gratia, iam non ex
operibus, alioqui gratia non esset gratia.*
In creatione res tota de nouo pro-
ducitur; in hominis pariter iustifica-
tione, totalis quoque renouatio fie-
ri debet, ne vlla pars illius peccato
infecta, & immunditiâ contami-
nata remaneat. Vnde totam homi-
nis iustificationem in tribus consi-
Iustifica tio in tribus cõsistit. stere docent Theologi, scilicet; in vl-
tima dispositione, vt scilicet homo
non tantùm per exercitium bono-
rum operum naturalium, nec super-
naturalium tantùm, sed directè cum
peccato culpæ non pugnantium: vt
ieiuniorum, Eleëmosynarum, oratio-
num: sed insuper per exercitium
actuum supernaturalium, iustifica-
tioni vtilium, & remissioni peccato-
rum, scilicet Fidei, spei, charitatis, do-
loris, ac contritionis, propositi, & vi-
tæ melioris, plenè dispositus ad re-
conciliandam cum Deo amicitiam
accedat. Eadem hominis iustificatio
consistit in infusione gratiæ sanctifi-
cantis: hæc enim tanquàm Forma
animæ inhærens, illum omni dulce-
dine cœlestium donorum implet, &
perfectè sanctificat. Tertiò demum,
eadem hominis iustificatio, consistit
in expulsione peccati; ad hoc enim,
vt perfectè homo soluatur à reatu
culpæ, necesse est, vt nihil penitus
iniquitatis remaneat in ipso, quem-
admodùm docet Tridentinum, Ses-
sione 6. cap. 7. *Hanc* inquit *dispositio-*
Con cil. Trident *nem ipsa iustificatio consequitur, quæ
non est sola peccatorum remissio, sed &
renouatio interioris hominis.*

Verùm mirabitur quispiam, si iu-
stificatio hominis est quædam my-
stica creatio, & interior renouatio
hominis, quomodò difficilior esse po-
terit hominis iustificatio; quàm mũ-
B di creatio? cùm ad omnia creabilia
eandem infinitam potentiam Deus
habeat? proinde quomodò non æ-
Iustifica tio cur difficilior creatione. que facilè potest hominem à pecca-
to subleuare, atque Paralysi tactum
sanare? sed habet iustificatio homi-
nis aliquid plus, vltra rerum omni-
um creationem: cætera enim quæ
creantur, soli potentiæ diuinæ sub-
sunt; hominis autem iustificatio, eti-
am à libertate eiusdem peccatoris
dependet, Dicente ipsamet veritate
æternâ, *sine te creaui te, sine te saluare
te non possum.* O stupenda Dei boni-
tas; siccine miserum hominem tibi
æstimas, vt sine illo nihil prorsùs in
eius anima operari velis? sic sanè:
Nam licet Deus auxilium illud effi-
cax, quod infallibiter conuersionem
operatur in peccatore, producat in
nobis, sine nobis moraliter agenti-
bus, nobiscum tamen physicè coo-
perantibus effectum illius elicere
vult: ideoq; quoties peccatorem ad
salutem inuitat, ita suauiter volun-
tatem eius trahit, vt nequaquàm li-
D bertatem consentientis, lædat. Mi-
rabile quidpiam refert scriptura. Lu-
cæ 9. Quòd Christus Dominus, dùm
suos Apostolos mitteret, ad prædi-
candum Euangelium, præceperit eis,
vt si quos inuenirent Verbi Dei in-
dignos, mox illos desererent, exeun-
tesque foras de ciuitate, excuterent
pulueren de pedibus suis, in testi-
monium supra illos; quo facto illud
certè significare voluit, se non solùm
frustra pro eis omnem fatigationem
& mortem ipsam suscepisse. qui nul-
latenùs seipsos ad salutem inclinare
volunt;

volunt; sed etiam ne quidem pulue-
A rem de pedibus suis in testimonium
supra illos, è terra eorum maledicta,
velle secum efferre; quòd scilicet
homo spontaneè salutem quærere
respuens, non sit dignus in vlla re
cum Christo participare, ideoque de
domo talis hominis exeundo, excu-
tere iussit puluerem de pedibus, vt
ille metipse puluis, contra ingratos
homines, & Deo ad salutem inuitan-
ti rebelles, daret testimonium. Quæ-
rentes enim se quærere solet, & eos
qui eum cum auiditate expectant,
B consueuit misericorditer curare, à
corporis & animi infirmitate: atte-
Lucæ 5. stante id Apostolo Lucæ 5. *Virtus Do-
mini erat ad sanandum eos.* & hæc est
causa, cur hodiernum Euangelium
peccatorem sub nomine Paralytici
incluserit, vt scilicet ostenderet, quòd
quemadmodùm Paralyticus de sua
sanitate anxius, omnem solet adhi-
bere curam, immò etiam totam sub-
stantiâ profundere paratus est, dum
modò pristinæ valetudini restituа-
tur; sic quoq; peccator omnem la-
C pidem mouere debet, vt amissam
Dei gratiam recuperet, & quem in-
ordinatè à se viuendo excluserit, eun-
dem sollicitè quærendo, auctorem
salutis habere mereatur, sciens om-
nem hominis conatum, sine Dei au-
xilio irritum esse, iuxta illud Conci-
Concil. Arausic. lij Arausicani 2. cap. 25. *Hoc etiam sa-
lubriter profitemur, & credimus, quòd in
omni opere bono nos incipimus, & postea
per Dei misericordiam adiuuamur; sed
ipse nobis nullis præcedentibus bonis me-
ritis & fidem, & amorem sui prius inspi-*
D *rat.* Licet tamen salus tantummodo
ex illo; nihilominùs tamen consen-
sus & inclinatio libera ad eandem à
nobis requiritur, ne superno lumini
mentem nostram radij instar solaris
penetranti, & benignæ eius vocatio-
ni nos ad salutem inuitanti, rebelles
efficiamur? propter quod nos Deus
deserere velit, non secus ac illos, qui
infidelitate excæcati, lumen cœleste
acsi talpæ suscipere nolebant, sed vt
similes Paralytico nos esse recogno-
scendo, sollicitè eius in animos no-
stros illapsum quæramus.

Habet enim non paruam simi-
litudinem animæ peccatum, cum
Paralysi corporis. hæc consentienti-
bus medicis, fit ex incisione, aut vul-
neratione graui, propter quod gra-
uiter membra corporis læsa, sensi-
bus, & omni prorsùs naturali virtu-
te destituuntur: & peccatum simili-
ter fit, Primò ex graui vulnere ani-
mæ, illo diaboli gladio inflicto; quo
Altissimum resolutè nimis & simul
desperatè impugnare voluit, scilicet
superbiâ: hæc enim est *initium omnis*
peccati, & vitiorum regina, & principi-
um hæreseos, teste Anselmo Epistola
ad Timoteum, scinditque corpus Ec-
clesiæ vt inquit Chrysosth: serm. 22.
super Epistolam Romanorum, quo-
circa rectè nomine paralysis venit,
quia (annuente Isidoro de summo
lib. 2. cap. 38.) *Sicut origo est omnium*
criminum, ita ruina cunctarum virtu-
tum: ipsa enim est in peccato prima, in
conflictu postrema, quæ aut in exordio sta-
tim mentem per peccatum prosternit, aut
nouissimè de virtutibus deijcit. Vnde &
peccatorum omnium maxima cense-
tur: quia tàm per virtutes; quàm per
vitia humanam mentẽ exterminat.
Et si nullibi maior experientia medi-
ci apparere potest, quàm in sanatio-
ne Paralysis; & diuina pariter poten-
tia, nullibi magis elucet, quàm in ho-
minis iustificatione, grauissima pec-
catorum tacti paralysi; quod agno-
scens Propheta Psalmo 96 inclamat:
Excita potentiam tuam, & veni vt saluos Psal. 96.
facias nos, quasi diceret: omnes vires
tuas Clementissime Deus adhibe, &
quantum valeat potentia tua conse-
qui, in ipsa hominis iustificatione o-
stende. *Nam tota ratio huius facti est,*
potentia facientis, inquit Augustinus Augustin.
ad Volusanum. sed quomodò magne
Augustine, iustificatio hominis to-
tam Dei potentiam requirit? Nun- Iustifica-
quid sapientia & bonitas ab hoc ope- tio im-
re eius exulabit? minimè: nam ad pij cur
hoc vt homo ad Deum conuertatur, soli õni-
omnis opportunitas spectanda est, vt potẽtiæ
sic eum Deus vocet, quomodò vo- tribuи-
cantem non respuat. Nunquid iusti- tur.
tia & misericordia humanæ salutis

participes non erunt? Nequaquam! Nam quid magis Deum permouere potest ad hoc, vt altam illam & secretam salutis humanæ initiatiuam vocationem ad peccatoris cor mittat. Cur igitur sanctificationem & conuersionem delinquentium tantus doctor non tribuit sapientiæ, bonitati, & misericordiæ, sed soli diuinæ omnipotentiæ? ideò scilicet; quia ipsa omnipotentia, fuit consilij de humanitate à DEO accipienda, propter peccatores saluãdos, efficax executrix. Nam virtute sua omnes repulit difficultates, quæ in tantorum extremorum, Deiuidelicet; & carnis copulatione obueniebant. Tota proinde ratio facti in iustificatione impij, est potentia facientis, quia singula Dei attributa, magna quæque possunt operari, cœlos digitis suis
Psal. 8. condidit, Psal 8. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum*, orbis terræ molem, vnica manu sua sustentat, Psal-
Psal. 94. mo 94. *In manu tua sunt omnes fines terræ.* parui mundi, scilicet; hominis fictionem duabus manibus operatus est Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me.* quasi diceret; vna manus tua domine
Iob. 10. corpus meum finxit, altera creauit animam. stupenda quoq; ministerio creaturarũ operari solet Deꝰ, si enim vna nocte Centum octoginta quinq; millibus hominum vitam ademit, in castris Sennacherib, sed id Angeli
Reg. executus est ministerio 4. Regum 19
19. *Venit Angelus & percussit Centum octuaginta quinq; millia.* Si terram vniuersam immensis aquarum imbribus obruit, & eos liberauit. qui arcam cum Noë sunt ingressi? id aperiens cæli cataractas effecit ibidem. *Cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram.* Si Amorrheorum dissipauit exercitum? id grandine lapidea præstitit, Iosue 10. *pluit lapides*
Iosue 10 *magnos de cælo.* solam peccatoris salutem, nonnisi sua immensa omnipotentia exequi potuit, quia tota ratio facti istius, est potentia facientis, Vt proinde nihil iam ab eo maius, nihil mirabilius, nihil diuinius homo expectare possit. Verùm vt magnam

A hanc diuinæ potentiæ virtutẽ in scipso homo sentiat, totis viribus satagere debet, quomodò de Paralysi peccatorũ surge possit, & Deo iterũ, à quo diuisus erat, per veram gratiæ recuperatæ animationem copulari.

At & alteram similitudinem peccatũ cum Paralysi habet: quia quemadmodùm Paralysis ex frigiditate constringente ortum trahit; sic planè peccatum stringit poros cordis, ne possit ad illud peruenire spiritus charitatis, pietatis, &c. Hoc argutè
B tetigit Sapiens Ecclesiastici 13. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua.* Et quæ est hæc gelida crystalus? certè anima peccatoris, in quam Aquilo ille infernalis, flat auaritiam, totumq; aqueum humorem contritionis & doloris, velut in durissimam crystallum conuertit. Cùm enim Deus grauissimam omnium calamitatum famem permittit, quã nulla pernicioſior terris potest accidere, tunc vbi pauperes ac inopes macie languentes huc atq; illuc va-
C gantur, pallentes vultu, suppressis oculis, horrentibus capillis, gemitu ac lacrymis cuncta complentes, dùm ostia importunis clamoribus pulsant, & vi famis cogente, herbis, more bestiarum vescuntur. tunc primum Aquilo ille infernalis, potentiùs ventum auaritiæ flat in corda diuitum, vt lucri studium augeant, frumentum cariùs vendant, cernentes pluribus in locis, terram præ siccitate dehiscere, cuius rimmæ & hiatus
D tanquàm aperta quædam ora videntur, pluuiam efflagitare. ecce congelata crystallus, ad egentium inopiam nequaqnam moueri; verùm si magna voluptas est, ingensq; gaudium, terram videre tumentem, riuulos excrescentes, prata herbis virentia, arbuscula foliis ornata, mensas solitis cibis ac pomis onustas, pauperes & inopes refectos, & nouæ quasi vitæ ac spiritui restitutos? quis nescit non mediocrem esse voluptatem Dei, cùm homo de pestifera vitiorum Paralysi surgit, & remedium tanto morbo, apud medicum animarum

Eccli. 43

rum Christum Iesum quærit, clamãs
Psal. 141 cum Propheta Psal. 141. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quasi diceret: exsiccata est anima mea ab æstu peccati Domine, & velut congelata crystallus omnibus planè Spiritus S. donis destituta, nec aliter ruina eius resarciri potest, nisi gratiâ illam copiosè irrigante.

Habet & tertiam simulitudinem peccatum cum Paralysi, nam & hæc aliquando procedit ex humore oppilante & occludente viam spiritibus vitalibus, ne eò pertingere va-
B leant; peccatum non absimili ratione viam obstruit Spiritui Sancto, ne habitet in anima peccatis subdita. Verùm quemadmodùm crassus humor ex immoderata potus sumptione oritur, & venas obstruit, ac Paralysi inficit, sic animæ Paralysis, potissimum ex luxuria descendit, de
Claud. qua iudicium illud tulit Claudianus. *Luxuries prædulce malum quæ dedita semper corporis arbitrijs, hebetat caligine mentes.* immò vt Pius secundus de
Pius 2. illa addit: *Luxuria ætatem omnem fœdat, & senectutem extinguit & in nefanda quæque propellit.* Catilina enim
C in vesanum Aureliæ amorem luxurians, proprium filium veneno sustulit: homo pariter Christianus, in luxuriam insolẽtiùs procumbens, quid aliud facit, nisi Christum IESVM vnigenitum Patris, veneno peccati de sede animæ suæ expellit. Verùm hæc grauissima animæ Paralysis, quid habebit aliud præter frigus nimium, diuinũ calorem penitùs dis-
D sipans, seuerumq; iudicem & vindicem Deum in peccantem. Nam vt
S. Amb. inquit Ambrosius libro de Abel & Cain. *Seuus criminum stimulus est libido, quæ nunquàm quietum affectum manere patitur, nocte feruet, die anhelat.*
S. Chrysosth. *Nescit enim libido modum.* dicit Chrysosthomus, sed nesciet etiam finire pœnam Deus, & damnationem. Denique peccatum cum Paralysi & in hoc concordat, quod Paralysis non nunquam, ex superfluitate cibi oriatur; in animam pariter ex ebrietate nimia, & gulositate, periculosa ca-

A dit Paralysis. quæ enim mala temulentum hominem non comitantur? homicidium, contemptus Principis, religionis & animæ, cæteraq; nefanda ebrium stipant. Quid enim mali hoc vitium in orbem terrarum non inuexit, Ebrietas Noë Patriarchæ, licet ignoranter comissa fuerit, causam & occasionem præbuit Deo, vt tertiam partem orbis terrarum malediceret. Loth dolo & astutiâ filiarum inebriatus, bis turpissimum incæstum commisit, propter quod gen-
B tes Deo & Israëli inuisæ, & scandalosæ exortæ fuerunt. hoc vnico potissimùm vitio, omnes nationes delusæ sunt, & à Deo auersæ Refert Po- Polytm.
lytmus, Bacchum hoc stratagemate Indos deuicisse, cum aduersùs eos expeditionem faceret, vt eum ciuitates reciperent, perspicuis ac manifestis armis exercitum non muniuit, sed vestimentis exilibus. & pellibus ceruinis, hastas autem hederâ cinxit, quarum summam cuspidem occupabat thyrsus: signa verò cym-
C balis & tympanis pro tubâ dabat, & hostes non cruore tingens, sed vino inebriãs, ad saltationem impellebat. Hæc fuerunt strategemata Bacchi, quibus Indos, & alias nationes in suã potestatem redegit. Eodem prorsùs stratagemate vtitur dæmon in subiegendis hominibus. Temetum illis propinat, vt inquinatos scelere tandem faciat sui iuris, & in mortem protrudat. Vnde meritò Hugo de
Hugo Victor. sancto Victore, de hoc vitio exclamat. *Ebrietas est Mater litium, furorum*
D *generatrix, petulantiæ magistra, quæ iudicium rationis obfuscat, robur & naturalem virtutem eneruat, infirmitatem generat, rebus temporalibus spoliat, mortem naturalem & diuinam maledictionem adducit.* Nec aliter homo de hoc vitio surgere potest, nisi omnipotentis auxilio adiutus.

Ecce igitur maximum Dei opus habemus hominis iustificationem, quia in hoc tota omnipotentia desudare debuit; & quia nemo nostrum est, quem hæc cerba paralysis peccati non molester, remedium apud misericor-

ricordem Deum quæramus. Verùm quia in Paralysi nemo sibi auxilium ferre potest, exemplum cuiusdam infirmi imitemur, qui cùm Eduardum Regis Angliæ magna sanctitate polentē virum cerneret, cubicularium eius sic allocutus est: *Hugoline non me respicis; nec mouebit te hæc mea tanta calamitas.* Respondit ille, quid me vis facere? cui infirmus. En sexies Apostolorum limina visitaui repens, & nec dum sanitatem promerui, quam tamen Apostolorum princeps non negauit, sed distulit, socium in hoc miraculo volens habere Eduardum, quem sibi nouit esse deuotum. Ab ipso enim Apostolo mandatum est mihi, regem adire, vt me sacro suo subiectum dorso, ad Ecclesiam palatio suo vicinam perferat. Sicq; percipiam integram sanitatem. quo audito Rex gauisus, illum suis humeris in Ecclesiam detulit, sanitatemq; illi à Principe Apostolorum impetrauit. Et nos certè habemus Regem Regum Christum IESVM, ad hunc nobis recurrendum esse præcepit æternus Pater, veniamq; non nobis negauit, sed distulit, vt socium nostræ iustificationis habeat Christum, quare ad illum hodie clamemus, respice domine nostram calamitatem, & tuis sacris humeris nos in conspectū æterni Patris defer, vt te miserante & Patrocinante, amissam animæ sanitatem recipiamus. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Confide filij: remittuntur tibi peccata tua. *Matthæi* 9.

Fidei imperio omnia subsunt.

TAnta est diuinæ fidei virtus, vt homini peccatori, non solùm in corpore sed & in anima medeatur. Audit: Et certè quæ maior ac melior medicina cogitari potest, quàm ea, quæ ex peccatoribus iustos, ex ingratis gratos, ex impijs Dei amicos & filios facit. At hæc vnde, nisi ex diuina Fide nobis prouenire possunt? testatur id, illud Constantinopoleorum decus Chrysosthomus supra Matthæum: *Fides* inquit *religionis Catholicæ, culmen est animæ, ostium vitæ æternæ, & totius veritatis stabile fulcimentum.* S. Chrysosth: Quod comprobat Augustinus libro de Fide ad Petrum. *Fides est omnium bonorum fundamentum, & humanæ salutis initium.* S. Aug. Et meritò initium salutis, quia per illam è captiuitate diabolo, in libertatem Christi asserimus, Vt dicit Tridentinū Sessione 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad iustificationem, dùm excitati diuinâ gratiâ fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes, quæ reuelata sunt.* Concil. Trident. Et ratio est in promptu, quare homo à peccatorum maculis, nullatenùs possit iustificari, nisi fide erectus, spem firmam de remissione peccati, & immensa Dei clementia, eiusq; gratijs ac beneficijs animo concipiat. Quia fides cùm ipsum Deum immediatè attingat, ipsius quoq; proprium est officium, hominem ad Deum ducere, illumque Deo vnire; quem vt primum homo scientiâ Fidei cognouerit, hoc ipso tantum assequitur bonum, quo nullum maius in vita haberi potest; quemadmodùm exclamat Augustinus. *Nulla maior virtus fide, nulla maior scientia, nulli maiores thesauri, nulla maior excellentia & dignitas in præsenti vita inueniri potest.* S. Aug. Hæc sola à dextris virtutis Dei collocat hominem. Vt inquit mellifluus Bernardus in sententijs: *Nulla maior nobilitas in mundo; quàm nobilitas fidei christianæ, quæ animam sic nobilem facit, & sublimat, vt etiam digna sit sedere à dextris virtutis Dei.* S. Bern. Hæc sola inscrutabilia mysteria Dei cognitu facilia monstrat. Bernardus in Danielem. *Fides* inquit *attingit in accessa, deprehendit ignota, cōprehendit immensa, apprehendit nouissima, transgreditur humanæ rationis fines, ac naturæ vsum, ac terminos experientiæ.* Idem. Paucis multa? homo quamdiu viuit, non alium comitem viarum suarum habere potest; quàm fidem diuinam. Vt enim sol omnibus planetis præit; sic Fides omnes antecedit virtutes, vnicum illis ad perfectionem ostendens Deum; Vt ignis supremum inter elementa locum obtinet; sic diuina Fides, in præcipua animæ potentia, scilicet; intellectu residet, quo melius illū dirigere possit, ne erret. Vt inter gemmas principatus tribuitur adamanti; sic inter omnes scientias, summa dignitas conceditur Fidei. teste S. Bonauenturâ, in 3. sententiarum distinctione 23, Artic. 1. quæst. 4. S. Bon. *Melius est vel modicum de Deo scire; quàm omnium cœlestium simulq; terrestrium notitiam habere.* Deniq; vt aurum inter cætera, pulchriùs splendescit metalla; sic diuina Fides, inter cœlestia dona & charismata, clariùs micat: quia hominem & in intellectu illustrat, & in voluntate efficaciter ad salutē dirigit. Vt non immeritò Christus in hodierno Euangelio dixerit Paralytico: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, Matt. 9. quasi insinuare vellet; Fides tibi sanitatem corporis restituet, Fides animæ salutem tribuet, fides à peccatorum vinculis soluet. Consideremus ergo hanc fidei efficaciam, vt cognoscamus qualisnam illa in nobis requiratur, vt & in corpore sanati, & in animo iustificati reperiamur.

Fidei potētia in tribus elucet.

In tribus maximè potentia Fidei elucet nobis; Primò, quia homini pondus hoc terrenū adimit, & ipsis astris dominatur; homo naturaliter aquis inambulare non potest, propter corporis grauitasem; & tamen de sancto Petro dicitur, quòd cùm in mari vidisset Christum, dixit: *Domine si tu es, iube me venire ad te.* & statim sicco pede pertransijt aquas. quid illum quæso tunc sustentauit? non aliud certè quidpiam: quàm fides, quæ est fulcimentum credentium, & sperantium in domino, nullus insuper est hominum, qui naturali sua virtute siderum cursum sistere possit, & tamen sacra pagina refert, cùm ad postulationē Adonisedech Regis Ierusalem, quinq; Reges potentes conspirassent, ad expugnandam vrbem Gabaon; & ecce vnus Iosue fortiter in Domino confidens, irruit super eos, & percussit; cumq; dies iam pugnæ non sufficeret, prohibuit solem ne declinaret ad occasum. *Sol*, inquit *contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. stetit itaquè sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, donec vlciscereturse gens de inimicis suis.* Iosue 10 Mirantur hic Doctores, quomodò tunc terra illa supra quam sol immotus tanto tempore steterat, non fuit exusta nimiò radiorum calore? siquidem Aristoteles libro 2. de generatione docet. Motum solis esse causam generationis, & corruptionis omnium. Vnde naturalistæ inferunt, quòd si sol moueri desineret, omnis quoque viuentium generatio, desisteret, & desolaretur orbis, quid igitur tunc incorruptam conseruauit terram illam? magna fides Iosue in Deum. Credidit enim ille Deo dicenti. *Ne timeas illos, tradidi enim illos in manus tuas.* Iosue 10. idcircò per fidē hanc, tàm potens factus erat, vt ipsum quoque cœlum, illicò voci eius obsecundaret. Secundò Potentia Fidei, maximè apparet in hoc, quia ipsis etiam elementis imperat. Naturali modo nemo potest impedire ignem ne vrat, vt calorem exuat, vt qualitatem combustibilem, & actionem depastiuam amittat; idq; ideò, quia vt docet Philosophus 7. Physicorum *agens hoc naturale* (scilicet ignis) *necessariò agit.* Aristot. ac proindè semper; & tamen Danielis 3. scriptura dicit; cum iussu Regis illi tres pueri, Ananias, Misaël & Azarias in fornacem septuplum, quàm aliàs, plus succensam, coniecti essent, flamma illis non nocebat, sed ambulabāt in medio flammæ, laudantes Deum & benedicentes Domino, diturrūt hic docti, cùm ignis necessariò vrat, quomodò tunc flamma non nocebat pueris colligatis? & respondent Philosophi: quia omne agens creatum ita subordinatur causæ primæ, vt sine illius concursu generali, nihil penitus agere Dan. 3. possit.

possit. Deus igitur inquiunt tunc subtraxit igni concursum generalem, & sic agere, seu vrere non potuit. Alludit huic sententiæ scriptura Da-
Ibidem. nielis 3. *Deus noster, quem colimus potest eripere nos, de camino ignis ardentis.* Sed quæram ego vlteriùs, quid Deum permouit ad tantam misericordiam, & stupendum planè miraculum? non aliud mihi credite; nisi firma fides. Credèbant tres illi sancti Deum, adorabant illum solum, ab illo quoq; propter hanc fidem & religionem erepti sunt. Tertiò tandem potentia Fidei maximè sese prodit in superandis ipsismet dæmonibus: quorum tanta est vis, vt licet omnes naturæ vires intendantur, nihil illis
Iob 4. nocere possunt, teste Iob 4. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Marci tamen vltimo, Christus Apostolis & omnibus Ecclesiæ ministris dedit potestatem eosdem expellen-
Marci vltimo. di per fidem. *In nomine* inquit *meo eijcient dæmonia.*

Sed quæret aliquis, si tanta est Fidei efficacia, vt omnia subsint imperio eius, quare ergo nunc fideles, cùm multa præstare conentur, exe-
Anton. Perez. qui nequeant? Respondet Antonius Perez: quia inquit hæc virtus & efficacia, non fuit à Dei collata fidei simpliciter & absolutè, pro omni loco & tempore, sed tantùm pro illo tempore, quo instaret necessitas tanti miraculi: scilicet; cùm fides diuina propaganda erat. Veri similiùs tamen ego (vt opinor) respondeo,
Fideles cur his temporib⁹ per fide multa operari nequeunt. Christi fideles, licet Dei fidem habeant, nulla tamen his temporibus miracula præstare possunt, quia id non faciunt pro gloria Dei, sed ad ostentationem suam vanam: cùm enim finis miraculorum omnium gloriam Dei concernat, idcircò quisquis in fide Christi magnum aliquid præstare cupit, Dei gloriam primò intendere debet. Vis potentiam hostium infringere? pugna pro honore Dei, cum deuoto Iosue, & Fides tradet in manus tuas inimicos. Sed si pugnare vis, vt tibi gloriam, in fastuosis mundi Annalibus compares, displicet Deo hæc vana superbia? & cùm vrbes ipsas euertat, te quoq; in multitudine hostium obruet; vis infidelium errores & idololatriam penitùs eradicare? si non pro rapina & accumulandis diuitijs, sed pro gloria Dei id labores, Fides diuina tibi vbique præsidio erit. non est enim quidquam apud Deum impossibile omni credenti, id est; pro gloria Dei laboranti. Eusebius lib. 7. Historiæ apud Ioannem Maldonatum super Matth. 17. 22. refert, cùm in Cæsaria templum magnificum Deo ædificari deberet, & vastissimus quidã mons, summo esset impedimẽto, tunc Gregorius Neocæsarienſis inuocato Dei auxilio, imperauit monti in nomine IESV Christi, vt sese in alium transferret locũ, credens firmiter id Christi promissione se obtenturum, qui dixit Matth. 21. *Si habueritis fidem & nõ hæsitaueritis, & dixeritis monti huic, tollere, & iacta te in mare, fiet.* extemplò statim mons ille longè recessit: ecce efficaciam fidei, quia pro gloria Dei miraculum præstare voluit, voci illius mons præ grauitate transmigrare nescius, obediuit; si igitur tantùm miraculum zelantissimus iste vir pro Dei honore præstitit, quid vos præstituros arbitramini, si gloriam Dei, si propagationem fidei, si religionis ardorem, in cordibus vestris habueritis? Habet & nunc diuina Fides eandem efficaciam, quam habuit temporibus Christi. sed cur in nobis non operetur ea, quæ volumus, causa non alia assignari potest, nisi peccatorum multitudo, quæ hanc fidei efficaciam ita impediunt, vt in actum nullatenùs prodire possit. Testis luculentissimus istius veritatis est Christus, qui hodiernum Paralyticum sanaturus, inquit; *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quasi apertè diceret; cùm iam tibi peccata dimissa sint, modò confide, & fides tua facilè te in corpore sanabit.

Eusebi⁹.

Matt. 21.

Hinc discursus inter Doctores ortus est, quæ sit causa, cur Christus Paralytico isti peccata dimiserit, qui non

non petijt eorum veniam, sed solam corporis salutem, & sospitatem quærebat? S. Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus vnanimiter respondent, Paralysim illam originem suã, duxisse à peccatis, ac proinde priùs eadem deleri debuisse, quam morbus curaretur. Etenim licet morbi & aliæ calamitates, non rarò immittantur à Deo, partim ad gloriam Dei manifestandam, vt testatus est Chri-
Ioan. 9. stus de cæco à natiuitate. Ioannis 9. inquiens: *Neque ille, neq; Parentes eius peccauerunt, vt cæcus fieret, sed vt manifestaretur gloria Dei.* Partim ad iu-
Surius. storum probationẽ, & laudem, quemadmodùm apud Surium tomo 4. parte 350. habetur, de Algotio dominicano Doctore Theologo, qui senex iam oculorum orbitate, & calculi doloribus cruciabatur, & ecce sancta Brigitta Deum pro illo precata, responsum accepit: *Iste stella micans est, nec expedit sanitate corporis, obscurari animam eius;* sic multi sancti varias infirmitates perpessi sunt, non pro peccatis, sed ad patientiæ probationem. Hinc apud Granatum tomo 1. de Sanctis parte 71. Quidam ex Patribus, adolescenti ægroto salutem à
Granat. se poscenti respondit: *Rem tibi necessariam cupis auferri: si enim aurum es, per ignem probaris, si ferrum es rubiginem amittis.* Vt plurimũ tamen morbi, persecutiones, bella, pestes, ex peccatis nostris ortum accipiunt. Testatur id Apostolus 1. ad Corint. 11. qui propter peccatum non debitæ
1. Cor. 11. venerationis circa Eucharistiam, dicit Corinthijs. *Propter hoc inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Agnouit hoc Papa Innocen-
Innoc. Papa tius, qui in Concilio Lateranensi legem tulit, vt medicus ægrotum visitans, non priùs ei medicamenta corporis subministret, quàm spirituali suo medico peccata confessus fuerit. quasi insinuare vellet, priùs peccatũ tanquàm causam auferendum esse, quàm morbum qui effectus eius est. Ac proinde si quid apud Deum impetrare volumus per fidem nostram, omnia quæcunq; eueniunt, peccatis nostris imputare debemus, non alienis, sicquè peccatis renuntiando, & Dei misericordiæ confidendo, facilè omnia mala euitabimus. Hester 14. quandò tyrannus ille Aman, populum Dei penitùs delere voluit, Regina Hester veniam, apud Assuerum Regẽ impetrare volens, dixit orans Deum, *peccauimus in conspectu tuo, ideò* Esth. 14. *traditi sumus in manus inimicorum nostrorum.* Considerate Catholici, quare tàm benignum Regem sibi reddidit regina Hester, vt audiens eius postulationem? *Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro,* traditi enim sumus vt conteramur, illicò respõderit Rex: *Quis est iste & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?* Non alia causa est, nisi hæc, quia licet innocens regina illa esset, illud tamen imminentis stragis periculum, non in Regem Assuerum, non in superbum Aman, sed in suã suorumque peccata reiecit. idcircò placuit hæc humilitas Deo, quia se & sua peccata accusabat, sancta hæc mulier, proindè liberata est. Nos autem iam iam pœnè in manus inimicorum nostrorum, traditi sumus ad deletionem, licet tot supplicationibus Deum conuenimus, cur liberationem Christiano regno impetrare non possumus? non alia causa est, nisi quia malum hoc reijcimus non in nostra, sed in aliena peccata, quisq; iustum seipsum esse existimat, & (quod summè dolendum) defunctis etiam causam præsentium malorum imputat. Non est acceptabilis mihi credite apud Deum hæc superbiâ, & summè obest, quominùs exaudiamur. Impetrare vis quidpiam à Deo, confide fili, & quid confide, te scilicet incertum esse, vtrum gratiâ Dei, an odio fis dignus; recogita te esse fragilem, & sedulò quisquis es, perpende in animo tuo, fortasse ego peccatis meis hanc iram Dei merui, vt pro me totum regnũ puniat: & tunc primùm, hanc tuam fidem humilitatis, fidem placationis, fidem iustitiæ respiciet Deus. Iu-

ſtus ille Tobias cum Iudæi captiui traherentur in Niniue à Salmanaſar Aſſyriorum Rege, videns calamitatem illam populi ſui, conuerſus ad
Tob. 2. dominum dixit Tobiæ 3, *Quoniam non obediuimus tibi, traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem.* Quid eſt? iuſtus iſte vir, non crudelitati barbari Regis, ſed ſuis ſuorumque peccatis illam oppreſſionem attribuit? nimirum nouerat optimè Vir ſanctus, vnumquemq; hominum eſſe fragilitati obnoxium, proindè peccatorem, idcircò iuſtè ſe coram Deo debere accuſare. Placare vis Dei furorem, confide Deo, id eſt; confide te peccatorem eſſe, confide te dignum eſſe, vt hoc malo puniaris, à Deo, & in hac calamitate ingemiſce ad Deum in omni fiducia, & erit tibi ſalus tàm in anima; quàm in corpore, eripietq; te Deus ex omni anguſtia. Ecce in humilitate confidit hodiernus Paralyticus, & dictum
Matt. 9. eſt illi: *remittuntur tibi peccata tua*, ecce confidit in Dei miſericordia, & dictum eſt illi; *ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Sed controuertitur non leuiter, quænam eſt iſta fides, quæ hominem in animo & in corpore ſanat. Reſpondent Doctores, duplicem fidem in hominibus reperiri circa Deum, informem, id eſt; ſine bonis operibus: & formatã charitate cæteriſq; virtutibus pietatis. Fides igitur ſine bonis operibus, hominem nequaquam iuſtificare poteſt, ex eo, quòd cùm careat vitâ ſecundâ actiuâ, ſeu operationis, non autem vitâ ſecundâ formali, homo per illam non poſſit operari, condignè meritoriè ad ſalutem. Quòd
S. Aug. pulchrè expreſſit ſanctus Auguſtinus libro 1. ad Simplicium quæſtione 2. *In quibuſdam* inquit *tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cælorum; in quibuſdam verò tanta eſt, vt per illam corpori Chriſti & ſancto Dei templo deputentur.* Fatetur
Iacobi 2 hoc ipſum Apoſtolus Iacobi 2. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum.* Hoc ipſum docet Tridentinum Seſſione 6. c. 7. *Fides* inquit *niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cùm Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Fides igitur Chariſſimi, cuius imperio ſubſunt omnia, non debet intelligi iſta informis, quæ eſt ſine operibus, quia hæc mortua eſt; ſed fides pietatis operibus adornata, viuificata charitate, hæc ſola tantæ eſt potentiæ, vt quidquid homo velit, per illam præſtare queat. *Credidit Abraham* inquit *ſcriptura, Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* At ideòne ſolùm quia credidit? minimè ſanè: ſed inſuper quia Iſaac filium ſuum offerre voluit Domino Deo, ac proinde fides ſimul còoperabatur operibus illius. Zacharias in viſione Dei, vidit in templo illo à Zorobabel fundato, candelabrũ aureum, in ſeptem lucernas diſtinctum, & in templo collucens: *Vidi* inquit *& ecce Candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput eius, & ſeptem lucernæ eius, ſuper illud, & duæ oliuæ ſuper illud, vna à dextris eius, & altera à ſiniſtris.* Zachariæ 4. Et quid aliud portendebat candelabrum illud aureum, niſi fidem diuinam, in cordibus noſtris collucentem, quæ vt in nobis, velut in templo Dei ſplendeat, ſeptem lucernis adornari debet, id eſt; partim ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, tum ſeptem miſericordiæ operibus. inſuper vt ſit collocata inter duas oliuas, nimirùm; inter ſpem, & charitatem; ſpes à dextris eſſe debet, vt hominem fortificet in fiducia Dei: charitas verò à ſiniſtris, vt cor noſtrum viuificet, & conſeruet in gratia Dei.

Concil. Triden.

Zach. 4.

Vidimus igitur iam omnia ſubeſſe imperio fidei, & cœleſtia, & terrena. Vidimus fidem difficillima quæq; operari: & quid enim difficilius in rerum natura cogitari poteſt, peccati remiſſione? quemadmodùm docet S. Thomas Tractatu de gratia. *Maximum* inquit *opus Dei eſt iuſtificatio, & remiſſio peccatorum.* id tamen in hodierno Paralytico per fidem factum eſſe videmus, Chriſto illum alloquẽte: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.*

S. Thomas.

tua. Quoniam igitur agnus ille cœleſtis Patrem ſe nobis oſtendit, & diuina illius virtus ita benignè vitijs noſtris blanditur; quoniam Deus nos indignos peccatores filios vocat, medicus peccata remittit, iudex reos conſolatur, Meſſias morbidos ſanat, erecti iſtâ fiduciâ, confidamus feliciter, de miſericordia eius, quia per illum ſanabimur, & in corpore, & in mente ab omni reatu culpæ. Sed quia fides ſine bonis operibus mortua eſt, & inſufficiens ad ſalutem: extirpemus omnia peccata, reuiuiſcat fides in cordibus noſtris per chariratem Dei, ſplendeat bonis operibus, & tunc primùm quiſq; firmiter confidat, quia liberabitur ab omni calamitate; & Chriſto in æternum copulatus regnabit cùm Deo Patre, & filio, & Spiritu Sancto. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO QVARTA.

Et videns IESVS fidem illorum, dixit Paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9.*

Chriſtus animam paralytici ſanitatem petentis, duplici de cauſa priùs curauit.

MAgna controuerſia inter Scripturæ Sacræ expoſitores oritur, de quanam fide in hoc Euangelio Chriſtus mentionem faciat? ſolumné de fide miraculorum, quâ credebatur Chriſtus potens ſanitatem illam deſperatam, paralytico dare; an verò etiam de fide iuſtificante, qua multi crediderũt in Chriſtum, vti omnipotentem, quòd & peccata dimittere poſſet. Maldonatus affirmat, in themare Euangelij, mentionem fieri ſolùm de fide miraculorum, quia putat, homines tunc ne quidem cogitaſſe de fide iuſtificante, cùm adhuc nihil vnquàm audiuerint de ea, neq; etiam Chriſtus dixerit, ſe pro peccatis hominũ moriturum. At verò Ianſenius firmiter aſſeuerat, locum hunc Euangelij de fide iuſtificante intelligendum eſſe, quâ & paralyticus, & qui eum portabant, credebant Chriſtum eſſe non ſolùm hominem, verùm etiam Deum, ex quâ fide implicitè, etiam credebant, ipſum poſſe dimittere peccata, quatenùs erant ſalutis infirmi paralytici impedimenta. Et hæc ſententia verior eſſe videtur, quoniam tali fidei attribuitur remiſſio peccatorum, quæ nullo modo ſine illa conceditur. Iam enim tunc audiuerant homines de Chriſto, non ſolùm miraculorum potentiam, ſed inſuper, quòd ſe diceret Deum, & Meſſiam promiſſum. Cùm non tantùm ipſemet Chriſtus, non tantùm Apoſtoli, ſed etiam ipſa dæmonia id proclamauerant: nam immediatè ante huius paralytici curationem, clamabant: *Quid nobis, & tibi IESV fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Et propter hunc timorem Geraſeni rogabant Chriſtum, vt à finibus eorum diſcederet. Ergo tam paralyticus iſte; quàm alij homines, gratiâ diuina adiuti, ac illuſtrati, non ſolùm in Chriſtum potentem credebant vt hominem, verùm etiam vt in Meſſiam, ac Dei filium, proinde & ſanare, & peccata dimittere ſufficientẽ, quamuis pro tunc de abſolutione peccatorum non cogitaſſent. Colligo facilè hanc veritatem, ex citatis Euangelij verbis, quibus paralyticum allocutus eſt: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Hæc profectò dicens, Deum ſe volebat intelligi, qui in aſſumpta humanitate oculis adhuc latebat humanis. Nam cùm virtutibus & ſignis compararetur prophetis, qui multa ſtupenda opera, virtute ab alto ſibi conceſſâ fecerant, quid amplius reſtabat, niſi vt his verbis, ſe verum Deum pectoribus humanis inſereret, ſiquidem peccatis dare veniam, nemo Prophetarum potuit, eò, quòd talis poteſtas, ſit ſingulare Deitatis inſigne. Vnde Chryſologus

Ianſenius

Matt. 8. verſu. 29

logus liuorem Pharisaicum carpens, qui audientes Dominum dicentem: Remittuntur tibi peccata tua, respõderunt: hic blasphemat: quis enim potest peccata remittere, nisi solus Deus? ita subtiliter philosophatur. *Pharisæe, qui sciendo nescis, cõfitendo negas, cùm testariis impugnas: si Deus est, qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui vnius indulgentiæ suæ munere, totius mundi probatur abstulisse peccata.* Profectò, si nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus, quare Christus paralytico peccata remittens, non tibi homo Deus est, suam itaq; Christus Dominus probare volens' diuinitatem, dixit paralytico: *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. O mira humilitas! despectum, ac debilem, totum membrorum compagibus dissolutum, filium vocat, quem sacerdotes, non dignabantur attingere,*. exclamat sanctus Hieronymus. En signum diuinitatis: filium vocat, quia ex mente S. Hieronymi, iam ei peccata dimiserat. Vt hinc agnoscamus, quòd licet humilis, licet despectus, licet debilis, licet pauper, licet abiectus; quia tamen iam sine peccato, filius dictus sit: cùm è contra licet fuisset potens, magnus Princeps, Rex, Imperator, verùm cum peccatis, vilissimus puluis, brutũ animal, imò prorsus nihil reputatus fuisset. Doctissimus Caietanus, in istis verbis: *Remittuntur* tibi peccata tua, diuinum imperium agnoscit: *Imperatiue enim ait, peccatorum dimissio significatur*; ergo si Christus imperatiuè peccata dimisit, Deum se verùm esse manifestè probauit. Meritò proinde dixit paralytico, *confide fili*; id est, bono animo esto, plus enim quàm petis, impetrabis, petis corporis, impetrabis & animæ sanitatẽ: quia mos Dei est, plus dare, quàm ab eo petitur. Considerabimus igitur, quid sit, quòd cùm paralyticus petierit sanitatem corporis; Christus tamen priùs dimisit peccata, & postea salutem corporalem dedit.

Chryso-logus.

S. Hier.

Caieta-nus.

Duplicem causam inuenio, quare Christus in hodierno paralytico, prius animam; quàm corpus curare voluerit. *Primam*, ex parte ipsiusmet Christi, vt se verum medicum ostenderet, qui ad medendum ægrotanti mundo venerat: sic enim de seipso dicit Matthæi 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*. Hinc S. Augustinus serm. 9. de verbis Apostoli dicit Christo: *Magnus de cœlo venit medicus, quia magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus. Homines desperatè ægrotabant, & ipsa ægritudine, quâ mentes perdiderant, etiam medicum cædebant, quin & occidebant: ille autem etiam cùm occideretur, medicus erat: vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, percutiebatur, irridibatur, & medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Illi perdita mente sæuiebant, & medici sanguinem sæuiendo fundebant: ille autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.* Et quoniam perfecti medici est, vt eliminet morbos, & corpora sarta tectaque tueatur. Quorum neutrum præstare poterit, nisi eorum quot differentiæ sint, & genera, quæ causæ, & quibus signis' noscantur, probè perspectum atque cognitum habeat. Ideò & Christus Dominus, vt pote perfectissimus medicus, à causa peccati incipere voluit curationem paralytici: quoniam voluntas quæ est potẽtia animæ, carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, est causa peccati prima, & vniuersalissima, vt pote fundata in nihilo operantis: nam peccaminositatis origo, est nostrum nihilum. vt sic sublato ex anima peccato, faciliùs postea illa corporis paralytica affectio sanaretur.

Matt. 9.

S. Aug.

Christus proprio sanguine ægros sanabat.

Quamobrem Ecclesia sancta, cuius est inuigilare saluti ægrotantium animarum, præcipit corporalibus' medicis, suadere decumbentibus, vt ante omnia deposcant spiritualem animæ medicinam: quia quidquid vtiliter corpori præstat ars medica, id totum cum fortiore animo medicina

Ægrotis ante omnia medicina spiritualis adhibenda.

cina mystica impetit. Sic decretum est in Concilio Generali Lateranensi capite *cùm infirmitas. De pœnitentijs, & remissionibus, lib. 5. Decret. tit. 38. cap. 13.* vbi dicitur: *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat. Vade, & amplius noli peccare. ne deterius aliquid tibi contingat. Præsenti decreto statuimus, & strictè præcipimus Medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum: vt postquàm fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur: cùm causa cessante, cesset effectus.* Non tamen hinc inferri potest, morbos semper ex peccato procedere: quia hos plerumq; Deus ex varijs rationibus, sibi soli notis, etiam in homines iustos, nulliq; lethali culpæ obnoxios, immittere solet.

Decretũ contra medicos corporales.

Inprimis ad augenda iustorum merita. Proponite vobis ob oculos' Iobum, quem Deus ob egregias virtutes, cunctis mortalium filijs antepositit, respondens dæmoni: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Simplicem eum vocat, id est, candidum, & benignum, qui omnia in meliorem partem caperet, ac interpretaretur, siniſtras de alijs opiniones, & interpretationes abijciens. Hanc enim proprietatem simplicitati tribuit Seneca lib. 2. de ira capite 24. inquiens: *Simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione, vt nihil, nisi quod in oculos inciderit, manifestumq; erit, credamus.* Ille certè simplex, & rectus dici meretur, qui sincerè loquitur, conuenientem pectori frontem gerens, & sine vlla doli tergiuersatione negotia, & res tractans. Beatus itaque Iob appellatur simplex, quia nimirum doli expers, quod sentrebat, loquebatur. Secus faciunt illi, *qui benè cum dicant, retro mala mente volutant*, vt est apud Homerum Odijs 6. Et tamen vir adeò probus, dæmoni cum tota sua substantia, ad affligendum permissus est: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Qua facultate sibi permissa, cœpit ventos ciẽre, miseriarum furentem mouere procellam, quo validam patientiæ conquassaret scapham. Mox greges flammis absumpsit, prædones Sabæos exciuit, insuper liberos oppressit. Remanebat iam afflictus Iob improles, qui paulò ante nobili filiorum circumdabatur cateruâ, iam pauperrimus, qui cumulatissimâ diuitiarum nitebat summâ. Corruerant ædificia, filios tumularant, nec reliquias permiserunt solatio, vt grauiori pater adurgeretur tormento: boues asinæq; à prædonibus abactæ, oues incendio consumptæ, Inter hos tamen confusos calamitatum turbines Iob erectus adhuc prouocabat aduersariũ, & quò expeditior athleta strenuus desudaret stadia, purpuram proiecit. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.*

Iob 1.

Seneca.

Sæuitia dæmonis in Iobum.

Iob 1.

Inquiramus, quare dæmon vestes non detraxit Iobo, qui iam omnes facultates abstulerat? oues acri adustulauit incendio, boues prædonibus dedit iniustis, filios ipso tumulauit conuiuio; & tamen regales adhuc Iobo vestes permittebat? num certè, dum tot ciendis aduersitatibus fureret occupatus, auferendæ purpuræ oblitus erat? minimè equidem; sed eadem calliditatis versutiâ regalem permisit purpuram, quâ regalem prorsus fortunam abstulerat. Scopus dæmonis erat, inuictam defatigare patientiam; idcircò peruerso hostis virulentissimi intento. non minus proderat collucens splendenti nigrore purpura; quàm summa reliquarum facultatum miseria: quid enim grauiùs, quàm antiquum deperdidisse prouentum, & antiquum vt olim nutrire fastum. Verùm inuicta stetit Iobi patientia, maioraq; inde sumpsit incrementa. Ait Origenes lib. 1. in Iob. *Adhuc conscidit vestimenta sua, ac si diceret ad ipsos aduersarios nequissimos: o malignt, atque iniqui aduersarij, mortuum me existimatis, vt vos putatis, & vt vobis videtur, in terram*

Origen.

terram me sepelire præparatis. Si ergo A *me mortuum existimatis, o inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas, atq; regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eas possidentes.* Abiecit ergo vestes Iob, ad maiorem sæuientis dæmonis confusionem, dum se tanta eius patientia superatum cerneret. Quid verò ille? adhuc in ipsũ Iobi corpus facultatem poposcit, quam Dominus concessit: *Ecce in manu tua est, verùm tamẽ animam illius serua.* Vbi virulentus hostis, ita omnes vires suas intendit, vt B Iobũ carnibus denudarit, & mortis sepulchriq; horrore vestierit. dolore tabescentia viscera diffluebant, in foraminosæ carnis specubus bestiolæ nutriebantur, omnia corporis membra doloribus vehementissimis tabescebant. Nihilominùs Iobo in tanta ægritudinum illuuiè posito, & pellis ossa fouebat, & os auxilium pellis' ambibat. *Pelli meæ consumptis carnibus, adhæsit os meum.* Et quomodò obsecro pellis non fuit'consumpta, quoniam & ossium fortitudo dolore exesa est? Respondet S. Gregorius libro 14. Moral. cap. 23. quia pelles designabant insignem misericordiam, quam Iob pauperibus exhibebat. Licet ergo dæmon accepta facultate, carnes dolorum æstibus comsumpserit; pelles tamen dilacerare non attentauit, misericordiâ impeditus: quia dæmon misericordibus appropinquare non audet. Deus igitur Iobum à dæmone crudeliter infestari, & vlcerosa ægritudine affligi permisit, vt per hoc, eius merita magis augerentur.

Iob 19. versu 20

Secundò, permittit Deus morbos, & varias infirmitates, ad custodiam virtutum. Testis est luculentissimus istius veritatis Doctor Gentium, & è cœlo eruditus Ecclesiæ Magister 2. Corint. 12. ita scribens: *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus satanæ, qui me colaphizet.* Et quis est iste stimulus, quo D. Paulus ab Angelo satanæ colaphizabatur contumeliosè? Sanctus Ambrosius, Theodoret⁹, & Theophylactus, per hunc stimulum intelligunt, ærumnas, tribulationes, calamitates, & persecutiones, quas Paulus vbiq; sustinebat. At verò S. Hieronymus, Anselmus, Beda, Sedulius, & alij, putant hunc stimulum fuisse permolestas corporis ægritudines; adeò, vt S. Basilius, & Augustinus, hunc stimulum existimauerint fuisse morbum Paulo æquè ac Iobo à dæmone immissum. Audiendus est, D. Gregorius Nazianzenus, de hoc stimulo Pauli ita acutè fatus orat. pro Basilio: *Tu verò è cœlo nos quæso inspice, carnisq; stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certè, vt eum forti animo perferamus persuade.* Ecce ægritudinum ac tribulationũ stimulus, persecutionumquè tribulus, non tam dicitur datus ad patientiæ exercitium; quàm ad virtutum custodiam, & disciplinam. Itaquè percutiebatur, & colaphizabatur Apostolus, non vt timidior, sed vt audacior & potentior in dies redderetur. Nam infirmitates pro Deo & virtute sublatæ, non meticulosum, sed audentiorem, & potentiorem ad reportandas victorias hominem faciunt. Vt meritò dicat S. Anselmus, in præsenti: *Tunc vincit Christianus, cum perire putatur.* Quando nimirum sub doloribus, sub calumnijs, sub fame, & siti, & paupertate videtur infirmari, lmò & perire, tunc victorijs illustrior & clarior apparet.

2. Cor. 12.

Stimul. carnis D. Paulo datus quid sit.

Gregor. Nazian.

S. Ansel.

Sumite documentum istius veritatis, ex Psal. 105. Vbi dicit Regius Vates. *Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius.* Vbi Moyses, vt ministros diuinæ iræ auerteret, seseque opponeret irarum telis, & victor euaderet, *stetit in confractione.* id est, contriuit se, humiliauit se, deiecit se, vt hostiles incursus auerteret. Chaldæus autẽ citata Psalmistæ verba ita legit: *Nisi Moyses electus eius surrexisset, & sese roborasset.* Res mira: à nostra versione dicitur Moyses stetisse in confractione; à Chaldæo autem dicitur stetisse in robore: ibi dicitur se contriuisse, se deiecisse; hic dicitur se roborasse.

Psl. 105.

C Chald.

Et

Et quid commune habet deiectio, ac A confractio cum robore? multum certè: nunquàm enim homo fidelis magis roboratur, vt hostiles iras auertat, vt glorioſas de malo, imò & de ipso Deo reportet victorias; quàm dum humiliatur, infirmatur, conteritur. Pulchrè Rupertus lib. 4. in Exodum cap. 25. *Per nimtam* inquit, *humilitatem significat, Moysen Deum tenuisse, dicendo, in confractione. Confractio namquè nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo, & Domino vniuersæ fortitudinis principe res* B *fortis est, & valida, ita vt illa laborante, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere non valeat, regina virtutum vincente pro sua reuerentia.* Proinde confractio, ac humiliatio cordis, validissimum; & potentissimum reddit hominem, vt de omni aduersario triumpher, imò & ipsum Deum vincat. Nec potest quidpiam hominem efficaciùs ad meliorem frugem reuocare, quàm infirmitas, & tribulatio à Deo immissa.

Rupert.

De matre filiorum Israël dicit C Oseas, quòd prouectæ ætatis maritum habens, insolentiæ ventis abrepta, coniugalem pudicitiã prostituerit: *Vadam* inquit, *post amatores meos, qui dant panes mihi.* Considerate vnde ista mulier suos amatores commendet: equidem non ex eo, quòd essent formosi, quòd essent diserti, quòd essent nobiles, quòd florenti ætate gauderent; sed ex eo tantùm, quòd darent panes: quia muliebre genus ad dona capienda promptum: nam vbi amator gratiam dandi ha- D buerit, nihil aliud fœminea cupiditas requirit, quæ solùm quærit, vnde accipere possit. Hunc muliebrem genium optimè callebat tentator ille diabolus, qui non fuit veritus confligere cum iusto Iob immediatè: nam obtentâ à Deo licentiâ, dicit sacer textus Iob 2. *Egressus igitur sathan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis, vsq; ad verticem eius.* At verò vbi res erat cum primis parentibus, astutè cauit Adami congressum, priusq; fœminam tentare procuarit, Genes. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Deus, qui dixit ad mulierem.* Et cur, qui ausus erat cum Iobo confligere, sperans se ipsum subuertere posse, cum Adamo non audebat, sed illo relicto fœminam adoriri maluit? sanè, quià in Iobo parabatur tentatio per bonorum ereptionem, per morbos, per vulnera; in primis autem parentibus solùm parabatur tentatio per exhibitionem pomi, quod assumeretur ad esum; & ideò callidus hostis securior erat de victoria, proinde non Adamum, sed Euam tentauit. Quo ergo modo insolentem illam mulierem, à vitijs ad pristinas virtutes Deus reuocauit? Non aliter nisi permissa ægritudine, & afflictione, dicit sacra pagina: *Sepiam eam maceriâ, & semitas suas non inueniet.* Quibus melior facta mulier gradum retraxit, dicens: *Vadam, & reuertar ad virum meum priorem.* En quàm bona ægritudo à Domino Deo immissa, quàm efficax ad custodiam virtutum.

Gen. 3.

Mulier facilè muneribus corrũpitur.

Oseæ 2.

Oseæ 2.

Iob 2.

Insolescebat nimium Israël, qui in prosperitate sua captus amicitiâ nationum finitimarum, vt videbat vniuersas nationes idolis offerre cultum, sic illarùm exemplum secutus, ipse quoq; post idola ibat. Quid ergo Deus? *iratus vehementer, morbis, & varijs afflictionibus eos puniuit: Oseæ 2. Propter hoc* inquit, *ego sepiam viam tuam spinis, & septam eam maceriâ, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos, &* D *quæret eos, & non inueniet.* Venit ergo Israël in calamitatem non paruam; hostibus se videbat vndequaq; cinctum. Decreuerat mittere ad nationes amicas, vt sibi ferrent auxilium; Deus autem vniuersas vias obstruxit spinis, neq; permisit, vt ab illis amicis nationibus, vllum eis auxilium veniret. Et cur amicorum illorum nõ permisit Deus auxilia videri, imò nec sperari? Quia nimirum amici illi fuerant Israëli exemplo ad idololatriam; qui autem malo exemplo est, prudenter non permittitur esse auxi-

Ecce lio.

lio. Ait in citatum locum Ruffinus: *Ipsebus eius ait Deus, aduersa succedant, & improuisis angoribus implicentur implicentur. Primò, vt ineundi fœderis cum ijs, quas maximè cupit, gentibus facultas ei nulla suppetat, & nec in aduersis suis illorum vtatur auxilio, quorum in prosperis deliquit exemplo.* Tunc primùm illis calamitatibus edoctus Israël, pœnitentiam de omnibus suis iniquitatibus egit, tunc primùm scelera deseruit, Deumq; placauit, addit sacra pagina: *Et dicam non populo meo: populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu.* Ecce, quàm bona ægritudo, quàm bona afflictio à Deo data.

Ruffinus

Tertiò permittit Deus morbos, & varias corporis ægritudines, ad manifestandam gloriam suam. Adductus erat quondam cæcus à natiuitate ad Christum, quem ille sputo sanauerat. Quo viso cœperunt discipuli interrogare, *Domine qui peccauit, hic an parentes eius? vt cæcus nasceretur?* Respondit Christus: *Neq; hic, neq; parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Quomodò obsecro Christe Iesv tua responsio subsistere potest, cùm morbos, & omnes corporis defectus, ex solo peccato originem trahere non ignoremus? sic docet S Chrysostomus homil. 4. de Pœnitentia ad finem: *Non ergo* inquit, *cum stultis murmuremus, neq; accusemus Dominum, sed in omnibus gratias agamus, & vnum solùm malum putemus, in eum peccare. Atq; vbi sic Deo præparati, mentes ipsi nostras ità disposuerimus, non morbus, non paupertas, non despectus, non sterilitas fructuum, non aliud quidquam eorum, quæ inter mala computantur, nos præueniet.* Facileq; id, vel ex ipsa, quam oculis cernimus, temporalium bonorum vanitate colligere possumus, quàm vanissimam esse, iterum atque iterum Salomon proclamat.

Ioan. 9. v. 2.

S. Chrysosth:

Vnde obsecro hanc vanitatem omnibus, quæ sub sole sunt, aduenisse existimatis? creditisne sapientissimum rerum omnium molitorem, & fabricatorem Deum, inanes, vacuas, & fatiscentes res, quibus ipsamet vanitas, & nihilum adnata, & ingenita essent, efformasse? Putatisne illum pulcherrimis rosis pungentium spinarum aculeos vltrò adiunxisse, à quibus carpentium manus cruentarentur? Absit? peccatum spinas procreasse, nec nisi ab acerbo illius semine ortum ipsas duxisse, docent S. Ambrosius, & Basilius lib. 3. Hexaëmeron cap. 3. *Surrexerat floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris, &c. Vide cùm vnusquisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam nobis in paradisi amœnitate florentibus spinæ mentis, animiq; sentes iurè condemnationis adscripti sunt.* Nimirum ob peccatum terra maledictioni obnoxia, spinas & tribulos floribus insertos fulminauit, ingeniosè id pensitante D. Basilio homl. 3. in Hexaëmeron: *Verùm rosa tunc spinis carebat; postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo afficiamur dolore recordatione delictis causa cuius factum est, vt spinas & tribulos tellus huic addicta condemnationi nobis proferret.* Ergo ex peccato maledictio, ex maledictione spinæ, aculei, vacuitas, inanitas; & omnimoda vanitas creaturis adiuncta, & imbibita, cùm ipsæ priùs solidæ, firmæ, atque stabiles velut pulcherrimi flores sine vlla fraude vernarent.

Spinæ ex peccato ortæ.

S. Ambrosius.

S. Basil.

Applaudit huic cogitationi in Cantico suo Propheta Habacuc Versu 14. de aureis sceptris, & florentibus sæculi dignitatibus loquens: *Maledixisti sceptris eius.* Textus Hebræus legit: *Perforasti sceptra eius*, nimirum vana, & inania reddens, quibus nulla substantia, soliditas nulla, aut firmitas subsit. Vt vel hinc quisque rosarum huius mundi, seu sceptrorũ amans, puras, & sine spinarum aculeis carpere rosas, firma & valida sceptra habere discat. Si enim florenti fortuna veteris; si illustre patrimonium, lautam suppellectilem, magnos fidosq; amicos possides; ne hisce

Habac.

sce bonis peccatum immiscеas. aliqui facilè sepient spinæ istorum florum gratiam, adiungentur aculei, adsequentur vanitates, & vacuitates, ex peccati radice pullulantia. sic Regius Vates Psal. 89, v. 6. proclamat: *Manè sicut herba transeat, mane floreat, & transeat vespere, decidat, induret, & arescat.* Quibus verbis inconstantem humanam felicitatẽ describit Psaltes. Nonne videmus magnates huius mundi, atq; Dynastas, & eorum diuitias, ac potentiam *mane*, id est; in ipso sui ortu simul florescentem, transeuntem, atq; exsiccatam. Et quare? rationem subdit citatus Psaltes: *Quia* inquit, *defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & saculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Si ergo iniquitates nostræ sunt in causa, quòd omnia hæc temporalia bona exsiccentur, atq; absumantur. Quomodò ille homo potuit nasci cæcus, cùm nec ipse peccauerit, nec parentes eius; quoniam cæcitas est pœna, quæ præsupponit culpam.

Psal. 89.

Nihilominùs verissimè respondit Christus, nec illum, nec parẽtes peccasse: quia pœna supponit semper aut culpã, aut iustam causam. Licet ergo in homine illo cœco, nec in eius parentibus non præcesserit culpa cæcitatis; præcessit tamen iusta causa, nimirum vt in eius curatione Christi diuinitatis gloria, atq; potentia manifestaretur. Quod si ambigas, cur signatè Dei gloria ex impertitis illi tunc luminibus; non verò ante manifestata fuerit? Nonne illum si non in matris vtero, saltem paulò post puellulum, seu infantem, cùm eadem tunc admirationis, diuinæq; gloriæ occasio foret, Christus sanare potuit? Nemo dubitat potuisse: verùm multo illi opportunius lux reddita est, quando diuini luminis capax in Christum credidit, vt hinc constaret, plura sæpiùs temporalia atq; externa bona, ob vitæ probitatem, atq; virtutem à Deo hominibus aduenire, quæ illis in peccato existẽtibus minimè darentur. Sic Lazarum inuaserat Sæui languoris inimica pernicies, miserandi hominis corpus quotidie edax torridæ febris incendium consumebat. Aderant duæ sorores languenti, & casum dolentes iuuenis periculosè ægrotantis lectulo iugitur adhærebant. Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti. Cumqué Iesvs corpore abesset. *Miserunt sorores eius ad eum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur.* Ioan. 11. v. 3. Quo audito Christus Dominus respondit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Et quomodò infirmitas ad mortem non est, cùm Lazarus mortuus sit, conditusq; in sepulchro, & iam quatriduanus fetebat? sanè quia mors illa non ob peccatum Lazari, sed ad manifestandam Dei gloriã permissa fuit, vt homines quatriduanum Lazarum à Christo videntes resuscitatum, eius diuinitatem ac omnipotentiam agnoscerent, verumqué Deum crederent.

Credentibus & bene agẽtibus multa bona à Deo cõferũtur.

Ioan. 11. v. 3.

Quartò, Deus immittit varias corporis ægritudines, vt eum homines lecto affixi faciliùs recogitent, quem sanè citò obliuiscuntur. Multi enim nisi præmittantur in dolores, & corporis ægritudines, nesciunt Deum quærere, nec animæ salutem procurare. Hinc de hominibus in sanitate insolescentibus, dicebat Regius Vates Psal. 82. *Imple facies eòrum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* hoc est, confunde illos inopinato morbo, vt sic afflicti ad te confugiant, te inuocent, te recogitent. Longa quippè sanitas; quemadmodùm & nimia prosperitas, Deum ex corde hominis auferunt, & in eius contemptum stimulant. Vnde locum hunc scripturæ multi accipiunt de perfidis Iudæis, qui sanitate firma, & diuturna prosperitate insolescentes, in ipsũ Dei Filium manus iniecerunt. Quasi regius Vates hoc exprimere vellet: Permitte illos ita in Filium tuum sæuire, vt inde magnâ ignominiâ apud omnes gentes impleantur, & hac confusione meliorati, quærent nomẽ tuum, & ad te conuolabunt, & tandem

Psal. 82.

dem sub vmbra tua viuent. Et quid obsecro, ignominiosum illud facinus crucis Christi habet cum eo, quod Iudæi viuant? Profectò multum: Equidem tanta erat perfidorùm Iudæorum malitia, vt nisi de tàm ignominioso facinore perpetrato, nunquam in vitam irent. Pùlchrè id eloquitur Ericus in Euangelium resurrectionis Lazari aiens: *Durissima Iudæorum infidelitas, & inconuertibilis in malo pœnitentia notata est. Et reuera tantum erat peccatum eorum, vt aliter non possent dignè fidem Christi suscipere, nisi priùs Filium Dei interficerent. Hinc Psalmista: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Priùs enim ignominia repleti sunt, cùm audientes Apostolos prædicantes, cœperunt erubescere, & perpendere, quantum scelus in nece Saluatoris admisissent.* Ecce Iudæi tantopere in malo obstinati erant, vt nisi eos summa confusio, & sacrilegum scelus in Christi morte comissum permouisset, nunquam Christi fidem suscepturi essent.

Ericus.

C Ponite hic vestris obtutibus sancti Pauli ante eius conuersionẽ, summum in Christum, atq; eius Ecclesiam odium, in fideles recenter conceptos crudelem persecutionem, & facilè agnoscetis, non aliter conuertendum fuisse, nisi subitanea percussione, & confusione facta. Hic enim nuper ad lapidandum Stephanum omnes concitans, & adhuc spirans minarum ac cædis in Apostolos Domini, accesit ad Principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas; vt si quos D inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem, præpoperè in alienis vinculis è peruerso sua pro Christo vincula feliciter inaugurans. Cùm autem iter faceret suarum traditionum pertinaciter æmulator, contigit, vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cœlo: *Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: quis es Domine. Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris: Et tremens, ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* Videte quid leuissimus terror immissus, quid vnica in terram prostratio, quid benigna Christi allocutio effecit? ita rupeum illud è Iudaismo emolliuit, vt ex lupo dudũ rapace, mox imbellis agnus fieret; ex Saulo nuper obstinatissimo, Paulus obsequentissimus. At quibus machinis Iudæorum arx ita repentè labefactata, & diruta est? Saluine iam Paulus? Rabinorum ille peruicassimus, factus est Euangelij alumnus, Doctor Gentium, & Ecclesiæ Magister? Quibus velut præstigijs facta hæc metamorphosis, fabulis propè simillima? Quanam vi Sauli duritiam Christus tàm cito fregit, pertinaciam domuit, & hanc Synagogæ feram Euangelio cicurauit? Equidem sublimioris, & efficacis gratiæ opus id erat. Verùm, putatisnè aeri, & violento gratiæ impulsu, Pauli arbitrium adigente, aduocante, raptante, ac ferè propellente; adeò vt vix, aut ne vix quidem (vt còáxat Caluinus, C aliæq; de eodem cæno ranæ) libertas voluntatis seruetur integra, id factum esse. Absit hæc à Catholicorum pectoribûs rudis imaginatio; officiosissima est hominibus gratia Dei: Non potetat longo tempore Dauidis comitas, Regis Saulis nequitiam superare. Sed diuinæ gratiæ officiositas potuit in momento Saulum mutare in Paulum, & de obstinato Synagogæ Rabbino, Ecclesiæ Apostolum facere, Gentium Doctorem, & Christianæ Sapientiæ ac pietatis metam. Ergo immissæ ægritudines, ac tribulationes, facilè hominem ad quærendum Deum inducunt, qui in prosperitate & sanitate magis peccatis indulget, nec aliter postea oborta ægritudine sanari queat, nisi Deo reconciliatus, cùm sublatâ causâ, tollatur effectus.

Cõuersio sancti Pauli à gratia efficaci processit.

Liberaturus Deus filios Israël de manu hostium, à Madianitis grauí obsidione pressos, Gedeonem ad hoc opus elegit Iudicum 6. dicens: *Liberabis Israël de manu Madian &c. Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum virum.* Verùm antequàm opus hoc aggrederetur Gedeon, conditio illi imposita fuit, vt priùs destrueret altare Baal; *Destrues aram Baal, quæ est patris tui, & nemus quod circa aram est succide.* Nimirùm, quia illa ara Baal erat occasio idololatrandi populo Israël, quâ Deus grauiter offensus hostilem impetum permiserat. Idcircò priùs hæc occasio auferri debuit, antequam victoria de hostibus reportaretur: quia sublatâ causâ, tollitur effectus; quod vbi fecit Gedeon, vicit Madianitas. Meminerat Gedeon Dei B magnalia, secum loquens: *Si Dominus nobiscum, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt Patres nostri, atq; dixerunti de Ægypto eduxit nos Dominus?* Placuit Domino pia hæc beneficiorum à se præstitorum recogitatio, statimq; ad eum respiciens, dixit: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël.* In qua fortitudine? nam quæ fortitudo tunc in Gedeone ostendebatur, in qua posset ire aduersus hostes? Si enim hominem aspicias purgantem frumenta, vt fugeret Madian, potiùs infirmitas & imbecillitas eius apparebat. Quæ ergo fortitudo visebatur in fugituro? sanè ex quo auditus fuit Gedeon mirabilia Dei Patribus suis præstita recolere, firmiterq; ei adhærere, hæc eius fides, & memoria Dei tantam fortitudinem halare cœpit, vt meritò in illa hostes victurus videretur. Audite Theodoretum qu. 12.

Theod. *Quoniam ergo memor erat mirabilium Dei, firmamq; de Deo tenebat opinionẽ, meruit audire ab Angelo: proficiscere in robore fidei huius, & vinces.* Vbi firmã, constantemque de Deo opinionem, aut fidem, quam tunc verbis exprimebat Gedeon, fortitudinem vocauit. Quo spectans Caietanus, concludit:

Caiet *Non dixit* Angelus, *vade in fortitudine tua, sed adiungit pronomen, ista; ad insinuandum, quòd de fortitudine fiduciæ in Deo, de fortitudine Gedeonis innixa Deo, loquitur. Professus enim erat Gedeon à Deo fuisse salutem patrum; in hac ergo fortitudine liberaturus dicitur Israël.* Si ergo Gedeon post euersam aram Baal, post sublatã turpem idolatriam, grauissimã Dei offensam, à DEO liberator populi Israëlitici constitutus est, victoriamq; de hostibus reportauit, quis non fatebitur prudenter Christum egisse, animam paralytici priùs sanando à peccato, vt hoc tanquàm causa sublato, sanitas corporis succederet, quæ vt plurimum propter peccatũ denegatur.

Erubescant profectò, qui sanitatem corporis priùs quærunt, vt post tot flagitia in voluptatibus perpetrata, liberiùs luxurientur; animæ verò sanitatem negligunt, peccati turpitudinem, pro rosea pulchritudine reputantes. Hos perbellè descripsit Salomon in lib. Sapientiæ c. 2. v. 6. Vbi dùm illos ad omne scelus animũ proijcientes, & sese mutuò ad peccata stimulantes, sic inducit: *Venite* Sap. 2. *fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creaturâ tanquàm in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Statim ipsorum ore pergit vlteriùs: *Coronemus nos rosis, antequàm marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, vbiq; relinquamus signa lætitiæ nostræ.* Moritò cum rosis, quæ ebrio colore sunt, & stercore gaudent, Auctore Plinio, ebriæ, & impuræ voluptates adumbrantur. Nam quid aliud est rosis coronari, quàm immunditias, & peccata pro corona contendere, quasi ille inter alios palmam, atq; coronam referat, qui turpior, ac flagitiosior sit: vt de suis socijs dicebat quondam S. Augustinus, S. Aug. *tactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quanto magis turpes essent.* Iam verò ex aduerso horum, qui voluptatum, & turpitudinũ rosis coronantur, Dei Filium peccatorum quoque rosis coronatum considera, & diligenter attende, æquè in spinis, ac in rosis peccatum denotari; nisi quòd illæ pungant, istæ delectent. Nimirum amentes, & insani homines, quibus iam peccati aculei obtusi sunt, & peccata pro floribus habent, teste Iob cap. 30. v. 7. *Esse sub sentibus delitias computabant*: & flos illis peccatum Iob. 30.

cum est. Ideò rosarum coronas gestant, vt indicent, non voluptate solùm, aut illecebrâ peccati, sed ipsa eius infamiâ delectari.

Non sic Catholici mei, non sic vobis procedendum est: verùm si Christi capitis spinis coronati membra esse vultis, peccata, acres spinas, quæ caput crudeliter pungant, mentem nimirum penetrent, atq; transfigant, vt animus de illis grauiter doleat, & continuo mœrore conficiatur, esse arbitremini. Præit vobis suo exemplo, verus ille pœnitens, Rex Israëlitarum Dauid, qui post elapsum peccati florem dicebat: *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Ps: 31. v. 4, quasi diceret: quocunque me vertero, tanquàm aliquod fatigato animo leuamen in molestissimam ærumnam conuertor, dum acutissimum stimulum recordationis mei peccati paratum inuenio. Sic de pœnitentibus enuntiat S. Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 17. *Conuersi sunt in ærumnam doloris, cùm figeretur spina peccati recordationis.* Non eleganter D. Bernardus sermone 36. in Cantica de anima sese humiliante dicebat: *Vnde huic iam extollentia oculorum? vnde leuare caput? Nonnè magis conuertetur in ærumna sua, dum configitur spina? cõuertetur inquam, ad lachrymas: conuertetur ad planctus, & gemitus: conuertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit. Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Quid aliud morbus est, nisi ærumna ingenti dolore hominem perimens, vt tunc maximè ad Deum conuertatur, qui eo fine ægritudines imittere solet.

Altera causa, quòd Christus animã paralytici priùs à peccato, quàm corpus ab infirmitate sanare voluerit, est ex parte nostri. vt scilicet nos edoceret, primariò nobis animæ, & salutis curam habendam esse; nec otiosè corporis sanitatẽ quæri oportere, nisi vt ad referendas Deo gratias, & promissa obsequia agiles inueniamur. Non quemadmodùm hodiernus paralyticus, qui audiens veniam: *Fili remittuntur tibi peccata tua.* tacuit. nec vllas egit gratias, quia plus corporis: quàm animæ tendebat ad curam: & temporales ærumnas resoluti corporis ità deflebat, vt æternas pœnas resolutionis animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam iudicans; quàm futuram, quod Christus tacitè arguens, paralytici animam, prius quàm corpus curauit. Hanc doctrinam egregiè delineatam video apud S Marcum. *Ægrotabat socrus Petri, ad quam cùm venisset Iesus, sanitatem illi dedit, Marci 1. Accedens Iesus eleuauit eam, apprehensa manu eius: & continuò dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Videte, vt sanitatis beneficium accepit, statim se ad maius ministerium præstandum accinxit. Ait Victor Antiochen. *A febribus liberata, suum vicissim ministerium, & seruitium exhibet: nos per hoc erudiens, ne sanitatis beneficium frustra, aut præposterè à Deo expetamus; verùm eo animo, vt sanitatem adepti, præceptis illius accuratiùs parere, sanctisq; necessaria vitæ præsidia faciliùs ministrare valeamus.* Hoc ergo ex perceptis Dei beneficijs elicere debemus, non otio indulgere. sed maiori conatu, & accuratiori diligẽtia, in eius obsequia euolare, ac pro peccatis, si quæ commissa fuerint, quantociùs omnimodam pœnitentiam agere, vt anima libera fiat.

Hinc Dauid Rex clamabat ad Dominum: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Psal. 114. Quasi diceret: aperiat infernus os suum, & deglutiat me vi- D uum: scindatur corpus meum in minutissimas particulas, inferantur mihi cruciatus, quicunq; excogitari possunt, patiar libenter, dum modo anima mea libera sit. En quomodò veri pœnitentes ipsos dolores ob patiendi affectum, ipsam dicunt consolationem. Dixit Iob cap. 6. v. 10. *Et hæc sit consolatio mea, vt affligens me dolore non parcat.* Hinc quia ita animatus intus existebat, reputans se peccatorem, omniq; dignum flagello, ex affectu patiendi, dum pœnas illatas persensit, mortem scilicet filiorum;

Homo pœnitere debet ad liberandam animã.

Iob 6.

liorum, seruorum, armentorum, vestimenta scidit, non tantùm ad doloris signum, quantum ad ampliora patiendi desiderium, vnicam hanc duntaxat æstimans consolationem, ampliora pati. Quod considerans Origenes lib. 1. in Iob ita dicit: *Conscidit vestimenta sua, sine mora seipsum ad ipsas præparans plagas, ecce inquiens corpus nudum, ecce corpus detectum; vos flagellate inimici, tanquam Dei satellites, ego autem sufferam: vos verberate, ego autem sustinebo.* Vtquẽ admodùm priùs vestibus corpus calefaciebat, postea flagellis, par ex istis fomentũ accipiens consolationis, ac ex illis.

Quod si tanta pœnitentia agenda est, pro delictis, vt ab illis anima liberetur, quid censebimus pro neglectis Deo exhibendis gratijs, pro non custoditis sanctissimis eius præceptis? Dicebat Regius Vates Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Non lachrymas, sed exitus aquarum affirmat oculos profudisse, ita vt veluti in eas ipsi conuersi, ex fontibus visionis fontes fierent lachrymarum, vt locum hunc intelligit S. Ambrosius concludens: *Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lachrymis oculi quadammodò ipsi videantur descendere, eò quòd tanta vis lachrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lachrymas effundi.* Obseruans accuratè Dauidẽ semper ploràsse gradatim, non fletũ diminuendo, sed augendo, ita tandem, vt in lachrymas totus abiret. Pergit idem S. Doctor: *Diuersè hoc, & sæpè significauit & propemodũ semper incrementa assumpsit: dixit enim primò lauabo per singulas noctes lectum meum; dixit iterum: fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, dixit etiam, & potum meum cum fletu miscebam, hæc addit: in decur sum aquarum descenderunt oculi mei.* Hoc est, in lachrymis meis defecerunt. Et quid tantoperè plorabat Dauid? equidem non damna temporalia, sed quia oculi eius Dei legem non custodierunt, vt rectè aduertit idem sanctus aiens: *habuit quidem multa quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum, sed hîc non hoc fleuisse se dicit, sed quia non custodiuit legem Domini.* En quanto impetu flebat tantus Rex, profectò duplo magis, quàm damna fleuerat corporis: imò si attendis, ita spiritu temporis decursu sublimatus, vltroq; semper ad perfectum progrediens, vt licet damna adessent corporis, non hæc, sed spiritus flerét, dolorem peccati seruans, non infortunij. Quis etiam infimæ sortis hisce temporibus ita sua delicta flet, quis tantam pœnitentiam agit? Rarus; imò sic nos pœnitet, vt potius delicta augeamus. Ait S. Cyprianus de lapsis propè finem: *Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse, nec satisfaceres deliquisse, nec delicta flere.* Nunquid talis pœnitentia ad dissimulandum Deum attrahit: minimè: totis viribus, toto animo dolendum est, vt anima libera sit.

Ostendi, Christum Dominum duplici de causa priùs paralytici animã curare voluisse, quàm corpus, quod varijs ægritudinibus plerumq; versat. Primò, vt se verùm medicum, imò medicorum an eſignanum ostẽderet. Secundò, quia priùs est quærenda sanitas animarum, quàm corporum. Pulchrè hoc insinuat S. Augustinus his verbis: *Lugemus carnem alienam extinctam, & animam nostram non lugemus: lugemus si mater mortua fuerit, aut frater, aut filius: lugemus pectus percutiendo, crines dilaniando, faciem lacerando, & quando anima nostra extincta est peccato, non lugemus. Age verò quid facis o homo, suscitare carnem alienam non potes, & animam poteris per pœnitentiam suscitare.* Si ergo sanari à Christo cupimus, priùs animæ, quàm corporis sanitatem quæramus, pro omnibus etiam leuioribus delictis pœnitentiam agendo, idq; non molliter, sed fortiter, non falsam, sed veram, propter quam Deus dissimulat.

S. Ambrosius.

S. Augi

DOMI

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

CONCIO PRIMA.

Amice quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem *Matthæi* 22.

Ad conuiuium Eucharisticum & puritas mentis, & externa corporis mundities requiritur.

NEminem latet inter Romanos viguisse consuetudinem, vt vestibus candidis ad conuiuia venirent, cuius ritûs causa erat, quòd apud omnes nationes, mensæ sacræ haberentur: vnde infamiæ imputabatur, si quis inter epulandum, dolos aut fraudes meditaretur. Vestibus autem non quibuscunq; vtebantur Romani, dùm ad conuiuia confluerent; sed albis: propterea, quòd albedo synceritatis symbolum esset. Ad sacrificia pariter dignè offerenda Deo, noua vestimenta requirit Sacra Scriptura. Nam Genesis 35. Iacob Patriarcha, cùm ad sacrificandum DEO pergere vellet, vt declararet ijs, qui sequebantur eum, quo cultu & ornatu conspicui ad tantæ religionis actionem exercendam accedere possent, sic eos allocutus est. *Abijcite* inquit *Deos alienos, mundamini, mutate vestimenta.* Ad lautissimam pariter cænam inuitamur hodiè omnes ab vnigenito Dei filio, ad sacrum conuiuium accedendum nobis est, in quo non dapes regiæ, non humanâ industriâ excogitata fercula, non venatione in amœnissimis syluis acquisita delicatissima animalia, ad manducandum ponuntur; sed diuinus cibus, fœcunda omnis dulcedinis vena, perennis fons inexhaustæ suauitatis, alueus spiritualium cœlesti melle fluens. Verbo dicam? Christus ipse sumendus proponitur, quod diuino afflatus spiritu prædixerat Propheta Psal. 33. *Gustate* inquit *& videte quoniam suauis est Dominus.* Vbi præstantiã cibi istius manifestè indicat, quòd quemadmodùm saporis illecebra, quæ reperitur in cibis materialibus, solet excitare gustum, & appetentiam; ita qui diuinum hoc alimentum gustat, quamuis iam appetitus eius langueat, facilè fore, vt in posterum tàm salutarẽ & iucundam alimoniam appetat. Quo ergo cultu, quo vestimentorum genere, nobis opus esse iudicamus? vt tanti epuli possimus fieri participes. Equidem si Ammianus refert insignem Philosophum Periclem interrogatum, cur se contra consuetudinem suam, tàm diligenter & curiosè ornasset, iturus ad cuiusdam pulchri adolescentis nuptias, respondisse. *Vt* inquit *Pulcher ad pulchrum vadam.* Cùm autem Christus sit ipsamet puritas, & pulchritudo; manifestum est, vt ei cõmunicemus, & conuersemur, potissimùmque in hoc diuino Sacramento, per quod ita arcta fit ista communicatio, vt ipsum nostris corporibus inseramus, necessarium nobis esse exquisitissimũ apparatum, qui in quo consistat, paucis edisseram.

Romana conuiuia in vestitu cãdido celebrantur

Psal. 33.

Gen. 35

Ammianus.

In duobus, splendidissimus apparatus, quo se homo ad Christi conuiuiũ exornare debet, consistit. Primò, in puritate mentis: iuxta illud primæ Corint. 3. num. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de*

1 Cor. 11.

de calice bibat. Vbi verbum *probet*, significat primùm, examen quo se quis perscrutari debet, antequàm ad Eucharistiam accedat, quasi diceret; accessurus ad hoc lautissimum & cœleste conuiuium, priùs conscientiam diligenter expendat, examinet, exploret; deinde significat *iudicium*, quo se morali certitudine credat lethalis criminis expertem; quasi diceret: sacrum hoc epulum sumpturus homo, priùs sententiam ferat, quâ se approbet, & quantum de diuina misericordia sperare licet, expiatum iudicet, nec antequàm hisce præmissis, ad sacrã mensam accumbat. Hæc enim præpostera fuit Æthnicorum superstitio, vt pecudes immolandas priùs exminarent, essetne in illis aliqua macula, seu labe seu vitio infecta, iuxta illud Virgilianum.

Et fibras pecorum & spirantia consulit exta. Non autem seipsos immolaturos dignoscebant, quasi magis à brutis animantibus, quàm ab illis ipsis exulare oporteret vitia. Fateor quidem & in lege veteri hoc ipsum a Deo fuisse mandatum, vt inspicerentur diligenter animalia, antequàm ad aras immolãda sisterẽtur. Leuitici 22. num. 22. Vbi sacer textus dicit. *Omnis* inquit *macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem, non offeretis ea domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.* Verùm lex illa mysterio plena fuit: non vt in ipsis victimis sisteretur, quarum vitia sine dubio, leuiùs ferenda videbantur: sed vt à victimis ad fideles efficax duceretur, argumentum, optimumque documentum pateret, quâ tandem & ipsi constare deberẽt ad immolandũ Deo puritate? cùm hæc tanta à victimis ratione carẽtibus exigeretur. Quemadmodùm egregiè super locũ hunc philosophatur Philo Hebræus libro de victimarum generibus. *Adhibetur* inquit *hæc cura non propter victimas, sed vt sine omni culpa sint, qui eas mactandas offerunt: submouentur enim his symbolis, vt quoties accedunt ad altaria, vel nuncupaturi vota, vel reddituri, nullum vitium, nullumq; morbum afferant in anima, sed conentur omninò nitidam & immaculatam, in conspectum Dei producere, ne visam auersetur.* Vnde in eos, qui secus faciebant, & maculatas victimas à sacrificijs excludentes, vitiosas animas ad sacrificandum afferebant, acriter inuehitur. idem Philo libro, de Cherubim: *Si quam pecudem* inquit *animaduertãt parum integro corpore, ejciunt extra purificatum templi spatium, nec patiuntur adduci ad altaria. Ipsi verò consauciati animas morbis grauibus, quos eis inflixit impotens malitia; vel potiùs mutilati castratique membris præcipuis; prudentiâ, fortitudine, iustitiâ, alijsq; virtutibus; tamen audent sacris operari, rati oculum Dei externa tantùm suspectare, non etiam occulta conspicere.* Hinc S. Dionysius Areopagita: libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. sacram communinem, appellat quandam sacram insitionem. Propter duplicem puto similitudinem. Primò sicut ad insitionem, vt feliciter procedat, requiritur, vt truncus in quem surculus inseritur, viuat; hoc est, vt non sit aridus, sed viridis, & suâ adhuc vegetatiuâ animâ informatus: tunc enim truncus & surculus ita in vnum coalescunt, vt ex illis vna arbor efficiatur, sicq; truncus quasi exuerit syluestrem animam, & nobiliorem surculi vitam hauserit, non iam amplius in suos flores, frondes, ac fructus, qui erant de granis naturæ; sed in flores, frondes, ac fructum illius surculi, quem amplectitur, qui sunt melioris felicioriq; ingenij, propagatur, iuxta illud Virgilij.

Leu. 22.

Philo.

Idem.

S. Dionysius.

Miraturq; nauis frondes, & non sua poma. Quod si truncus aridus sit, tantum abest, vt surculi vitam viuat, vt potiùs surculus mortuo incluſus trunco immoriatur. sic planè in spirituali Eucharistiæ menti nostræ insitione reperitur. Nam inprimis opus est, vt qui illam recipit, viuat per gratiam IESV Christi, sic enim tàm arcto vinculo cum Christo Domino coniungitur, vt non suam, sed illius vitam viuere videatur. teste Apostolo Gala-

lo Galateorum 2. num. 20. *Viuo autẽ iam non ego, viuit verò in me Christus:* quasi diceret. Homo qui dominicũ corpus suscipit in gratia, non iam humanas, sed diuinas exit in actiones, non iam loquitur, non iam operatur vt homo, sed quasi totus in diuinitatẽ transfusus, diuinam agendi rationẽ sortitur. Vnde S. Dionysius Areopagita citato loco. *Verus* inquit *ad sacra percipienda accessus, id accedentibus tribuit, vt ex communione diuina, ad Dei similitudinem atq; consortium transeant.* Quodsi recipiens Eucharistiam, tanquàm aridus & mortuus truncus, per gratiam non viuat, quo insitio euadet? Tantùm profectò aberit, vt à Christo vitã hauriat, vt potiùs quantum in se erit, vitam Christo eripiat, Nam teste Apostolo primæ Corinthiorum 2. num. 27. *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* quasi diceret: Anima hominis illius, qui non in gratia Christum suscipit, erit mortua veluti quidam tumulus, seu quædam vrna, vbi Christus iterum moriatur, ac tumuletur. Erit illa anima veluti quædam Crux, cui diuinus ille surculus non inseratur victurus, sed moriturus affigatur. Erit illa anima non viride lignum, in quo cœlestis ramus quodammodo reuirescat, & reflorescat, sed ferale patibulum, in quo penitùs exaresçat, & contabescat. Vnde peccatoribus ad sumendum corpus Christi accedentibus dicit Apostolus Hebr. 6. num. 2. *Rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Vnde etiam eiusmodi hominibus, qui non in puritate mentis cõuiuaturi accedunt, cœleste hoc epulum non fit ad palatum, sed ad interitum: quia dicit Angelicus Doctor: *Mors est malis.* hoc est; malè dispositis.

Galat. 2. Ibidem. 1. Cor. 2. Hebr. 6. S. Thõ.

Quod certè figurabat Manna veteris testamenti, de quo dicitur Sapientiæ 16. *Omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suauitatem.* Nam vt ibidem docetur. Ad quod quisq; volebat conuertebatur; & tamen alijs fuit ad iucunditatem, alijs ad nauseam. Quare obsecro non omnium gustui æqualiter seruiebat? cùm omne delectamentum in se haberet. Respondet Abulensis, qu. 5. super Exodum. Quia manna illud tantùm iustis conuertebatur ad omnia, quodcunq; volebant; Quod colligit ex verbis Sapiẽtiæ ibidem. *Dulcedinem tuam quam in filios ostendebas.* si ergo filijs tantùm illa diuersitas ciborum & saporum cõmunicabatur, dubio procul remouebãtur ab ijs, qui filij non erant. Quam etiam opinionem sequitur doctissimus Nicolaus de Lyra supra caput 16. Sapientiæ idq; euidenter probat verbis ipsorũmet Israëlitarum, qui Deo non erant accepti, quando manna fastidientes, dixerunt: num. 21. *Anima nostra nauseat super cibo illo leuissimo.* ex quo constat, manna illud non eis deseruisse ad omnem saporem, cum eius esu ad nauseam se dicerent irritari. Quod inde factum est, quia Deus peculiari miraculo impediebat, ne ab illis saporum illa diuersitas perciperetur, & suauitas, quam tantummodò vt Sacra dicit Scriptura, in filios ostendebat, communicans eis multiplicem saporũ gustũ, & iucunditatem, quam reuera manna in seipso deseruiens vniuscuiusq; voluntati retinebat, vt allegata verba docent: *Omnem saporem suauitatis.* Quod Cæsarius Arelatensis homil. 5. super festo Paschatis eleganter prosequitur. Plinius lib. 15. cap. 17. sapores in vniuersum decem numerat. sunt autem hi dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, & sallus. Ex quibus inter se commistis, ingeniosa hominum gula, ferculorum diuersa genera condiunt, quoniam singulorum natura, vnum tantùm continens saporem, minus humano pabulo satisfaciebat. Deus autem suis Israëlitis, dederat cibum tantæ virtutis ac saporis, vt in ipso omne delectamentum, omnisq; saporum suauitas, includeretur, eo fine, vt manna illud expressa esset imago mystici panis Eucharistici, habentis omnia genera saporum spiritualium, quibus anima nutriatur. ad quod certè respexit

Sap. 16. Abulẽs. Lyranꝰ. Cæsar. Arelatẽ Plinius.

D. Basil.

S. Basil. D. Basilius, qui in Psal. 68. Sacramentum altaris nominat, *Panem arctum*: quòd præter alia miracula, omnes animi voluptates arcto quodam amplexu intra paruulæ hostiæ angustias comprehendat. Quemadmodùm igitur manna Hebræum solis iustis præbebat, omne delectamentum, impijs verò nauseam; sic planè sacra Eucharistia, cõscientiâ puris adfert omnem dulcedinem: sed animo fœdis, mortis amaritudinem.

Alterum, quod requiritur ad facilẽ insitionem est, vt antequàm surculus inseratur, inutiles rami defrondentur, infructuosi stolones rescindantur, & vt loquitur Mantuanus, enodes trunci resecentur, sic enim fit vt paulo post:

Exeat in cælum rãmis felicibus arbor. Quodsi truncus inutilibus ramusculis sylueſcat, facilè in ptiores fœtus erumpet, nec cum insito surculo cohærebit, nec viuet trunculus per surculum, sed potiùs surculus per truncum interibit, ab illa sylueſtrium ramorũ congerie oppressus. & quodammodò suffocatus. sic planè antequàm sacratissima Eucharistia suscipiatur, debent omnia ex animo flagitia amputari, prauæq; affectiones cõcerceri, vt animus à peccatis liber, tanquàm truncus noxijs frondibus exoneratus, cõalescat cum diuino illo surculo Christo domino: & surculus vicissim in trũco inolescat. Atq; vna sit vtriusq; vita, ex qua vna atq; eadem operatio consequatur. Nam si anima vitiosis appetitionibus lasciuiat ac luxurietur, nũquàm cum illo diuino surculo conçrescet: sed in priora flagitia prodibit, quibus ille diuinus surculus quodammodò obrutus & oppressus, quantũ in ipso peccatore est, penitus exaresçet & contabescet. Hanc certe animi puritatem, ad epuli Eucharistici sumptionem, in homine necessariam expressit Salomon. Ecclesiast: 11. num. 1. inquiens. *Mitte panem tuum inter transeuntes aquas.* Vbi ex primo verborũ intuitu, facilè Salomonis imprudentiam quispiam arguere posset. Quæ enim insolentior esse potuit seminãdi ratio? quàm vt semina in mare iacerentur. Vbi nec radices mittere, nec spicas ferre, nec vllum ferenti fructum parturire possunt! verùm, Diuus Ambrosius de interpretatione Dauid, mystice hæc verba interpretans, *panis* Nomine sacram Eucharistiam; nomine verò *aquarum* pœnitentiæ lachrymas intelligit. Lacrymis igitur profluentibus, & totam priùs conscientiam expiantibus, diuinus iste panis seminandus est, vt nobis in vitæ æternæ fructus, amplamq; segetem erumpat. sic docet D. Ambrosius, loco citato. *Rectè* inquit *accipiunt substantiam verbi, & mysticæ rationis alimentum: quibus flumina aquæ viuæ de ventre labuntur.* Similiter quoq; hic panis, ibi viuus est, vbi aqua lacrymarũ & fletus est pœnitentiæ. Neq; enim par est, vt mundissimus panis, nisi mundis per pœnitentiam mentibus communicetur, teste Propheta Psal. 110. n, 5. *Escam dedit timentibus se.* quasi diceret: non offendentibus, non ad iracundiam prouocantibus, sed formidantibus meritas pœnas, easq; per pœnitentiam deprecantibus. In Hebræo autem legitur, *prædam dedit timentibus se*: ad ostendendum, quòd quemadmodùm in bello nonnisi victoribus præda cõfertur: ita & panis iste cœlestis, ijs tantùm tribui debet, qui de suis vitijs prauisq; affectionibus triumphant, surgat proinde à peccati sepulchro, quisquis accessurus est, ad hoc vitæ ferculum saginandus, in cuius veritatis typum, moribundo Isaac cibum intulit Filius Iacob dicens: Gen. 27. num. 19. *Surge & comede de venatione mea.* At cur non permittis ô care fili, vt pater senio morboq; confectus, & magis sarcophago; quàm prãdio vicinus, molli recumbens puluio epuletur? Ea propter forsan, quia epulum illud symbolum quoddam Eucharistici conuiuij fuit, quo soliè peccato surgentes, non verò in peccato iacentes perfrui debent, surgendum igitur est à peccato, & in gratia consistendum, antequàm ad hoc cœleste

S. Ambrosius. Psal. 110. Gen. 27. Eccl. 11. C D

conui-

conuiuium accedatur, quia sacra Eucharistia non tantùm, à morte erectos, sed etiam à morbis liberos requirit, hoc est, non tantùm à mortalibus culpis; sed etiam à venialibus immunes: quibus sicut pupillæ oculi sui, vel leuissimus puluis molestiam facit, sic planè Christum Dominum, leuissima etiam peccati venialis macula exacerbat.

Secundò, nitidissimus iste apparatus, quo induti in hoc cœlesti conuiuio sistere debemus, consistit etiam in externa corporis mũditie, sic cen- B
Origen. set Origenes hom. 31. supra Leuiticum. qui expendens illud scripturæ, quod panes propositionis iubente Deo, in loco sancto comedebantur, dicit per illum locum sanctum, figuratum fuisse pectus, humanum, intra quod diuinũ Eucharistiæ panẽ claudimus, proinde quòd & hoc oporteat purissimum esse & sanctum: scilicet absq; terra, sine aliqua mistura terreni affectus. Hoc manna Hebræum significabat, quod ne terram tangeret, & priùs commacularetur, rore cœlitùs priùs misso, excipiebatur, & iterum rore tegebatur, atq; intra locum mundum, tanquàm intra candidas mappas, clausum fuit, ad significandum, quòd non tantùm mens & anima hominis; sed etiam corpus mundissimum esse debeat. Vt inter hæc duo, tanquàm in aureo regali throno Deus homo sumptus ab homine, cõmoretur. vnde Concilium
Concil Elibert. Elibertinum capite, *Omnes de Consecratione*, distinct. 2. admonet coniuges, vt communicaturi per octo ante D
dies, vel saltem tres, aut quatuor, à coniugij officio abstineant, *Omnis* inquit *homo ante communionem à propria vxore abstinere debet, tribus aut quatuor aut octo diebus.* Quod ipsum Diuus
S. Aug. Augustinus serm. 216. & 224. contra
S. Hier. Iouinianum, atq; D. Hieronymus li-
Dionys. bro 2. contra Iouinianum consulunt,
Alexan. Et Dionysius Alexandr. in epist. ad Basilidem, tantam ait esse oportere animi & corporis puritatem, ad hunc diuinum cibum manducandum, vt menstruis infectis mulieribus, ad altare communionis interdicat accessum; *Si piæ* inquit *& fideles sint non debent sic affectæ contingere corpus & sanguinẽ domini*: Hoc ipsum suadet sanctus Cyprianus, qui ad Sacramentum Eucharisticum, in ipso quoq; habitu & vestitu elegantiam & ornatum requirit. *Placendum* inquit *est diuinis oculis, etiam in habitu.* imò & ipse sapientissimus Salomon Proueb. 23. inquiens: *Quando federis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Vbi quid aliud, quàm puritatem, non tantùm mentis; sed etiam corporis suadet? Inauditum quidem videtur hoc loquendi genus, nam culter manu capi solet ad scindendos cibos, non gutturi apponi, ad inferendã cordis cõsternationẽ, quâ omnino cibi tolleretur appetentia.

S. Cypr. Prou. 23.

Verùm sensus literæ sacræ est, quia Deus per Salomonem instruit hominem, aggrestem & aulicæ consuetudinis ignarum, vt sciat quem ritum in conuiuio obseruare debeat. Quocirca regulas illi certas vrbanitatis, atq; leges politici præscribit. quarũ prima est, vt æstimet cibos sibi appositos. Secunda, vt statuat gutturi cultrum temperantiæ, quâ procliuem ciborum appetitum, ac sine lege ruentem libidinem cõerceat, & moderetur. In sensu autẽ allegorico, Spiritus Sanctus alloquitur ibi Eucharisticæ mensæ conuiuas. vnde alia trãslatio legit. *Cùm sederis ad mensam potentũ*: id est, ad mensam Iesu Christi, qui per excellentiam potens dicitur, ad hanc mensam attentè cõsidera, quid tibi apponatur comedendũ, vbi tria potissimùm considerandasunt, Primò, bona intrinseca & naturalia Christi, qualia sunt, quæ ipsum naturalem DEI filium constituunt, nempe diuina eius persona, natura, bonitas, omnipotẽtia, sapientia, quibus reliqua diuinorum attributorum multitudo accumulatur. Secundò bona externa, quæ illi gratis fuerunt data, qualis est vnio hypostatica, habitualis gratia, & gratiæ omnes gratis datæ, cùm cæteris donis, quibus

Christi

Christi anima locupletata est. Tertiò, bona acquisita ipsius virtute atq; viribus: vt sunt propria eius merita cum alijs bonis, quæ ipse non tàm sibi; quàm nobis potiùs lucratus est, Quæ omnia bona cibi huius exhibitio in Eucharistiæ Sacramento nobis cõmunicat, quod tantæ celsitatis atque diuinitatis est, vt si Deus absque eo quod nobis dat, maneret, exinaniri eum & exhauriri prorsùs necesse foret. Quamobrem cùm tanta huius cibi dignitas & maiestas sit, iure meritò requirit Deus, vt qui ad hanc men- B
sam venire intendit, diligenter quid sibi apponatur animaduertat, reuocando sibi in memoriam illud Salomonicum, Prouerb. 23. *Cùm sederis ad mensam potentis diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Eleua Paropsidem, & plurimi fac regales dapes, quæ tibi licet indigno latenter apponuntur; contemplare attentus illarum excellentiam, & pretium inæstimabile. id si feceris, secundæ statim legi obtẽperabis, quæ præcipit: *statue cultrum in gutture tuo*: C
id est, corripe cultrum mortificationis, quoniam quicunq; hanc mensam frequentare desiderat, cultro subijcere debet, omnes suorum sensuum affectus, delectationes, & voluptates, mundi sapore aspersas. Suadet tibi sensus errans, sub exiguo hostiæ fragmento non latere, verum Christi corpus, aut diuinitatem: statue cultrum in gutture tuo, ne quidquam imprudenter effutias. & D. Paulum imitare, vt sicut ille, cùm à Iudice Festo dissonam constra se sententiam ferri audiret, ad Cæsarem appellauit dicens: *Ad Cæsarem appello, ad Cæsaris tribunal sto, ibi me oportet iudicari.* Sic planè & nobis faciendum est, cùm sensus aut intellectus naturali suo lumini innitens, sententiam tulerit contra veritatem præsentiæ Christi, & absentiæ panis in hoc sacratissimo Sacramento, ad Tribunal Ecclesiæ Catholicæ nobis appellandum est, vt illa veram sententiam ferat. Nam quemadmodùm olim sub obscurum illud ænigma proponente D

Samsone Iudicum 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Omnes ignorârunt, quousque Dalila eius Sponsa propalasset eis: dicẽte ipsomet Samsone. *Si non arasset is in vitula mea, non cognouissetis propositionem meam*, sic planè ænigma illud Christi. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus*, fuit inperceptibile ab intellectu humano, nisi Ecclesia Catholica dilecta Dei sponsa, nobis tanquàm veritatem à Deo reuelatam, & à Christo Domino proposuisset probatam. Iudic. 14. Ioan. 6.

Noluit impia Heresis à sensu errante ad Ecclesiam appellare, ideoq; turpissimè circa præsentiæ Christi veritatem, eiusq; sacratissimi corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini latentem realitatem. hallucinata est. Ad quorum refutandam erroneam & falsam opinionem, Deus in hoc Sacramento plurima miracula voluit fieri. Vt sic tandem manifesta veritas falsitatem expugnet, vt proinde Ecclesia sancta meritò illis dicere posset: *Si mihi non creditis, credite miraculis.* Primum insigne miraculum euenit, anno 130. vt refert Paulus Diaconus in vita sancti Surij & Iuuentij cap. 8. Quod dùm Missarum solemnia singularis Pontifex celebraret, & copia filiorum eius, quos verbi semine iuxta Apostolum 1. Corinth. 4. Deo genuerat, deuota sanctis mysterijs interesset, audacter quidam Iudæorum Ecclesiã ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, atque in sterquiliniũ proijcere molitus est. Qui inter turbas fidelium, ad manus Viri Dei perueniens, ausu nefario, immũdo ore corpus suscepit Dominicum, quod vt animo reijciendi os aperuit, digna vltione subitò percussus, sine afflatu verborum cunctis videntibus & audientibus clamare cæpit. Volebat labia iungere, nec valebat. conabatur verba edere, sed lingua rigida, officium loquendi non præbebat: sicq; ignitum quasi eloquium in ore portans immensis torquebatur doloribus. Anno quoq; 550. (vt Paulus Diacon.

Euagri°. auctor est Euagrius libro 4. cap. 3.) Mennæ temporibus, satis memorabile miraculum de hoc Sacramento, editum fuit. Vetus erat consuetudo Constantinopoli, vt si quando multæ admodùm particulæ, puri & immaculati corpotis Christi Dei nostri supereſſent, pueri impuberes, qui scholam frequentabant accerſerentur, easq́ manducarent. Quod cùm fieret, filius cuiusdã Hebræi vna cum pueris Catholicis id ipsum faciebat. Verùm patre causam moræ ab eo sciscitante, postquàm respondit se cum alijs pueris relictas particulas comediſſe. Hebræus furore & iracundia inflammatus, in Clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniecit. Cùm verò Mater puerum quæritans reperire non posſet, ibat per totam Vrbẽ Deum cum gemitu obtestans, Triduo itaq́; elapso ad ostium officinæ viri sui consistens, & fletibus ac lamentis exacerbata, diuina inspiratione, puerum proprio nomine compellauit. Puer Matris vocem vt agnouit, è Clibano responsum dedit. Mater effractis foribus intrò irrumpit, videnſq́; puerum in medio Carbonum candentium consistentem, illæsum ab ignis incendio, quæsiuit quo pacto illæsus mansisset. Respondit ille, mulier inquit veste amicta purpurea, crebrò ad me venit, & aquam, quâ Carbonum flammas corpus ambigẽtium extinguerẽ porrexit, cibumq́; dedit quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianũ perlatâ, puerum cum Matre lauacro regenerationis tingẽdos decreuit. Patrem verò pueri, qui recusauerat in numerum Chrianostum adscribi, cruci affigendum sanciuit.

Et certè recurrant Iudæi ad doctiſſimorum suorum Rabbinorum testimonia, qui ante Christum de eius præsentia in sacratiſſimo Eucharistiæ Sacramento rectè senserunt. Nam Rabbi Barachias, explicans illa verba: *Quod fuit ipsum, est, quod erit*) quæ verba sic exponit *Venit* inquit *Messias & redemptor, qui erit placenta frumenti in terra.* Similiter Rabbi Hu. Rabbi Barach.

A darsam, explicans illa verba Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos.* in quibus verbis ostendit futurum, vt Messias, veniens, ipsemet det credentibus cibum semetipsum bonum, suauem, & magnum, cui non sit alius similis; & sic funiculo humanitatis & diuinitatis suæ in Sacramenti sumptione, trahet eos. vbi manifestè omnes Iudæorum Rabbini supponunt sacratiſſimũ Eucharistiæ Sacramentum continere in se, verùm & præsentem Christum, eiusq́; corpus & sanguinem vna cum diuinitate. Si nolunt hæretici præsentiam Christi in Eucharistia fateri, recurrant ad veteris testamenti documenta, in quibus manifesta de hac re vaticinia reperient, & potiſſimùm illud Isaiæ 25. *Et faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, Conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* Ubi euidentiſſimè Scripturam Sacram de Eucharistiæ Sacramento loqui constat ex eo, quia in hoc monte Sionis, de quo loquitur sacer textus, illa fuit instituta. Nam cùm dicitur. *Et faciet dominus*: omnipotentia Dei designatur, quæ mirabilem hanc panis & veni transubstãtiationem, in corpus & sanguinem Christi operatur. Secundò, cùm dicitur: *omnibus populis.* Significatur, quòd populus ad hoc conuiuium accedens, Deum suum recognoscere debeat, & dicere: *Ecce Deus noster iste quem expectauimus.* Vbi particula & pronomen hoc *iste*, rem signatam, hoc est; Deum ipsum omninò adesse denotat præsentem. Si non credunt gentiles in Eucharistiæ Sacramento verum esse Deum, recurrant ad vaticinia sibyllarum, ex quibus hanc genuinam veritatem comperient? Nam imprimis Sybilla Babylonica antiquiſſima omnium, hæc verba protulit de Christianis. *Deum* inquit *colentes verum sempiternumq́, vitam hæreditate acquirunt in æternum tempus, ipsi habitantes paradisi aq́ per amœnum hortum, edentes dulcem panem è cælo stellato.* Cuius vltima verba sacram Eucharistiã luculentiſſimè proponunt, Oseæ 11. Rabbi Hadarſ. Isaiæ 25. Sibylla Babyll.

ponunt, quam cum sumimus in hac vita, consequimur, vt æternam cœlestemq́; mereamur. Nam per dulcem panem è cœlo stellato, non potest intelligi beatitudo æterna: quia beatitudo non est è cælo, sed in cælo; nec est in cœlo stellato, sed est supra illud, in Empyreo.

Et reuera non figuratè vt Hæreticorum fert commentum, sed secundùm veram & realem præsentiam, Christus in Eucharistiæ Sacramento adesse debuit, vt nobis illud sumentibus singulare propugnaculum foret, nõ solùm animas: sed etiam corpora nostra tutando. Magna arte & ingenio vsi fuerunt Iebusæi (vt antiquiſſimi Rabbini referunt) in 2. Regum cap. 3. Qui dùm à Rege Dauid in arce Sion obsiderentur, & oppugnarẽtur, vt securi essent ab explosionibus tormentorum, & iaculis hostilis exercitus, cogerentq́; Dauidem ab incepto desistere, & obsidionem amouere, statuerunt in summo arcis culmine duas statuas, vnam cæci Isaac, alteram Claudi Iacob. Vt si Dauid vellet propugnaculum deijcere, imagines quoq́; suorum progenitorum prosterneret, & confringeret, ideoq́; hanc statim Epigraphen apposuerũt. *Non audebis lacerare cæcum, nec claudum.* Nouerat optimè Christus, quãtam mundus suarum culparum multitudine, iram Dei contra seipsum prouocaturus foret, atq́; idcirco vt ipsum à diuini furoris iaculis & sagittis protegeret, discessurus à nobis ad Patrem, reliquit in arce, Sion, id est; in Ecclesia Catholica duas pretioſiſſimas pacis statuas, consecratæ hostiæ circulo inclusas. vnam suæ diuinæ personæ, viuam Patris imaginem: alteram sacræ suæ humanitatis (quæ figura inter omnes res creatas magis Deum exprimit) quarum duarum imaginum verbi diuini, & humanitatis Christi placabilis, & gratus aspectus, brachium eius ad vulnus intentum, retineret. & gladium iustitiæ suæ in vaginam clementiæ & benignitatis reconderet.

Eluxit satis propugnaculum hoc in sacratiſſimo Eucharistiæ Sacramento anno 1239. Cùm maximæ Machometanorum copiæ procederent, aduersùs exiguas nostrorum, cumq́ue res iam ad extremum redactæ essent, sex è Christiano exercitu duces, ad Deum confugêre & Eucharistiæ percipiendæ consilium inierunt. Verùm dùm Missæ sacrificio celebrato, ad arma conclamatum esset, neq́ue sumendæ Eucharistiæ tempus suppeteret. Idcircò Dei freti duces auxilio, in hostilem impetum audacter irruerunt. Presbyter verò perterritus & inops consilij, particulas sacratiſſimas corporali inuolutas, sub lapide occultauit. Dirempto interim conflictu, Presbyter vt prædictos duces, sanctiſſimo Christi corpore communicaret, produxit illas particulas, sed linteolis explicatis, sanguineis guttis respersas & linteis affixas. Quæ res cũctos admiratione repleuit. Moxq́; vox personat, hostes instructis copijs aduentare. Nostri confirmatis stupẽdo illo miraculo animis petierunt, vt ex edito loco, quasi vexillum in hostes lintea illa produceretur. Quo facto in fugam conuersi sunt confestim hostes. Huius miraculi meminit post alios Ludouicus Granatensis, in introductione symboli. parte 2. & Lucius Marineus Siculus libro 5. de Republica Hispaniæ, capite de sacris ædibus. Granatensis.

a. Reg. 3.

Ecce propugnaculum de sacratiſſimo Eucharistiæ Sacramento, ex quo amens esset, qui veram Christi præsentiam non agnosceret. Proindè & nos verũ Deum, & agnoscendo præsentem in pane Eucharistico, & venerando omnipotentem, ad tam nobile conuiuium hodiè accessuri, induamus vestimenta lucis, apparatum regalem, vt & in anima puritas splendeat omnimoda, & in corpore mundities regnet perfecta, vtque nobis verum sumentibus Deum, singulare eius patrocinium contra hostes & animæ & corporis non desit, hodiè postulemus vnigenitum. Amen.

EADEM

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA

Simile factum est regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo *Matthæi* 22.

Regnum Cælorum est Ecclesia sancta Rex Christus, nuptiæ sunt vnio verbi cum natura humana.

NEscio quid causæ sit Auditores. Cur regnum Cœlorum homini Regi nuptias filio suo apparanti simile perhibeatur? Num fortè ideo, vt homo in sua constantia cæli immutabilitatem secutus, quemadmodùm illud siuè nubibus obductũ, siuè serenitate conspicuum, semper tamen inuariabile manet; ita homo siue tribulationum grauamine pressus, siuè regium diadema indutus, splendoremq; maximum circumferens, hominem tamen vbiq; se esse meminerit. Pulchrè hoc expressit Cherubinus ille, qui Ezechieli (Ezechielis 1.) apparuerat, Leonis faciẽ habens, humanam quoq; simul præseferens; ita quoque & homo, siue supremam potestatem inter homines, vt Leo inter animalia, obtinet; hominem tamen se esse agnoscere debet. Hinc Tertullian⁹ & Hieronymus scribunt. Romanos dùm triumphali curru vrbem ingrederẽtur, præcones adhibuisse, qui inter triumphales plausus clamarent: *Memento te esse hominem.* Philippus quoq; Macedonum Rex, vt tradit Plutarchus, singulis diebus à quodam hac voce salutabatur. *Rex memento te esse hominem.* Quasi diceret: Regem te dij constituerunt, & Natura hominẽ; proinde noli in regnando ita Regem agere, vt hominem exuas: qui enim humanitate destitutus est, despicitur à Deo, despicitur & ab hominibus. Hinc Danielis 4. Cùm Nabuchodonosor Rex cœpit se vltra humanam sortem attollere, Dei irascentis vocẽ, audiuit. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris, erit habitatio tua: fœnum quasi Leo comedes*; supra humanam conditionem sapere volebant Titus & Vespasianus Imperatores Romani, & ecce idcircò apri & feri depascẽtes à Psalmographo nuncupantur. Psalmo 79. *Exterminauit eam* (id est Ierusalem) *aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Cæterùm ego Cœlorum regnum, humanò Regi nuptias paranti assimilari veriùs eam ob causam censeo. Vt quemadmodùm Reges, dùm populum conuiuijs latiùs tractant, facilè illum in sui amorem rapiunt, sic vt cælum hac suâ liberalitate homines ad se alliciat, similitudinẽ istam assumit. Nihilominùs tamen quia grande mysterium Parabola ista in se continet, illud vobis hodiè exponere conabor, tria præcipuè ostendens, quid nam sit istud regnum cælorum, & quis in eo nuptias apparat, quisue iste filius, cui tàm lautum instauratur conuiuium, dummodò diuinissimus ille spiritus opem suam è cælo suggerere velit.

Ezech. 1. Tertull. Hieron. Plutarc: Dan. 4. Psal. 79

Considerantes Euangelium hodiernum Doctores, per regnum cælorum Ecclesiam militantem intelligunt, quæ septem de causis nomine regni cœlestis venit. Primò, ideò quòd cœlestis ille, & verè diuinus Princeps Christus, hanc Ecclesiam in terris gubernet, insignem in hoc regno elucere volens æquitatem, omnẽ verò tyrannidem exulare, quem æternus Pater istius regni supremum caput & Principẽ instituit, quod ille de se ipso in oraculo Prophetico testatur. *Ego autem* inquit *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctũ eius.* Secundò, Ecclesia Dei appellatur regnum Cœlorum, quia antiquitate superat omnia regna terrena, nec vllum in mundo antiquius illa reperiri potest. Percurrite enim omnia regna, & agnoscetis illa suam originem duxisse, crescente sensim per interualla vniuersi huius tempore. Alexander quippè Grecorum Monarchiam inchoauit, Ecclesia verò cum primis

Psal. 2.

primis statim mũdi incunabulis, prodijt; siquidẽ ipsa nihil aliud est, quàm cætus humanus à Deo ad colendum ipsum conuocatus; Deus verò vt primum hominem produxit, debito sibi cultu, ab illo honorari voluit. Cyrus Medorum regnum instituit; Ecclesia verò DEI in primis statim parentibus Adamo & Eua fundata est. Xerxes Persararum regere cæpit imperium; Ecclesiam verò cum motu cæli simul dictaminibus rationis gubernandam produxit Deus. Romulus dominium Romanorum erexit; Deus à principio statim mundi, lumen rationis homini indidit, quo ad colendum dirigeretur Deum. Primus Saul Iudæorum Rempublicam ordinauit; Innocens verò Abel, cùm adhuc quatuor tantùm homines terra haberet, gratum Deo sacrificium exhibens, eius Ecclesiam exorsus est. Tertiò, regnũ cælorũ vocatur Ecclesia, quia, & nobilitate, & magnitudine, & magnificentiâ omnib⁹ regnis mundi præstãtior est. Cuiuslibet enim regni nobilitas, & maiestas, in sola dominorum multitudine, & magna populi frequentia consistit. Vt egregie innuit Paræmiastes. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate, plebis ignominia Principis.* Atq; ideò in summa gloria fuit Assuerus Rex, quòd regnauerit ab India vsque Æthyopiam super Centum viginti prouincijs; Ecclesia verò mundi, tàm ampla est, vt nullis terræ limitibus circumscribatur; tot prouincias terræ in se continet, quot quatuor mundi climatibus continentur. tanta hominum multitudine gaudet, quãta sub vtroq; polo reperiri potest. Ecquis enim sub sole reperitur, qui ad colendum Deum ipsis naturæ iuribus non obligetur? Pulchrè hanc Ecclesiæ magnitudinem decantauit diuinus Psaltes

Psal. 72. Psal. 72. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* Expressit eius nobilitatem Ecclesiastes. Prouerb. 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ?* Et cur quæso creaturæ omni? quia omnis homo nihil magis discere debet, nisi colere Deum, seruire Deo, adorare & laudare Deum. Iactat Pater æternus hanc Ecclesiæ suæ magnificentiam Matthæi vltimo. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* triumphat deniq; de hac sua gloria, quam in regimine Ecclesiæ maximè ostendit ipsemet Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Matth. vltimo.

Quartò, Ecclesia Dei dicitur regnũ Cælorũ, quia omnia regna terræ suâ abundantiâ superat; omnia enim regna in dies deficiunt, & magnam suorum bonorum patiuntur iacturam. Vbi nunc est eburneus Salomonis thronus, in sex aureis gradibus eleuatus, & duodecim quoq; aureis adornatus Leonibus? vbi est Palatiũ Darij, de Cedro & auro totum affabrè factum? vbi est cubiculum Cyri, fuluo stratum purissimo? vbi triumphales Romanorum currus admirabili arte facti? absumpsit omnia vetustas, & senescente mundo cuncta in nihilum rediguntur; sola Dei Ecclesia tàm felix est, vt suis nunquam deficiat, sed semper inexhaustis abundet bonis. Et quod maius bonum cogitari potest, ipso inappretiabili corpore & sanguine Christi? esca illa regia ac lautissima, quæ suo gusta delicias regibus, Angelis voluptates affert; ac tàm inæstimabiles diuitiæ, vbi nunc asseruantur? in solo Ecclesiæ Dei, thesauro, vis plura? ecce in hoc Ecclesiastico regno habes septem Sacramenta, quæ tibi si dignè illa sumere velis, magnã gratiam cõferre possunt. Hic hic est terra illa promissionis, captiuo Dei populo promissa; hic est ager fertilitatis, qui vberiùs nos in hac mortali via errantes pascere potest; quàm Angelicum illud manna in deserto Iudæos pauit. Hic est illa Petra, quæ sitientẽ in eremo ingratum dulci potu satiauit populum; nostram peccatricis animæ sitim, non iam terreno, sed cœlestis gratiæ melle; non corruptibili, sed æterno diuinæ misericordiæ lacte, leuans. Hic est delicatus ille Paradisi hortus, in quo veteres fructus nunquàm deficiunt, & noui

Ecclesia Christi õnia regna mũdi superat.

semper succrescunt; *In horto* inquit *meo poma noua & vetera.* & quæ illa ô diuina sapientia! inueteratæ in peccatis animæ, salutis in gratia Christi renouatio. hic est tabernaculum Mosis in quo mensa recentibus semper Panibus instruitur, donis scilicet cœlestibus, diuinis benedictionibus & gratijs Christi referta. vt si hæc cœlestia talenta amiseris, iterùm noua ac noua per salutarem pœnitentiam recuperare possis.

Qnintò, Ecclesia DEI dicitur. regnum cœlorum, propter indefectibilitatem; vt enim cœlum ex incorruptibili materia & forma constans, nulla agentium naturalium vi infringi potest; sic DEI Ecclesia semel à Christo instituta, infracta semper & inexpugnabilis manet, quia tale munimen ipsi à Deo inditũ est, quod neq; infernales illi spiritus labefactare possint. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùm eam.* Et licet infidelium conatus, sciissarumq; ab hoc Ecclesiastico Dei regno rebellium voluntatum insultus, sæpiùs hanc Christi Monarchiam euertere conentur, frustra tamen & in vanum laborant; Præsagiente id diuino vate Psal. 128. *Sæpè expugnauerunt me a iuuentute mea, dicat nunc Israël, sæpè expugnauerunt me: etenim non potuerunt mihi.* Iure igitur meritissimo Ecclesia Dei cælum appellatur, quia eius incorruptibilitatem induit, quia omnem mundi potentiam superat. Et quæ enim mũdi prouincia, hucusque in suo flore cõseruatur? vbi nunc est inexpugnabilibus circũdata mœnibus Babylonia? vbi est regina gentium Roma? vbi Dea gentium Troia? Omnia finis æquat, perpetuò mutantur regna, mutantur imperia; sola Dei Ecclesia, quia in Petra Christi fundata, quia è cælo ortũ & initium suum duxit, nullius fortitudini subiacet, nullius potentiæ cedere valet, ideoq; cælum incorruptibile nuncupanda.

Sextò, Ecclesia Dei regnum cælorũ nominatur, quia quemadmodùm cælũ toto orbe terrarũ maius est; sic Ecclesia omnib⁹ mundi regnis maior ac diuinior est. Maior est æquitate, quia leges nonnisi sanctas & excellẽtes continet, quæ suis incolis nõ modo pacem temporalem afferunt; sed vitæ etiam æternæ participes efficiũt, nec iubent quicquam aliud; nisi quod optimum est, scilicet diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Maior est Dei Ecclesia terrenis omnibus regnis quia vitia, quæ leges humanæ comprimere nequeunt, ipsa coërcet, & hominem ad Deum conuertit Psal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Maior est, quia peccata ex hominum mentibus extirpat, virtutes verò omnes in cordibus hominum propugnat & auget. Psal. 18

Septimò, Ecclesia Dei vocatur regnum cælorũ, quia quemadmodùm cælum æternum est: sic Dei Ecclesia perpetua, æternitas siquidem illius terminus est, & interminata sæcula limites. quod vaticinatus est Daniel. Danielis 7. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Et Psalmista. *Regnum tuum, regnum æternum, regnum omnium seculorum.* Et quis nam est iste homo Rex, qui in hoc Ecclesiastico regno nuptias instituit? Certè non alius, quàm Christus IESVS, qui licet ante mysterium Incarnationis, vt potè æterni Patris vnigenitus, non minus Rex esset; quàm Pater. Nihilominùs tamen, postquàm in mundum veniens homo factus est, singulari quadam ratione hoc priuilegium meruit, vt verus Ecclesiæ Rex nominaretur. quod testatur Apostolus Hebr 2. *Eum* inquit, *qui modico quàm Angeli propter passionem mortis minoratus est, videns Iesum gloriâ & honore coronatum.* Repræsentauit hoc ipsum quoq; pulchrè Ioënes in Apocalypsi. *Oculi eius diademata multa, & vocabatur nomen eius verbum.* Oculi eius inquit sicut flamma ideircò, vt quemcunq; misericorditer inspexerit, diuinæ charitatis igne illum accendat. *Multa diademata in capite eius.* Quia Regem hominum & Angelorum, quia domiuũ cæli Dan 7. Hebr. 1.

æli & terræ, quia Deum & hominẽ simul denotant.

Iste igitur Rex nuptias contraxit cum natura humana, quãdo sibi eandem vniuit in hypostasi diuina, quẽadmodùm S. Gregorius homilia 28. in Euangelia. hodiernam Parabolam commentatur. *Cùm humanam naturã* inquit *verbum diuinum assumpsit, tunc Pater filio nuptias fecit, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit.* Et S. August. in lib. 50. homiliarum homilia 32. *Ipse* inquit *qui tanquàm sponsus processit de thalamo suo, de vtero scilicet Virginis. Vbi sanctæ nuptiæ factæ sunt.* ô admirandæ nuptiæ, magnam declarauit humanitatem Moyses, cùm ignobilem illam & pauperculam Ætyopissam duxerat in vxorem. At maior Dei erga creaturam elucet amor, dùm sponsam hanc summæ miseriæ, naturam videlicet humanam, cùm ipse sit summæ & diuinæ maiestatis, nõ ampliùs à se disiungendam assumat. Miratur insolitam hanc Dei clementiam. S. Bernardus serm. 1. de Epiphania. *Quid tantoperè* inquit *declarat eius misericordiã; quàm quòd ipsam suscepit miseriam. Quid ita pietate plenum; quàm, quòd Dei verbum factum est propter nos tænum.* Contraxit insuper has nuptias Dei filius cum Ecclesia, sic Parabolam hanc intelligit S. Hieronymus. inquiens: *Fecit nuptias Deus Christo & Ecclesiæ, quæ tàm ex Iudæis; quàm gentibus, congregata est.* Typum harum nuptiarum gessit Rebecca quæ camelo vecta, ad Sponsum suum Isaac adducta fuit Genesis 24 Pari modo Christo Ecclesia copulata est, vt subtiliter discurrit S. Ambrosius lib. 2. de Abraham. cap. 9. *Cùm* inquit *Camelo, venit ad sponsum, eò quòd populus nationum belluinâ quadã horridus peccatorum deformitate, qui formæ suæ nullum haberet decorem, fidem esset atq; consensum Ecclesiæ recepturus.* Nam quemadmodùm Rebecca cõspecto Isaac sponso suo, tollens citò pallium, operuit se; ita & Ecclesia inquit D. Gregorius lib. 1. Moralium cap. 14. se operire curauit, quia viso Domino infirmitatis suæ actiones erubuit. Sed felix rubor qui meruit, vt illius deformitas inæstimabili Christi ablueretur sanguine. quod admiratus Apostolus ad Rom. 5. inclamat. *Et cùm talem accepisset eam & lauat.* Contraxit deniq; nuptias cum anima humana, sed nonnisi fideli; cum hac enim sola desponsationem iniuit in baptismo per fidem & charitatem. Testatur hoc Apostolus 2. Corinth. 11. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Virgo est anima hominis, quamdiu castitatem illæsam retinet. Virgo est, quamdiu fidē Christi virtutibus ornatam habet, hæc sola digna est fieri Sponsa filij regis IESV Christi. sed si vis ô anima fidelis, ne te repellat iste Sponsus tuus, cogita quantum debeas Christo, scilicet ne sancta eius connubia deseras, & in adulterinos te complexus diaboli tradas Considera immensum hoc beneficium tibi vltra Angelorum felicitatẽ collatũ, quod pulchrè insinuat D Bernardus sermone 2. Dom. 1. post Epiphaniam. *Vnde tibi hoc õ anima humana, vnde tàm inæstimabilis gloria, vt eius Sponsa merearis esse, in quem Angeli desiderant prospicere? vnde tibi hoc, vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cuius nutum vniuersa mutantur. Vnde tibi hoc, vt sis socia mensæ Christi socia regni, socia thalami.* Idcircò vt merearis introduci in cubiculum eius, defere seculares affectus, humanos mores dedisce, consuetudines noxias obliuiscere. Rom. 5. 1. Corinth. 11. S. Bern.

Sed eheu! quàm multi vanitatem mundi sequuntur, & terrenis sese totos dedicant illecebris. Quod incusat D. Cyprianus in Epistola ad Donatum his verbis. *Arridet quidẽ mundus, vt fæuiat: blanditur, vt fallat; illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat; sed vna tantum placida, & fida, tranquillitas est, vna solida & firma, perpetua securitas, si quis ab ijs inquietantis seculi turbinibus exstractus. salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollit è terris, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid in rebus humanis sublimè ac magnum videtur, infra suam conscientiam* S. Cyprian.

S. Greg. S. Aug. S. Bern. S. Hier. S. Ambrosius. S. Cyprian.

3. Reg. 9 *scientiam iacere gloriatur.* 3. Regum 9. Salomon Rex neminem de filijs Israël seruũ esse voluit, aut alterius mancipium, sed omnes libertate & nobilitate donauit. *De filijs autem Israël nõ constituit seruire quenquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius & Principes, & Duces, & Præfecti curruum & equorum.* Quid aliud Christum impulit, vt in hodiernis nuptijs desponsationem cum anima nostra ineat? non aliud certè quodpiam: nisi vt edoceret nos, ne semel è peccatorum maculis diuinæ eius renati gratiæ, mundi vanitate & terrenis rebus ampliùs occupemur. sed vt ad superiora cœlestiaq;, semper contendamus, non vult cor nostrum seruile esse, & diabolo fæditate delictorum mancipatum; sed vt nobilitatem suam scilicet æternitatem spectans, liberè semper in Deum moueatur. Nec certè aliam ob causam æterni Patris filius, tàm multa pro homine passus est, nisi, vt omne seruitutis iugum penitùs ab illo amoueret. vnde Diuus Bernardus

S. Bern. serm. 22. inquit *Quanti fecit te Deus, ex his, quæ pro te passus est agnosce, vt appareat, tibi benignitas eius in humanitate.* Quantò enim minorem fecit se in humanitate, tantò maiorẽ exhibuit in bonitate: & quantò pro te vilior factus est, tantò tibi charior esse debet. Adeò vt licet multa debeamus Deo pro eo, quòd nos creauerit, lõgè tamen maiora quòd nos ex omni seruitute redemerit. vt testatur D. Ambrosius in Lucã l. 22. *Plus Domine Iesu*

S. Ambrosius. *debeo ieiunijs tuis quibus redẽptus sum; quàm operibus tuis quibus creatus sum.*

Quod si nondùm in perfectam libertatem asserti sumus, si nondùm peccatorum nexibus soluti ambulamus; ecce hodiè ad regnum cælorum, scilicet ad Ecclesiam vocamur, vt regalibus nuptijs recreati, Deo plenè reconciliemur, facit nobis homo Rex Christus Iesus nuptias, ad quas properandum est vrgente Propheta Isa-

Isaiæ 55. iæ 55. *Omnes sitientes* (id est saluari volentes) *Venite ad aquas, & qui non habetis argentũ* (id est vlla merita seu bona opera) *properate*, quid enim magis indignum est Deo; quàm rebellis nostra voluntas nec ipsi obtemperãs. Paulus Iouius lib. 2. Virorum illustrium. Scribit de Tamerlano illo, qui totam Ægyptum, Persidem, & Asiam minorem domuit, qui se non hominem, sed Dei flagellum esse aiebat. Obsidens ciuitatem quãdam, primo die castra candida tendebat, secundo nigra, tertio rubra; vt scilicet qui se primo die dederent, salui cum bonis omnibus essent; qui verò secundùm diem expectarent, luctuosam & pœnis mixtam deditionem acciperent, & qui tertio non se darent, penitùs omnes delerẽtur. Deus fortasse his temporibus deuotionem videns inter homines frigescere, sacrificia & verba Dei negligi, Sacramenta contemni, escam sanctissimæ Eucharistiæ sperni, fortasse hoste tanquàm flagello suo aduersùs nos vsus est; Prima istius hostis castra fuere candida. quia modicum adhuc patientiæ nostræ timorem incusserant. Secundo die luctuosa, & soli Reipublicæ deploranda, dùm omnia è castris sublata, militem dispersum, & in fuga multa ex parte occisum audiuit. Ne ergo tertia adhuc vice hoc flagello aduersùs nos vtatur DEVS, properemus ad has nuptias, & cœlesti illo epulo, Sanctissimo corpore & sanguine Christi satiati; omnem abnegantes impietatem, Deo reconciliemur. Accedamus ad regnum eius, nimirùm ad Ecclesiam, quæ cælorum regnum vocatur, tum ideò, quia ab ipso cæli Domino regitur; tum quia prior est omnibus mundi imperijs; tum quia nobilior terrenis prouincijs; tum quia thesauris abundantior; tum quia indefectibilis; tum quia maior & nobilior temporalibus regnis; tum quia perpetua. In hoc regno ipse Christus nos proteget, & si execrabilis immunditia nos non tardabit, si ab omni scelere reperierit nos mundatos, ipse nos lautissimè suis epulis tractans, ab omni hostium incursu, & animæ lapsu, tuebitur feliciter. Amen.

Iouius.

EADEM

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. *Matthæi 22.*

Inuitati quare ad nuptias noluerunt venire.

SI inter priuatos homines crimen est, promissis non stare, quale censebimus esse crimen, semel datã Maiestai fidem rumpere? Fregerãt Rupellani fidem iuramento datam Ludouico tertio Galliarum Regi, & ecce pro tanto facinore Rupella Europæarum princeps arcium, situ loci, & Oceano munita, ac prorsùs inexpugnabilis, vrbs olim magni nominis, instructa omni in bellum apparatu, munimentis & muris destituta, in pagum conuersa est, quam ex rebellione meruit pœnam. Non absimilem, imò maiorem in hodierno Euangelio inuitatorum ad nuptias, video rebellionem. Dum enim inuitarentur, venire promiserant: nam si renuissent, nec appellarentur inuitati, nec opportuno tempore per seruos dicerentur asciti: ergo qui priùs honestiùs se excusassent, turpiùs datam postea disrupêre fidem. *Nolebant* inquit Euangelista, *venire.* Et quomodò nõ timebant violatæ fidei opprobrium, ac inconstantiæ ludibrium? Allegabant quidem agri labores, negotiationis commercia, & emptæ villæ negotia; verùm plus vrgebat oppignorata Regi fides, factaq; promissio. Quomodò ergo non timuerunt maiestati irrogare iniuriam, nec incurrere fraudis notam? Equidem Rex iste Christus erat, Christo ergo præstitam nullatenùs veriti sunt rupisse fidem. Iam se ad nuptiarum venturos celebritatem promiserãt, renuerunt tamen postea, quamuis temporis alliceret opportunitas, & deliciarum commoditas: & nocte etiam intempesta, agri villæq; noluerunt intermittere curas, cum regales detrectauerint ire ad nuptias. Vt hinc agnoscamus, satis non esse hominibus, vt fidem Deo seruarint tẽpore cogi, & honestis lucris allici: cùm vt fidem hominibus datam seruent, omni solertia nitantur depellere obstacula, ac vincere impedimenta. Quis hoc non agnoscit in perditissimo Iuda? Promiserat ille Principibus, propriũ Magistrum ac Dominum se illis traditurum, sed cùm plurima huius nequissimi adimpletionem impedirent promissi, omni studio opportunitatem quærebat, vt datam fidem Principibus liberaret, & veram Magistri fidem amitteret. Lucæ 22. v. 6. *Abijt,* Luc. 22. *& locutus est cum Principibus sacerdotũ, & magistratibus, quemadmodùm illum traderet eis: & gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit, & quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis.* Turba perfido discipulo ad fidei adimpletionem obstabat; nox pariter inuitatos, ne fidem frangerent, compellebat; nihilominùs inuitati, aduersus noctis impedimenta Domino violauêre fidem, cùm Iudas vel impeditus turbis sacrilegam adimpleuerit promissionem. Scilicet Iudas quærebat opportunitatem, ne videretur refractarius; at verò inuitati etiam occasione alliciente violarunt promissionis fidem iniurijs. O quàm rarus est, qui curet seruare fidem præstitam DEO, cùm omnes studeant eandem datam non violare mundo. Audite Theophylactum dicentem: *Hoc significat spopondit, hoc est perfectam promissionem, & pactum fecit.* Theophylac. Iniquam promissionẽ perfecit opere Iudas difficultatibus superatis; honestam autem inuitati vel allicientibus commodis ruperunt: qui nolebant venire, quod maximè crimen illorũ auget. Considerabimus igitur. quid causæ, quòd noluerint venire.

Admiratus Aloysius tantã inuitatorum temeritatem, exclamat: *Proh hominum stultitiam, delicijs diuinis lucra temporalia anteposuerunt,* plus villam, in qua terreno labori imoderatè incumbitur: plus negotiationem, in- Aloysius Nonar.

qua terrenis lucris inhiatur, æstimãt homines, quàm gloriam cœlestem: quia plerumq; salutis suæ pretium negligunt. Quid est enim nolle venire ad nuptias Filij Regis, nisi mysterium incarnationis non credere, quod quisquis abnegat, de sua salute desperat, magis ad obsequium dæmonis, quam ad cultum veri Dei propendẽs. Hoc insinuare voluit Christus Dominus, quando Iudæorum scelera arguens dixit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria eius vultis perficere.* Et quare nõ dixit Christus, opera eius vultis perficere, sed desideria? Respondet S. Chrysosthomus, vt indicaret non quocunq; modo, sed magno studio & cupiditate diaboli mores eos imitari, vt palam fiat, malos homines peiores esse dæmonibus. ita vt quod ipsi in desiderio tantum habẽt, ac in voluntate, & per se efficere nõ possunt, nec vires eis suppetunt, id homines perficiant, atq; consumẽt. Christum occidere non potuit dæmon, occidit homo, & cùm ipse eum tradere non posset, id in cor Iudæ immittendo pefecit. Vt hinc cognoscamus, bellum cum malis hominibus difficilius esse; quàm cum dæmonibus, adeò, quod dum contra maleuolum hominem standum est, non vnus Angelus adiutor, sed castra Angelorum necessaria sint. Vnde Christus ad Petrum Matthæi 26. v. 53. dixit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* Ad quid Pater æternus tot misisset Angelos, qui licet Christum in dæmonis manibus prospexerit, quando eum supra montem, & pinnaculum templi posuerat, nullos Angelos misisse legatur. Ne miremini, bellum tunc erat cum hominibus malis crudelius, ac potentius; quàm si cum ipsis fuisset dæmonibus, ideò nõ vno Angelo, sed legionibus Angelorũ opus erat.

Ioan. 8. v. 44.

Matth. 26. v. 53.

Sic quando Iacob, non cum dæmone, sed cum fratre feroci homine inimicitias habebat, cumq; vehementer pertimescens rugiebat, nõ vnum Angelum, sed castra in subsidium ipsi

A misserat Deus, vt obseruat Procopius: *Castra* inquit *apparuerunt Iacobo, ne formidaret Esau fratrem, scilicet cogitando. quòd Dominus exercituum ipsum protegat, eiusq; sit adiutor, & auxiliator, Deus Iacob.* Vt ergo fratrem non timeret, non quomodocunq; se ostendere voluit Deus, sed Deus exercituum, nimirum potentissimus, fortissimus. En quàm terribilis est homo, quàm bellum eius formidabile, vt ne vincatur iustus, necessarium sit eum in medijs Angelorum castris excipi, & non

B solùm quomodolibet ab eis defendi. Audite D. Hieronymum: *ad fratrem iturus* ait, *inimicum, Angelorum se comitantium excipitur choris.* Cui accinit S. Chrysostomus his verbis: *Postquàm cessauit timor Labani, excepit eum timor fratris, propter hoc misericors Deus animare iustum volens, & omnem metum eius discutere, fecit, vt Angelorum videret castra.* Ergo homines mali potentiores plerumq; ipsis dæmonibus reperiuntur. Hac de causa dæmon

C sæpè de suis viribus diffidens. humanas interpellat, nec solus accedere audet, de victoria quasi desperans, quod vel in ipso primi parentis nostri casu facilè est videre.

Procopius

S. Hier.

S. Chrysosth.

Docet S. Thomas 1. p q. 63. art. 8. dæmones nõ simpliciter suo nutu, & tanquàm ab intrinseco solùm motos peccasse, verùm ad peccandum eos induxisse suggestione, ac persuasione Luciferum. Hæc est sententia etiam Cæsarij Dialog. 1. vbi dicit: *Ad malitiam versus Author ille mali diabolus, secum ad*

D *defectionem multos Angelorum trahens, non naturâ sed voluntate mutatos per ducis suggestionem, qui conuenienter suo facto suscepit appellationem* Potens ergo vnus Lucifer extitit ad lapsum cæterorum Angelorum prorsus innumerabilium, idque non solùm infirmorum, sed etiam sublimium, & primariorum sibi supparium, cùm ex omnibus ordinibus eos cecidisse verior Theologorũ sententia affirmet. Nihilominùs cum ita potẽs extiterit Lucifer impius, vt ad casum omnium dæmonum, licet sublimissimi essent spiritus, sufficientem se solùm æstimauerit;

Dæmones ex suggestione Luciferi peccarunt.

mauerit; tamen ad casum ipsius hominis, terrea veste induti, & fragili natura, non fuit ausus per se, & immediatè illum aggredi, reputauitq; vires sibi non sufficere: idcircò mulieris auxilium prouocans, per illam, & cum illa hominem aggressus vicit, aliàs non victurus. Quod ingeniosè ponderat. D. Augustinus lib. 14. de

S. Aug. ciuitate Dei cap. 11. loquens: *Postea verò quàm superbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi*

B *tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de spirituali paradiso cecidit. male suada versutia in hominis sensum serpere affectans, cui vtiq; stanti, quoniam ipse ceciderat, inuidebat, colubrum in paradiso corporali operi suo congruum, per quem loqueretur elegit, sermocinatusq; est fœminæ, à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipens, vt gradatim perueniret ad totum.* Proinde non statim, non illico, ac veluti vno saltu, & immediatè reputauit se ad hominis lapsum posse peruenire, C quemadmodùm in Angelis; sed gradatim. Cui rationẽ subiungit S. Doctor inquiens: *Non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori.* Non ergo cecidisset Adamus, si solus & per se illum superbus tentasset dæmon, sed cecidit, dum alieno cedit errori. Potius eligens cum socia errare, quàm solus stare: vt aduertamus potẽtiores esse homines malos, quàm dæmones ad circumueniendũ, fallendum, imò & perdendum hominem. D

Rem stupendam legimus Gen. 1. Quando DEVS in principio mundi creationis, voluit producere lucem, voce imperatiua vsus est, dicens:

Gen. 1. *Fiat lux, & facta est lux.* Apparebant vlla vox exprimeretur. Apparebant pulcherrima cœlorum tecta, summo silẽtio Dei fabricata; apparebat moles terrarum, & aquarum, quæ Dei spiritu insedente fœcundabantur. Vbi verò ad lucis fabricam ventum esset, tunc primum exprimitur Deus voce tonasse: *Dixitq; Deus, fiat lux.* Et cur, quando cœlos, & terram silens produxit, maluit lucem vocibus in medium trahere? Aliqui censent vt illa voce Deus excitaret Angelos ad glorificandum se: quia enim apparenti cœlorum, & elementorum opere, nullus Angelus dicitur motus fuisse, ad Dei gloriam decantandam; ideò Deus in lucis effectione vocem addidit, vt magis moueret Angelos in sui laudem. Sic apertè loquitur ipse Dominus Iob 38. *Cùm me in-* Iob 38.
quit, *laudarent simul astra matutina, &*
B *iubilarent omnes filij Dei,* S. Epipha- S. Epiph
nius, tom 2. lib. 2. Hæres. 65. vertit: *Quando genita fuerunt sydera, laudabãt me omnes Angeli.* Ergo tunc solùm Angeli dicũtur moti fuisse ad laudes Dei, quando lux fiebat, non quando cæli, aut elementa creabantur. quapropter lux Dei voce, non silentio fiebat. Hæc est mens D. Basilij Seleu. orat. 1. vbi dicit: *Calum profectò productum est, & terra cum aquis: cùm vox anteuerteret nulla. Lux verò cum producebatur, Deus voce præiuit. Non ergo*
C *potuit quidcunq; cohibitum fuerat silentio facere? Meritò nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu, & admiratione Angelos moueat.* Poterat equidem Deus lucẽ silentio creare, vt creauit cœlum, & terram; sed quando mouere Angelos voluit, addidit vocem in lucis effectione; & qui ad conspectum cœlestium magnalium hæserunt, ad Dei vocem vehementer moti sunt in laudem creatoris. Ita certè vox Dei efficaciùs, quàm opera, creaturas mouet, vt cultum creatori exhibeant.

Quærit tamen curiosè S. Gregorius, quare vt lux fieret, mandatum expectauit; tenebræ autem sine mandato extiterunt? Gen. 1. *Tenebræ erant* Gen. 1.
super faciem abyssi. Vbi nomine tenebrarum aërem significari putat Diuus Basilius, quasi aër tunc tenebrosus aquis incumberet *Tenebras*, in- S. Basil. S. Ambrosius.
quit magnus Basilius, *Non vt sunt, ita interpretantur, aërem aliquem lucis expertum.* Accinit Basilio D. Ambrosius in Hexàém ita scribens: *Tenebræ erãt, quia splendor deerat lucis: Tenebræ erant, quia aër ipse tenebrosus est.* Fateor optimè

mè tenebrarum vocabulo aërem ex primi: nam aër corpus diaphanum est, de se nec lucem habens, nec caliginem, sed qui vtriusque capax sit: nam per se vel lucis splendore nitet, vel tenebrarum sordibus squallet. Quod autem indifferēs est ad puritatem lucis æque, ac ad tenebrarum squallorem, ne alteutram potiùs qualitatem admittit, quàm excludit, non tàm suo aëris nomine nuncupatur, quàm propudioso *tenebrarum* vocabulo. Qui de se non magis ad lucem, quàm caliginē propendet, æqua pas- siuitate ad vtrumq; varius; vocabuli elogium à deteriori sortitur, & de indifferenti capacitate, tenebrosum, vel potiùs tenebræ nominatur. O salutatem eruditionem! quisquis æq; indifferens est ad lucem, & tenebras, id est ad virtutis splendorem, & vitij caliginem, nisi valido pietatis proposito ad virtutem propensius inclinet, quo velut anchora obfirmetur, facilè fluctuat, & agnato malitiæ pondere ad scelerum barathrum miserè ruit. Res morū in æquilibrio nō est, æquū libramentum citò ad deteriorē partem vergit, & ad prauitatem propensius inclinat. Quid sunt aliud tenebræ, nisi homo, dum deturpatiua peccati qualitate carbonis instar denigratur. Lux vt fieret, mandatum expectauit; tenebræ autem sine mandato extiterunt: quia homo ad impietatem aquilà velociùs prouolat; vt autem virtutē amplectatur, mandatum expectat, & prorsus violenter trahi debet.

Rem præclaro Iacobi facinore explico. Is in terram orientalem peruenerat, ibiq; puteum inuenit ingenti obstrusum lapide, quem nemini licebat amouere ab ore putei, donec vniuersi regionis illius pastores conuenirent, & ab omnibus pastoribus amoueretur, vt adaquarent greges. multi iam aderant, quibus Iacob persuadebat, vt lapidem amouerent. Gen. 29. Quid tunc? Ait sacer textus: *Adhuc ille loquebatur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesq; Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Nō expectabat Iacob alios, sed ipse se obsequiosum præbuit, & proprijs manibus lapidem amouit. Iam curiosum pungit scrupulus: si Iacob valuit lapidem amouere, gregemq; fitibundum Rachelis consobrinæ adaquare, quomodò tot pastores greges suos passi sunt aduri, siquidem faciliùs videbatur à pluribus licet prægrandem lapidem amoueri? non me latet, plures interpretes pastorum respōsum impotentiamq; ad aquarum referre penuriam, quasi dicere voluerint, ob aquarum inopiam prohibemur edicto lapidem amouere, & gregem singulariter adaquare. Ne scilicet, dum quis lapidem remoueret profusiùs, quam par est, aquas gregibus suis præbuerit liberalitate noxia, aut maligna erga pastores alios inuidia. Non abnuo: si ad mores velitari liceat, putarem illam pastorum impotentiam, non ad vires corporis referendam, sed animi propositis applicandum. Ardenter sitiebant greges, crebrisq; balatibus pastorum aures percellebant; verùm dum quisque sciret alterum, eodem iure ad lapidem amouendum teneri, recusabat humerū applicare, & quisque illorum renuebat fontem anxio labore aperire, vt alter nullo sudore aquā suis gregibus ministraret. Dum ergo quilibet eorum ab omnibus laborem subeundum speraret, & sitis greges adurgebat, & copia pastorum torpebat. Vnicus Iacob dum aliorum non expectaret operas, citiùs valuit absoluere, quod pastores plures posse nullatenùs attestabantur perficere. *Non possumus* inquit, *donec omnia pecora congregentur.* Et quare; quia cum æque ad omnes amouendi lapidem labor spectaret, nullus in alterius socij suffragium applicare voluit humerum. Ibidem.

Cæterùm, non satis est, quòd Iacob greges Rachelis adaquarit, verùm tanto in eam exarsit amore, vt septem annorum seruitium pro illa impendere vltrò voluerit: *Quam diligens*

ligens Iacob, ait: seruiam tibi pro Rachele filia tua minore septem annis. Recurrite paulisper ad Abrahamum, is procurans honestam sponsam filio, seruum Sacramento obstrictum miserat in patriam. Qui vbi peruenit in Mesopotamiam ad vrbē Nachor, ita Deus eius fortunauit votum, vt Rebecca illi occurrerit iuxta puteum. Ille ingenuam adolescentulæ indolem expertus, & cognationis cum Domino suo gnarus, puellam aureis muneribus donauit: *Protulit vir inaures aureas appendentes sicles duos, & armillas totidem pondo siclorum decē.* Quibus acceptis Rebecca celeri volatu domum repetijt, & quæ acciderant, denuntiauit. Inspectis doni; Laban Rebeccæ frater obuius prodijt, & peregrinum hospitio excepit: verùm ille adeò gnauiter legationis curauit implere munus, vt nec rogatus acceperit cibum, donec itineris scopum declarasset. Laban à Domino rem speciali prouidentia dispositam testatus est, & seruus prolatis iterum donis Labani deuinxit animum, allexitque affectum: *Prolatis vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoq; eius, & matri dona obtulit.* Celebrato conuiuio sequenti die, seruo puellam nutrice associatam tradunt: *Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumq; Abraham.* Videte quàm celeriter, quàm ex voto omnia peracta sunt: Atque hinc vertite oculos ad Iacobum, qui fratris iram declinans, eandem pariter ad regionem venerat, sponsam ducturus: eandem Labani domum ingressus fuit, neq; tamen Rachelem in coniugem à parentibus impetrauit, donec septem annos posuerit pecorum curâ vexatus, & ardoribus solis adustus. Quid causæ, quòd Laban citissimè sororem matrimonio locādam mittens, Iacobo promissam tradere filiam vlq; post septennium distulit? Animaduertite candidatorum differentiam, & facilè discriminis rationem conijcietis. Seruus Abrahæ sponsā Isaaco auri petiuerat eloquentiâ, Iabobus meritorum instantiâ: ideò ille votum impetrauit celerrimè; hic debitum tot laboribus tardè. Ibidem v. 22.

Seruiit itaq; Iacob pro Rachele septem annis, quibus transactis iucūda connubia, opulentas diuitias, animi corporisq; placidam sibi futuram requiem cogitabat. Sed hoc ipso tēpore Laban impostura fecit & fraudes honestâ ad speciem causā colorans; egregie fefellit Iacobum: *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum.* Iacobo Lia pro Rachele supponitur. Iacob facto mane vidit Liam, & plusquàm dici potest excandescens Labano ait: *Cur imposuisti mihi.* Cumq; iustis socerum appellasset querelis, respondit ille: *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoq; dabo tibi.* Ecce & eruditæ, & peruersæ mentis industriam. Laban iniquus, vt iustitiæ querelas sopiret, se iustè processurum promisit, aliterq; in posterum se facturum spopondit, spe virtutis iniustitiam defendens: nec minus Iacob pro virtute industrius liciti oblectamenti spebus virtutis labores animosè subijt. Acquieuit Iacob, & alijs adhuc septem annis seruiuit pro Rachele, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Magnus certè amor, qui nec torridæ æstatis languescebat æstibus, nec horridæ hyemis tepescebat frigoribus. Miratur sanctus Chrysosthomus, quòd pro vna Virgine tantos labores Iacob sustinere voluerit: & respondet: *Quando proponitur nobis lucrū temporale, omnia volumus alacriter sustinere, etiamsi quid laboriosum, ærumnosum, & sordidum, tamen alacriter sustinemus; propter animæ autem nostræ salutem, & vt superos nobis reconciliemus, valdè desides, & dissoluti esse videmur.* Ita certè fragilis est humana natura, vt momētanea mundi oblectamenta sitienter exambiat; æterna facilè contemnat: ad villas, agros, commercia festinanter eat; ad nuptias verò cœlestis illius regis venire impudenter recuset. S. Chrysosth.

Cantic. 1. Virgo sponsa ambiebat vehementer cœlestis sponsi osculum spirituale, sic eum alloquens: *Trahe me post te.* Videte, quanta imbecillitas, & infirmitas sponsæ, vt sponsum Cant. 1.

sequi nequeat, nisi ab eo trahatur. Incusat his verbis renitentiam cupiditatis cognatæ, quæ ad voluptabilia trahens, resistat casti sponsi sequelæ, ideoq; ad eum trahi expetit. Tractus enim violentiam quandam innuit, quâ innata cupiditas obnoxiùs reluctatur: vndè inuiti trahi solent. Vult ergo casta, & sancta anima velut inuita ad cœlestem sponsum trahi, quo illum vltrò sequatur. Verùm quid est? si sponsa velut inuita, & cupidine reluctante ad cœlestem sponsum trahitur, cur non dicit, post te vltrò per B gam, imò & curram; *sed post te curremus in odorem vnguentorum tuorum?* Origenes homil. 1. in Cant. Virginitatis virtuti id adscribit, quasi ea sit Virginitatis gratia, tantaq; eius ad trahendum ad se pellacia, vt si vna trahatur, plures simul sponte trahantur, & vltrò currant rumpentes naturæ, & cupidinis retinacula. vnde S. Cyrillus exclamat: *O virtus magnetica Virginitatis, ad se trahens naturâ.* Grande enim Virginitas Sacramentum, quo velut euertitur natura. Arcana C eius vis, dum Angelorum æmulatione, cœlum in terris fragrat, vsq; adeò est ineffabili illicio potens, vt ipsam naturam alioqui obscænis cupiditatibus æstuantem, ad puriratis studium potentissimè trahat, velut magnes ferrum attrahere solet.

Virtus Virginitatis magnetica.

Non abs re tamen censuerim, sponsam non dixisse curram, sed curremus, quia fragrantiam vnguentorum eius senserat, quibus vt ad satietatem frueretur, non currere, sed prorsus euolare post illum voluit. Nihil por-D rò ita est hominibus volupe, & procliué naturæ, quàm delicijs concupiscentiæ mulceri, & ad luxum mollius deliniri, atq; attrahi. Sanè ita ab æquitate, rationeq; que exorbitamus, & venenis auidissimè inhiamus, nec iam singulariter sectamur vitia; sed veluti cõmuni consensu, & vniuersali suffragio: *Passim vagamur non ducem secuti, sed fremitum, & clamorem dissonum in diuersa vocantium*, dicit Seneca de vita beata cap. 1. De industria ad virtutem limitem scire nolumus, & ad vitiorum prærupta eæco impetu currimus: versat nos & præcipitat sitibũda vitiorũ hydrops, nunquam erroribus saturata, & semper virtuti aduersa. Ait Stoicus: *Nihil magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quò eundum est; sed quo itur.* Gregatim currimus ad voluptatum fallacias, & ad fucatas sensuum delicias: si voluptatis non inueniatur fomentum, marcescit prorsus honestatis studium: voluptate allicienæ cõfluit populus, & frequentissimus est ad oblectamenta concursus. *Trahe me* aiebat Sponsa, *post te: curremus in odorẽ vnguentorum tuorum.* Ecce vbi pura vocabat honestas, sola inuenitur sponsa, imò non nisi tracta sequitur: *Trahe me post te.* At verò vbi sensuum oblectamenta, & fragrãtia vnguentorum illicia adfuêre, plures accurrerant celeri gressu; imò pernici satis volatu: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Pulchrè hoc innuit Diuus Bernardus serm. 21. in C Cantica: *Trahe quodammodò inuitam, vt facias voluntariam: trahe torpentem, vt reddas currentem: erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè, & cum omni alacritate curremus. Non curram ego sola, & si solam me trahi petierim: current & adolescentulæ mecum, curremus pariter, curremus simul, ego odore vnguentorum tuorum, illa meo excitata exemplo, atq; hortatu, ac per hoc omnes in odore vnguentirum tuorum curremus.* Ecce vbi redolens vnguenti suauitas sensus recreat, vbi fragrãtia suauitatis proritat, plures accurrunt; sed vbi honestas, sola sponsa ducitur, imò torpens quodam modò trahitur: quia mortales semper sensuum suspirant lenocinia; honestatis verò ac virtutis ardua fastidiunt.

Cantic. v. 3.

S. Bern.

Aduenerat cœlestis sponsus ad initiũ noctis amore sponsæ illectus, quin montiũ impedierint prærupta, quin sopierit rigorẽ ardoris offensa, quin pruinarum morata fuerit iniurias. Pulsauit leuiter cubiculum eius, blande vocauit, amatorijs verbis solicitauit. *Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium,* Cantic. 1. Quasi diceret, vt exponit S. Ambrosius lib. de Isaac c. 6. *Aperi* inquit, *mihi, noli aperire aduersario; sed extraneũ claude, sæculo claude; neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neq; tuum relinquas lumen, & alienum requiras: quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, vt non videatur lumen veræ gloriæ.* Nam quidquid splendescit in argẽto, quidquid in auro rutilat, quidquid in mundialibus bonis lucidum est, tenebrosam B infundit caligine; claudendus omninò animus est, ne quid ex mundialibus gustet, & tunc feliciter diuinis aperitur. Aperi ergo mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore. O quàm verba hæc dulces demerebantur affectus. Quid verò illa? inurbanè respondit: *Expoliaui me tunica, quomodò induar illa?* Et cur blandissimè à sponso illecta, duriusculè renuit ornari, quasi impossibile reputans induere tunicã, quam iam exuerat. Vnde hæc impossibilitas? Nonnè omnes exuimus tunicas nostras, & facili negotio illas reinduimus? Quod ergo omnibus facillimum est, cur sponsæ videbatur quasi impossibile?

Cant. 1.

S. Ambrosius.

Cant. 5. v. 2.

Equidem censerem sponsam locutam fuisse de tunica carnalis conuersationis, quam iam per assidua virtutum opera exuerat; & ideò de vsu benè operandi quasi impossibile ducebat in vitia relicta ire. Hinc D. Ambrosius libro 3. de Virginibus dicit: *Vide anima deuota, quid dicat. Sic se D actus corporis & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodò, etiamsi vellet, rursus possit induere. Quomodò induã illam? Hoc est, qua verecundia? quo pudore? qua postremò memoria? consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit.* Quid elegantius: Habent hoc bene operandi assiduitas, & consuetudo, quòd quasi impossibile reddant, vt sic assiduus, sic consuetus in bonis operibus ad vitia ruat. Verùm frustra: personam vt video tunc mundani hominis gerebat sponsa, ideò dum spiritualia se-

S. Ambrosius.

A qui suaderetur, & ad surgendum induceretur, noluit lectum ad modicum tempus relinquere, vt Deum hospitio exciperet. Palam faciens, ad temporalia sectanda vel leui homines persuasione moueri; ad spiritualia verò etiam post prolixas preces indurari. Nudis ergo pedibus vel exiguum cubiculi tractum peragrare recusauit Sponsa, vt dilecto, tantisq; bladimentis allicienti ianuam aperiret: detrectauit gratis se cubilis subtraxisse fomentis, recusauit B nudatas iterum corpori vestes aptare. Mira res: si adeò delicata, & mollis erat sponsa, vt pedibus incedere fugeret, frigoris iniurias pertimesceret, quomodò egisse hædos dicitur rupes calcando, & ardentissimos soles ferendo? Cantic. 1. v. 8. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Profectò à se videtur desciuisse, dum hœdos agit, & sponso aperire refugit: si ita delicata est, quomodò ad hœdos agendos prompta? & si laboribus C indurata est, quomodò terram nudis pedibus premere timida?

Cant. 1. v. 8.

Ne miremini: innatum est hominibus ad terrena lucra citiùs aquilâ prouolare, sed ad decurrenda virtutum stadia, vix testudineo grassu procedere. Pascebat sponsa libenter hædos, quia inde census colligebat; recusabat sponso aperire, quia tunc ad virtutem alliciebatur; arduum autem est virtutis iter. Vnde, quæ pulsante sponso, præ mollitie, teneritudineq; nec pedibus inniti potuit; vt D pasceret hœdos, per rupes, per montium prærupta, pre præcipitiaq; inuolauit anxijs gressibus, imò & acceleratis volatibus. Hinc citata verba, *pasce hœdos tuos*. Glossa Interlinearis exponit: *Nutri prauos motus carnis.* Annuit D. Gregorius his verbis: *Per hœdos immundæ cogitationes designãtur.* En quàm sibi dissimilis sponsa, dum vitijs inseruit, & dum inseruit virtutibus? noctes ponet abacto somno, vt motibus carnis indulgeat, & erroribus occasionem profunda sibi nocte procudat: ibit, redibit, expectabit,

S. Greg.

bit, despiciet gladios, conculcabit pericula; rapacissimarum ferarum se exponet dentibus. vt nutriat hœdos, quæ solùm pedibus premere, vt spõso aperiat, vt vocibus sibi vtilissimis annuat, teneritudinem, & mollitiem allegabit, surgere non potest Christo, quæ vagari per prærupta didicit hœdo.

Ierem. 2. v. 13. Hoc lamentabatur olim Hieremias Propheta cap. 2. v. 13. *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, nunquid seruus est Israël, aut vernaculus?* Israël delicijs innutritus & delicatè educatus, dum dissipatas sibi cisternas fodere laboriosè exambiuit, serui vernaculique sudores nullatenus refugit; huic, vt appetens effugeret periculum, fossam humum ostendere opus erat: Isaiæ 2. v. 10. *Ingredere in Petram & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* Et quare humus effossa pro asylo ostensa est Israëli, quando cisternas sibi fodere vernaculorum munus vsurpans nullatenus detrectarat? sanè vt foderet telluré ad effugium, qui cisternas effoderat ad delirium; imò ob id ipsum, inquit Diuus Bernardus super Isaiam in alle-
S.Bern. gor. Tilman. *alibi infoditur terra, & ostenditur alibi fossa.* Nam dum vocatur homo, vt saluti suæ prospiciat, vt appetens frustretur periculum, vt virtuti consulat, se humum fodere non posse dicit: *Fodere non valeo;* at verò vbi voluptatibus inseruiendum est, seruulorum munus alacriter subit, & terram indefesso ligone eruit, nec quidquam quamuis laboriosum omittit. Ait citatus Bernardus: *Infirmæ adhuc & inerti animæ, quæ iuxta quod in Euangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, & mendicare erubescit, fossa ostenditur humus vt lateat, donec conualescat, & proficiat.* En homo inualidis viribus, & malè firmis adscribit, se non posse humum fodere, vt abscondatur à sæculo; at vbi opus est, altissimam humum fodere, vt inseruiat vitijs, nec vires deficiunt, nec robur lassatur, nec defatigatur manus, nec caligat oculus.

A Rectè Seneca, *nolle* inquit, *in causa est, non posse prætenditur.* Seneca. In cisternis igitur Propheta Domini voluptates depingere voluit, vt ingeniosè exponit Lyranus: *Foderunt sibi* inquit, *id est, cum diligentia & labore quæsierunt cisternas dissipatas, id est, idola nullam vitæ virtutem in se, nec in alijs habentia.* Homo itaq; vt idolis inseruiat, diu noctuq; laborat; vt fucatæ pulchritudini ac mentitæ placeat, imbres sustinet, & gelu, villas adit, agros excolit, & omnia onera cum quadam iucunditate absoluit; ad nuptias autem cœlestes aspirat quidem, sed venire recusat.

Lyran.

B Ad desertum vsq; sequebatur Iesvm multitudò magna. Subijt ergo in montem, ibiq; sedens cum discipulis suis, cùm subleuasset oculos, & vidisset multitudinẽ hominum magnam, *dixit ad Philippum: vnde ememus panes, vt manducent hi?* Percontabitur non nemo, quare potiùs Philippum; quam alium quempiam ex Apostolis, hac de re Christus consuluit? Respondet Cornelius, quia fortè ipse Philippus magis sollicitus, præ alijs vrgebat Christũ, vt dimissa turba ipse famescens cibum sumeret. Toletus censet, quia fortè ipse Philippus solicitior erat de famelicæ turbæ congrua cibatione: quia ergo animum ad pietatem inpensè affectum habebat, ideò in re pietatis ab ipso Christo cõsulebatur S. Chrysost. sentit, quia tunc temporis Philippus erat imbecillioris fidei; ideò vt eum instrueret, interrogauit Christus, & consuluit. O peritissimũ Principem, qui consultatione cõsultores erudit, & peritiam, quam in eis non inuenit, facit. Non consultores peritum Princeps, sed peritus Princeps peritos consultores excudit: nam sub inerte Principe rara est consultorum peritia, rarior fides. Respondẽt alij, Philippum in hisce quæ ad victum comparandum pertinebant, fuisse peritiorem, ac intelligentionem; non consultor autem, qui in sublimiori dignitatis aut nobilitatis gradu positus est, sed intelligentior & peritior consuli

Ioan. 6. v. 5.

C Christ. cur Philippum cõsuluit de reficiendo turba.

S. Chrysosth. homil. 41. in Ioann.

suli debet. Quoniam non dignitas, sed peritia est locuples consiliarij cẽsus. Ad extremum S. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 13. respondet, ideò Philippum potiùs consultum fuisse, quia *libenter Philippus discebat, quærebatq; sæpiùs: sed non erat adeò acutus, vt altiora posset intelligere. Quod inde patet: quia magno tempore saluatorem secutus, quasi nihil adhuc didicerit, dicit ad Iesum: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Scilicet Philippus, ideò præ reliquis à Christo in consilium aduocatus est, quia in rebus alijs non erat sagaciter acutus, sed Patris Dei faciem, cuius visione cœlestis beatitudo constat, vnicè videre studebat, & studiosiùs anhelabat.

S. Cyril.

Christus itaq; nõ adsciuit ad consilium Iocobum cum fratre Ioanne, quia adhuc rudes, ambitionis suspecti erant, ob nuper ambitas in regno sedes. Non vocauit Petrum, quia pro retium derelictione sumptuosius ambiebat lucrũ: Andreas autem cognationis vinculo attractus, Petro fratri suffragaretur. Thomas quoque licet strenua animositate vir, tamen incollegio Apostolorum Christi resurrectionem audiens, pertinaciter incredulus extitit. Quo circa Christus maluit Philippum consultorem adhibere, qui velut rudis ad terrena, ad Dei faciem beatè videndam studiosiùs hiabat. Quid verò ad interrogationem Christi respõderit Philippus,
Ioan. 6. audiamus: *Ducentorum* inquit, *denariorum panes non sufficiunt eis.* Statim Andreas adiecit: *Est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid inter tantos?* Omnium proinde mens erat, vt Christus illam famelicam dimitteret, minimè diuinam Christi virtutem, agnoscentes, qui non solùm paucos panes potuit multiplicare; sed nouos etiam de lapidibus, aut de nihilo producere. Quid verò Christus, vt hanc malam de se opinionẽ Apostolis excuteret, discumbentem populum abundè satiauit quinq; panibus, & duobus piscibus, vt agnoscerent eius prouidentiæ, quâ & coruos alit, & flores agri vestit, nihil deesse.

A Vt verò Christus magis magisq; eorum temeritatem confunderet, proposuit eis nouam difficultatem soluendam, dicens: *Nunc qui habet, sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium,* super quæ verba scribens S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, exclamat: *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè vt sit parata defensio, non vltrò necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse.* At verò discipuli dixerunt: *Domine ecce duo gladij hic: At ille dixit eis: satis est.* Quærit Paschasius, cur satis? cur duo, non vnus? & respondet: *quia discipulus Christi, nec plures sunt necessarij, quàm duo, nec minus habere congruit. Vnum in verbo, quo feriatur quisquè, vt viuificetur; alterum, quo vlciscatur omne scelus, & inobedientia, & si non correxerit, qui huiusmodi est, præcidatur, & resecetur à corpore.* Verùm non intellexerunt mentem Christi: nam Christus loquebatur de gladio spirituali illi autem de corporali accipientes, promptè responderunt: *Domine ecce duo gladij hic.* Ingeniosè id ponderat Ioannes Cluniacensis tomo. 3 aiens: Profectò res mira est, cùm de cibo agitur, aliqui vel tacent, vel difficultates obijciunt: *Quid hoc inter tantos?* cùm autem de gladio Christum loquentem audiunt, omnes vnanimiter respondent: *Domine ecce duo gladij hic.* Causa in promptu, quia hominum ea natura est, vt dum agitur de bono, fileant, aut difficultates nectant; quando de malo, consentiant, & libenter applaudant.

Lucæ 22.

Paschas.

D Non hoc modo Catholici mei, ad nuptias cælestis Regis nobis eundem esse suadet sacra pagina, Ezechiel, 1. Vbi vidit Propheta visiones Dei, nimirum quatuor animalia, pedes bouis, & alas habentia: *Pedes eorum pedes recti & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Septuaginta legũt. *Crura eorum recta & pennati pedes eorũ.* Et certè, quòd illa animalia pedes bouinos haberent, non mirum: quia per hoc firmitas, & robur ad supportanda

Ezechi. 1.

tanda onera designabatur; sed quod pedes haberent pennatos, id prorsus monstrosum, cum videamus, nullum animal ex quadrupedibus tardiùs incedere. Nodum resoluit S. Hieronymus, asserens illa animalia habuisse pedes rectos, seu crura recta, id est, carentia poplitibus, ne flecterentur ad ima. pedes verò pennatos, vt erigerentur ad summa, id est, vt ore
S. Hier. D. Hieronymi loquar, *à terrenis ad cælestia subuolarent.* Applaudit D Ni-
S. Nilus. lus, illa crura recta, & alatos pedes ita expendens: *Quod ait,* minimè *pronam mentẽ indicat, & naturæ ad intelligẽdum velocitatem.* Demum Chaldæus vertit: *Et planta pedis eorum, quasi planta pedum rotundorum.* Propterea, quia sicut corpus sphæricum, ac rotundum, non nisi in puncto planum tangit; ita æquum non est, vt homo Catholicus toto affectu ad terrena, ac temporalia incumbat. Sed ea tantùm veluti per atomos, & indiuisibilia prælibet. Ergo ad terrena bouino gressu incedere, ad cœlestia verò aquilina celeritate euolare debemus; non quemadmodùm hodierni inuitati, qui vt aquilæ ad terrena festinabant; ad regales autem nuptias vt tardissimi boues venire recusabant. Hoc vehementer deplorat S. Ambrosius lib.
S. Ambrosius. de Helia & ieiunio, cap. vltimo: *Si aurum tibi offeram* inquit, *non mihi dicis, cras venias: sed iam exigis. Nemo differt, nullus excusat, Redemptio animæ promittitur, & nemo festinat.*

Audistis Catholici mei, quare hodierni inuitati ad nuptias venire noluerunt, sed vnus abijt in villam, alius ad aratrum: quia nimirum homines magis proni sunt ad malum; quàm ad bonũ: potius mundo, quàm DEO addicti. Lamentabatur olim Christus super Hierusalem Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos,* Matt. 23.
quemadmodùm gallina congregat pullos suos, sub alas, & noluisti. Quis scit, si nunc in cœlo non lamentatur super nostra malitia, dicens: quoties inspirationibus meis ad cor tuum pulsaui, vt resipisceres, & noluisti? quoties à turpi auaritia te reuocabam, & noluisti: quoties ab ebrietatibus, lasciuijs, adulterijs, & quibusuis turpitudinibus te retrahebam, & noluisti: propter quod ignis æternus te manet, qui omnibus impijs præparatus est. Quare ne tam horrendè puniri mereamur, pareamus in omnibus diuinæ voluntati, iuxta consilium S. Bern.
Diui Bernardi, qui dicit: *Cesset propria voluntas, & non erit infernus.*

Pareamus inquam DEO vocanti, & dum nos inuitat, festinemus venire.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Domine descende priusquàm moriatur filius meus. *Ioan. 4.*

Contra mortem septem gladijs pugnandum est.

IN publicum theatrum sapientissimum æquè in diuinis atq; in humanis rebus Platonem, educere hic debeo; qui alicubi ait. Regum animas ex auro elaboratas esse: non enim communem videntur cum cæteris hominibus spiritum sortiti. Fauet argutus Poëta animos principum ferro aut adamante cusos decantans.

Regũ animæ auro fusæ.

Vos animæ fortes, vos nati, ad bella Potentes, si enim auro fusæ Regum animæ, quomodò ineuitabile fatum audet eorum purpuras superbo pede calcare?

calcare? aut sceptra dominantium aequare ligonibus? Cùm aurum nulli obnoxium sit corruptioni. Principũ autem vita omnibus infortunijs & casibus exposita est. Aurũ inter flammas ignis, pulchriùs expolitur; Regum salus etiam inter amicos periclitatur; cuius rei eiusdentissimum habemus argumentum in Belisario,
Baron. qui teste Cedreno & Baronio anno Christi Domini, 561. adeò gratus fuit Iustiniano Imperatori, vt in excussis nummis, alterâ parte, insculBeli sarius mendicans. peretur Iustinianus; alterâ Belisarius; cum hac inscriptione. *Belisarius Romanorum decus.* Qui tamen postea ab eodem Iustiniano non solùm honore deiectus, sed bonis omnibus proscriptus, tantam in miseriam deuenit, vt mendicare cogeretur, & in publico stadio clamare, quemadmodùm cum Græcus Poëta introducit: *Belisario obolum date Imperatori:* Quasi diceret: videte vnde, & quò me fortuna deturbarit: quem paulò ante imperantem suspexistis, nunc despicitis mendicantem, inquem eleganter excurrit San-
S. Chrysosth: ctus Chrysosthomus; sermone quodam in quinto Tomo. *Vbi nunc* inquit *inclytus ille splendor? vbi illustres illi fasces? & choreæ epulæq; & facti conuentus? vbi corona? & aulea? omnia illa perierunt, procella vehemens follia diiecit, arborem spoliatam reddidit, tam radicitus vacillantem. Vbi nunc fucati illi amici? vbi illi potentatûs cultores? ad gratiam omnia dicere & facere assueti? omnia illa nihil nisi nocturnum somnium fuerunt, patente die euanescentes.* Aurum perennat incorruptum: Regum animæ & in ipso statim ortu intereũt,
Ps: 145. Psal. 245. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* vbi non oppida, non vrbes, non regna; sed tumulum, puluerem, & cineres, Regibus propriam assignat passionem; in hæc enim vita Heroum facilè dissoluitur. Quomodò ergo ex auro animæ Regũ fabricatæ sunt, si tàm facilè intereunt? sed immò propter hoc vita regum fragilis, quia aurea: aurũ enim molle est, & vel leuissimâ ignis flammâ correptum liquescit. Regum pariter vita & tenuissimo auræ sibilo dissipatur, vt docet sapiens Ecclesiastici 8. num. 3. *Multos* inquit *perdidit* Eccl. 8.
aurum, & vsq; ad cor Regum extendit, & conuertit. vbi tanta auri vis significatur, vt non solùm pauperum animos pertentet & expugnet; sed etiam Principum & Regum interimat, adimit sensus omnes aurum. Quis ignorat Aaronem fuisse vatem disertissimum, cuius eloquentia Moysis infantiam supplebat? & nihilominùs ad Hebræorum idololatriam sic obmutuit, vt elinguis videretur. Exodi 32. n. 5. Quis te orator optime in Exod 32.
tanta scelerum licentia & morũ peruersitate elinguauit? Respondet ibidem sacer textus, Num. 3. Quia *aurum, quod illi Hebræi in manus obtulerũt.* Ex auro Catholici mei vestræ animæ fabricatæ sunt; quia ex nihilo creatæ, hoc est; ex materia depurata: sed hoc aurum mors facilè mutat, quia & in infantiam insultat. Quæ sint ergo necessaria ad resuscitandum hominem, conspiciamus.

Reguli filium moribundum figite in vestris oculis, & scisciteminí quis sit, & admiremini mortis imperium; quomodò etiam Regum Palatia audet pulsare. Sed quid nouum? *Regulus enim iste homo est,* inquit Theophy- Theoph.
lactus, qui quoniam de humo formatus, idcircò famosus pirata mors super humum ambulanti insidias struit, vt eum in suum tenebrosum abripiat antrum. Filius istius Reguli est ani-
D ma de ore æterni Regis in corpus terrenum inspirata: sed cùm sit immortalis, quomodò obsecro mortis falce prosterni potest, neq; in carne sinitur perennare? sed plerumq; insperato mortis impetu expellitur; vt præclarè docet D. Augustinus in so- S. Aug.
liloquijs cap. 2 vbi post multa de humanæ vitæ miserijs, hæc subdit: *subsequitur hũ importuna mors, quæ mille modis quotidie miseros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus: hunc consumit fame, illum siti extinguit: hunt suffocat aquis, illum interimit laqueo: alium perimit flammis,*

mis, *alium dentibus bestiarum ferocium* A *vorat: hunc trucidat ferro: illum veneno corripit; alterum tantum repentino terrore, miseram vitam finire compellit.* Et nunc super hæc omnia magna miseria, quia cùm nihil sit certius morte; ignorat tamen homo finem suum, & cum stare putat, colliditur & perit spes eius. Immò, quod grauissimum: crudelis mors non tantùm eos, qui in mundi voluptatibus, licentiosè nimis debachantur, inuadit; sed neq; sanctis Viris etiam parcit. Nam & hi quandoq; citâ & in- B
tempestiuâ morte præripiuntur, te-
Sap. 7 ste Scriptura Sapien 4. num. 7. *Iustus* inquit *si morte præoccupatus fuerit.* cu-
S. Anast. ius rei tres assignat rationes S. Anastasius Nicenús in scripturam q. 17. vnam vt multi saluentur; *quo pacto Christus Dominus violenta morte succubuit, vt nos in gloriosam vitam excitaret.* Alteram. vt mali terreantur; quo pacto filij Iacob subitâ domus ruinâ sepulti perierunt: vt peccatores iustorum casum intuentes, suam ruinam præcauerent. Tertiam, vt ipsi iu- C
sti à leuioribus noxis, quas vt homines contraxerunt, per hanc mortis violentiam expurgentur. quo pacto
Iustorũ Nadab & Abia repentino incendio
sorte deflagrárunt; per quod leuiora eo-
aliter rum peccata excoquerentur. Quod
mur. statim confirmat, manifesto documento, narrans quendam Anachoretam, virtutibus & prodigijs clarum, ab hyena miserabiliter laceratum, ac deuoratum: quo tempore vicinioris vrbis Princeps sceleratissimus, cum funebri Pompa & apparatu, D
cum vnguentis & suffitibus ad sepulturam efferebatur. de qua disparitate Anachoretæ discipulum cum Deo expostulantem audiuisse, Principem illum inter multa scelera, vnum bonum opus habuisse, cuius præmium reciperet cum honore sepultus, scelerum pœnas recepturus, ad gehenã relegatus: at verò Anachoretam inter eximias virtutes, quandam noxam contraxisse, cuius pœnam subiret, deuoratus ab hyena; virtutum præmia subiturus, ad cœlestem patriam euectus. Tantæ ergo miseriæ humana vita exponitur, vt repentinis sæpè casibus allidatur: sed tamen nulli homines frequentiùs; quàm principes insidias patiuntur à morte, iuxta illud Iuuenalis satyra 10.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci descendunt Reges, & sicca morte tyranni. Quod vel ex ipsa sacra pagina cui ad oculum non patet? Nam Rex Saul perijt à seipso interemptus 1. Regum 31. num. 4. 1. Reg. 31.
Rex Elam à seruo suo occisus. 3. Re- 3. Reg.
gum 16. Num 10. Rex Zambri cum 16.
domo regia a seipso incensus, ibidem
num. 18. Rex Syriæ Benadad à seruo 4. Reg. 4
suo strangulatus, 4. Reg. 8. num. 15. quia cùm omnes essent homines, facilè de humo latens mors illos prostrauit. Verùm cùm iam in hodierno Euangelio, non regulus, hoc est non homo ipse secundùm corpus; sed filius reguli; hoc est; anima immortalis moribunda nostris obtutibus sistat se, quis non exanguis hærebit? quid enim iuris morbo in animam? quid potestatis priuationi in vitam. Desudate hic subtiles Philosophi, qui asseritis priuationem non principiare Physicè compositũ, hoc est; per realẽ influxũ; quomodò hæc vilissima priuatio mors scilicet; nobile compositum, hominem ipsum positiuè disrumpere valeat? & corpus in puluerem resoluens, & animã à Deo diuidens. Verùm si inuictum Hõo ad
bellatorem, & vilissimus gregarius bellãdũ
miles; si inermem repererit, vincit cũ mor-
facilè. Quid mirum, si animam quo- te cret
que vbi inermem repererit mors, D
prosternat. Ad bellum quippè Deus creauit hominem, vt contra mortis impetum pugnaret, ne de promissa sibi immortalitate dejiceretur; sed cum inermem inter Paradisi delicias spatiantem hominẽ reperisset mors peccati, vnico illum sibilo infecit, non quidem quasi animam eius perinde atq; corpus perimeret, cùm hæc solùm sit annihilabilis: sed quòd & animam & corpus Dei donis spoliauerit. Debebatur enim homini in statu innocentiæ creato sanctitas, &

per

per gratiam, & per naturam, nulla A
adhuc fœdatam contagione; sed cùm hæc talenta, sibi collata cautiùs negligeret homo custodire? vtraq; illi mors eripuit. Eripuit illi sanctitatẽ: quia à primo statim die quo lapsus est homo, in iniquitatibus concipitur omnis Adæ filius, eripuit naturæ innocentiam: quia in peccato concipit illum mater sua, adeò vt statim de ipso Matris vtero vitiatam trahamus naturam, & mortui In lucem progrediamur, donec iterùm per Sacramenta sancta infusâ gratiâ, & deprauatam B
naturam aliquantum restauret, & mortuam animam iterùm viuificet. sed quia mors depulsa ab anima, semper illi tanquam Regis filiæ insidiatur, adeò vt iustus etiam septies in diem cadat: hoc est; non quidem mortaliter, alioqui non esset iam iustus, cum mortalis culpa iustitiam habitualem auferat ab homine: sed venialiter, saltem sensibus externis & cogitationibus Deum offendat: idcirco quilibet, septem pariter gladijs C
contra mortis insultũ pugnare debet.

Inprimis rationis vsu, vt recognoscat quod à Deo creatus sit. quemad-
Psal. 99. modùm docet Propheta Psalmo 99. *Scitote* inquit *quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.*
S. Aug. Quasi diceret; vt exponit S. Augustinus in eundem Psalmum. *Non vobis vilescat, quem crucifixistis, flagellastis, sputis illinistis, veste ignominiosâ in ludibrium ornastis, confixistis suspensum in ligno clauis, perforastis lanceâ in cruce: sed scitote quoniam hic Dominus ipse est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos*: Quasi diceret: Quid est, quòd exultatis ò miseri terrigenæ? quid est, quòd superbitis? Alius vos fecit, & qui vos fecit, ipse à vobis patitur. Sed vos, sic vos iactatis, & gloriamini, & extollitis, quasi à vobis ipsi facti sitis, immemores, quòd soli Deo competat, hæc gloriatio. *Ego sum qui sum.* hoc est? Ego solus, sum, qui à nullo, sed à me ipso per essentiam omnia habeo. Sed tu miser homo, non debes superbire, cùm totum bonum quod habes, ab artifice tuo habeas. Quod enim in no- D

bis nos fecimus, inde damnamur: quod autem in nobis ille fecit, inde coronamur. In hac sancta consideratione consistebat frequenter D. Au-
Idem. gustinus in soliloq. cap. 31. *Redij* inquit *ad me, & intraui in me, & aio ad me. Tu quis es? Et respondi mihi, homo rationalis mortalis; & incepi dicere, vade hoc tale animal, & dixi: Tu fecisti me domine, & non ego ipse. Tu per quem viuo ego, & viuunt omnia, & sine te nihil viuit. Gratias tibi ago Plasmator mi, quia manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Gratias tibi ago lux mea, quia illuminasti me, & iuueni te, & me.* Vnde meritò Scriptura Sacra arguit homi-
Deut. 25. nem Dei ipsius immemorẽ Deutoronomij 25. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui.* meritò exprobrat Propheta superbo
Ezech. 29. Pharaoni Ezechielis 29. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus est fluuius, & ego feci meipsum* quasi diceret: ecce vniuersus clamitat orbis, me amore tui creauit, & voluit, vt ego tibi seruirem, tu autem diuino obsequio te subtrahere vis. Deus creaturus homini adiutorium simile, immisit priùs soporem in illum.
Gen. 2. Genes: 2. num 21. Quid obsecro necessitatis erat, vt tunc dormiret homo? Respondent quidam doctorum, quia Deus eo tempore voluit animæ illius hominis omnem scientiam infundere, cuius maximè capax est anima, cùm cæteri sensus à suis officijs soluuntur: iuxta illud Philosophi: *Anima quiescendo fit doctior.* Profectò si ita est, non aliam tunc Deus etiam scientiam cõmunicare voluit; quàm sui ipsius, vt illum ante omnia primus homo cognosceret, & suis posteris seriò intimaret.

Altero gladio contra mortis impetum pugnare debet homo, finem suum ponderando, ad quid etiam sit creatus; scilicet, ad laudandum Deum, & illi seruiendum. Hoc Scriptu-
Deut. 10. ra Sacra expressit Deutor. 10. *Israël quid Deus dominus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deum, & ambules in vijs eius, & diligas, & seruias Domino Deo tuo,*

tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua. A
Et profectò cùm Deus; non solùm ea donauerit homini, quæ super terram sunt; sed etiam quæ super cœlos, immo seipsum mille modis homini elargitus sit, ipse factus est homini & Pa-
Oseæ 11. ter, & nutritius. Oseæ 11. *Ego quasi Nutritus Ephraim, portabam eos in brachijs meis*; quomodò non arguetur homo ingratitudinis, si tàm immensa beneficia obliuione sopiat? quod ipsemet Deus voluit exprimere, cùm sua beneficia ingratis Israëlitis expro-
1. Regum 10 braret, 1. Reg. 10. num. 18. *Ego in-* B
quit *eduxi Israël de Ægypto: & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum, qui affligebant vos.* quasi diceret: Parum vobis fuit, liberari à durissima seruitute, quæ est extremum huis vitæ malum: parum de manu Ægyptiorum eripi? parũ Pharaone, & vniuerso eius exercitu, aquis obruto, vos sicco pede in littus exisse? quòd pro tantis beneficijs ne minimam gratitudinem persolueritis. sed quemadmodùm dicit sacra li-
Ibidem n. 19. tera ibidem num. 19. *Proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris.* Vbi ex magnitudine beneficiorum, quæ Deus contulerat Hebræis, colligit sacer textus summam eorum ingratitudinem, quam etiam peccato-
Psal. 36. ribus adscribit Dauid. Psal. 36. n. 21. *Mutuabitur* inquit *peccator, & non soluet.* quasi diceret: Multa beneficia à Deo accepit, quin vel vnum officium
S. Aug. rependit. vbi D. Augustinus: *Quanta* inquit *accepit peccator, pro quibus nõ soluit? accepit vt sit? accepit vt homo?* D
accepit corporis formam? accepit in corpore distinctionem sensuum. Accepit etiam amplius, id est, mentem quâ possit intelligere, quâ possit capere veritatem, quâ possit iustum ab iniusto discernere, quâ possit indagare, desiderare creatorem, laudare, & inhærere illi. Hæc omnia accepit & peccator, sed non bene viuendo non reddidit, quod debet. Ergo fæneratur peccator, & non reddit ei, à quo accepit; non agit gratias: immo verò rependit mala pro bonis. Quod si tantùm est crimen pro acceptis beneficijs gratias non referre, vt dicat D. Bernardus, serm. 84 in Can-
D. Bernarde. ticum: *Qui maximi videbantur, pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum.* Quantùm obsecro erit non solùm non referre gratias? sed etiam referre iniurias. Tales se Hebræi benefactori suo præstiterunt DEO, quem non modò non glorificârunt; sed etiam inhonorârunt; *Hodie*, inquit sacer textus, *proiecistis Deum vestrum.* Requirit certè Deus summam gratitudinem ab ho-B mine, propter quod illud sæpè com-
1. Reg. 10. gum 10 memorat. 1. Reg. 10. num. 19. *Qui solus saluauit vos.* Solus Deus absquè alterius consortio, dicitur Israëlitas liberasse, non de quibusdam tantùm; sed de omnibus tribulationibus; vt solus quoq; amaretur; quemadmo-
Abulẽs. dùm aduertit Abulensis: nam si plures adessent liberatores, plures amari deberent; cùm autem vnus fuerit Saluator? is vnus omnium amorem postulabat. De omnibus verò tribulationibus populum liberauit, vt omnibus cordis affectibus à populo amaretur. Nam si Deus in liberando populo parcum se exhiberet; mirum non esset, si populus quoq; in amando DEO parcus exhiberetur: cùm autem Deus in benefaciendo tàm liberalem se ostenderet, æquum nõ erat, vt populus in amando ostenderetur tàm auarus. Itaq; Deus suo Iure exigebat, vt populus in eum solum & præterea, toto amoris conatu propẽderet. vnde execranda est ingratitudo populi, qui neq; totum cordis affectum in Deum effundit, neq; solùm Deum vt par est redamat. Sed quærere posset peritus Scripturæ Sacræ, quo pacto dicatur solus Deus populum Israëliticum seruasse? si alioqui constat eum, multos illi adddisse Saluatores. Nam Iudicum 3. num. 9. di
Iudic. 3. citur: *Suscitauit illis Saluatorem Othonielem.* Et rursùs ibidem num. 23. *Suscitauit eis Saluatorem Aod.* Atq; sæpiùs eodem nomine appellat scriptura Barach, Gedeonem, Iephte & Samsonem; qui Hebræos de hostium quibus seruiebant potestate, liberârunt.

Sed

Sed respõderi potest, hos omnes tan- A
tùm fuisse diuinæ potentiæ instrumenta, quibus Deus suum populum de manibus hostium vindicauit. ac proinde saluatoris nomen, si de proprio ac principali sermo sit, non his; sed soli DEO tribuendum est. Quisquis igitur Dei beneficiorum gratus, Deum laudat, hic mortem ab anima sua propulsat.

Tertio gladio homo aduersùs mortem pugnare debet, recolendo quæ mandata à suo creatore acceperit, vt
Deut. 4. docet scriptura Deut. 4. *Scito & cogita in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus, in cælo sursum, & non sit alius, custodi præcepta eius & mandata, vt bene sit tibi & filijs tuis post te, & permaneas multò tempore super terram, quàm Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Quid sit autem seruare præcepta Dei? nihil ali-
S. Hier. ud, quàm in nullo transgredi. Nam vt bene Diuus Hieronymus in Regula Monachorum: *Non benè* inquit *est, Deum in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem peccati respicit, quantùm ad personæ contemptũ; propter quod* C
non solùm homini contendendum est, quale sit, quod iubetur; sed etiam quantus sit ille, qui iubet. quod vlteriùs cõfirmat in Epist. 14. ad Celantiam. *Nescio* inquit *an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Est q; ille prudentissimus, qui non tàm considerat, quod iustum sit; quàm illum, qui iusserit: nec quantitatem imperij; sed imperantis cogitat dignitatem.* Ad hanc præcepti obligationẽ incitat vnumquemq; Propheta Psal. 118. *Tu man-*
Ps. 118. *dasti* inquit *mandata tua custodiri nimis.* D
Quasi diceret: Deus non tantùm præcepit custodiri mandata sua, sed per legem, per Prophetas, per Euangelium, per Apostolos, monuit, vt nimiùm custodias mandata Domini DEI tui. Nam si quis vnum mandatum custodiat, & aliud præuaricetur, nihil ei prodest. Custodiuit se aliquis à sanguine; non custodiuit ab adulterio: vtiq; in vno conuictus, punitur etiam legibus secularibus: nec prodest illi alterius criminis abstinentia, si in altero fuerit deprehensus. Sic planè & in diuinis præceptis, non minùs est ab vnius præcepti etiam leuioris, quam ab omnium grauiorum transgressione formidandum. Cùm ipsemet Christus Dominus dicat Ia-
Iacobi 2. cobi 2. num. 29. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Quid ergo? qui soluerit vnum de mandatis maximis? etiam minimus vocabitur? cum iam minimo nõ detur minor; nõ quidem quod transgressio par sit: sed quia qui priorem incurrit, proximus est vt in posteriorem prolabatur, iuxta illud Sapientis Ecclesiast: 19. num. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Leue præceptũ videtur de crine Samsonis cõseruando, quem facilè vnusquisq; iudicaret, aut impunè resecandum, aut inutiliter nutriendum; & nihilominùs huius minimi præcepti de illo crine cõseruando obseruatio; maximas victorias retulit; transgressio verò eiusdẽ, maximas strages intulit Iudicum 16. à num. 17 Qua de re author de mira-
Auctor mirabiũ scripturæ. bilibus scripturæ D. Augustini nomine inscriptus lib. 2. cap. 6. *Non* inquit *in sensibili capilo virtus inerat, sed mandati diuini obseruatio, donum fortitudinis conseruabat.* Quamdiu igitur in mandati diuini custodia permanserat, Spiritus Sancti munere maximã fortitudinem habebat: cùm muliebri persuasione præcepti Dominici trãsgressionem adinuenit, etiam spirituale fortitudinis donum, quod habuerat, statim recessit. Leue Iudæi putabant inanis gloriæ delictum; Et ecce vsq; ad cædem Christi lapsi sunt: Nemo enim repente ad extremam improbitatẽ insilit. Habet enim anima insitum quendam pudorem atq; innatum, quem subitò calcare atq; proijcere non potest, sed sensim ex negligentia perit.

Quartò gladio homo contra mortem pugnare debet, seriò inspiciens, si contra præceptum Dei aliquid peccauerit. Hoc figurabant Philistini, qui cum propter dishonorationem Arcæ diuinæ, per mures magnam sibi plagam inferri viderent 1. Regum 6.
1. Regum 6. nume.

num. 5. *Iuxta numerum Prouinciarum Philistinorum, quinq; anos aureos facietis, & quinq; mures aureos. Quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris.* vbi quærunt Doctores, cur Philistini anos aureos, & mures aureos Deo obtulerint. Respondent primò Interpretes, vt scilicet pretiosissimũ munus, quale est aurum, summo Deo tribueretur; sic enim solebant Ethnici per aurum supremo numini litare, iuxta illud virgilianum.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencã, vt dignitate mumeris, Numinis dignitatem sibi demererẽtur; deinde vt aurum quod omnium malorum incitamentum est, à se prorsus abdicarent, & in diuinum cultum venerationemq; transferrent. vnde aurum dicebat Ethnicus vates, aut in mare abijciendum, aut vni Deo consecrandum, ne si apud mortales seruaretur, peccandi illecebram nutriret. quemadmodùm cecinit Lyricus 3. Carmine 3. 24. vel nos in Capitolium.

Quo clamor vocat & turba fauentium,
Vel nos in mare proximum.
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali.
Mittamus scelerum si benè pœnitet.

Quasi diceret: si quem suorum scelerum ritè pœnitet, is non solùm scelera omnia abiuret, sed omnia illorũ nutrimenta incitamentaq; demoliatur, quorum præcipuum est aurum, cuius cupiditate inescatus animus, nullum se in flagitium non deuoluit. Hoc igitur vel mari demergatur, vel Deo consecretur: neutro ex loco ad peccatorum illicium exiliumq; animorum repetendum. Placet hæc ratio commentatoribus Scripturæ Sacræ, sed illud magnum illis mouet dubium, cur illam tàm abiectam anorum muriumque figuram supremo numini Philistini consecrárint? cuius facti triplex mystica ratio occurrit. Prima, vt significarent pœnas à Deo immissas, libenter suscipiendas. Moti forsan illo Dauidis cõsilio Psalmo 37. num. 18. *Ego* inquit *in flagella paratus sum.* vbi D. Ambrosius, ab humana misericordia ad diuinam argumentatur. *Si seruulum* inquit *tuum videas peccata confitentem propria, vltrò offerre se pœnæ: inflecteris, ignoscis; & de Domini miseratione diffidis?* Quasi diceret; Putasne te ad miserandum proniorem esse, quàm Deum? absit; si igitur tu videns seruum promptum ad patiendum: statim ad miserãdum propendes: quid dubitas si tu DEO tuam ad ferendam patientiã ostenderis, Deum tibi suam ad parcendum misecordiam ostensurum? statimq; Dauidis exẽplo similem nobis promptitudinem ad pœnas, quæ diuinitùs immittuntur libenter sustinendas, persuadet; dicens: *Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipso electus Deo, flagellis si spontaneus offerèbat, nec erubescebat, & tu erubescis.* Quasi exclamaret: ô rem planè indignam, & ruborem erubescendum! sic ergo Philistini vt diuinam iram à se auerterent, diuinis flagellis se ferendis promptos esse ostendebant. vt docet Oleaster in cap. 21. numer. *vt his* inquit *quibus flagellati erant Domino præsentatis, plaga immissa cessaret.* Cognouerunt enim nihil plus in nundinis DEI valere; quàm mala à Deo immissa, cum patientia, quâ tolerantur, præsentare Deo. Discant hic Christiani, quando suorum scelerum pœnas dant, DEO non irasci; sed potiùs humiliter gratulari, & sua supplicia in peccatorũ suorum remedia offerre. Secunda ratio cur Philistini anos & mures aureos Deo obtulerint, vt significarent culpas à nobis commissas, perpetua recordatione ac deploratione expiandas. In illis enim anis & muribus, tanquàm in signis suas Philistini culpas cognoscebant, quas in diuino cõspectu proponentes, & cum ingenti animorum pœnitudine detestantes, penitùs delere sperabant. Nam sicut venenum temerè haustum, veneno artificiosè condito expellitur: ita peccatum imprudenter admissum, peccato sapienter recogitato abolebatur. vnde D. Bernardus in Cantica: sola peccatorum recogitatione seipsum consolatur. *Oportet* inquit *si fieri posset*

Psal. 37. S. Ambrosius.

S. Bern.

vi posset reuiuere me, vt ita loquar denuo, quod malè vixi: sed quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ; faciam recogitando, quod recuperando non possum. Quasi peccata quæ patrata necârunt, recogitata viuificent. In cuius veritatis signum, ad Ieremiam de lacu extrahendum submisit Abdelemech veteres pannos, & antiqua vestimenta, quæ computruerunt, dicens: *Pone veteres pannos, & hæc scissa & putrida, sub cubilo manuum tuarum.* Ieremiæ 28. num. 12. Quod cùm fecisset Ieremias sic, extraxerunt eum funibus de lacu. Quid obsecro mysterij istud est? vt Propheta de lacu nonnisi cum putridis vestimentis extrahatur? Respondet primò Bachiarius in Epistola ad Ianuarium, de decipiendis lapsis, agens de peccatore in suum peccatum demerso, quem Ieremias in lacum abditè repræsentabat. *Ecce* inquit *frater in lacu est, Mittamus ei pannos veteres; reducamus in memoriam eius, exempla antiquorum, qui per peccatum collapsi, postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superos relati sunt; quæ cùm ei ante oculos posita fuerint, desperare non poterit.* Eodem quoq; modo interpretatur D. Gregorius, lib. 25. Moralium, c. 7. & 8. Vbi per funes intelligit præcepta; per pannos exempla; & vtrisq; opus esse docet, vt peccator de scelerum cæno extrahatur, id est præceptis Dominicis; vt extrahendus fortiter religatur; pannis autem, id est; veterum pœnitentium exemplis, vt religandus molliter vinciatur: dùm asperitas præceptorum, exemplorum suauitate mollitur. Respondent alij secundò ad rem præsentem accommodatiùs, quia vt aliquis de cæno peccatorum emergat, necesse est, vt ipsa peccata, tanquàm vetera ac sordida vestimenta, recordetur: eorumque fœditatem contemplatus ac detestatus, ab illis se propipiat & abducat. Hanc ob causam Philistini deformia quidem munera, sed aurea offerebant, vt repræsentarent eos peccatores, qui suorum scelerum deformitatem agnoscentes & execrantes; pœnitentiæ lachrymis eluebant, & cœlestis gratiæ radijs inaurabant. Tertiam tãdem assignant rationem, cur aureos anos & mures Deo obtulerunt Philisthini, vt significarent, culparum pœnarumq; ruborem peccantibus semper affuturum. sic censet D. Gregorius? *Anorum* inquit *similitudines ad ruborem fiunt, quia profectò fœditatis nostræ maculas ad memoriam ducimus. vt de ijsdem maculis confundamur.* Quid enim magis homo, quàm peccatum erubescere debet, hunc pudorem qui retinet, etiam si grauissimè delinquat, mortem à se propulsat; qui autem illum exuit, moritur iam. vt docet Plautinus. *Ego* inquit *illum perijsse duco, cui quidem perijt pudor.* cui consonat illud Senecæ Poetæ in Agmemnone.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides. Et qui redire, cum perit, nescit pudor. Quintò gladio aduersùs mortem pugnare debet homo, scilicet detestatione peccati. Nam docet Diuus Augustinus de medicina Pœnitentiæ; non sufficere mores in meliùs commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his quæ facta sunt satisfaciamus Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humanitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosynis.

Sexto gladio contra mortis impetum vti debet homo, iudicij futuri assiduâ memoriâ, vt docet D. Isidorus, de summa lib. 2. cap. 13. *Benè se ait iudicat iustus in hac vita, ne iudicetur à Deo, damnatione perpetua.* Comprobat Ieremias cap. 2. *Quomodò* inquit *confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël.*

Septimo tandem gladio mors propugnanda est, scilicet intimo dolore de peccatis: conculcauit enim peccator filium Dei, & sanguinem testamenti pollutum duxit, in quo sanctificatus est, Hebr. 10. Quocirca intimè dolendum est peccatori, dùm maiestatem Dei offendit, vt peccata dimittat, & condemnandum ex iustitia saluet ex misericodia.

Ierem. 38.

Bachiar.

S. Greg.

S. Ambrosius.

S. Isidor.

En habetis filium Reguli moribundum, scilicet animam vestram lerhali morbo peccati febricitantem, quæ quamdiu adhuc est in gratia, ne illam mors inuadat, pugnate contra illam, cognoscendo quod sitis creaturæ Dei omnipotentis, & fastum inanem respuendo: seruiendo illi in timore, & nomen eius laudando: assiduè recolendo mandata eius, vtrum ea seruastis, an in aliquo transgressi estis: detestando commissa scelera: iudicij diem recogitando: atque de singulis criminibus amarè dolendo: & dubio procul his iaculis læsa, aut saltem territa mors, accedere non audebit. si verò mors peccati per insidias diaboli, occupauit alicuius animum, inuocate Saluatorem, vt illum resuscitet: Descende Domine priusquam moriatur homo, & gratiæ tuæ illum restitue. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA

Domine descēde, priusquam moriatur filius meus. *Ioan.* 4.

Christus ad sanandos infirmos, scilicet animas hominum peccato infectas, per miracula, per gratiam, & per potentiam descendere solet.

FAtebitur profectò quispiam, famulum superbum, & dominum stultum, rem prodigio similem esse. Etenim si magna improportio est, tenuis fortunæ hominem, Aquilæ instar sublimia petere; sic indecorum & ab omni prorsùs laude alienum, virum dignitate eminentem, authoritate sua & honoris prærogatiuâ vti nescire. Vitiosum est seruum domino sho accumbere, iuxta vulgare illud prouerbium: (*cum domino Cæsum noli prandere pransum*) cuius criminis seuerus castigator fuit Adrianus Cæsar Romanorū, is cum in capitolio quondam esset, videretq; ibi aulicum cum summo fastu incedētem, ægrè ferens arrogantem illius cursum, accersito suo armigero, adeò potenter colaphum ipsi impingi iussit, vt vultum eius totum cruentaret; eam tantùm ob causam, vt ostenderet, magnæ temeritatis opus esse, seruum domino comparari. Verùm non minori reprehensione dignum, cùm quispiam longè alijs dignitate præstans, infra omnium humilitatem animum suum deijcit, & cum vilissimis etiam, ex æquo non erubescit conuersari. Malè enim cessit Casimiro Polonorū Principi, familiaris conuersatio cum Aulico suo Ioanne Conario, quem ille inuitauerat ad aleæ lusum, animi oblectandi gratiâ. Incensus verò vterq; illorum vincendi studio, in serum noctis ludum produxêre, ac tandem pertæsi ludi & vigiliarum, vno iactu summam reliqui ludendam decreuêre, vbi familiaritate principis audacior factus Conarius, ita efferbuerat, vt vincenti Casimiro colaphum daret. Cumque postridie comprehensum, omnium sententiæ capitis reum proclamauerunt, eum Casimirus à culpa absoluit, inquiens; impatientia iacturæ abreptum fuisse, se verò prostitutæ dignitatis iustè pœnam luisse. Non est proinde laudandum, cùm quis authoritatē suam minuit: quod re ipsa comprobauit Pyrrhus Rex Indiæ; is captus in bello, dùm ferreis catenis & compedibus vinctus adduceretur ad Alexandrum, interrogatus ab eo, quomodò tractari deberet, mox Pyrrhus imperterrito animo respondit, regiè: Nam licet inquit diadema capiti meo detraxisti, eripuisti sceptrum manibus, & loco regalis purpuræ, vilissimo & sordido habitu dorsum meum operuisti; tamen etiam in ipsis compedibus, regius animus inuictus esse debet: quocirca, tibi supplico vt mecum regiè procedas? Auditores mei, equidem si in mundi huius politia sic se res habet, quantò magis apud Deum? Mundana vt video politiâ, ductus hodiernus regulus Christum aggreditur, nimis familiariter illum alloquendo: *Descende* inquit *priusquàm moriatur filius meus.*

Rex ab aulico in facie cæsus.

Verum

Verum vnde quæso huic regulo tantus ausus? si enim mundi principes indignum sua nobilitate dicunt, inferiores se accedere in persona propria; quomodò regulus iste, Christū Dominum, in domum suam descendere vult? cum per hoc maiestas eius minuēda videatur. Immemor fortassè est facti illius 4. Reg. 5. quòd cùm Naaman Princeps Syriæ Elisæum accederet pro curatione lepræ, vbi illo aduentante cum equis, mulis, cæteroq; splendido comitatu, & stante ante ostium domus, Elisæus ne quidem dignatus est egredi, sed misit tantummodò ad eum nuntium dicens; *Vade lauare septies in Iordane*. hic autem regulus non ante ostium stat, sed ipsum omnipotentem Dei filium accedere audet; quod adhuc tolerabilius esset, si saltem more illius centurionis postularet supplex; *Domine non sum dignus, vt descendas sub tectum meum, sed tantùm dic verbo & sanabitur puer meus*; sed imperare videtur: *Descende* inquit *priusquàm moriatur filius meus.* Verùm dignam veniâ puto eius postulationem: regulum enim se agnoscit, idcircò principem aggressus Iesum, regiè alloquitur, & familiariter illum in domum suam accersit, & inuitat. Igitur Christi? descensum, & regulum supplicātem, atq; filiùm eius moribundum hodiè contemplabimur.

4. Regum 5.

Tripliciter Dei filius ad sanandos infirmos descendere debet, primò per miracula, dicēte hodierno Euangelio; *Nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Quod tunc facit, cum infidelitatis febri animus hominis grauiter laborat, vt scilicet homines efficaci motiuo, ad rectam fidem, & suæ diuinitatis notitiam ignaros pertrahat. Nam si populus Hebræus credidit Moysen vere à Deo missum fuisse ad sui liberationem, cùm illis mare aperuit. Exodi 14. Si Helias magnus DEI Propheta habitus ex eo, quòd pallio suo diuiserit flumen. 4. Reg. 2. quomodò & tunc, quando Dominus noster Iesus, super aquas maris ambulauit, Matth. 14. ab Apostolis verus DEVS cognosci non potuit? cum hoc miraculū, super omnia Prophetarum miracula excellentius fuerit, vt subtiliter argumentatur Diuus Gregorius. *Quid est* ait *elegantiùs, in sicco profundi alueo viam transeunti populo exhibere, an ipsam maris faciem viam facere? Illi quippe quia humanitatis deprimebantur pondere, in profundi solido viam, quâ pergerent, requirebant: sed quoniam infirma humanæ naturæ, in celsitudinem diuinitatis assumpsisse cognoscitur: super aquas virtute propria ferebatur.* Apud Philosophos, tunc primum assensus alicui veritati præbetur facilè, cùm demonstratiuis argumentis res comprobatur; siue à priori per causam, siue à posteriori per effectum; in cognoscenda pariter diuinitate Christi, euidens demonstratio quodlibet eius miraculum habetur, quia virtus miraculorum patratiua soli Deo principaliter conuenit, adeò vt nihil potentiùs in obsequium fidei humanam voluntatem captiuet, quàm miraculorum opus. Dubitabat Corbis num Christus verus esset homo? eò, quòd radij instar solaris, inuiolato vteri virginalis claustro, materna viscera penetrauerit; & ecce in comprobationem istius veritatis, nascente Christo, tres in cælo soles apparuerunt; qui paulatim in vnum redacti fuêre vt refert Cæsarienſis Eusebius, & S. Bnauentura, in Tractatu de sanctis festiuitatibus pueri IESV; vt scilicet homo substantiam Christi considerans, tria in eo distincta reperiret, animam scilicet, corpus, & diuinitatem; quæ tria sub vna eademq; persona, atq; vno & solo diuino suppositō consistunt. Erumpebat spurcissimi Arij hæresis, Trinitatis mysterium negantis, nec aliter periculosus hic lapsus sanari potuit, quàm miraculo cælitùs lapso. Narrat enim Vincentius lib. 12. cap. 29. id temporis dùm sacra perageret Episcopus Vascolsensis, tres super altare aquæ guttas, crystallo decidisse clariores, & in vnam mox coëuntes triangularem ex omnibus illis guttis formatam fuisse margaritam; quam idem

Antistes

Miracula demōstrant Christi diuinitatem.

Cur Christo nascēte tres soles apparuerunt.

Euseb⁹. S. Bonauentura.

Miraculum aduersùs Arrij hæresi.

Vincentius.

Antistes cum venerationis causâ, affixisset cruci, & smaragdis atq; vnionibus vndiq́ue cohonestasset, statim illi collapsi fuerunt, mysterium tantum, quod illo mystico margarito notabatur, adorantes & coram illo procidentes. Vt scilicet tàm euidenti prodigio discceret, imbecillus hominis animus, non ampliùs in credenda Trinitatis vnitate indiuisibili hæsitare. Cæperat potentiùs grassari pestis Sabelliana in orbe, pluriumq́ue animos, rectè de mysterio Trinitatis sentientes haud ampliùs sanabili veneno inficiebat. Vnam tantum in deitate personâ spurcissimo ore proclamans, nec aliud tanto malo remedium supererat, nisi diuinum miraculum. cùm enim in Concilio Nicæno peruicaciam atq́ue proteruiam blasphemi Hæresiarchæ ferre non posset; talem spectantibus omnibus Nicolaus sermonem exorsus est. Quare tibi videtur in creatore difficilè, quod in creatura reperitur? Ecce laterem vnum, inuenies in illo tria distincta; ignem, aquam, & terram. quibus prolatis verbis protinus à latere ascendere sursum, ignis, fluere deorsum aqua, & terra inter digitos comminui visa fuit. tunc primum territa miraculo illo populorum multitudo, sobriùs de Trinitate cæpit cogitare. si igitur humanæ mentis caligo graue delirium in scrutandis mysterijs passa, non aliter sanari potuit; quàm miraculis, quis obsecro negabit necessarium fuisse? vt Christus descenderet, & qui facit mirabilia magna solus, vacillantem in fide mundum prodigijs diuinâ suâ virtute factis corrigeret? nec enim aliter, DEVM esse supremum rerum omnium gubernatorẽ quispiam cognoscere potuit; quàm ex Christi descensu. quod pulchrè Ægyptij figurârunt: qui (teste Cornelio Tacito lib. 4. Diodoro siculo lib. 4. Strabone, lib. 7.) ad insinuandum vnam, & supremam omnium causam, simulq́ue rerum originem, pingebant hominem nimis aspectu grauem, à cuius ore prodibat ouum, cuius indumenta colore ceruleo, & auro intexta erant; cuius vna manus sceptrum, altera zonam siue circulum tenebat; vbi per grauitatem senis, clementiam Dei exprimebant: per ouum ab ore prodiens, mundi originem; quoniam non aliunde rerum vniuersa natura; quàm ab ipso Dei verbo profluxit, dicente Propheta Psal. 32. *Ipse dixit & facta sunt.* Per vestem cæruleam auro multò intextam, orbes cœlestes stellarum multitudine distinctos, atq́; radijs solaribus illustratos indicabant: per sceptri maiestatem, vnum ac supremum gubernatorem: per zonam, quot momentaneam Dei prouidentiam, quâ singulis in orbe creaturis succurrit. Sapien. 8. *Attingit à fine vsq́; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Equidem Catholici mei, si nosse desideratis, quanta sit Dei benignitas, hunc ipsum virum, auctoritatis plenum, scilicet Christũ Iesum intuemini, qui in testimonium huius veritatis descendit de cælo: ex illo enim pendet salus viuentium, illiusq́; paterno affectu subleuatur inopia egenorum; illius nutu cæli clementia & terræ fæcunditas persistit, & demùm tam homines; quàm iumenta, de misericordissima eius manu escam quærunt, in dies clamando: *Descende Domine.*

Ad confundẽdũ sabellij errorem miraculum.

Cornel. Tacitus Diodor. Strabo.

Secundo modo Christus descendit per gratiam, sanando scilicet mentes hominum ab omni iniquitate: concors enim Theologorum sententia est, peccati vulnus tàm impressam hominis animo relinquere cicatricẽ, vt nemo præter Deum valeat illam amouere: idq́; ideò, quòd peccatum sit deturpatiua quædam qualitas, deformitatem & maculam inducens in animum, quæ adeò serpit & penetrat, vt nullo saporis aut lixiuij genere, nisi Christi sanguine extrahi aut abluj valeat. Est enim peccatum litura deformis, quæ nostræ animæ candori sic adhæret, vt nullum sit in naturæ vniuersitate sæpium, quo illa valeat abradi. est seruitutis tàm impressum stigma, atq́; peccantis animæ visceribus sic adactum, vt nisi Dei omniporentia manum remedio admoueat, infelix tàm diro compuncta stigmate, æternæ seruituti mancipata remaneat: est deniq́; peccatum vestigium delinquentis, cuius indicio, quamuis non aliud adesset testimonium, reus tamen esse cõuincitur peccator, deplorante hoc ipsum recto Iob cap 13. & 14. *Vestigia* inquit *pedum meorum considerasti.* Quasi diceret; Prospexisti Domine operũ meorum vestigia, quæ signata reliqui, dùm vetita sum ingressus, appetendo illicita. vbi Iob declarat, nullum omninò esse peccatum, siue illud cogitatione tantũmodo; sine vllo proximi detrimento cõmittatur; quod peccantis animo mortiferum vestigium non relinquat impressum, miserumq́; & summè infelicem esse illum hominem, cui tali peste infecto, ad medendum Deus non descendit: ibi enim penitùs emoritur tota anima, & in perpetua apud Deum obliuione manet: dicente Propheta Ezechielis 11. *Requiescet indignatio mea, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius, eò quòd prouocasti me in omnibus his.* Quasi diceret, cessabo à correctione tua, quod meliorem in te mentem desperauerim: esto securus, nullo iam me tui amore tangi, neq́; dolore scias, eò quòd me reliqueris, & post tuarum voluptatum illecebras abieris. *Et auferetur zelus meus à te*: id est; non fatigabor iam ampliùs, flocciq́; faciam, si damneris: tua enim præuaricatio hanc tibi viam strauit. *Et quiescam*: hoc est; non te iam vllis premam aduersis, neq́; dolores aut labores in te immittam, quoniam propter fæditatem delicti, omne tuum opus mihi exosum est. *Nec irascar amplius*: id enim si tecum facerem, magnis te beneficijs cumularem, nam quibus Deus succenset, & interdum castigat; eosdem amat, & magnis non rarò cumulat præmijs. si igitur tanta oboriũtur mala ex eo, cùm Deus hominis obliuiscitur, quid aliud superest, nisi vt Christus descẽdat per gratiam? & sanet quod est noxium, lauet quod sordidum est. Agnouit hoc perbelle, quàm sit necessarius Christi per gratiam illapsus in animam, magnus ille Propheta Dauid 2. Reg. 22. inclamans: *Dominus* inquit *petra mea, & robur meum, & Saluator meus.* Vbi Petræ nomen idcircò attribuit Deo, quia in eo infirmi, & imbecilles solidantur. DEVS enim procul dubio est illa petra refugij, in cuius foraminibus innocentes ac imbecilles colũbæ, & recipiũtur, & muniuntur. quod considerans D. Bernardus serm. 61. in Cantica, martyris in sua petra solidati fortitudinem commendans, sic loquitur: *Stat* inquit *martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore & rimante latera ferro, non modo fortiter; sed alacriter, sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem; vbi tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu; vulneribus nimirum patientibus ad interoeundum.* O quam felix Christi descensus, qui & peccatores per gratiam sanat, & debiles ad tormenta pro sacratissimi nominis sui gloria strenuè obeunda confortat. O quam potens Petra Iesus, in cuius amore mortalium animi adeò indurescunt, vt etiam ferrum non sentiant, quod non stupor, sed amor Saluatoris efficit: submittitur enim tunc sensus, non amittitur. Et quis obsecro murus cum hac petra comparari poterit? sit murus Aheneus; esto; nondum huius petræ munimentum exæquabit. Firmus murus est paradisus terrestris? firmior adhuc cœlestis; sed vterq́; tamen corruit: hunc enim Luciferi superbiâ, illum Adami inobedientia expugnauit: ad neutrũ igitur confugere, vsquequaq́; tutum est homini; sed ad solùm Iesum, cum regio vate clamando Psalmo 30. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias,* in quem locum D. Gregorius homil. 9. in Ezechielẽm sic discurrit; *Si quæris locum, quò fugias, illum certè sine Deo inuenire non poteris munitum, sed ipsummet euoca Iesum, vt descendat ad te, & tibi confugienti munimentum præbeat.*

Tertio modo descendit ad nos Christus Dominus per potentiam, vt scilicet

Psal. 32.

Iob. 3.

Ezech. 11.

Psal. 30.

S. Greg.

scilicet superbos debellet, & nomini Christiano aduersarios hostes comprimat; putatisné Auditores, aut militum robore, aut armorum fortitudine, castrorum munitione, aut populi numerositate, regnum hoc inclytum, adhuc sartum tectumq; conseruatum esse? Minime vero? Pridem iam hostili igne cõflagrasset Polonia, vastati fuissent agri, & ferro barbarorum cruentatæ essent ædes Christianorum: ni Christus per potentiam suam descendisset, & in ipsis regni finibus atq; visceribus excæcatum hostem terruisset. Non enim est
Psal: 88. potens, sicut Deus noster. *Nam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei*, inquit Propheta Psalmo 88. Sed cur Scriptura Sacra verbum hoc Possessiuum *noster*, apponit? *Non est* inquit, *potens sicut Deus noster*. duplicem vt video ob causam: primò, interprete Cartusiano, vt per verbum *noster* intelligatur Deus, Israél, qui solus verus est Deus, ad distinctionem aliorum Deorũ, qui falsi sunt
Ieremiæ 10 & adulterini, vt dicitur Ieremiæ 10. *Vana sunt & risu digna, in tempore visitationis peribunt.* Et tamen prô dolor! miseri plerumq; ad diuinam omnipotentiam, quæ vera est, non tremunt; ad diabolicam verò quæ nulla
Psal: 13. est, sæpiùs expauescunt; *Non est timor Dei* (inquit Regius vates) *ante oculos eorum, illic trepidauerunt timore vbi nõ erat timor.* Psal. 13. cùm tãen nihil sit peruersius, quàm contemptibilia timere, horribilia non formidare. Alterum est mysterium, cur Scriptura Sacra diuinam omnipotentiam
Ruperti. decantans, seorsim dicit: *Deus noster* (vt interprete Ruperto) intelligatur *Christus noster, qui propter humanam naturam ad diuinam hypostasim assumptam, peculiari nomine noster appellatur.* vt dicit Propheta Psal. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, & reuera propter incarnationis beneficium meritò noster appellatur. quia nos omnes ad suæ possessionis hæreditatem tanto beneficio eleuauit. proinde cum sine illo omnia manent infirma, meritò illum hodie inuocare licet. Descende domine, & tua fortitudine debiles confirma, superbos verò potentiâ expugna.

Sed non ad cuiusuis vocem Christus descendit, verùm ad vocem reguli tantummodò, & quisnam iste regulus est? profectò vnusquisq; nostrum, quia de sanguine regio, immò de stirpe diuino prognati sumus. *Regulus est* inquit *Theophylactus omnis homo, non solùm quia regi vniuersorum propinquus, secundùm animam; sed etiam quia super omnia principatum sumpsit; & ipsas enim beatas mentes intellectu attingit.* Psalmo 8. *Minorasti eum paulò minus ab Angelis;* scilicet non in natura, sed in gratia; regulus est in gloria, quia cum Angelis thronum suum æqualiter locauit; ad hoc enim electus est, vt loca Angelorum è Cælo dejectorum occupet. Si igitur omnis homo regulus est, reuera omnis etiã inuocare Christum debet, vt descendat: quia nullus status quantumlibet felicissimus ita melleus est, vt ab omni âmaritudine & felle sit exemptus, nemo mortalium ab omni prorsùs aduersitate & cruce est alienus ita; vt diuinâ beneficentiâ non indigeat. sed & magnatum domus, & pauperum viles casæ, habent ex æquo suas spinas, licet floribus appareant exteriùs coronatæ. Nec enim sceptra, nec diademata, nec purpura, nec aulea, nec laquearia deaurata, nec portæ marmoreæ, quidquam impediunt; quominùs variæ ærumnæ, & miseriæ eò ingrediantur. Nam quis ianitor, quæ satellitum excubiæ hos arcere possunt nuntios? Immò etiamsi quis felicissimus esset, adhuc tamen ad quærendum Christum opus haberet; quia duobus modis solet homines Deus ad se trahere: quosdam amore & beneficẽtiâ, quosdam afflictione & pœnâ, quosdam aureis charitatis vinculis allicit, quosdam ferreis vinculis attrahit. *mala enim quæ nos exteriùs premunt, ad Deum tre compellunt*, inquit Gregorius. Nam quoties homo benignè à Deo vocatus venire renuit, iustè ab eodem immissione calamitatis

Theophilact

Psal: 8.

S. Greg.

tis compellitur; Scriptura 5. Regum 14. refert quòd cùm Absalon aliquoties ad se vocasset Ioab reuerenter, vt venire dignaretur, postulans; renueretq; Ioab, tunc Absalon misit seruos suos, vt agrum eius incenderent, atque tunc primùm Ioab venit, suam
2 Reg: 14 depositurus querelam; *quare* inquit *Succenderunt serui tui segetem meam.* Cui respondit Absalon; misi ad te obsecrans vt venires, & non venisti; Pari profectò modo & Deus afflictionẽ quibusdam renutantibus, aut torpentibus immittit, vt eos faciliùs ad se
Psal: 114 trahat. quod respiciens Dauid Psalmo 114. inclamat: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* quasi diceret: non tantùm singulare Dei beneficium hominem ad amicitiam cum Deo ineũdam excitat, verùm & ipsa res aduersa hoc ipsum præstat. nam æque prosperitas, atque aduer-
S. Aug: sitas donum Dei est. Vt dicit Augustinus Epistola 87. *Res prospera donum est Dei consolantis; Res aduersa donum est Dei admonentis.* Recogitemus & nos paulisper, an non hoc vtroque modo de nostra salute Christus solicitus est? Florebant omnia anteactis temporibus in Regno Poloniæ, recreabant spectantium oculos prata viridantia, grauabantur campi segetibus, fructibus horti, domus opibus, ipsa demum horrea frumenti fæcunditatẽ non capiebant, vt quid tanta Dei munificentia concessa fuit? eo reuera fine vt reuerenter & suauiter, traheret ad se Deus hominem; sed quia magnitudine præmiorum Dei insolescens mortalium fatuitas, recalcitrauit honorificè & benignè societatem quærenti Deo, ad tribulationes tandem & miserias ventum: vt scilicet in amaritudine animæ suæ recogitet pristinos dies, atque seipsum facturam manuum Dei consideret. Et si mos Antiquis fuit, vt suos benefactores colerent pro dijs, tantò magis immẽsa Dei beneficia perpendens, ad seruiendum & gratificandum suo creatori incitetur.

Quodsi in Regum throno constitutis, duo sunt periculosissima, pauperas videlicet nimia, & immensæ opes: vt docet sapiens Prouerbiorum
Prou: 30. 30 *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm tribue victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandũ, & dicam quis est Dominus.* Et hominẽ certè Christianum plerumq; in discrimen adducunt duo hæc, scilicet diuina clemẽtia, & indignatio; dùm enim beneficijs Dei vti nescit, tantùm recedit à Deo, vt aut lapsus illius sit prorsùs incorrigibilis, aut rebellis voluntas prorsùs difficulter sanabilis. Dùm verò ex iusta Dei indignatione tribulationes immissas, aut ægrè suscipit aut ferre recusat; in tantùm diuinam auget iracundiam, vt cælum ipsum ad seueram iniquitatis suæ vltionem prouocare videatur. Sistite hic paulisper Catholici mei; & recognoscite an non duo hæc extrema sæpiùs mentem vestram quatiunt? benignè satis vobiscum procedebat Deus, sed tantæ abusus gratiæ illum ad iracundiam prouocauit: affligebat aliquando leuiter, tanquàm Pater mi-
Ioan: 4. sericors: sed & hoc graue tormentũ homini visum, sæpiùs illum in desperationem agere solet. Nec aliud restat, nisi vt ad hodierni reguli exemplum componamur, quem non comitate & ciuilitate excepit Christus, tãquàm virum honoratum, purpurâ & principatu inter Galilæos eminentẽ; sed cum increpatione & dedignatione, pro filio supplicanti respondens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* quæ tamen increpationis verba, non molestè tulit regulus; sed adhuc magis seipsum humilians coram Deo, in oratione perstitit: memor illius doctrinæ sapientis Ecclesiast: 3. *Quãtò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Sed non mirum: quia afflictio ex filij morte morbo inualescẽte omnem illi increpationem dulcem reddebat, dummodò sanitatẽ ei impetrare posset. Quid non enim extorquet à Parentibus sincerus cordis affectus erga prolem? Hic calcar addidit, animumque & consilium Sunamitidi, vt veniret ad Elisæum pro puero suo mortuo deprecatu-
Eccles: 3. 4. Reg: 4 ra?

ra? vbi procumbens & pedes eius ãplexa, non priùs dimittere eum voluit, donec secum pergeret, & puerum suscitaret. 4. Regum 4. Hic affectus Chananeam stimulauit, vt Dominum
Matt: 15 premeret, opportũè importunè supplex pro filia, quæ malè à Dæmonio torquebatur. Matthæi 15. Hæc innata propensio Synagogæ principem impulit ad Christum humiliter adeundum, atque pronè adorandum, vt filiam recenter defunctam visitaret, imponeretque manum & vitæ restitueret. hoc etiam paterno affectu vrgente hodiernus regulus, non per interpositam personam; sed ipsemet personaliter Christum accedit, quia animum eius tangebat, quod filius periculosè ægrotabat.

Equidem Auditores si non fuit molesta regulo humiliatio, dummodò ægrotanti filio remedium inueniret: Eritne & vobis arduum, ante thronum regis regum IESV Christi procumbere, & pro filio non infirmãte, sed iam defuncto supplicare? Filius vniuscuiusque vestrum periculoso morbo laborans, est grauata pondere peccatorum anima: quæ extremè nõ rarò febricitat, voluptatibus seculi & prauis desiderijs. Et quoniam homo nihil carius habet animâ suâ, quomodò curam illius gerere nolet inuocãdo IESVM? *Domine descende priusquàm moriatur Anima mea.* descende inquã per commiserationem, & labentem iam in profundum baratri subleua; descende per flammam charitatis, & ad detestanda peccata mentem nostram inflamma. Non enim (inquit)
3. Aug: Augustinus de medio pœnitentium, *sufficit mores in melius commutare, & à malefactis recedere, nisi & de his, quæ cõmisit homo, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Quæ si sunt pœnitenti necessaria, conuenienter detestatio peccati maximè peccatorem decebit; & si Deus odit peccatum atque ipsum peccatorem, ideo quisquis mentem suam iniquitatibus vulneratam esse scit, detestetur illud, & propositum habeat ampliùs non peccandi, dicendo cum Zachæo, *Domine si quem defraudaui reddo quadruplum.* Si te offerendi deprecari cupio. Nam væ erit iniusto, quia ad iudicem austerum & iustum legislatorem perget. væ erit superbo: nam cùm sepulchrum ingredietur, quisnam sit, tunc primum intelliget. væ libidinibus immerso, quia stola eius nuptialis fœdebit, & ex regis nuptijs turpiter eijcietur. Malachi 3.
Vnde meritò inclamat Propheta Malachiæ 3. *Conuertimini ergo & videte, quid sit inter iustum & impium, inter seruientem Deo & non seruientem ei.* Conuertimini inquam & recogitate quoties filium Dei conculcastis, sanguinem eius polluistis, & immemores immensi eius beneficij, iterùm crucifixistis operibus vestris, ipsorum Ethnicorum peioribus. Conuertimini plangendo paululum in hoc mundo, ne postea plangatis sine fine: humiliando se in præsenti vita, ne postmodum humiliemini vsque ad tenebras exteriores, & flammas gehennæ sempiternas, quia peccatis in sũmè omnipotentem, in summè bonũ, in maximè iustum. Et perpendite quòd plurimi pro similibus vitijs, quibus vos Deum offendistis, cõdemnati gemunt apud inferos in æternum. Vobis autem data est adhuc gratia, vt redeatis ad Dominum per pœnitentiam.

Quare cum hodierno regulo ad eamus thronum Saluatoris, vota nostra ei præsentando, & singuli inclamando: *Domine descende, priu quàm moriatur anima mea.* Febris enim varia eam occupat, & in periculum mortis attrahit ardor concupiscentiæ, sitis auaritiæ, luxuriæ profusus calor, iracundiæ & patientiæ pernitiosa flamma, per eam serpit, depascit, & ita discerpit, vt nauseabunda excrescat, & appropinquet ad portas mortis: sed tu solus Domine pestiferum languorem istum sanare potes, Psal: 120.
qui sanas infirmitates nostras, qui redimis de interitu vitam nostram. Psalmo 12. descende igitur Domine, & per miraculum rebelles hominum voluntates immutando. Nam quod maius prodigium esse potest, quàm recalcitrantem diuinæ voluntati peccatorem, in obsequẽtem omnibus eius nutibus subito commutare, descende per gratiam iustificãdo & resuscitando peccatricem animam: descende insuper per potentiam, regnum Christianum à barbarorum insultibus protegendo: & tunc omnes vires animæ nostræ, intellectus, & voluntas, & memoria, benedicent tibi in æternum. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Domine descende priusquã moriatur filius meus *Ioan:* 4.

Filius Reguli moribundus est libera voluntas hominis à Deo recedẽs.

NEcessitas omnia edocet hominẽ in mundo: hæc & auiculas loqui, & ferocissima quæquæ animalia humano subesse compulit imperio: hæc ipsummet magnæ mentis hominem & anxios cum sudoribus perferre labores, & magna constanter subire pericula, & in ipsam resolutissimè mortem prosilire, non rarò cõègit; imò. (quod caput rei est) necessitas infolescentem non rarò hominem ad Deum conuertit. Nusquàm enim omnibus affluens diuitijs, in sua iniquitate ad Deum fuisset conuersus Nabuchodonosor, nisi regno exutus, per campos oberrare, & syluestris instar feræ, fœno victitare compulsus fuisset. Nusquàm in suis peccatis ingemuisset Manasses Rex in omne effusus vitiũ: nî dominio priuatus, & captiuus in Babylonem abductus, in miserrima illa seruitute, omnem è cælo venire principatum agnoscens, seuerâ pœnitentiâ Deum pro suis delictis placare, ab vltima necessitate cogeretur. Alexander Macedo triumphorum ac victoriarum famâ onustus, cum humana felicior sorte, & mortali robore potentior, blandiente sibi mutabili fortunâ videretur: eo iam existimationis apud suos Macedonas & exteras gentes deuenerat, vt omnes eum velut numen quoddam venerarẽtur; & Deum vocarent; & ecce ille quem mundi opinio immortalem credebat, vulneratus, cum sanguinem è plagis emanantem cerneret, necessitate medendi sibi sapientior factus, omnibus circum se stantibus dicere cœpit: *Nemo in posterum me vt Deum adoret: hæc enim vulnera & sanguis mortalem me & hominem esse coarguunt.* Paucis multa? nihil efficacius nos ad Deum euocat, eiusq; opem implorare cogit; quàm necessitas & calamitas. Nam vbi nos fortuna benigniùs in sinu suo gestat, Deum obliuiscimur, & ruimus in scelera. quod considerans Augustinus; de adulterio Dauidis in Psalmo 50. sic loquitur. *Hoc peccatum* (scilicet adulterium & homicidium) *non fecit Dauid, cùm persecutorem Saulẽ pateretur: quando per diuersa fugiebat, ne in manus incideret, erat in infirmitate sua, tantò in Deum intentior, quantò miserior videbatur; at vbi postea factus est securus deuictis hostibus, ecce vt primum pressurâ caruit, statim tumor excreuit.* At verò vbi aduersitates hominem premunt, statim peccata deserit, & ad Deum refugit. Psalmo 65. *In die tribulationis clamaui ad te, quia exaudisti me.* cur nõ dicis ô bone psaltes! animo te inuocaui, ore te deprecatus sum; sed quasi oppressus & exinanimatus, clamaui. vt scilicet ostendat se tunc primũ ad Deum recurrisse, cùm iam summa premeretur necessitate: quia necessitas impellit ad Deum. sic Isaiæ. 77.
S. Augustinus. Psal: 65.
cum Deus in deserto occideret Iudæos, & ad mortem vsque affligeret, ecce dicit scriptura. *Quærebant eum, & reuertebãtur, & diluculo veniebãt ad Deum, & rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum.* Sic hodiernus regulus, non priùs ad IESVM extra vrbem exijt; quàm filius eius morti proximus esset. Nec fortè ex vrbè egressus fuisset opem eius imploraturus, cuius magna iam miracula in Iudæa facta audierat, nî eum imminens filij mors & summa afflictio impulisset. Consideraba-
Isaiæ 77.

rabimus igitur, quid nobis regulus iste significet, quid moribundus eius filius, quàm proficua ad salutem tribulatio, & quomodò in necessitate inuocandus Deus. tu modo diuinissimè spiritus, linguam & corda nostra feliciter dirige.

Discordant summè Authores in hodierno Euangelio, quisnam iste regulus fuerit. Sanctus enim Chrysostomus dicit fuisse hominem de sanguine regio progenitum. Leontinus verò Theophylactus & Euthymius, regulum fuisse appellatum ideò tradunt, quòd esset de familia Tyberij Cæsaris, munus præsidentiæ publicũ pro illo in Iudæa absoluens; deniq́ue alij per regulum intelligunt hominẽ diuitem & opulentum. sed missa tàm discordi sententiâ, Ecclesiæ doctorum, ex ipsa nominis Etymologia facile colligemus, quisnam fuerit; cumque regulus nihil sit aliud, quàm paruus Rex, facilè possumus colligere, per hunc regulum ipsum hominem significari: cui ipsemet Philosophus paruum dominium attribuit, dùm eum Nierocosmos seu paruum mundum appellat; eò quòd non amplum mundi imperium, sed suas duntaxat animi passiones, prudenter & rectè gubernare debeat, ne in mundi libidines laxatæ eius dissoluantur affectiones; sed vt rectæ obsecundantes rationi, in Deum tanquàm vnicam bene beateque viuendi regulam dirigantur. Quisquis igitur mortaliũ regulus est, quia omnipotenti Dei manu formatus; quia è regio Christi sanguine iterùm progenitus. regulus est: quia hac regnandi felicitate à Deo sibi inditâ gaudet, vt seipsum liberè pro sua volũtate, non seruiliter regat. id est; Dei solius sectando iustitiam, & illi in timore (quod regnare est) seruiendo; non autem peccatorum immiscendo se illecebris, (quod est seruire & esse mancipium diaboli) tetigit conceptum hunc æterna veritas, hodiernũ regulum modicæ fidei arguens: dum inquit. *Nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Et quis oro hoc nomine meliùs compellari possit, quàm quilibet hominum? qui inter ipsas paradisi voluptates, modicam fidem seruauit; dùm vltra vetitum Dei, ex ligno scientiæ boni & mali prohibitum gustare intendit pomum. Dauid volens placare iram Dei, vt pestem illã, quâ suum regnum puniuerat, ab illo auerteret. sic postulationem suam exorditur: *Domine saluum fac Regem.* Psal: 19. Psalmo 19. cur se quæso in conspectu Dei regem nominat? an ideò fortassè, vt dignitas illa regia faciliùs Deũ ad misericordiam inclinaret? Minimè sane: ambitionis enim vanæ hæc ostentatio esset. Deo summe abominabilis. licet enim Deus circa Regem tanquàm publicam personam peculiarem quandam habet prouidẽtiam & curã, teste Psalmista Psal: 143 *Qui salutem das regibus.* nihilominus tamen, quia homo est verâ Dei imago in terris, tunc quoties aliquid vult apud Deum impetrare homo, sepositâ omni dignitate suâ, in sincera humilitate petere debet. Regulus igitur est, qui se hominem agnoscit, & à Deo in viam salutis dirigi cupit. Expressit hoc Diuus Psaltes Psalmo 13. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* quasi diceret: tu domine qui hominem posuisti in manibus cõsilij sui, & constituisti eum regem, super omes creaturas sublunares, da homini talem sapientiam, vt nonnisi ea quæ tibi placita sunt, iudicare valeat; tu humanam mentem quam inter bonum & malũ regaliter & pro suo arbitrio currere permisisti, hanc vnicã ei ostende viam, in qua ambulando nonnisi ea, quæ iusta sunt, facere, & quæ optima, intendere, ac de te summo bono mereri cupiat.

Psal: 143

Psal: 13.

Filius istius reguli (scilicet hominis) non est alius, quàm libera voluntas. quæ quamdiu in Deum tendit, homini lætitiam affert, cùm verò recedit à Deo, hominem sumè affligit, sibiq́ue morbum insanabilem, naturali virtute, scilicet gratiæ priuationẽ adducit. hoc dupliçi morbo sæpè nostra conscientia premitur: quoties aut illicitum aliquid committere audet, aut mandatum omittere non erubescit

S. Chrysosth: Leontinus. Theoph: Euthymius.

rubescit. Testatur id Propheta Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas.* quasi diceret scripturã; non solùm committendo aliquid inhonestum, & in genere moris malum, homo Deum offendit; sed etiã quoties virtutem exercere omittit, eundem ad iracundiam prouocat. Ac proinde omnes iuribus naturæ & diuinis obligamur, vt filium hunc, scilicet voluntatem nostram delicatè, & cum summa cura, non solùm in Dei pietate educare, sed toto vitæ cursu in virtutibus agendis, & exercendis dirigere conemur. Maculatam habes fæditate peccati conscietiam, destitutam virtutibus animam, memento filium tuum, id est volũtatem, grauem pati morbũ, quia deflexit à Deo: exi citiùs ex vrbe Capharnaũ. (id est) mundi libidinem & voluptatem desere, Deumq́ue magna voce obsecra, vt sanaturus tuam animam, & ex obliqua mundanæ vanitatis via in rectam voluntatem reducturus semitam, venire dignetur. *Descende Domine priusquam moriatur filius meus.* id est; descende in cor meum æterna veritas, vt errantem corrigas intellectum, antequàm in erroribus obcæcatus fiat. descende immensa bonitas, & effrænatam in omnem insolentiam voluntatem, admirando tui ipsius appetitu coërce, antequàm in summa iniquitate obstinata fiat. Descende ægrorum salus, & vita infirmantium, & salutari efficacis gratiæ antidoto, mortuam in peccatis animam sana, antequàm longa delictorum consuetudine corrupta, obdurata efficiatur. Numerorum 18. præceperat Deus Israëlitis, vt audientes tubarum clangorẽ, ad tribuum capita congregarentur: Num: 18 *Si* inquit *clangueris semel, congregabuntur ad te Principes & Capita multitudinis Israël:* Si autem pro *lixior atquè cõcisus clangor increpuerit, mouebunt castra & leuabunt tentoria.* Duas in vnoquoque homine tubas esse voluit Deus, intellectum, & conscientiam: clãgorem personat intellectus, quoties contra eius rationem aliquid agimus; reclamat vicaria Dei conscientia, dũ legem diuinam profanamus; isto clãgore excitati congregari debemus ad tribuum capita, id est, ad Christi Ecclesiam Deum rogaturi; vt Animæ nostræ medeatur, si forrè peccatorum grauamine pressa infirmatur; vt voluntatem nostram, si iam per Dei offensam diabolo mancipata est, in pristinum libertatis statum restitu. at. Regulus enim es ô homo! idcirco nihil magis, quàm regiam libertatem curare debes, quæ consistit in hoc, nulli inferiori subesse. Inuitate mundus ad illicitas voluptates; sed inferior te est, & ille tuo imperio, non tu eius subesse debes. Incitat dignitas ad exosam Deo ambitionem; audire non debes, quia inferior te est, & tua regenda libertate. Stimulat diabolus superbos ad humilitatis contemptum? ad diuinæ legis præuaricationem? consentire non debes: quia Regulus es, vt hostem fortiter vincas, non vt obsecundes malè suadenti.

Ieremi: 2.

Pulchrè libertatem humanam in æquitate & Dei iusti tia semper debentem consistere, figurabat Symbolum illud, quo Fabius magni inter Romanos nominis vtebatur; denotare ille volens, quæ dotes in optimo Imperatore reperiri debeant, gestabat annulum, cuius in pala caput equinum insculptum fuit, facies barbata; caput galli, pedes gruis; hæ enim vnitæ partes ducis signum erat; Caput enim equinum, denotabat robur bellicum, iuxta illud Poëtæ: *bello armantur equi.* facies barbata & pedes gruis, prudentiam: galli verò caput, vigilantiam assiduam significabat. has dotes quilibet homo christianus habere debet; dux enim est, perpetuò cum mundo & inferno bellum internum gerens; Castra eius sunt corpus mortale, quod ita prudenter regere debet, ne in loco aliquo angusto, vbi nulla spes salutis, nullusq́ue locus pateat, ab infernali hoste circumueniatur. gestamus annulum diuinæ amicitiæ, Christi scilicet passionis & gloriosæ redemptionis mortem: sed in pala huius annuli sculptum debet esse equinum caput; tantũ

Symbol. Ducis.

tantũ in nobis robur ostendens, quod procedit ex auxilio Dei: vt omnes diaboli tentationes magno & immutabili animo feramus. debet esse facies barbata, verecunda scilicet, quæ insolescentem nostram faciem operiat, ne impudicitiâ corporis abutamur: debent esse pedes gruis: vt scilicet nobis caueamus à lubrica mundi foueâ, in quam lapsi, non facilè reperiemus, qui nos extraheret: debet esse deniq́ue galli caput, scilicet conscientiæ timor, quæ nobis sæpiùs commissas reuocet culpas, vt easdem quã celeriter salutari pœnitentiâ eluamus.

Quare gallus cãtauit, vbi Petrus negauit Christũ.

Quærunt Doctores, cur postquàm Petrus Christum negauerat, gallus continuò cantauerit; & rationem assignant, vt scilicet suo cantu illicò reuocaret lapsum Petro, à Christo antea prædictum, ne vltra galli cantum diutiùs in illo infelici casu delitesceret. Sed quoniam homo non rarò obsurdescit in hoc galli cantu, & clamante pœnitentiam cõscientiâ, aurem suam obturat. Dominus Deus varias tribulationes & aduersitates immittit, quæ peccatorem conuertant: quarũ vtilitatem D. Augustinus Epistola 87.

Epist: 87 describit his verbis: *Quam multa habent impij dona & munera gratuita ab illo quem contemnunt.* inter quæ illud magnum est, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas huius seculi dulcedini tanquàm bonus medicus miscet, admonet eos, si attendere velint, fugere à ventura ira. Et cùm in via sint, id est; in hac vita; cõcordare cum sermone Dei; quem sibi aduersarium habent male viuendo. Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, res autem aduersa, donum est adamantis Dei. Agnouit tribulationum vtilitatẽ Zeno Cottius Philosophus, qui dicere solebat se nunquàm commodiùs nauigasse; quàm cùm naui fracta, & amplissimis opibus naufragio amissis, enatauit. mirabile est quomodo iste Philosphus nauigationem illam sibi vtilem fuisse dicit? in qua maximum discrimen perpessus est. quamdiu enim Zeno opulentiam omnem habuit, tamdiu more belluino vixit; at omnibus amissis, Philosophiæ operam dedit, & sapientiam, quâ nihil carius, adeptus est. sic homo dùm omni felicitate gaudet, facilè recedit à Deo: quia iuxta sententiam Philosophorum: *in regno voluptatis virtuti non est locus.* vtilis est tribulatio, quia quem Deus affligit, eunbuẽ summè amat. Origenes homilia 9. dn Exodum, considerans aureum illud candelabrum, quod cum septem candelis in tabernaculo Dei appensum erat; miratur quid causæ sit, quòd illud ad septemtrionem Deus collocari voluerit? siquidem ex illa parte validissimi venti spirare solent, qui magnam lumini afferunt iniuriam. Et respondet, hisce lucernis candelabri aurei, Dei amicos designari, iuxta illud Lucæ, *sint lumbi vestri præcincti & lucernæ in manibus vestris.* ad hanc septemtrionalem partem Deus iustos homines collocari voluit, vbi est ianua omnium malorum & miseriarum, inquit enim Ieremias: *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Sed quisquis in istis tribulationibus persistit immobilis, amicus Dei est; quod veteres pulchro hieroglyphico expresserunt. Pingebant illi adamantem varijs maleorum ictibus contusum; illæsum tamen: in quo circumcirca scribebant: *semper idem*; quo Emblemate voluerunt designare hominem, cui potentem rationem velut inuulnerabilem auro adamantem indidit Deus, nunquàm aduersitatibus debere immutari; sed adamantis instar potiri, & in dies magis ac magis in meritorũ & virtutum incremento augeri. vtiles igitur sunt tribulationes, non solũ quia nos ad Deum conuertunt, sed insuper quia de futuris successibus tutos & securos ac certos reddunt, agnouit hoc Paulus, tribulationem respiciens, dùm ait. 1. Corinth: 12. *Cùm infirmor tunc potens sum.* Cælius libro de ludo alearum, tradit fuisse quõdam in partibus Italicis fontem, admirabilis tribulationis symbolum: in hũc fontem sortes

1. Corint 12.

sortes conijci solebant, vt explorare-tur fortuna & rerum successus. Coniecerat quoq́ue in eundem Tiberius Cæsar aleam auream, exploraturus, num feliciter clauum regni gubernaturus esset. si igitur coniecta in fontem illum alea plura repræsentabat in se puncta, prosperitatis signum erat. si pauciora, sortis aduersæ: rem tribulationi persimilem habemus, & ipsa enim est fons quidam diuinus & iudiciarius, ex quo iudicium tum de virtutibus, tum de vitijs quiliber facilè elicere potest. quò enim sæpiùs tribulationem immittit Deus, eò magis hominem in gratia sua conseruat, in virtutibus propagat, auget in pietate, confirmat in amicitia. Ad quod pulchrè alluſit sapiens Ecclesiastici 1. *In tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.* Et quæ est maior conuersatio Dei? quàm in afflictis & tribulatis: in domo enim voluptatis & deliciarum, non est locus virtuti; non est locus Deo; sed in loco afflictionis & humilitatis propria habitatio eius.

Eccles: 1.

Et quomodò igitur in tribulatione & necessitate inuocandus sit Deus? non aliter nisi incessanter orando Deum: docuit hoc ipsemet Christus admiranda illâ parabolâ, de quodam Iudice Lucæ 18. Iudex ait quidam erat in quadam Ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in illa Ciuitate, & veniebat ad eum dicẽs: vindica me de aduersario meo: & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se, etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor; tamẽ quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam. Iudicem nos habemus Deum, ad quem cum viduarum instar orbati sumus viro, scilicet diuino ipsius auxilio, obsecremus tamen eundem, vt nobis opituletur. Et si per multum tempus noluerit, persistamus constanter in oratione, donec nos sibi molestos esse videns, succurrat nostræ infirmitati. Inuocandus est Deus in necessitate non procrastinando peccatorum expiationem, sed citiùs accelerando. licet enim omnibus peccatoribus det gratiam resurgendi Deus, sed generalem tantùm & sufficientem; specialem verò paucis admodùm pœnitentiam differentibus offerre solet. Vni tantùm triginta annis laboranti in probatica piscina, animæ & corporis sanitatem dedit: quòd summa eius humilitas impetrauit. Adulteranti multo tempore Magdalenæ peccata dimisit, sed hoc summa eius dilectio, cui summũ debetur præmium, obtinuit. Vni diuitum Zacheo dixit: *hodie salus huic domui facta est.* Sed hoc ingens videndi Christi cupiditas, & pura cordis simplicitas, promeruit. vni latronũ duntaxat pollicitus est: *hodie mecum eris in Paradiso*, sed hoc summa illius in diuinitatem Christi fiducia assequi digna erat. Dicit enim de illo D. Augustinus, sermone 120. de tempore. *Primum* inquit *considerandum est in latrone illo, non solum crudelitatis compendium, sed deuotio: sed temporis illius sub quo hæc agebantur occasio, quo iustorum legitur titubasse perfectio. Deinde autem mihi fidem latronis ostende & tunc tibi eius beatitudinem pollicere.* Vis in tribulationibus Dei auxilium sentire, pœnitentiam clamante opportunâ Dei inspiratione celeriùs perage: procrastinanti enim sæpè dies abbreuiantur. Nam temporibus Nóè Deus ad expiandam pœnitentiam 120. annos concesserat, inquiens: Genesis 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum; quia caro est. eruntque dies eius Centum viginti annorum:* & eccedum præconem diuinæ iustitiæ ageret, Nóè, anno quingentesimo nec quidquã obduratus ille populus permouebatur, Deus amputauit viginti annos, & diluuium cæpit anno sexcentesimo. Venerabilis quoq́ue Beda, horrendum de quodam religioso allegat exemplum, qui pœnitentiam ad extremũ vsq́ue morbi distulerat; vbi vrgentibus fratribus, vt vel in extremo pœniteret, miserabiliter respõdit. *Non est* inquit *modò tempus vitam mutandi, cùm ipse videam iudicium meũ esse completum.* Historiarum libro 5. Capite 15.

Habemus igitur hodiè Auditores Christum ad nos appropinquantem, proinde tanquàm ad Regem Regum cum hodierno regulo exeamus; exeamus inquam ex hac ciuitate Capharnaum; id est, ex mundi voluptatibus & libidinibus; quia ibi locus virtuti non est. Etsi filius noster, id est recta ratio & conscientia, mundi illecebris læsa infirmatur, obsecremus eum vt descendat, antequàm moriatur volũtas nostra in appetenda Dei bonitate; & licet sæpiùs ad nostrum profectum tribulationes in nos permittit, non cessemus clamare ad eum, donec misereatur nostri, si non dignitate precum nostrarum, si non humilitate; molestiâ tamen diuturnâ persuasus. Scribit Polydorus libro 8. cùm Cicero in quadam vrbe Galliæ ab hoste obsessus esset, iamque ad extrema penè redactus, cognito hoc Cæsar veniens in auxilium eius, sagittam in vrbem eiaculatus est, hac epigraphe inscripta. *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, expecta auxilium.* Immisit iam Deus sagittas in nos, quia & tribulationibus & barbarorum vastationibus afflicti sumus: sed si constanter infiducia diuina perseueraueri-

A ter in orando Deo perstiterimus. si in deuotione auxilium eius expectauerimus; aderit nobis per gratiam suam, nos in nostra animæ infirmitate sanaturus; aderit per præsentiam in cordibus nostris, dignum sibi eligens habitaculum; aderit per potentiam ipsemet è cælo sagittas eiaculans, vt superbam infidelium potentiam cõprimat, quod vt feliciter assequi mereamur, cum simus reguli diuinæ imaginis, obuiam Christo exeuntes, in-

B uitemus eum; *descende Domine antequàm moriatur filius meus.* id est; antequàm mundi importunitatibus, victa conscientia nostra recedat; descende antequàm in manus infidelium populus tuus sanctus deueniat; descende antequàm in manus infidelium populus tuus sanctus deueniat, descende antequam regnũ tibi in fide & religione consecratum, barbaratitate polluatur. Et ostende quia non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.

AMEN.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN,

CONCIO PRIMA.

Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum. *Matthæi* 18.

Deus misericordiâ & seueritate homines corrigit.

TOlerabilius esset, si Deus malè agenti creaturæ semper indignaretur; quàm si homo super debitis proximi sui nullam habeat patientiam. Quia creatura cum peccando grauissimè Deum offendat, indigna est, vt illam benignè respiciat Deus; cùm respectus, potissimùm verò amoris,

A inter sola correlatiua locum habeat creatura verò cùm peccat, desinit esse correlatiuum sui creatoris, non quidem in ratione entis, sed in ratione defectuosè operantis; cùm peccaminosa actio nullatenùs in Deum referri possit. At verò cum homo homini soluendo impotenti se implacabilem præbet, quid iam magis alienũ à ratio-

à ratione cogitari potest? cùm vnitas naturæ specifica, essentialis animæ perfectio omnibus eadem, & ratio viuendi communis, arctissimum charitatis vinculum inter homines exigat quod vel ex ipsis dæmonibus luculenter quispiam coniectari potest. Nam cùm duo illi homines à malo genio obsessi, ijque tàm feroces & formidabiles, vt nemo propiùs transiret locũ, in quo illi degebãt, Christo occurrerent. cumque pariter miserrimorũ hominum, damnati hospites dæmones ruinam præsentirent, quam illis Christus allatum veniebat, exclamâ-

D runt. *Si ejcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Matthæi 8. numero 31. Quid est obsecro? quòd immundi illi spiritus postulârunt, vt ad sordida bruta diuertere possent, & non potiùs vt alios homines occupare, & pro scelerum meritis mulctare liceret. Respondet huic quæsito Abulensis. quæstione 129. in caput 8. Matthæi ex sententia Sancti Remigij. *Ideo* inquit *nõ petierunt, vt in homines mitterentur, quia illum cuius virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant.* Videbãt

C duobus illum esse regem regum, vniillũ similẽ eorũ, quos hactẽus miserè vexârat; videbãt eandẽ formã, lineamẽta corporis eadẽ præferre, vt eadẽ natura constare suspicarentur, ideoq; non putabant concessurum, vt alios homines inuaderent. Quod si ne inefferatissimorum quidem dæmonum intellectum cadit, vt cogitare ausint, posse hominem homini incommodare, aut vt malum aliquod inferatur, conniuere & permittere, quid est, quòd homines ita sæpè omnem pessundant rationem, vt faciant, quod fi-

B eri non posse atrocissimi dæmones existimant Itane similis simili exilium afferet? Itane se insectentur, quorũ sunt eadem vitæ studia? cùm lex expresse dicat: *Cùm natura inter nos quãdam cognationem instituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.* Lege vltima de iustitia & Iure. quasi apertiùs dicat, insolentissimi hominis esse, hominem alium, vel odisse, vel persequi, cum quo summam habeat naturæ necessitudinem, & cõiunctio-

Anem. Sanctus Thomas 1. parte. quæstione 50. articulo 4. quærit. Num Angeli differãt inter se specie: & respondet differre specie, cuius rationẽ doctissimus Becanus affert. *Quia* inquit *probabile est vnum Angelum esse fortiorem alio, & posse illum pellere loco suo.* Equidem si recte colligitur, specificũ inter Angelos discrimen, ex eo, quòd alter alterum viribus superet. Consectariè etiam videtur probare hodiernum Euangelium, hominem inhumanum & immiseticordem, specie diferre à Christo Iesv, dum innumera debita à Christo sibi condonata habens, ipse ne minimum debitum proximo suo ignoscere vult. per quòd cessat esse homo, aut certè alteriùs naturæ speciei hominem induit, quàm sit ille, quem indutus est Deus. Quibus ergo remedijs miser homo, ad pristinũ humanitatis statũ reducẽdus sit, vt cũ Christo specie cõueniat, ex hodierno Euangelio discutiemus.

S. Thomas. Angeli cur specie differant. Becanus

Matt: 8.

Abulen:

Cùm diuina maiestas in duobus porissimùm eluceścat attributis, in clementia & seueritate: ex his enim

A illi similẽ eorũ, quos hactẽus miserè vexârat; videbãt eandẽ formã, lineamẽta corporis eadẽ præferre, vt eadẽ natura constare suspicarentur, ideoq; non putabant concessurum, vt alios homines inuaderent. Quod si ne inefferatissimorum quidem dæmonum intellectum cadit, vt cogitare ausint, posse hominem homini incommodare, aut vt malum aliquod inferatur, conniuere & permittere, quid est, quòd homines ita sæpè omnem pessundant rationem, vt faciant, quod fi-

B eri non posse atrocissimi dæmones existimant Itane similis simili exilium afferet? Itane se insectentur, quorũ sunt eadem vitæ studia? cùm lex expresse dicat: *Cùm natura inter nos quãdam cognationem instituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.* Lege vltima de iustitia & Iure. quasi apertiùs dicat, insolentissimi hominis esse, hominem alium, vel odisse, vel persequi, cum quo summam habeat naturæ necessitudinem, & cõiunctio-

Deut: 30

Pagnin:

poriſſimùm eluceſcat attributis, in clementia & ſeueritate: ex his enim duobus illum eſſe regem regum, vniuerſa agnoſcit creatura; ideo hominem qui per peccatum à Deo degenerat & in truculentiſſimæ belluæ ferociam transformatur, hiſce duobus faſciculis ad ſe trahit. Clementiâ inprimis, vt non deſperet de miſericordia Dei peccator, quamuis in extremam miſeriam prolapſus. Quis hoc in populo Iſraëlitico non videt palã? Cùm enim exploratam Deus haberet populi ſui imbecillitatem, & quàm procliuis in deaſtrorũ cultum impoſturis abductus deflecteret, proteſtabatur ſe non propterea illum à terra promiſſionis velle prohibere, dùm ex animo ſolùm male egiſſe doleret. Deutoronomij. 30. Num: 4. *Si ad cardines* inquit *cæli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & aſſumet atq; introducet in terram quam poſſederũt patres tui; & obtinebis eam.* quæ verba Pagninus ſic transfert *ſi fuerit expulſio tua in extremum cæli*: quaſi in hunc modum loquentem Deum introducere vellet. Bono animo eſtote

mei Israëlitæ; quanquã enim scelera vestra tot sunt ac talia, vt eis promeriti fueritis, tam procul à terra promissionis abstineri; quàm longè à terra cælum abest. dum modò vos noxarum vestrarum pæniteat, in toto corde vestro, & in tota anima vestra; sic vt inde offensarum dolor oriatur, vnde offensæ ipsæ primùm descenderunt, reuocabimini ad eam terram, quam maiores vestri primùm & acceperunt, & habitârunt. Quia dicit ipse Dominus: *si fuerit expulsio tua in extremum cæli, inde te retrahet Dominus, atq; introducet in terram.* Liceat mihi ad vestram peccatores consolationẽ verba hæc paulisper immutare. *si fuerit expulsio tua in extremum inferni*: hoc est; tametsi tàm immanibus flagitijs te contaminaueris, in tàm fæda & abominabilia scelera te ingurgitaueris, vt ipso peior Lucipero videaris esse; ne tamen propterea despera, nam fiduciæ portam tantùm, cordis aperias, atque ex animo perperam egisse, doleas, ab extremo inferni, ad extremum cæli reuocari poteris: inde retrahet te Dominus, & assumet. Nec enim vllum est tàm grãde nefas, quod abstergere ac delere misericordia Dei non possit. Discedebat quondam ab opulẽta & lautissima sponsi sui domo, sponsa: iamq; è aliquantum abierat, quando ille dulcem coniugem suam his verbis identidem reuocabat. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.* Canticorum 6. Numero 12.

Gantic: 6.

Cur obsecro tot voces dederit sponsus, vt sponsa rediret, & videndã se exhiberet? cùm vnica voce sufficienter illam reuocare potuisset. Respondet optimè Sanctus Iustus Orgelitanus. *Idcirco* inquit *tàm crebrò ei dicit, reuertere; vt si tam conuersa deliquerit, in desperationem non decidat, sed à peccandi consuetudine, spei indulgentiâ respiscat* Propterea igitur sponsus abeuntem à domo sua sponsam, tot vocibus reuocabat, vt ei animum fidenter reuertendi faceret. Non est igitur cur timeat anima, quantumuis offendisse sciat: non est cur desperet, grauissimè licet atq; enormissimè se illum irritasse nouerit: qui enim tot clamores edit, vt eam reuocet: admittere illam in gratiam pristinam vehementer desiderat. Duo in his verbis reperio, quæ summam difficultatem mouent. Vnum, cur cælestis sponsus sponsam, toties vocauerit? sed huic quæsito facile respondetur, per sponsam intelligendo animam peccatoris, cuius tanto desiderio tenebatur cælestis sponsus, vt sanguinem suum profuderit, dummodò illam sibi associaret. Alterum, cur vocauit vt reuerteretur: sed & hoc non mirum; quia summam misericordiam erga peccatorẽ Deus testari voluit, nolens vt homo auertatur ab illo, sed vt auersus aliquãdo, statim redeat & conuertatur. Hoc voluit exprimere Regius vates Psal: 89. Numero 3. inquiens: *Ne auertas hominem in humilitatem.* quasi diceret: Age clementissime Deus, ne prorsùs consumas errantem hominem; sed indulge potiùs miserò, neque permittas, vt miseriarum suarum abysso, perpetuò infixus hæreat. Quoniam tu dixisti: *Conuertimini filij hominum* hoc est; quòd tàm fidenter ad te peccator accedo, id mihi & ratio persuasit, & iure facere videor: quoniam tua clementia velut publici præconis voce peccatori omnium delictorum perfectam indulgentiã denũciauit, cùm dixisti: *Conuertimini filij hominum.* Quibus verbis subiungit vlteriùs Dauid; *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquàm dies hesterna, quæ præterijt.* Quid obsecro sibi vult, quòd Sãctus Dauid ait? mille annos Deo nihil aliud esse, quàm diem hesternam, qui cum abierit nihil est: scilicet, vt peccatores eo dicto in bonam spem erigeret, quò certam ab illo scelerum veniam exspectarent; sic exponit S. Gregorius Nyssenus, qui dicit. Dauidem his verbis significare voluisse, neminem quẽ verè alioquin peccasse pæniteat, debere abijcere animum, aut desperare condonationem: tametsi totis mille annis, totidemq; seculis, nihil aliud

Orgelitanus

Psal. 89.

Gregorius Nyssenus.

aliud egerit; quam vt Deum innumeris sceleribus offẽderet; eò, quòd indulgentissimo Deo totum hoc annorum aut seculorum tempus, velut dies, quæ iam effluxit; quasi nihil sit, aut certè ita reputetur, tanquàm omninò non fuisset. Tantum enim valet pœnitentia, vt mille annorum offensas, & plurima, flagitiorum perpetratorum secula abolere & obliterare vno momento possit. Vnde D. Gregorius Nyssenus seper hunc locum: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquàm dies hesterna, quæ præterijt, & quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Licet inquit vita infinitis scelerum maculis notata sit, vt collectio illa peccatorum, mille annorum esse videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri; dummodò pedem referat; nam diuinus oculus, præsentia semper intuetur, præteritum verò non æstimat. Sed instar vnius diei, vel noctis quæ iam præterijt, à Deo habetur.* Sensus ergo Dauidis ex commẽtatione Nysseni hic est; de benignitate Dei, & suorum remissione peccatorum diffidere neminem debere; si modò peccasse seriò doleat, quamuis paruulo tempore, tàm multis flagitijs se inquinauerit, quanta alius per millenos, & his plures annos, vix perpetrare potuerit; idq; eam ob causam, quòd Deus plurimum amet veræ pœnitentiæ studiosos, & præsenti tẽpore, quo pœnitentiæ strenuæ? dant operam, sic oblectatur, vt præteritos annos, quos peccando exegerunt, nõ æstimet; sed instar vnius diei, eiusq; iam dudum elapsæ, habeat. Huic expositioni patrocinatur Diuus Basilius, qui à quotidiana experientia, mutabilitatis rerum naturalium sumit argumentum, quo peccatori conuersionem persuadeat; quamtumuis ea illi ardua & operosa videatur, homilia 5. in Hæxaem, sic inquiens: *Nemo in vitio constitutus homo, de seipso desperare velit, haud nescius agriculturam stirpium qualitate mutare, curam autem ac studiũ, in consequendis virtutibus animi, omnes vincere morbos superareque posse. Granum tritici humo mandatum, atq; mortuum reuiuiscit naturæ vi & operatione, atque in lucem è luto educitur, vt in culmum spicamq; se exerens, fructum asferat.* Sic planè peccator quantumuis in gratia Iesu Christi mortuus, quantumuis flagitiorum cæno turpissimo infixus, calore veræ pœnitentiæ redire in vitam & feliceni gratiæ statum solet. Propterea inquit Basilius. *Nemo in vitio constitutus homo de se ipso desperare velit, quoniam infinitè maior est diuina misericordia; quàm humana miseria.* Verùm vt peccator hanc diuinam misericordiam obtineat, necesse est, vt non discrepet in specie humanitatis à Christo: hoc est; vt suo quoque proximo debitum condonet. Nam grauius multò animaduertere solet Deus in hominem inhumanum erga proximum, quàm in peccatorẽ erga se; Peccârunt in principio mundi Pater & Filius. Adam scilicet & Cain. Adæ peccatum in eo fuit, quòd liberiore manu de fructibus arboris vetitæ decerpsit. Adfuit extemplo Deus, vt culpam præuaricatoris pro tribunali discuteret: contra quem illam pronuntiauit sententiam, vt terra maledictioni subiaceret, vt hæc illi pro fragrantibus rosis, vrticas, spinas, sentes proferret. ipse verò omnẽ in duro labore vitam transigeret. *Maledicta* inquit *terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui, vescêris pane tuo.* Genesis 3. numero 17. Caini verò inde scelus erat, quòd innoxium fratris sui sanguinem crudelissimè effuderit: & ecce Deus grauiùs Caini delictum tulit, nam talem in fratricidam iustissimus iudex effulminauit sententiam. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Genesis 4. Num: 11. S. Chrysosthomus, & Rabanus, discrimen maledictionis, quâ Deus Adamum perstrinxit; & illius quâ Cain filium eius ferijt, hoc assignant; quia Adam peccauerat in Deum ex fragilitate; Cain verò peccauerat in proximum & fratrem suum ex malitia. Hinc Deus tàm austerus erga

Idem.

S. Basil:

Gen: 3.

Gen: 4.

S. Chrysosth:

Raban.

erga Cain apparuit, vt ipsius personã maledicto figeret, inquiens: *Maledictus eris super terram.* Tàm verò blandus & lenis erga Adamum, vt omnem quam ille meruerat bilem, in terram exspueret, inquiens: *Maledicta terra in opere tuo.* quia Deus ad iniurias suas agnus est; ad nostras Leo. vt & nos simus ad illius offensas tygres; oues ad nostras. Oues profectò esse debẽus, inter ærũnas, quas nos ab alijs patimur: sed truces Leões, cùm Dei honor ante oculos nostros læditur. Talẽ se exhibuit patiẽtissimus Iob, cui cùm suaderet propria vxor, vt Deum maledictis impeteret, atque ita rebus suis afflictis finem imponeret, inquiens: *Benedic Deo, & morere.* Iob: 2. 9. Cùm verò ille hæc inconsulta verba audisset, respondit; *quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* ibidem Numero 10. 70. interpretes addunt, quòd cùm hæc verba proferret, Iob respexit in vxorem; sed quibus oculis illam respexerit, optimè expresserunt Sancti Patres, Basilius Magnus, &, Ioannes Chrysosthomus apud Pinedam his verbis: Pineda. *Cùm ea verba sthomachum Iob mouissent (id quòd superiora mala minime facere potuerunt) pleno iracundiæ vultu, trucique aspectu ad vxorem conuertitur.* Pecorum, facultatum, omnium liberorum carissimorum, incolumitatis propriæ luctuosissimam iacturam subierat Iob: neque tamen imprudenter aliquid locutus est, neq; frontem contraxit, neque de seueritate oculorum quicquã remisit. At cum blasphemiæ in Deum mala consultrix mulier occasionẽ præberet, subderetque, vt Deum contumelioſ linguâ læderet, tunc primùm quasi tygris exilijt, & pleno iracundiæ vultu, trucique aspectu vxorẽ intuitus est. Cùm enim existimatio Numinis periclitatur, cùm honor Dei prostituitur, & leges susque deque; voluuntur: tunc verus Christianus frõtem asseuerare debet, tunc ab ore atque oculis flammas expromat, necesse est. Aut cum Elia è Cælo ignem euocet, atq; ad defensionem gloriæ Dei plenus irarum prosiliat. Nam hoc modo nõ differet in specifica naturæ humanæ identitate à Christo. Patiẽter Christus fert suas offensas, vt & homo proprias leuius ferat; seuerè vindicat iniuriam ab homine homini factam, vt pariter homo Dei offensam totis viribus vlciscatur. Uerùm si hãc Dei misericordiam homo noluerit imitari; specificè à Christo differet, Nec potest in pristinum humanitatis statũ aliter reuocari; quàm per summam Dei misericordiam. Quodsi diuina misericordia & clementia peccantem hominem corrigere non valeat, altero Dei funiculo ad insolenter viuentem peccatorem religandũ opus est, scilicet seueritate. vt incorrigibiles terrigenas atrociùs puniat: diuina enim flagella, cælitùs inflicta, omnibus & bonis & malis prosunt. Bonis quidem, quia sunt meritorum præmiorumque augmenta: malis verò, quia sunt culparum pænarumque compendia. Vexat sæpiùs æternum Numen bonos, vt illos coronet. Castigat & malos, ne seueriùs condemnet. Abbreuiat vitam turpiter lasciuientium, ad maiorem pænam præcauendam. Nam si diutiùs viuerent, sicut grauiora peccata committerẽt, ita grauioribus digni supplicijs rederentur. dùm verò præmatura morte præripiuntur; maioribus & culpis & pænis liberantur. Et tamen in hac etiam punitione, summa Dei misericordia elucet, vt docet Diuus Bernardus sermone contra ingratitudinem. *De clementia* inquit *esse videtur, in gratis negare quod postulant, ne contingat nobis vt tantò grauiùs, de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam. Et antecedenter, misericordiæ quoque est, maturare punitionem ne punienda augeatur.* S. Bernardus.

Atrox videbatur illa punitio, quã Deus Ieremiæ imperauit dicens. *Ecce constitui te hodie, super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes.* Ieremiæ 1. Num: 10. Quid enim in his verbis, nisi durum, rigidum, ac seuerum continetur? & tamen Origenes homilia 1. in Ieremiã diuinã Ieremias.

diuinam in tam acri vindicta misericordiam recognoscit. *Bonitatis* inquit Origen: *est Dei istud indicium, inimica cælestis regni regna destruere, & bellantes cum sua gente euertere nationes.* Aggrauas proximum tuum, & pro leui offensa, maiorem æquo vindictam de illo sumere vis; si non te ab hoc impio facto diuina retrahit misericordia, quâ tibi grauissima in Deum scelera commissa dimittuntur; iustissimè iam in te Deus desæuiet: vt & proximo tuo, quem tu odio prosequeris, sit solatium; & tibi stimulus imponatur, ne vltra in iniquitatibus procedas. Quoties enim opprimũtur miserorum oppressores, toties erga ipsos miseros non exigua misericordia exercetur, si immisericordes opprimuntur, vt miseri liberentur: Quæ seuerior punitio fuit, quàm illa, quæ duobus senibus, conjugalem Susannæ pudicitiam ambitibus, & expugnare conantibus inflicta est? Nam illos aut vniuersus populus lapidauit, vt lex seu consuetudo vim habens legis, decernebat. Ioannis 8. Numero 5. Aut Angeli medios secuerunt, iuxta illud Danielis 13. numero 55. *Ecce Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.* Et paulo inferiùs. *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.* Aut eos Rex Babylonis igne combussit. iuxta illud prouerbium tritum ad magnos cruciatus significandos. *Ponat te Deus sicut sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne.* Ieremiæ 29. Num: 22. Aut deniq; grauissimâ pænâ, quæ his omnibus modis significatur, eos de medio sustulit. Et tamen in hoc supplicio non modo Deus, suam iustitiam in impuros illos coniugalis impudicitiæ insidiatores ostendit. verùm suam pariter misericordiam in Susannam egregiam coniugalis pudicitiæ cultricem, declarauit. Immò illorum intemperantiam seuerus vltor puniuit & compressit; vt huius innocentiam misericors patronus defenderet, & coronaret. vnde Sanctus Ambrosius lib: 1. de Abraham. cap: 2. Deum coniugij præsulem appellat, quòd nuptiali thoro & illatas iniurias puniat, & obiectas insidias auertat. & quod maximum: dùm impudentes aggressores acriter vlciscitur, innocentes coniuges misericorditer tuetur. *Adest* inquit *præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat. Vicem absentis mariti tuetur, seruat excubias, immò sine excubijs in mentibus vniuersorum crimen agnoscit.* Non igitur diuina iustitia, sic ad improbos vlciscendos exardescit, vt non magis diuina misericordia ad protegendos miseros effundatur. Mirum est, quibus olim supplicijs tortus vexatusque fuerit Heliodorus, cùm ad sacrum ærarium Hierosolymis compilandũ temerarius aggrederetur. Nam imprimis apparuit quidam equus, terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus, isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. 2. Machabæorum 3. Num: 25. Deinde alij apparuerunt duo iuuenes, virtute decori, optimi gloriâ, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes ibidem. Numero 26. Tandem Heliodorus collapsus in terram, mutus atque omni spe & salute priuatus, postquàm Pontificis precibus conualuit, & in patriam reuersus esset. Scisscitatus à Rege, quisnam iterùm Hierosolymam mitteretur, ad pecuniam illam ex sacro ærario colligendam & exportandam; sic respondit. *Si quem habes* inquit *hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc & flagellatum recipies eum; si tamen euaserit.* ibidem numero 38. quibus verbis satis expressit, quantis ipse pænis subiectus fuerit, & quantis sine dubio subijciendus esset, quisquis iterùm illam legationem, seu potius temerariam direptionem obiret. In hoc euentu nihil nisi diuinam iustitiam apparuisse quisque facilè sibi persuadebit, cùm nihil in eo audiat, nisi verba sacrilego duci inflicta acriter. Nihilominùs non dubito, diuinam & in hoc supplicio misericordiam præcipuè fulgurasse. Nam in ærario quod Heliodorus cõpilare nitebatur 2. Machab: 2. Ibidem.

tebatur, miserorum deposita, nempè A viduarum & pupillorum victualia seruabantur. Ad miserorum autem egenorumq; bona defendenda, diuina pariter & iustitia & misericordia mutuas operas conferebant: ita vt iustitia punitionem quidem exerceret, sed misericordia imperaret. Ut D. Ambrosius libro 2. officiorum. cap: 29. latiùs ratiocinatur. Et sumi potest ratio ex litera: quia vbi sola iustitia erumpit in vindictam? par est, vt terribiles ac truculenti ministri punitionem exequantur. Ad hanc autem punitionem exercendam adfuerunt iuuenes, virtute decori, optimi gloriâ, speciosiq; amictu: quasi non tàm ad puniendum, quam ad miserendum, processissent. Itaque vindicta quæ inimico & immisericordi Heliodoro in miserorum tutelam patrociniumque inferebatur, ad misericordiam spectabat. Quænam alia quæso virtus, nisi diuina misericordia, Deum quondam obarmabat, ad pauperes ex diuitum iniurijs eripiendos? & ad diuites pauperibus iniquos caC stigãdos. Misericordia planè erat, quæ Deum ad immisericordes puniendos concitabat. sic enim tePsal: 11. status est ipse Deus Psalmo 11. Numero 6. *Propter miseriam* inquit *inopum & gemitum pauperum, nunc exurgã dicit Dominus.* Quasi Deus ex sola pauperum commiseratione, ad diuitum punitionem excitetur, proindeque illa punitio non tàm ex iustitia; quã potiùs ex misericordia oriatur. Vnde D. Chrysosthomus in eum locum sic S. Chry- scribit. *Magna* inquit *est vis eiulatus,* D sostho: *quæ superum euocat auxilium. Timete quicunq; iniuriâ pauperes afficitis. Habetis potentium, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam; sed habent illi arma omnium validissima, luctus & eiulatus, & illud ipsum iniuriâ affici? quæ è cælis auxilium attrahunt.* Noluit seruus nequã decem millia talenta sibi ab æterno rege dimissa habens, conseruo suo misereri. Quid fecit Deus, vt eum ab hac ferocitate reduceret? misericordiam primò illi reuocat in mentem: *Nonne ergo & te oportuit misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.* Sed cùm diuinâ misericordiâ abuteretur impius homo, tunc primùm ad punitionem processit Deus. *Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum.* Et quæ punitionis istius intentio? certè vt crudelem belluam peccatorẽ scilicet, ad veram humanitatis formam reuocaret, vt qui clementia Dei non est melior factus, pænis tandem melioraretur.

Hanc Dei prudentiam in corrigendo peccatore imitati sunt duo præstantissimi Heròes, Moyses, & Dauid. nam vterque & iniquos seuerissimè vlti sunt, & bonos clementissimè tutati. Moyses enim Ægyptium qui percutiebat vnum de Hebræis, quodam veluti talione repercussit, ac sepeliuit. Exodi 2. Numero 12. Quis appellare audeat crudelẽ Exodi: 2. in Ægyptium? quem misericordia in Hebræum ad vindictam prouocabat. Idem Moyses, pastorum, qui filias sacerdotis Madianitæ ab aquandis gregibus cum iniuria repellebãt, audaciam compressit, ac frænauit. ibidem Numero 17. An iniustum dicere quis audeat in pastores? qui inpuellas iniuriam patientes misericordem se ostendit. Iam verò Dauid Saulis occisorem occidendo. 2. Regum 1. Numero 15. suam non tantùm seueritatem in iuuenem occidentem, sed simul etiam benignitatem, in Saulem occisum declarauit. His igitur duobus modis vos omnes Deus corrigere vult. Misericordiâ, dùm vestra peccata ad solas preces & gemitus clementer ignoscit; & seueritate: dũ abutentes suâ bonitate acriùs punit. Igitur ne & in vos seueriùs animaduertat, dùm clementem habetis, euigilate, & pro commissis delictis deprecemini eum. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Misertus autem Dominus serui illius, dimisit illum, & omne debitum, dimisit ei? *Matthæi* 18.

Grande

Grande debitum, id est peccatum, Deus ex infinita sua misericordia nobis dimittit.

ETiamsi vellem diuinam erga genus humanum reticere misericordiã, non possum? quod enim commune omnibus est donum, & instar rorantis pluuiæ supra singulos indiscriminatim decidit, nequaquam occultari potest Auditores. Effudit profectò immensa illa cæli bonitas, vndantem misericordiæ suæ riuum, Isaiæ 66. supra omnes terræ incolas. Isaiæ. 66. B *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* id est; misericordiam, quæ vos niuis instar expoliet. effudit inquam adeò copiosè, vt sanctis pariter, ac peccatoribus; iustis, atq; impijs; peruersis, & Deum timentibus; Isaiæ 55. præsto vbiq; esset. dicente Propheta Isaiæ 55. *Omnes* inquit *sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite. Emite absq; argento, & absque vlla commutatione vinum.* In quem locum Gregorius Nazianzenus oratione. 40. in Sanctum C Gregor: Nazian: Baptisma. *O miram* inquit *beneficentiæ diuinæ celeritatem? ô facilem contrahendi rationem? omne bonum solo voluntatis pretio emendum tibi ô homo proponitur, & appetitionẽ ipsam, Deus ingẽtis pretij loco habet, quia illius prompta, munifica, atq; prolixa natura est, vt iucundius det, quàm alij accipiant: maioraq; conferat, quàm fragilitas humana postulare ausit.* Promiserat olim Moysi fore, vt virga eius, quem in summum sacerdotem elegisset, germinaret, quæ tamen postea non solùm germinauit, D sed etiam turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatis, in amygdalas deformati erant. Numero 17. Num: 17 Petijt Iacob. & postulabat Filium Iosephum tantùm videre: *Sufficit* inquit *mihi, si adhuc filius meus viuit, vadam & videbo illum antequàm moriar.* Gen: 45 Genesis 45. sed plus ipsi concessit Deus, alloquendo illum in hunc modũ. *Descende in Ægyptum quia in gentem magnam faciam te ibi:* Sed non mirum; quia liberalitate sua nostras petitiones transcendit. Misereri enim ita proprium est Deo; vt etiam peccata remittendo recreari videatur. Hinc D. Ambrosius Hexoemeron cap: 10. mouet dubitationem, cur Deus creando cælum & terram, non quieuerit? hominem verò producendo quieuit. *Fecit* inquit *Cælum, non lego, quòd requieuerit; fecit terram, non lego, quòd requieuerit? sed lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuit.* Et rationem reddit, *quia* inquit *non habebat, quod ãplius in cælo & terra produceret; habuit verò in homine, cui postmodum peccata dimitteret.* Vnde cùm dixit Deus, *pænitet me fecisse hominem.* hoc innuere voluit, quòd si peccata dimittere Dei delitiæ sunt, certè peccator lapidei cordis duritiæ, diuinæ miserationi resistens, lætari ac recreari Deum, quãtum est ex se, prohibet; eleganter hoc ipsum D. Chrysosthomus insinuauit, quantum gaudium habeat Deus dimittendo peccatum, dùm inquit. *Be-* S. Chry- *nignus est Deus, & quemadmodùm parturiens cupit eniti filium; ita & ille cupit effundere suam misericordiam.* Nam quemadmodùm parturiens ex duplici capite gaudium magnum habet: Primò, quia adeò lætatur edito in lucem puero, vt præteritæ angustiæ penitùs obliuiscatur. Ioannis 16. *Iam* Ioan: 16 *non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Christus Dominus pariter, quia acutissimis doloribus in crucis lecto nos omnes parturijt. idcircò post hunc felicem partum, videns tantam filiorum copiam in lucem editam, non meminit illius pressuræ; sed etiam in peccatorum remissione lætatur. secundò, edito partu mãgnum habet gaudium, quia se iam à doloribus solutam videt. Christo pariter Domino non est magis acerbus dolor; quàm cùm peccator misericordiam eius retardat; tunc certè mirum in modum torqueri videtur. Sed postquam diuina eius misericordia quasi prægnans & grauida, innumeris bonis, redeunte ad pænitentiam peccatore diffunditur, merito recreatur Christus, & in dimittendis etiam peccatis dulcedinẽ quandam sentit. Certè & hodiè non

recreatus est, dùm seruum propter debitorum magnitudinem ab omni pœna liberum fecit, & debitum illi omne dimisit. Quod nos Deo aspirante die hodierna discutiemus, inquirẽdo quodnam fuerit serui istius tàm grande debitum.

Duo sunt quæ bonum regem maximè decent, ex mente Politicorum; scilicet, ad protegendos bonos, bonitas: & seueritas ad malos profligandos, hanc vtramq; virtutem Sauli cum primùm ad capessendum regnũ inauguraretur, inculcauit Deus Numerorum 3. inquiens: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsq; ad mulierem, & paruulum atq; lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Et quare obsecro tàm atrox supplicium à Deo imperatur? profectò enim vulgus illud miserum, fragile, imbelle, senum, puerorum ac fœminarum dignũ non videtur, in quod stringatur ferrum. præsertim cùm Deus Israëlitis suis prohibuerit, ne tales in bello occiderent Deutoronomij 20. vbi imperans percuti hostilem vrbem, sic loquitur: *Omne quod in ea generis masculini est in ore gladij, absq; mulieribus & infantibus.* Vbi ostendit Deus, in hos miseros duriter irruere, tortoris potiùs; quàm bellatoris esse. Quocirca Propheta Domini non mediocriter inuehitur in Regem Babyloniorum, quòd senes oppresserit. *Quia* inquit *super senem aggrauasti iugum tuũ valde.* Isaiæ 47. vt ostendat, etiam in bello senibus humanitatem potiùs præstandam esse; non verò crudelitatem inferendam. Quid igitur in expugnatione Amalecitarum etiam inualida turba trahi iubetur ad lanienam? quid bruta animalia peccârunt, vt in pœnã criminis disperdantur? sed meritò tàm atrox supplicium, à Deo præscribitur illis inferendum, in detestationem & vindictam grauissimorum criminum: nam cùm hominum memoria non solùm in filijs, sed etiam in possessionibus conseruetur, meritò Deus totam Amalecitarum posteritatem delere cupiens, omnia quoq; illorum bona, tàm mobilia; quàm immobilia, vt funditùs euerterentur, imperauit. Verùm iustam seueritatẽ in rege, summâ clementiâ moderari voluit, præcipiens ei; vt dispersos per deserta Israëlitas congregaret, & protegeret. quia *decet* inquit *Theodorethus eum qui imperio constitutus est, de subditis omnem curam gerere.* Theodoreth. Equidem dùm ego regem regum, Christum Iesum, contemplor, hæc duo attributa video in ipso mirificè splendere. tanta enim est in illo ad impios peccatores puniendos seueritas, vt nullus tantæ dignitatis auctoritatisue peccator esse possit, qui iustitiam eius euadat, aut eludat. Inter omnes creaturas nemo dubitat Angelicam sublimiùs eminere, & illustrius coruscare, iuxta illud Propheticum oraculum. Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis,* Ezech: 28 *plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum:* & hic tamen adeo præstantissimis à natura & gratia dotibus instructus, dùm voluit diuinam sibi arrogare gloriam, se in æternitatis cruciatum præcipitauit. Quid ergo? habitane à diuina iustitia vlla ratio tantæ dignitatis? vt mitiùs; cum illo ageret, aut certè culpam dissimularet, atque impunè abire pateretur? Absit. nam addit Propheta: *In multitudine negotiationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. & eieci te de monte Dei, & perdidi te O cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* Ibidem. Quod considerans D. Gregorius in 1. Regum 2. egregie argumentatur, magnum peccatoribus incutiendo timorem. *Hos* inquit, *Deus, de cælo præcipitauit, vt in lapsis Angelis disceret homo, quid timeret, Nam quid de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fatore plenis ignoscit?* S. Gregor. Et magis adhuc confirmat. D. Bernardus Serm: 2. de verbis Isaiæ. *Quid* ait *putas? Indifferenterne admittet homines in illud tãta beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? An non discernet inter glebas, qui discreuit inter stellas?* S. Bernardus. Sed vt rem palam oculis

subijciam. An non primum dignitatis locum inter cæteras creaturas à Deo conditus occupat homo: Psalm: 8 *Minuisti eum* inquit regius vates, *paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum super opera manuum tuarum*; Psalmo 8. At potuit ne homo huius splendore dignitatis diuinæ iustitiæ oculos sic præstringere, vt ad illius culpam conniueret? Minime equidẽ: Nam diuinus oculus (vt verbis Chrysosthomi vtar, homilia 7. in Genesim) nunquàm sopitur, vel cæcutit, sed illum perpetuò vigilem, nihil eorum quæ fiunt latere potest. Non potuit igitur eximius ille splendor dignitatis, quâ Protoplastus Adamus fulgurabat, diuinos eludere oculos, ne peccantem cerneret. Nec potuit præstãtissima illa hominis forma, seu augustissima illa hominis maiestas, diuinã iustitiam excantare, ne desipientem & insanientem à suo consortio remoueret? Nam dicit scriptura. Genesis. Gen: 3. 3 *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.* textus autem Hebraicus habet, *cum ignominia & violentia eiecit*: quem enim Deus omnibus creaturis præfecerat, eundem postea vilissimis Psal 48. etiã belluis exæquauit. *Comparatus est.* (inquit Dauid Psalmo 48.) *iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* ne quis postmodùm temerè præsũeret, suæ patrocinio dignitatis, à diuinæ iustitiæ manibus se euasurum. sed èst profectò & diuinæ iustitiæ mitigatio. In grauiora enim in dies peccata relapsum genus humanum, & in extremam planè impudentiam effusum, cùm Deus apud se contemplaretur, Gen: 6. tactus dolore cordis intrinsecùs: *Delebo* inquit *hominem quem creaui à facie terræ.* Genesis 6. quasi disertè facere textus velit loqui: vehementissimo Deus pũgitur cruciatu, quãdo exigẽte diuinæ iustitiæ ratione, ad delendum peccatorem procedere debet. Nec mirum? cùm enim vnusquisque artifex suum cupiat artefactum, ad omnem posteritatem illæsum & incolume conseruari, vt in eo artificis gloria viuat & perennet; sic planè cùm homo sit nobilissimum cælestis illius architecti opus, quem ille de nihilo creauit, in quo suæ singularis potentiæ monumentum, edidit, in quem immensæ diuitias bonitatis vberrimè effudit; cùm ex eius diuturna conseruatione, & sapientia Dei, & clementia apud seram posteritatem, clarior atque diuturnior vigeat, quasi rẽ difficillimam aggressurus, non minori angitur dolore, cùm ad puniendum hominem procedere debet. Quia incomprehensa eius clementia, retardat affectum punire volentis; vt proindè quod optimus Aristoteles, de recto principe docuit. *Sit in vltione* Ari *grauipes in beneficiendo Delphinus.* Delphinus autem (teste Plinio libro 10. de animalibus) velocissimus est; illud verò animal quod grauipedem vocant, ita tardo gressu incedit, vt testudinis tarditas, si cum eius lentitudine conferatur, altiuolæ aquilæ velocitas videatur. nam (vt fatetur Iustinus) per diem integrum gradiens, vnius tantum modò spatium palmi conficit. Talem proinde principẽ in Republica esse voluit Aristoteles, vt in beneficijs præstandis aquilam imitaretur; in pœnis verò irrogandis grauipedem. verùm sõlus talis princeps est Christus Dominus, qui in miserendo velox, in puniendo lentus; in vlciscendo difficilis, in benefaciendo promptissimus semper apparet. Hæc est certè causa, cur Deus ad puniendum Adam non festinauerit, sed ad auram post meridiem venit in Paradisum? causam reddit Hieronymus thren. 3. *Vt scilicet ostenderet, quòd non ex corde humiliauerit, & abiecerit filios hominum, quia cum illi magis cõsentaneum est misereri; quam igni calefacere, aut soli illuminare, ideo cùm mortalium culpæ ad vindictam prouocant eũ, veluti còactus vlciscitur, & quasi (si fas est ita loqui) vim naturæ suæ inferens, punitionem exercet, & idcirco tàm lento gradu ad puniendum hominem incedebat, vt quasi iam elapso die peruenerit in Paradisum.* Theodotion tardi istius diuini aduẽtus aliam rationem assignat; vt inquit *iracundiæ illius calor aliquantum refrigesceret, vtque meridiano calo-*

Plinius. De. post ridiem venit para su pur. dum dan S r re

re transacto, refrigerium auræ spirantis o- A *stenderet.* Sanctus autem Gregorius lib: 3. Moralium Cap. 3. dicit: ideò post meridiem venisse Deum, vt significaret Adam, lumine veritatis charitatisque feruore destitutum. S. Greg: *Quid est* inquit *ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant.* hoc ipsum insinuant Genes: 3. verba illa Geneſis 3. *Cùm audissent vocẽ Domini deambulantis in Paradiso, abscõdit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.*

O infaustum peccati virus! ad talem ne deducis hominem amentiam, vt se à Deo abscondi posse leuiter ac imprudenter sibi persuadeat? adeoque debilem diuinorum oculorum aciem existimet, quasi aliquid Dei intuitum subterfugere ac latere posset. Sic sanè insipientem reddit peccatorem scelus in omnipotentis maiestatem commissum? vt Deum vbique existere audeat negare: diuina tamen miseratio in adducendo ad se miserrimo peccatore, ita insudat, vt à miserabili seruitute, in quam per peccatum labitur prævaricator, eum reuocare valeat. Fugiebat Adam Dei conspectum, sed insequebatur Deus, vt medicinam præberet infirmo. Ecce bonitas diuina, & iniquitas humana duello conflixêre mirando: illinc Adæ temeritas, & hinc Dei pietas; illius arma peccata, huius tela miserationes, quibus permultas nationes suo subdit imperio, inclamante Dauid Psal. 44. Psalmo 44. *Sagittæ potentis acutæ, populi subte cadent.* Prælium hoc peccatoris, cum diuina misericordia, malitiam filiorum Israël referens, elegan- Hierẽ: ter describit Hieremias. *Quia* inquit *posuerunt idola in domo, hæc dicit Dominus: reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter, & erunt mihi in populum, & ero illis Deus, vt bene sit illis & filiis eorum.* Hieremiæ 32 quasi manifestiùs hoc exprimere vellet. Cùm peccatores me ad iram prouocauerint, ego ad miserationẽ commouebor, vt misericordia mea aduersùs miseriam humanam victrix in bel- lo euadat. Ita planè res gesta, est cum Adam, quem propriæ calamitatis immemorem, misericors Deus vocauit: *vbi es Adam.* & cur obsecro voce sua quæsiuit, vbi esset? cùm optimè nosceret. respondet Chrysosthomus homilia de Adam: Deum id fecisse, vt peccasse se pœnitens Adam agnosceret, & veniæ suauitatem, adque diuinæ miserationis dulcedinem experiretur. Non igitur vocauit eum, vt nosceret vbi nam latitaret, sed potiùs vt voce sua ad pœnitentiam alliceret, & B suum testaretur, quem ex prævaricãtis delicto concepit dolorem. Vnde inquit Origenes Homilia 23. supra numerum; Origen: *Domini sunt istæ voces hominum genus lugentis.* Nam cùm interrogat, *vbi es*, quasi deplorando casum hominis (dicente Chrysosthomo homilia de Adam dicere vult) *vbi es imago mea primùm formosa, vbi paradisi pretiosissimus ornatus? vbi manuum mearũ artificium? vbi imago regni mei, nuper depicta? vbi nunc familiaris meus amicus.* S. Chrysostho: hoc certè modo sæpiùs vocat Deus grauissimos peccatores, vt ad strepitum vocantis resurgant de suis sceleribus; quia non vult contra imbecillitatem vires suas exerere. Non vult suæ potentiæ magnitudinem ac maiestatem in arida infirmaque naturæ humanæ conuertere, quæ solo calore & frigore euanescunt: quia non tanquàm Rex & Dominus absolutus, iudicat hominem, sed tanquàm homo rex, vt summam eius humanitatẽ & clementiam quisque reorum experiatur. Hic est certè Rex homo, vn- D genitus Dei incarnatus, huic omne iudicium commisit Pater, vt ille tanquàm verus homo, fragilitatis humanæ memor, delinquentibus facilè cõniueret; nec enim aliud quidpiam diuinæ iustitiæ rigorem, quàm humanitas assumpta lenire potest. Nam & dùm homo immensis debitis grauatur, hanc ipsam humanitatem iudici Deo offerat, & satisfaciet, quia in misericordiæ signum Deus homo fieri voluit, vt præclarè docet D. Anselmus lectione 2. *Cur Deus homo*, inquiens: S. Anselmus *Quid misericordius intelligi valet, quàm*

quàm quòd peccatori æternis tormentis de- A *putato, & vnde se redimeret non habenti, Deus pater dixit. accipe vnigenitum meum, & da pro te: & filius dixit: Tolle me, & redime te.*

Et cui obsecro hæc diuina misericordia non eluxit in hodierno debitore. vocauit illum rex ad rationem ponendam, sed quia debitor iste homo erat insolubili vitiorum pondere onustus, iudicis diuinitatem verendo, ad humanitatem eius supplicare cæpit, *patientiam habe in me.* quasi diceret: non decet Domine, vt me, cũ B quo in assumpta humanitate participare voluisti, ita seuerè opprimas: & ecce subitò ad vocem pœnitentis prævaluit misericordia, atque seueram Dei iustitiam, vindictam in puniendo peccatore affectantem, vicit: quia miſertus, & seruum hunc vilissimum scilicet peccatorem ab omni culpa liberum fecit, & omne debitum illi dimisit. vnde triumphale carnem ouanti misericordiæ decantat Apostolus. Iacobi 2. cobi 2. *superexaltat autem misericordia iudicium.* Sanctus Thomas verò dicit: S. Thomas. *relaxat & temperat.* quasi diceret; misericordia tẽperat pœnas, quas iustitia dijudicat, in quo vt video hominum iudicijs accommodari voluit Deus. Duplex in illis subsellium, inferius à quo libera conceditur apellatio: & superius, vbi vltima fit causarum decisio: & in Deo pariter, ad diiudicanda peccatorum delicta; duplex est tribunal. primum, in quo aduersùs peccatorem profertur sententia: alterum, ad quod à sententia lata fit appellatio. illud est Tribunal D iustitiæ; hoc misericordiæ; Atque frequenter accidit, vt quod iustitia condemnat, hoc misericordia absoluat. Deputatus erat Ezechiel Rex ad mortem in tribunali Diuinæ iustitiæ, sed misericordiæ Tribunal; ad quod aufugerat, multos illi annos attribuit 4. Reg: 20. 4. Regum 20. Adiudicata erat Niniuitarum culpa morti in aula iustitiæ. Ionæ. 3. *Adhuc quadraginta dies & Ni-* Ioan: 3. *nive subuertetur.* Sed à Deo ipso iusto, ad eundem misericordem confugientes, pœnæ absolutionem obtinuêre, immunesque à diuina ira, euaserunt. Quo facto in spem magnam erigi possunt omnes peccatores, quia licet diuina iustitia scelera illorum ægrè ferens, æternis illos cruciatibus adiudicare velit; summa tamen eius misericordia, si reos viderit supplices, relaxabit destinatas iam pœnas. *quia super exaltat misericordia iudicium.* hoc est; vt translatio græca legit: *Exultat misericordia aduersùs iudicium, & lætabunda insurgit.* Vbi alluditur ad Romanorum triumphos, in quibus illi debellatos manibus post terga ligatis deducere solebant; sic planè misericordia diuina, iustitiam veluti fræno quodam domat. vt dicitur Isaiæ 49. *Laude mea infrænabo te.* Isaiæ 49 alij verò transferunt, *ob laudem meam infrænabo te.* Infrænauit certè diuina misericordia iustitiam, ponendo cum hodierno seruo rationem; nam iustitiæ rigor damnandum omninò volebat, misericordiæ verò fauor ab omni prorsùs pœna absoluendũ decreuit; nec prodebitis, licet illis soluendo non esset, æterno carceri, (vt mos est hominibus) adiudicauit. Percõtari hic libet, quod nam autem erat illud debitum tàm graue, cui nullatenus soluendo esset seruus, sed soluit dubitationem, hodiernum Euangelium, asserens seruum illum debuisse decem millia talenta, quasi diceret: debitum illud fuisse transgressionem decem mandatorum Dei. Cuiuslibet enim præcepti transgressio pondus habet mille, demergens in infernum. Isaiæ 24. *Grauat eam* (puta animam) *iniquitas sua, & corruet, & non adijciet, vt resurgat.* hoc insolubile debitum miser homo contraxit; adhuc enim in paradiso rem alienam concupiuit, temerè vetitum pomum apprehendens. Peierauit, obedientiam quam promiserat Deo, præstare recusans. Violauit festiuitatem Paradisi; suo appetitui nimium indulgens. Dishonorauit omnipotentis maiestatem, Deus esse in sciendo bono & malo præsumptuosè affectans. Patrauit homicidium, mortem æternæ damnationis, & sibi & toti suæ posteritati inferens.

Mæchatus est, primariæ nostræ innocentiæ candorem adulterans turpissimâ peccati maculâ. Calumniatus est auctoritatem Dei dicentis, *nequaquàm*, se moriturum credens, si in vetita audaciùs rueret. Concupiuit vltra conditoris voluntatem, in peruersis illis cogitationibus, quas serpentis tentatio suggerebat, hærens: & illis acquiescens; Profanauit deniq́ue bona aliena, contra legem iustitiæ, acquirere desiderans ea, quæ soli Deo debita erant. Quia igitur miser homo in vna transgressione decem delicta commisit, idcircò decem talentorũ debitum contraxit, cui profectò non erat soluendo, quia suo conatu surgere nequaquam valet; cùm nihil dignũ in se reperiat, per quòd à peccato liberari queat. Ne tamen debitum hoc in desperationem illum ageret, succurrit ei diuina misericordia, vt defectum soluendi liberalitate sua in eo suppleret: si enim ingeniosè quidam adamanti subscripserat: *Nihil nasci obfuit luto:* quasi diceret, etiam de fœtida luti materia splendidos & pretiosos gigni adamantas nihil obest, dùm sol copiosiùs in illam terræ portionem, suos radios immittit. Equidem in homine veriùs hoc scribi potest: *Nihil nasci obest luto.* Licet enim homo de limo terræ creatus sit, licet omni immunditia atq́ue iniquitatum fœcibus contaminatus; nihil tamen obest adamãtis instar splẽdidus fiat per gratiam Dei, quominùs in medio cælestis illius Paradisi constituatur. quominus socius Angelorum, amicus Dei fiat: si diuinæ clementiæ aura illi affulserit, nam cùm hac, omnia potest homo; ad Philippenses 4. *Omnia possum in eo qui me cõfortat.*

Si igitur nemo nostrum est, qui hoc ingenti debito non sit grauatus; omnes enim in peccato concipimur, & nascimur. si diuina misericordia adeò clementer nobiscum procedit, vt nos è turpissimo peccati luto, in Angelicam planè pulchritudinem, transformare studeat. Quem obsecro non pudebit? Quem non pœnitebit præteritorum scelerum? si hæc ipsa immensa Dei beneficia, quæ nobis in dimittendis peccatis exhibet, considerauerit. Lamentabatur olim Propheta Isaiæ 6. dicens: *Væ mihi quia tacui, quia vir labijs pollutus ego sum, & in medio populi polluta labia habentis habito, & regem exercituum vidi oculis meis.* Isaiæ 6. Sed cur obsecro lamentatur, siquidem tantum beneficium agnoscit, vt Dominum videret? respondet Chrysosthomus in persona eius; *ob hoc* inquit *ingemisco & lamentor, quia tanto sum honore cohonestatus; alioqui eo indignus, meum meritum transcendente, & naturæ meæ conditionem prætergrediente.* Consideret hic vnusquisq́ue, quoties diuinam sibi præsto habet misericordiam, quoties immensa eius beneficia experitur? vtrum dignè illa recipiat, vel certè vtrum sæpiùs sibi illa in memoriam refricet. Ad hoc enim Deus nos onerat beneficio, vt exoneret peccato. Quorsùm enim spectat, tàm innumera creaturarum multitudo? quam Deus in hominis gratiam produxit, eiusq́ue imperio subiecit. Genesis 1. nisi vt eum suis obsequijs hoc facto perpetuò manciparet, et si inde aliquando resilierit, accuset & confundat. Ut inquit D. Paulus Hebræorum 6. *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbã opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima.* Hebr: 6. Vbi nomine terræ hominem intelligit, significando laudandos esse illos homines, qui diuinis beneficijs innutriti, bonorum operum fructus reddunt; illos verò maximè vituperandos, qui quamuis innumera à Deo beneficia accipiant, nulla tamen benefactori suo obsequia rependunt. Quis igitur ingratus homo non erubescat, si attendat se plurimis à Deo beneficijs excitatum, nunquam ex antiquis sceleribus resipuisse? immò in noua semper degenerare vitia. Mirum est quod scriptura sacra memorat. 3. Regum 16. de Rege Achab. 3. Reg: 16. *Fecit* inquit *Achab malum in conspectu domini, super omnes qui fuerunt ante eũ,*

Quid

Quid causæ obsecro, quòd hic vnus Rex omnium pessimus à scriptura iudicetur? An quia idololatra fuit? sed & Salomon hoc ipsum scelus commisit. 3. Regum 11. An quia vineam rapuit alienam? sed & Ieroboam parricinium commisit, dùm totum regnũ Israèlitarum sibi indebitum tyrannico modo occupauit. 3. Regum 12. An quia vnum Naboth, iniustissimè occidit? sed & Saul grauius crimen patrauit, quando vna die trucidauit octingentos quinq́ue sacerdotes vestitos Ephod lineo. 1. Regum 28. Cur ergo Achab omnium sceleratissimus recẽsetur? hanc certè ob causam, quia plurimis Dei beneficijs ad deserendã impietatem, & sanctitatem amplectendam, excitatus fuit? diuinum tamen impulsum arripere recusauit. Nam Helias sub hoc rege, modo cælum in agrorum sterilitatem claudebat: modo in terræ facunditatem reserabat; modo alijs stupendis prodigijs ad regis conuersionem vtebatur, quibus ille minimè permotus, in suis sceleribus magis ac magis immunitus obdormiscebat. Hanc impietatis illius rationem allegat Paulus Burgensis. *Magus* inquit *fuit rebellis & contumax, eò quòd tempore suo floruit Helias, qui quàm plurimis signis & prodigijs ipsũ exhortabatur, & tamen semper remansit in obstinatione sua.* Paulus Burgensis. Creditisne Catholici mei, de nulla re à vobis seueriùs exigẽdã rationẽ, quàm de hac ingratitudine, quòd cùm diuina misericordia vobis nunc blandiri videatur; à vobis tamen respuitur Deus, & ineffabilia eius beneficia in obliuionem deducũtur. Quod præclarè D. Bernardus Serm: 16. in Canticis exaggerat. *Quanam fronte* inquit *attollo etiam oculos, ad vultum patris tàm boni tàm malus filius, pudet indigna egisse genere meo? pudet tanto patri vixisse degenerem. Confundor, audire; si ego pater vbi est honor meus.* S. Ber: Neque enim ex eo, quòd nobis Deus magnam suam misericordiam ostentet, ad prolabendum in peccatum ansam sumere licet; quin potiùs diuinæ misericordiæ, spe animum erigendo, diuinam eius iustitiam, quiq́; formidet, oportet; Nam quemadmodùm de ariete ferunt Naturalistæ, quòd dimidio anni curriculo, super latus dextrum, dimidio super sinistrum requiescit. Sic vnumquemq́ue mortalium expedit iuxta vtrumq́ue latus, spei scilicet & timoris requiescere: iuxta illud Prophetæ effatum Ezechielis 4. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum.* Aries dimidio anni in vno latere, dimidio in altero dormire solet. Ezech: 4 quasi diceret: dùm te misericordia diuina erigit, procumbe firmiter in timore, iustitiam eius seueram, tibi ante oculos ponendo, atq́; memorem te beneficiorum Dei præstando: tantum enim diuinæ iustitiæ timor operatur in homine, vt eum ab omni prorsùs impietate præseruet.

Ferunt non pauci, in prima illa mundi ætate, ab Adamo vsq́ue ad diluuium, nullam idololatriam extitisse; sed post diluuium primò sub rege Nemrod cæpisse, vt fatetur Iosephus libro 1. Antiquitatum. Tertullianus libro de idololatria. Capite 2. Diuus Cyprianus libro de vanitate idolorũ sub initium; Quod deducunt ex illo sapientiæ 14. *Neq; enim erant ab initio Idola.* Et quid obsecro illam ætatem ab hoc grauissimo scelere immunem seruauit? certè iustitiæ diuinæ timor, & assidua beneficiorum eius recordatio? hanc rationem assignat D. Thomas 22. quæstione 94. art: 4. ad 2. *In prima* inquit *ætate non fuit idololatria, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum.* Equidem si memoria creatoris hoc potuit, quid poterit memoria redemptoris? Nam creator sine labore produxit hos omnes, quos saluator etiam cum cruore redemit; ideoq́ue multò acriores stimulos ad pietatem huius, quam illius recordatio admouere debet. Quod Sanctus Bernardus Serm: 11. & 20. in Canticis, & sermone de Passione elegantissimè expendit. *Si totum* inquit *me debeo pro meo facto; quid addam iam pro refecto: in primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo.* Hunc certè duplicem respectum homo Christianus

A principio mundi ad diluuium nulla idololatria. Ioseph: Tertull: S. Cypr: Sapiẽ: 14 S. Thõ: S. Bern:

anus spectare debet in Deo, & quòd illum creauit, & quòd redemit; in vtroque autem beneficio sibi præstito debitor est: quia & creatorem, & redemptorem, suis peccatis dishonorauit. Quid ergo illi restat, ne pro tãtis debitis in captiuitatem venundetur? hoc certè vt cum hodierno seruo prosternat se ante iudicem illum, à quo ad reddendam rationem vocabitur. Igitur & nos Christi gratiâ præuenti; præueniamus iudicis sententiam, & hominem Regem, Christum Iesum, postulemus; vt patientiam in nos habeat, ille verò vbi viderit nostram humiliationem, & vitæ mutationem in melius, cùm sit humanus, humanitatem & misericordiam suam non denegabit: vt inde nobis salus, illi verò laus, honor & gloria æterna proueniat. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA

Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. *Matth:* 18.

Iustitia Dei erga creaturas triplex, Distributiua, Commutatiua, & vindicatiua.

INter omnia attributa Dei, duo tantùm principalia reperiunt Doctores; iustitiam, & misericordiam. siquidem in duobus hisce cardinibus, tota eius diuina essentia voluitur, attestante id vate. Psalm: 24. *Omnes viæ tuæ misericordia & veritas.* quasi diceret; aliam domine non posses capere viam, procedendi cum creaturis, nisi vel Iustitiæ, vel misericordiæ. Iustitia enim ostendit te esse dominũ proprietarium & iurisdictionis, idque naturalem omnis & singulæ creaturæ, dùm te nobis ostendit creatorem; à quo omnes è terrena putredine in præstantem hominis speciem formati sumus: dùm te nobis conseruatorem proponit, de cuius munificentissima prouidentiæ manu, pascimur quotidie, & singulis momentis viuificantem recipimus spiritum; dùm te nobis commemorat redemptorem, cuius inappretiabili sanguine, ab æterna illa inferorum seruitute erepti, è seruis Domini, è mancipiis liberi, è perfidis fideles facti sumus. Sed magnæ tuæ istius iustitiæ, vna indissolubilis socia est, immensa bonitas & misericordia; quæ te in regnando mansuetum, in arguendo benignum, in puniendo magis clementẽ; quàm seuerum facit. Pulchrè attributa ista diuina duo, repræsentabat portento-
B sus ille Angelus, quem Sanctus Ioannes vidit in Apocalypsi 12. *de cuius ore egrediebatur gladius anceps, & manu præferebat plurimas stellas.* Quid enim Angelus iste nisi diuinitatis imaginẽ nobis præfert? ostendens de ore Dei exire sæpiùs hũc ancipitem gladium, scilicet Iustitiam, ad puniendos peccatores; sed simul in manu eius lucẽs stellæ, id est misericordia (stella enim clementiæ symbolum est) quæ hunc gladium, furorem iræ & iustitiæ diuinæ retardant, nec citò in vindictam
C vibrari illum patiuntur. Comminatur sæpè Deus interitum creaturæ, sed mox illum misericordia mitigat, ne percutiat. de quo pulchrè Chrysosthomus Homil: 1 de Pæniten: *Quare* inquit *quæ facturus es, prædicis? vt non faciamus prædicta.* Sic per Ionam Prophetam. Ionæ 3. clamauit Dominus super Niniuitas. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Et ecce vt primum lamentabilis illa Prophetæ vox Regem cum populo ad pœnitentiam inclinauit, statim seueram vltionem minitans, iustitia Dei, in-
D clementem versa est misericordiam; inquit enim scriptura: *Videns Deus opera ipsorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & ipse misertus est super malitia, quam locutus est vt faceret.* In quem locum Sanctus Hieronymus sic excurrit. *Neminem* inquit *Deus punire, desiderat, licet sit summè iustus, & quod facturus est, comminatur, quia simul misericors vult videri* Ac proinde isti sunt duo præcipui cardines, in quibus immẽsa diuinitas voluitur, istæ duæ primariæ virtutes, quibus omnipotentis maiestas gubernat vniuersa, dùm impios terret tanquàm Iudex, & pœnitentes consolatur, tanquàm clemens. Quod de semet ipso testatur Deus Ieremiæ 18. *Repentè loquar aduersùs gentem, & aduersùs regnum, vt eradicẽ, & destruam, & disperdam illud. Verùm si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei, & subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud.* Quare considerabimus hodiè, & Dei iustitiam, quid illi debeamus; & mi-
B sericordiam, considerando, quomodò in nostris debitis eundẽ placare possimus.

Ierẽ: 18.

Apoc: 1.

S. Chrysostho:

Ionæ 3.

S. Hieronymus

Triplex Dei Iustitia erga creaturas cogitari potest. Distributiua, commutatiua, & vindicatiua. Distributiua in concedendis creaturæ bonis, optimè considerari potest. Sicut enim Princeps politicus, tunc iustitiam distributiuam seruat, cùm bona communitatis, iuxta merita inter suos ciues diuidit; sic planè Deus obseruat eandem iustitiam, dùm beatis pro quan-
C titate meritorum in hac vita lumen æternæ visionis impertitur, vnicuique enim reddit iuxta opera sua, & quemadmodùm bonitas Dei non tãtùm mouet Deum ad communicationem sui ipsius omnibus tribus personis; sed etiam ad benefaciendum omni creaturæ, idcirco Deus ex hac iustitia, omnia bona singulis creaturis distribuit, non spectatâ etiam dignitate operum, sed sola voluntate sui ipsius benefacientis. Agnouit hoc Apostolus inquiens: *Quid enim habes,*
D *quod non accepisti:* quasi apertiùs diceret: & hoc ipsum quòd es, & quòd viuis, & quòd operaris, Dei donum est; sed iustè tibi collatum: id est; nõ exigentibus tuis meritis, quorum nulla cum immensis Dei beneficijs comparatio, sed Deo potiùs requirente, ne concessâ tibi eius munificentiâ abuti velis. Est in Deo iustitia commutatiua erga creaturas; iustitia hæc vt inquiunt iurisperiti, consistit in transmutatione boni pro bono. Ac proinde honorem concessit tibi Deus ô homo, non eo fine, vt in hac dignitate belluino more viuas, quemadmodùm dicit vates. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* concedit tibi diuitias, non ideo, vt in illis tantùm temporales voluptates quæras, quemadmodùm dives ille: *Nunc anima mea habes multa bona reposita in plurimos annos, ede, bibe, & vtere delicijs huius mundi.* Sed vt in magna opum copia, miserã conditionis humanæ sortem sæpiùs cùm Dauide consideres: *Pauper &*
B *inops factus sum ego.* id est; tuis quidẽ æterne Deus abundo diuitijs, & omni felicitate à te mihi concessâ in terris gaudeo; sed dùm illis vltra timorem tuum abutor, dùm velut ingratus à te recedo, dùm te partim ex fragilitate, partim ex malitia offendo, pauper sum; quia inter temporaneas opes, cælestibus in anima spoliatus talentis: inter corporales affluentias, orbatus animi dotibus: concedit vitæ sanitatem, non vt morbi defectus in animam introducas, sed vt vitam spi-
C ritualem, augmento gratiæ Dei propages; non vt in bonis operibus languescas, sed vt ad maiora semper virtutum incrementa aspires. Quidquid enim accipis à Deo, iustitiæ commutatiuæ debitum, incurris, vt vicissim danti retribuas; Et quid illud? pro creatione, obedientiam & honorem: pro redemptione, gratitudinem & pietatem: pro collatis omnibus beneficijs, bonum vsum. sed quid nos sæpiùs, diuinæ huic iustitiæ debemus? onustam peccatorum molem; inexo-
D lubilem delictorum culpam: de quo pulchrè Chrysosthomus homilia 9. in Matthæum, ait. *Quid debemus Deo, nisi imaginem & similitudinem eius seruare illæsam: sed ecce alia subrepũt debita: Peccauimus illi grauiter, tniustè egimus, iniquitatem fecimus.* vbi duo genera debitorum statuit iste doctor: scilicet; similitudinem Dei violatam, & peccata; quasi insinuare vellet, quoties homo non declinat à malo, sed Dei mandata, quæ illi ad seruandam Dei imaginem præscripta sunt, transgreditur; iustitiam Dei violat: quia

S. Chrysostho:

pro dono non rependit debitum. Abuteris libero arbitrio, & diuinitùs tibi conceſſis gratijs, Dei iuſtitiam lædis: hæc enim eo fine tibi conceſſa ſunt, vt illis in obſequia Dei vtaris, & viciſſim Deo per commutationem, te ipſum tanquàm imaginem exhibeas. Et quid enim aliud Deum compulit, vt homini tàm multa vltrò conferret. Pſalmo 8. *Conſtituit eum ſuper omnia opera manuum ſuarum.* niſi vt in laudem ſui, operatorem haberet, his Dei beneficijs qui abutitur, magnus debitor eſt. Exaggerat hodiernum Euangelium, hoc debitum inquiens? *Oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia.* Vnum incuſat, cùm tamen omnes debitores habeat? vt oſtendat ſingulos diuerſa debita contrahere. debitores ſunt alij per ſuperbiam, qui inanes titulos quærunt, in terris: Pſalmo 48. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Alij per auaritiam, qui Zebædiadarum matrem imitati, prolem ſuam, maximoperè locupletare cupiunt; & honorum ſitientiſſimi à perfectione declinant. Alij muneribus iuſtitiam corrumpentes; quemadmodùm infelix ille Aman, qui, vt cõtra omne ius & æquitatem ſanguinis ſententiam à Rege impetraret, muneribus illum à iuſtitiæ rigore abducere voluit. Eſter 3. *Si tibi placet decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam ærarijs gazæ tuæ*, alij debitores ſunt falſis calumnijs afficiẽtes proximum ſuum: alij verò, qui cùm grauiſſima quæque flagitia perpetrent, virtutum tamen nomine eadem conueſtiunt, ſimiles plane Hebræis, qui Exodi 32. idola muta & elinguia, vt Deos habebant. Denique debitores ſunt alij per rapinam; ad vltimam vſq; paupertatem, deiectos nimium affligentes & opprimentes ſubditos; & tamen cùm omnes ſimus debitores, dominus vni tantum hoc debitum imputat, qui debebat ei decem millia talenta, vt oſtendat magnitudinem peccatorum, cuiuslibet hominis eſſe inenarrandam. Gulielmus Budæus, volens computare ſummam iſtius debiti, inquit; *vnum talentum ſexcentis millia talenta, tantundem eſſe, atq; ſexcenta florenorum millia.* Vnde Sanctus Hieronymus, & Auguſtinus admirãtes, quomodò tantum debitum contraxit homo apud Deum: nomine tanti iſtius debiti, intelligunt peccatũ mortale, quod iure merito mille talentorum debitum appellatur, ſiquidem tantam homini obligationem inducit, vt ſuis eam viribus ſoluere nequeat: nec in mundo tàm amplũ theſaurum reperire poſſit homo, quo huic debito ſatisfaciat, niſi cælitùs gratia & liberalitas diuina affulſerit eidem. Vnde de exolutione peccati, dicit Sanctus Baſilius, in Pſalmo. 28. *Redimet homo, non homo nudus, ſed homo Deus, IESVS Chriſtus, quia nullus alius poterit cõdignè offerre pretium*: Et quod homo ſine diuina auxiliatrice gratia, non poſſit ſatisfacere pro peccato mortali, aſſignant hanc rationem: quia vt ſatisfactio habeat proportionem æqualitatis cum iniuria, requiritur, vt dignitas Perſonæ ſatisfaciẽtis, eandem habeat proportionem, perſonæ offenſæ. homo verò vt potè creatura mortalis, non habet eandem proportionẽ cum perſona diuina offenſa vt pote infinita; idcirco quoties mortaliter Deum offendit, debitum quinque millia talentorũ contrahit, hoc eſt debitum planè infinitum, & nullatenùs à ſeipſo nudo homine perſolubile. Quodſi tãta eſt peccati mortalis grauitas, vt vires ſatisfaciendi creatas excedat. Quid facies miſer peccator tàm magno debito grauatus? quomodò tàm intolerabile onus ſuſtinens, quieſcere aut ſomnum capere poteris? niſi liberatus ab hoc grauamine. Sed ab aſſuetis inquiunt Philoſophi non fit paſſio: ardua moles eſt peccatum, ſed quia iam huic malo aſſue facti ſumus, dormimus ſecurè, licet iam captiuati. Octauius Auguſtus, cum quẽdam Equitem Romanum adeò ære alieno oneratum inaudiret, vt totam ſupellectilem vendere cogeretur, videns in tanta preſſura, nullâ illum penitùs affici moleſtiâ, ſed lætum & ſecurum adhuc viuere;

Pſal. 8.

Matt. 18

Pſal. 48

Eſter 3.

Budæus.

S. Hieronymus, Auguſtinus

S. Baſilius

uere; admiratus, culcitram illius ſibi emi iuſſit, ſperans ſe in lecto illius Equitis, qui inter tot debita ſecurus quieſcebat, quietem quoque inuenturum; quâ magnis in adminiſtrando regno negotijs diſtractus, per multũ tempus caruit. Sed magis fortaſsè optimus ille Imperator fuiſſet admiratus, ſi cerneret peccatorem, infinitis Deo obligatum debitis, cuius iam tota ſuppellex venalis eſt, & corpus in ſeruitutem diaboli redactum; & Anima æternæ pænæ reatum habens; ita tamen ſecurè viuentem, ac ſi Deo nihil deberet; ita tutò quieſcentem, quaſi de vlteriori vitæ ſuæ tempore certus eſſet. Sed Euigila miſer, antequàm venunderis: id eſt; antequàm mancipium ſceleſti dæmonis fias; antequàm tua praua concupiſcentia è qua tàm malitioſa propagatio pullulat, in vltimum deſcendat barathrũ, antequàm tui filij, id eſt; praua opera, penitùs deleantur. Ecce enim inquit Propheta Iſaiæ 50. *in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſit matrem veſtram.* Eſt enim adhuc tertia in Deo iuſtitia vindicatiua, quâ læſum ſuum honorem vlciſcitur, & illatas ſibi iniurias ſeuerâ vltione compenſat. de qua dicitur Ezechielis 29. *ponam frænum in maxillis tuis.* id eſt, nõ vis impie in tuis iniquitatibus ingemiſcere, ecce ego vindicabo honorẽ meum, & redigam te ad vltimam miſeriam, vt teipſum & peccatum tuum agnoſcas. *Agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquammis tuis.* id eſt; corpus tuũ peccaminoſum, & opera tua peruerſa, extraham ex hac vita, & auferã te de medio voluptatum tuarum, in quibus gloriaris. *& proijciam te in deſertum*: id eſt; ad ima inferorum protrudam; vnde non exibis, donec ſolueris nouiſſimum quadrantem. *beſtijs terræ & volatilibus cæli dabo te ad deuorandum?* id eſt; dæmonibus tradã te torquendum, qui & crudelitate beſtias terræ, & ſuperbiâ atque elatione volueres cæli ſuperant. Atque hæc eſt vindicatiua Dei iuſtitia, quæ ab omnibus nobis rationem exiget: vt Doctor gentium 1. Corinth: 5. docet. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti.* & nullus fermè eſt, qui hanc ſeueram Dei iuſtitiam non lædat. *Omnes* inquit Apoſtolus Romanorum 3. *debitis grauantur Deumque creditorem habent*; at cuiuſnam rei creditorem? timendæ vindictæ & vltionis.

Quærunt Theologi, quidnam admiſſo peccato in anima remaneat? & reſpondet Diuus Thomas 1. 2. q. 86. a. 2. *remanere maculam quandam & turpitudinem.* Scotus verò in 4. diſtinct: 4. poſt peccatum mortale, obligationem quandam ſupereſſe, quâ æterno ſupplicio obligatus peccator manet. Comprobat id Propheta Pſalm: 114. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatẽ.* timẽt hoc debitum etiam Sancti Granius Concione 1. in hanc Dominicam, de Agathone inter Patres Ægypti celeberrimo refert, eum iam pene moribundum, magno timore conſtrictũ fuiſſe; cùm verò cauſam trepidationis illius diſcipuli inquirerent; reſpõdit ille, *Longè alia ſunt filij, iudicia Dei, & iudicia hominum. Eſt enim via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad interitum.* Sed tremendum magis caſum, in hiſtoria de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſium, videre eſt, de quodam mercatore, hic iam exhalaturus animam, teſtamentum multis aſſidentibus perſonis fieri voluit, in quo hoc præcipuum legatum apponi iuſſit. *Corpus meum terræ detur, ex qua ſumptum eſt; anima verò dæmonibus tradatur, quia eorum eſt.* hæſere penitus attoniti omnes, ad infelicem hanc eius loquelam: cumque illum iam ſanâ mente carere putarent, & phreneſi laborare; fremebundus ille ac indignatus ait. *Anima mea dæmonibus detur, inſuper anima vxoris meæ, & animæ filiorum meorum, & animæ confeſſoris mei.* per quod inſinuare voluit, peccatorem qui vindicantem Dei iuſtitiam in ſua malitia obduratus expectat, iuſtè æternâ pænâ cruciandũ. Sed cur etiam animam vxoris & filiorum dæmonibus adiudicauit? non a-

1. Cor: 5

Rom. 3.

S. Thomas.

Scotus.

Pſal: 114.

Iſaiæ 50.

Ezech. 29

Agathõ

Horrendum exemplũ.

lia de causa, nisi quia vxores, quo cō- A modiùs in ornatu mundi insoleſcentes terrenis delitijs vtantur, ad multa præter omne fas & æquum comparanda impellant; filiorum verò; quia, & illi non rarò in causa sunt, quòd parentes ad iniqua lucra descendant, & plurimos defraudent, propter locupletandos filios. Confessoris deniq;, qui toties hominem in maiora peccata labentem audiens, facilè tamen absoluit; Quod his temporibus plerumque fit ijs, qui cùm multa Ecclesiæ debeant, cùm proximis non modicam B iniuriam inferant, scùm sciant suæ Ecclesiæ prælatis, sua crimina bene nota esse, apud quos non facilè peccatorum absolutionem impetrarent, donec omnibus læsis satisfacerent. ecce in alienis Ecclesijs quærunt Confessores, quos priùs munusculis sibi deuincunt, vt faciliùs ab illis absoluantur. Sed miser, & confessarium defraudas, & tuam animam magis ad interitum; quàm ad salutem ducis. cùm absolutio etiam à Papa ipso data non valeat, nisi purificatis omnibus' C conditionibus; hoc est, nisi restitueris omnia, quæ debes. Quod testatur scriptura illis verbis, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* vbi scriptura omnes ad compensationem obligat, excepto casu vltimæ indigentiæ, si fortè ad tantam paupertatem deuenias, vt debita iniuriatis nullatenùs restituere possis; tunc enim firma reddendi voluntas, stat pro facto. quia Deus & natura, neminem ad impossibilia obligant. Tremenda sanè est hæc Dei iustitia; sed tamen erige- D re nos potest magna Dei misericordia, quæ hunc iustitiæ diuinæ rigorē mitigat. Ecce enim hodiernus debitor, apud hunc regem veniam omnium quæ debebat, impetrauit. *Misertus* inquit Euangelium *serui illius Dominus dimisit eum, & debitum dimisit ei.* quod considerans, Sanctus Chrysosthomus homilia 62. in Matthæum, ait. *Perspexisti* inquit *mirabilem exaggerationem misericordiæ, dilationem tantummodò temporis, ac quandam prorogationem seruus postulauit, ille autem multò magis quàm petijt, videlicet totius mutuj donationem vltrò præbuit.* ô admirandam diuinæ clementiæ misericordiā! etsi in peccatore nhil sit dignum aspectu, nihil commiseratione? nihilominùs tamen, dùm in Deo iustitiæ vindictam desiderat, misericordia statim veniam accelerat. Expressit hoc scriptura Exodi 25. Propitiatorium illud, quod imperauerat Deus fieri Cherubinis impositis, & volatrices alas expandentibus; vt innueret, scilicet placationis hostiam, & satisfactionem pro debitis, à peccatore iustè exigere; nihilominùs tamen ad præstandam misericordiam, velocissimis Cherubinis velociorem esse. Expressit typum huius diuinæ misericordiæ Malachias. Malachiæ 41. *Et sanitas* inquit *in pennis eius.* vt primum enim vocem pœnitentis audit, statim peccatum eius transfert.

Matt: 18.

S. Chrysostho:

Exod: 25

Malachiæ 41.

Ferunt Pœtæ, Martem immitē planetam, inter duo benigna sydera, Iouem scilicet & venerem collocatū esse: ideo, vt sui influxus suauitate, Martis intemperiem temperent. Sic planè, cùm diuina iustitia, sit nimiū seuera, ne cito ad iram & furorem inclinet, inter duo benigna Dei attributa, misericordiam scilicet & benignitatem constituta est: vt ab illis aspectus eius leniretur. Quod decantat Dauid Psal: 114. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* Agnouerunt hanc Dei misericordiam, ipso lumine rectæ rationis ornati gentiles. Assyrij enim, vt refert Plutarchus in problemat. Deos compedibus vinctos pingebant, vt temporis moras, quas in puniendo interponebāt; & quam lento gressu ad puniendum incedebant, ostenderent. Vnde cùm Areopagitæ decreuissent, vt dominium Ciuitatis alicui Deorum, qui eam protegeret committerent. & ecce Neptuno & Mineruâ id ambientibus, statuerunt Athenienses, ei dominium concedendum, qui maius prodigium patraret. Vbi statim Neptunus tridenti suo aquas percutiens, duos equos inhiantes ab aquis repentè prodire fecit. Minerua verò virgâ leniter

Pall: 114

Plutarchus.

leniter humum tangens, mox ramum A virentis oliuæ germinauit. Vbi dominium Mineruæ adiudicatū est, quia licet inauditum fuit Neptuni prodigium, Equi scilicet producti; hi tamen seditionem tantùm, & bella portendebāt; iam verò ramus oliuæ, pacem figurabat. Quid hæc miracula denotauêre, non aliud certè; quàm omnipotentis Dei in creaturas dominium, quod appetebat seuera eius Iustitia: quæ vt Pharaonem Israēlitas persequentem puniret, nouum produxit in terris miraculum, dùm mare diuisit, & velut muros statuit: cuius fluctus tanquàm equi celeres ingressum Pharaonis exercitum, obruerent. Sed vicit diuina misericordia: cùm enim humum, scilicet corpus mortale leniter tetigit, dùm naturam hominis assumeret, ecce in ista humo produxit ramum virentis oliuæ; scilicet pacem conscientiæ, & peccati redemptionē; vbi propter tantum prodigium, Deus homo, rex regum, & dominus dominantium appellatus est. Quod pulchrè expressit Psalmista Psalm: 35. C *Domine in cælo misericordia tua, iustitia tua sicut montes Dei.* Quasi diceret; vt cælum altius & latius est montibus; sic misericordia Dei maior est eius iustitiâ. Nam Deus semper citra condignum punit: vltra condignum verò semper parcit. Nam vt Naturalistæ ferunt, duplex cor Elephanto esse, vnum quod furore accensus exerit; alterum, quod in clementiam propēdet; ita planè in Deo duplex cor reperitur, id est duo attributa, in vna diuinitate. vnum, quod ad iracundiam illum exstimulat, nimirum iustitia: alterum, quod ad clementiam inclinat, scilicet misericordia.

Psal: 35.

Quare habetis Auditores, triplicem in Deo iustitiam, nimirum distributiuā, quæ tot munera inter vos largitur, tot præmia confert, tot beneficia donat: sed an dignè his fruamur bonis, consideremus diligenter habemus iustitiam commutatiuam, quæ nobis confert diuina beneficia; sed vt vicissim ea Deo tribuenti rependamus. habemus vindicatiuam, sed quam multa illi debeamus, audite Prophetam dicentem *Peccauimus super numerum arenæ maris.* & vt ait Diuus Iacobus: *in multis offendimus omnes.* Sed antequàm debita hæc à nobis exigas æterne Deus, ad tuam infinitā cōfugiemus misericordiam cum hodierno clamante seruo. *Patientiam habe in nos, & omnia reddemus tibi.* & licet impotentes simus soluendo; si tamen tua bonitas nos de peccatis ad te reuertentes receperit, indignas preces nostras in satisfactionem admittes. reddemus tibi omnia nos ipsos, & quæ habemus tibi subijciendo: nā cùm plura nequeamus, plura non exiges. reddemus tibi omnia, per pœnitentiam sanctam, quam dùm in timore & humilitate tua peragimus, dignū sacrificium, gratum holocaustum tibi persoluemus. reddemus demùm tibi omnia, mortem & sanguinem Iesv Christi nostris applicando operibus, quæ cùm infiniti pretij sint, infinita in nobis debita sola exoluere poterunt, te patientiam & misericordiā habēte; cui laus, honor, potestas, in sæcula sæculorum.

Iacobi 3

AMEN.

DOMI-

DOMINICA XXII.
POST PENTECOSTEN,
CONCIO PRIMA.

Licetne censum dare Cæsari, an non? *Matthæi. 22.*

Tributa & totius vitæ spiritualia lucra solt Deo reddenda sunt.

ET cælum duos soles, & regnum duos gubernatores ferre recusant Auditores. Etenim vnus illorum cum suis subditis, tanquàm Pater cum liberis viuere vellet; alter verò eosdem velut crudelis tyrannus vilissima mancipia opprimeret. Malè cessit Hebræis plurium dominatus: Pertæsi enim illi senectutis in Samuele, Regem sibi constitui postulabant
Num. 5. Numero 5. *Ecce tu senuisti & filij tui non ambulant, in vijs tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos; sicut & vniuersæ habent nationes.* Sed quia non solùm regem, verùm & iudices postulabant. Oseæ 13. *Da mihi Regem & Principes.* hoc est; vt aduertit in hoc loco Ribera non solùm regem, sed etiam iudices & principes, atq; consiliarios postulârunt, qui vnâ cum rege præessent, & imperarent eis; idcirco ex plurium principatu, magna in regno Israëlitarum secuta est calamitas. quam illis iussu Dei prædixerat Samuel. Numero 11. *Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* Et quæ iam maior iniuria Hebræis inferri potuit? quàm dùm filij eorum, ad seruitutem per violentiam tollerentur, & ad falcatos bellorum currus deputati, cum sanguinis profusione aduersùs hostes pugnare cogerentur; non ad Reipublicæ conseruationem. (quod vtiq; tolerabile & glorioſum esset) sed ad solam ostentationem regiæ maiestatis. Propter quod vnicum Romanis regium nomen intolerabile erat, teste D. Augustino lib: 5. de Ciuitate Cap: 13. *Romani* inquit *regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binosq; imperatores sibi fecerunt*: qui Consules appellati sunt à consulendo; non reges aut domini à regnando aut dominando. Non tàm certè erat Hebræis graue, dùm agros, vineas, & oliueta eorum optima tollerent reges: dùm segetes & redditus omnes decimarent: dùm auferrent asinos, diriperent greges; quàm dùm filios suos in miseram seruitutem redigerent, quos magis prosperitatibus affluere, & perennare cupiunt, Parentes; quàm seipsos. Quid est igitur, quòd Christo apud illos commorante, quærebant? *Licet ne Censum dare Cæsari*, an non? nisi quia hunc solum regem, ad saluandũ populum venientem, benignum, & clementem agnoscere debebant; omnem verò gentilium superstitionẽ procul fugere, & iugum seruitutis eorum excutere. Nec enim decet liberam gentem, & soli Deo in fide atque religione mãcipatam, gentilium tyrannis tributariam esse. Nam quid miseriùs cogitari potest, quam eos qui antea erecto collo omnibus insultabant, postea incuruato genu, helluones Deo & mundo odiosos, adorare? quid acerbius, quàm eos qui antea de suo imperio gloriabantur; postea in seruitutem compelli? Quid deniq; infelicius, quàm ex summa gloria ad maximam ignominiam, ex suprema opulentia, ad extremam inopiam redigi? vnde Actorum 5. cum Augustus nascente Christo capitatim tributum exegisset, Iudas quidam Galilæus, concitauerat Iudæos ad rebellãdum Romanis, dicens indignum esse, vt gens fidelis & populus Dei, Ethnico imperatori & Romanis infidelibus seruiret, & in professionem manifestam seruitutis, illis censum & tributũ solueret, satiusq; esse, morte etiam dominium Cæsaris abnuere. de quo Iosephus lib: 7. belli cap: 29. sic scribit: *Omni genere tormentorum, & vexatione corporum in eos exagitatâ, ob hoc duntaxat, vt Cæsarem faterentur, nemo cessit neque dicere velle visus est; sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conseruauêre tanquàm brutu corporibus, non animis etiam; cruciatus ignẽque susciperent. Maxime verò puerorũ ætas miraculo spectantium fuit: nec enim eorum quispiam commotus est, vt dominum cæsarem, nominaret.* Regem proindè & Cæsarem vobis hodie monstrabo; & cuinam eorum censum dare liceat edisseram.

Liberæ genti nihil magis est proprium, quam supremum sui gubernatorem nosse, cuius parere legibus debeat; & tyrannum crudelitatem suam simulantem, dignoscere, cuius oppressionem formidet, & acerbissimum seruitutis iugum excutiat. Ad æternitatis libertatem nata Christianitas, quid tibi magis expediat, non video; quàm vt regis regum Christi IESV legibus, te obstrictam esse agnoscas. Et Cæsarem gentilem, mundũ scilicet impium suis blandimentis potestatem in tuos ceruices sibi arrogãter vsurpantem, cane peiùs & angue deteſteris. Nec enim fidelem Dei populum, aut mundo imperanti subesse; aut certè prauis eius consilijs parere; aut deniq; abominandis superstitionibus viuere decet? præsertim cùm mundùs, tanquàm fastuosus Cæsar, in solo externo splendore omnem perfectionem collocet. Christus autem ab interno virtutum ornatu eam prouenire vult. Proinde meritò in disceptationem apud Christianos quæstio hæc venire potest: *Licetne censum dare Cæsari?* hoc est; licetne põpam & fastum arrogantis mũdi sequi? qui magnam putat esse ignominiam, nisi copioso famulorum stipatus examine foras prodeat. Profectò non licet: sic enim nos Deus comparauit, vt esse sibi quisq; ministeri idoneus posset; quin etiam proximo. Etsi non credis, Paulum Actorum 20. Actor 20 loquentem audi: *Necessitatibus* (inquit ille meis) *& eorum qui mecũ sunt, ministrauerunt manus istæ.* Ecce orbis præceptor, & vir cælis planè dignus, seruire mortalibus innumeris minime erubuit: nunc autẽ quilibet mortalium nisi multos post se seruorum greges trahat, turpe putat; haud aduertens hoc esse, quod illum vehemẽter deturpat. Huc enim Deus manus contulit, huc pedes; ne seruis scilicet egeremus. Hinc D. Chrysostomus homil: 28 in Epistol: ad Hebræos, ad hanc mundi ostentationem penitus abdicandam, varijs exemplis mentem Christianorum permouet. *Inter res* inquit *creatas nemo nobilior Angelo? qui tamen nullo cinctu seruorum comitatu incedit? Dic mihi, ait, nonne Angeli soli totum mundum circum eunt: & pedisequis nullis egent? nec propterea nobis inferiores existunt.* Quasi apertè ostendere vellet, eo propiùs quempiã ad Angelorum dignitatem accedere: quo longiùs à seruorum examine recedit. Nulla familia illustrior extitit, quàm Nòé: ex qua totus mundus diluuio sepultus, repullulauit? & tamẽ nullum legitur seruum, nullam ancillam, nullum mancipium habuisse? quod patet ex ipsis Dei verbis, quibus eum Genesis 7. alloquutus ait. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.* At quanta fuit hæc ipsius tota domus? declarat sacra pagina ibidem vlterius progrediens. *Ingressus est Nòé, & sem, & cham, & Iaphet filij eius, & vxor illius, & tres vxores filiorum illius ad arcam.* Vbi octo tantum animæ numerantur. Nulli serui, nulli ministri, nulli satellites, nullæ ancillæ, nullæ pedisequæ, nulla mancipia describuntur? quasi tanta esset in clarissima illa familia parci-

Ioseph°. Oseæ 13. Ribera. Num 11 S. Aug S. Chrysostho: Gen: 7.

parcitas, vt nullis propè seruis vteretur. Non fuit Abrahami domo vlla lautior, vlla opulentior: & tamen nullus in ea seruus, qui famuletur, occurrit; verùm soli Patres familias & filij seruilibus muneribus occupãtur. Gen: 18 dicit enim scriptura Genesis 18. *Ipse Abraham cucurrit in concursum hospitũ, mensas instruxit, & paratas epulas posuit coram eis, atque intra prandendum stabat iuxta eos.* quam officiosìtatem in illo admiratus Chrysostomus. homil 41 S. Chrysosth: *Videas* inquit *in extrema senecta iuuenilem alacritatem, & senem quasi iuuenem exultantem, & putantem se inuenisse thesaurum quendam hospitum aduentu.* Sed quid est? vtique Abraham trecentos decem & octo famulos habuisse legitur. Genesis 14. & tamen nullus in illo ministerio seduloque hospitio famulus interceßit, sed solus Pater & Mater & filius omnia obsequia præstiterunt. Causa est vnica: quia noluit *Censum dare Cæsari*: noluit temerè sibi dominium vsurpantem mundũ sequi; vt magno illo, satellitio, longoque famulorum examine ad fastũ cingeretur. licet enim plurimos haberet famulos; eos tamen non ad propriam auctoritatem tuendam, sed ad illorum inopiam subleuandam, sustẽtabat? nec vt dominus seruorum obsequijs; sed vt serui, domini subsidijs vterentur. Ab hoc certè mundi fastu abhorrebant, sancti illi Patriarchæ. Nam Isaác adhuc puer, tanquàm seruus mercenarius, proprijs humeris ferebat ligna holocausti, *etiam inter duos iuuenes patris sui seruos constitutus.* Gen: 22 Genesis 22. quod præstitit non solùm D n imysterium, vt significaret Christũ dominium inter latrones suam crucem baiulaturum: quemadmodùm ille inter duos seruos constitutus, proprijs humeris deferebat illam lignorũ struem, in qua erat sacrificandus; sed etiam ad mundi fastum exprimendũ: qui ijs, qui illi subsunt, tanquàm seruis & mancipijs vtitur. Quid est quod filij Prophetarum & principes populorum, in primis illis mundi ætatibus, Gen: 29 etiam vilissima ministeria obierint? Iacobus Patriarcha de Principum fami-

A lia vir primarius cum Deo, quatuordecim annos curandis Labani gregibus inuigilabat. Genesis 29. Gedeon totius Israélis iudex constituendus, purgabat triticum in area. Iudic: 6. Iudic: 6 Saul creandus rex, quærebat Asinas? Regum 9. imò & rex factus agebat Reg: 9. boues 1. Regum 11. modo autem inani fastu gloriantur homines adeò, vt 1. Reg: 11 etiam sibimet ipsis aliquid obsequij præstare pro ignominia ducant. Apud Israélitas lectissima Virgo Rebecca, instar mercenariæ mulierculæ, B ad fontem cum hydria pergebat. Genesis 24. *Nunc autem* inquit Chrysosthomus *pudor est, si cum duabus pedisequis honesta Matrona procedat.* quasi nõ S. Chrysosthi ex virtute, sed ex famulantium multitudine, deceat illam esse conspicuam.

Et vnde quæso mutatio hæc in moribus humanis? certè ex eo, quia prioribus illis seculis, soli Deo census humanæ seruitutis, & subiectionis pendebatur: Nunc autem tributum hoc Cæsari gentili, mundo scilicet perfido soluitur; nouos quotannis assumẽdo mores, histrionicos fingendo vestium apparatus, augendo nouorum dogmatum sectas, errores propagando, quod fit contra omne ius & æquitatem, mordicùs tuendo; nec ad Deum, sed tantùm ad mundi fastum, omnem suam componendo voluntatem. Quod Petrus Damianus lib: 2. Damiã: Epistolarum. Epist: 2. & 23. detestandæ ambitionis insaniam vocat; & D. Hieronymus Epist: 9. ad Saluian. S. Hieronym: *Non ambulet* inquit *iuxta te calamistratus procurator: non histrio factus in fœminam: non cantorũ diabolici venenata dulcedo: non iuuenis cultus & nitidus.* miseri enim sunt illi homines, qui dùm quærunt de quibus glorientur, inueniunt potius à quibus corrodantur. Nam qui ad splendorem ostentandũ seruos habent, tot nutriunt suæ famæ corrosores & obtrectatores. Querulum enim seruorum genus est; & quantumcunque dederis, semper eis minus est; nam non considerant de quanto, sed quantum datur, doloremque suum solis quod possunt obtrectationibus consolantur. Vtinam, ab hac

ab hac graui insania, vel ipsos Catho- A *stris.* Vbi non tantùm de ijs militibus licos deterreat paupertas, & amor Iesu. vtinam in eis faciat temperantia, quod in nonnullis solet facere auaritia: hæc enim facilè persuadet, vt seruorum multitudo ad vnum tantum redigatur. Vnde D. Bernardus Ser: 36. in Canticis, describens vitiorum currus, & plures singulis aurigas attribuens; soli currui auaritiæ vnum assignat, quem vocat *habendi ardorem*. Et rationem reddit: quia sola auaritia, quoniam conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore, si B igitur cupiditas hominibus, tàm vtiliter consulit, cur vtilivs non consulet frugalitas, & superfluos mundi pompæ satellites penitùs non abscindet. Sed iucundiùs est, mundi Cæsarem, quam Cæli & terræ dominum sequi; dulciùs in peccatorum momentaneam voluptatem ruere; quàm austeris virtutibus exercendis deditum esse: præsertim cùm mundi polities sic hominem viuere iubeat. *plerique enim,* S. Ambrosius, inquit Ambrosius, Serm: 7. *dum grauiter peccant, solent se à peccati sui pœna hac voce excusare, quod aut militiæ cingulo detineantur, aut in actu publico sint constituti;* proinde ne bene aliquando faciant, hisce titulis se occupatos esse dicunt perinde, quasi iam militia hominum, non voluntas in culpa sit: ita quod ipsi gerunt, officijs suis adscribunt. Verum non est militare delictũ, sed propter prædam militare peccatũ sit; Nec enim rempublicam gerere, criminosum est, sed ideo regere, vt rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile, & idcircò etiam D mul & iniquitati, Deo & mundo seruire æquum sit. Et videbit non licere? quia repudiat Deus eos omnes, quorum diuisa est voluntas, & ad mundi vanitates, & ad Dei gloriam. displicent ei bifrontes Catholici, qui Cæsarem, mundum scilicet pro gubernatore suscipiunt: Christum autem regem non agnoscunt. An non deplorat ad hæc vsque tempora suam calamitatem, gens peruersa Hebræorum, quæ potius Cæsari, quàm incarnato regis regum Filio parere voluit: illud infaustum acclamans: *Regem non ha-* Lucæ 3: Sancti Ioannis doctrinam. Lucæ 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam inferatis, sed contenti estote stipendijs ve-*

bemus nisi Cæsarem. Vbi Christum Dominum Iudæi, per summam contumeliam & ignominiam contempserunt, regiam illi dignitatem non solùm inuidentes; sed etiam denegantes. vt inquit Euangelista Lucæ 19. *Cives eius oderant eum, & miserunt legationem post illum dicentes, nolumus hunc regnare super nos.* Sed propter hoc, illud promeruêre supplicium, vt à suprema dignitate, qualis erat Pontificia, in extremam ignobilitatem, qualem modo patiuntur, deuoluerentur. Quam pœnam prædixerat eis Deus Num: 31. *Ecce dies veniunt, & præcidã brachium tuum, & brahium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* quasi diceret vellet; quia magis appretiasti seculi fraudulentiam, quam salutarẽ Dei doctrinam, & abire maluisti post mundi desiderium, & tuæ affectûs cõcupiscentiæ, quàm legibus è cælo porrectis parere; idcirco scindam regnũ tuum, vt nullus in posterum ex domo tua regnet, sed omnes in dura captiuitate constringantur. Vnde D. Gregorius apertè indicat, Iudæos ideo à Christo contemptos esse, quia & ipsi spreuerunt eum. *Eorum* inquit *ignobilitatem iam cernimus, quia & genere & conditione proscribuntur.* genere quidem ignobiles sunt, quia ab ipsa veritate audierunt: *Vos ex patre diabolo estis.* Ioannis 8. Conditione autem ignobiles sunt, quia amissa libertate & regno, perpetuâ gentium seruitute deprimuntur. Nec iam de Abrahæ nobilitate gloriantur, sed de dæmonis ignobilitate, quâ nulla potest esse abiectior, erubescunt. non iam infulis Pontificiæ dignitatis decorantur; sed funibus perpetuæ seruitutis constringuntur, quia non regẽ veritatis Christum, sed erroris imperatorem mundum sequi volebant.

Mirabile est quod scriptura sacra refert, quòd Deus olim grauius puniuerit Samariam, seù regnum Israël; quàm Ierusalem, seu regnum Iuda. iuxta illud: *Non addam vltra misereri domui Israël, sed obliuione obliuiscar eorum: & domui Iudæ miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Oseæ 1. cùm tamen multo grauiùs peccauerit Iuda, quàm Samaria? iuxta testimonium ipsiusmet Dei, ad Iudam loquentis: *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit.* Ezechielis. 16. Ezech: 16
Cur ergo grauiùs puniuit regnum illud, quod leuiùs peccauerat? Rupertus in Oseæ locum respondet, *propter sanctitatem* inquit, *aliquorum regum Iuda nitiùs à Deo actum esse cum regno hoc.* Rupert.
Alij verò dicunt Deum clementiorem in Iudam extitisse, quia Christum edidit Saluatorem: à quo suam sibi salutem comparauit. Sed crediderim ego causam esse, quare Deus grauiùs puniuerit Samariam; quàm Iudam, licet Iuda multò sceleratior fuit; quia peccatum Samariæ connexam habebat hanc circumstantiam, quam Deus egerrimè tolerat, hoc est, quòd se in duas simul partes diuisisset, & Deum simul ac diabolum veneraretur, vt dicit scriptura 4. Regum 17. *Cùm dominum colerent, dijs quoq; suis seruiebant.* 4 Reg: 17
Deus autem annuente D. Ambrosio, tolerabiliùs iudicat infidelem integrum, quam fidelem diuisum. Nam hic Deum quem nouit; contemnit; quod est grauius: ille verò Deum quem non nouit, prætermittit: quod est leuius, nam propter hoc scelus, Deus illud comminatur: Soph. 1
Disperdam eos qui iurant in Domino, & iurant in Melchon. Soph: 1. hoc est; qui Deum verum Israëlis, & falsum idolum Amonitarum, pari cultu & religione venerantur, eos despiciam & abijciam. Vnde rectè monet sapiens Ecclesiastæ 1. *Fili ne accessaris ad Dominum duplici corde.* Eccles. 1
Et vnde obsecro (dicet quispiam) dignosci poterit, quando homo censum suæ subiectionis Deo reddit, & quando impio Cæsari mundo? Ecce lapidem lydium, ad probandum Christus nobis in hodierno Euangelio porrigit. *Ostendite* inquit, *Numisma census, cuius nam sit imago.* Matt: 22
Dignoscere vis Christiane, Deone totus deditus sis, an mundo? Numisma sæpiùs, cor tuum intuere: ex huius profectò imagine discernes, Deo ne fideliter seruias, an vero effrenis mundi affectibus abripiaris.

Nam

S. Chrysosth: Nam dicit Chrysosthomus: *Dic mihi vnde potero comprehendere te Christianum esse? à Loco, à veste, à sermone, à cibo, à negotio?* Non certè à loco? quandoquidem Christiani locus est, Dei domus, tua autem habitatio frequentissimè ludus & platea est. Non à veste? cùm indumenta tua profana sint, neque alia induas, quàm serica, & auro contexta, tanto parandа sumptu, vt ne satrapa (vt Terentius dixit) ferre sumptum posset. Non à sermone? si quidem perpetuo gaudes periurio, atque detractione & adulatione pasceris. Non à cibo te Christianum esse cognosco? cùm in mensa propter ingluuiem & intemperiem, magis Epicuri; quàm Christi videaris esse discipulus. Vnde igitur te conijciam esse Christianum? à negotijsne? minime? quæ enim geris & tractas, plena sunt dolis, plena fraudibus & iniurijs, quibus proximũ tuum circumuenire soles, honori eius vel diuitijs insidians. ex solo igitur corde Christianus dignoscitur; si in illo Christi imago perfectè sculpta est, tale autem cor qui vult habere (inquit Chrysosthomus in Capite 8. Matthæi homilia 20. principio) S. Chrysosth: *non solùm non occidat, sed nec irascatur: non solùm non periuret sed nec iuret; non solùm non fornicetur, sed nec vsque ad oculũ concupiscat. non solùm aliena non tollat, sed etiam cogenti dimittat: non solùm amicos sincere diligat, sed etiam inimicos.* Nam quid sit Christianus, respondet Carthagena. Carth: *Est viua Dei lex, Angelus carne indutus, diuinitus formatus Stoicus, animi affectionibus carens.* D. Augusti- S. Aug: nus verò sic eundem describit: *Christianus est* (inquit ille) *qui omnibus misericordiam facit, qui nullâ mouetur iniuriâ omnino, qui terrena contemnit, vt possit habere cælestia.* Hic enim solus censum pendit Christo regi, qui hisce obligationibus satisfacit: nec solum nomen, sed etiam Christi perfectiones in se efformat.

Non solum ciuili & Cãonico sed & diuino iure cautum est, integrum testimonium, veram ac firmam fidẽ faciens, ex tribus vel duobus, minimũ coalescere debere testibus, Christo Domino id approbante: *In ore* Matt: 18. *duorum vel trium stat omne verbum.* Matthæi 18. vnius enim testimoniũ, etiamsi alijs stabiliatur indicijs, semiplenam tantùm, non plenam probationem facit. Ad eundem planè modum, vt verus quis Christianæ religionis, professor, & Christi imitator esse comprobetur, duorum oportet cõcurrant testimonia, fidei scilicet, & bonorum operum: quæ tanquàm testes veritatem confirment. Si enim cum recto Iob solùm hunc titulum in te Deo præsentas, quia es factura eius? Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.* Iob: 10. parum est: quinimo eo ipso quia opus manuum Dei es, debita gratiarum actio in te vigere sæpiùs debet. si hoc solo titulo gloriaris, quia imago & similitudo Dei es? iuxta illud Geneseos 3. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã.* Genes. 3.
Non satis est: si scelerum tuorum lituris sæpiùs deturpas imaginem hãc, quam ille cæli opifex, admirabili diuinæ suæ omnipotentiæ penicillo inte formauerat; sed necesse est, vt hæc imago Christi in corde tuo viua sit, fide scilicet & bonis operibus nutrita. Hoc certè ingeniosa quadam methaphora nos edocere voluit sapientissimus Salomõ. Prouerb: 31. inquiens: Prou: 31 *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Sed inquiram ego à Salomone, in quonam mulier hanc suam fortitudinem ostẽdere possit? & ecce respondet ibidẽ Salomon: *Manus suas misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Quis hic non mirabitur sapientissimum Salomonem audiens dicentem, infusi vsu fortitudinem mulieris delitescere? si vtique dixisset Salomon, mulierem suam fortitudinem in eo ostẽtasse, quòd velut altera Iudith proprio Holofernis ense caput eius amputasset. Iudith: 13. Vel quòd vt altera Iòël fortissimi ducis Sisaræ pectora clauo confodisset. Iudicum 4. vel quòd vt olim Pentesilea Amazonum Regina, in bello contra Troianos viriliter propriâ manu pugnasset: vel Iudith: 13. Iudic: 4.

quòd vt celebris ac famosa illa Cleopatra Ægypti imperatrix, equo insidens vnâ manu scutum, altera euaginatum ensem tenens, velut fortissimus miles in hostes irruebat; vel denique si dixisset Salomon, quòd velut fortissima illa Machabæorum mater, pro diuinis legibus obseruandis, proprios filios morti exposuisset, & ad martyrium fortiter perferendum eos inflammasset? Hæc sanè sunt, quæ fortitudinem magnam redolent, quæ Salomon consentaneè quidem, ad fœminæ illius fortitudinem demonstrãdam adducere potuit: sed fuso fila ducere quæ fortitudo? quæ laus fœminæ esse potest? cùm id ipsum infirmis & vilissimis fœminis satis superque commune sit; sed ingeniosè vt video Salomon sub hac methaphora fortitudinem animæ humanæ inclusit; vt scilicet ostenderet, non satis esse homini Christiano, quòd habeat intactum, & integrum fidei linum, sed insuper oportere, vt inde deducat fila bonorum operum, vsui manum admouens. idem sibi volunt verba illa: Prou. 31. *Et digiti eius apprehenderunt fusum.* Prouerbiorum 31. Non enim solus frequens orationis vsus, sed etiam confessionis: non solum deuota sacræ Eucharistiæ sumptio; verùm etiam Elemosynarum, ieiunij, & similium virtutis operã exercitatio, animæ Christianæ fortitudinem indicant.

Xenophon. Refert Xenophon lib: 15. rerum mirabilium Græcarum, insignem illum ducem Epaminandam, in publico tribunali falsò accusatum, quòd patriæ infidelis & proditor extitisset, in conspectu iudicum respondisse: non alia testimonia in innocentiæ meæ defensionem in medium producam; quàm egregia & memoranda facinora, quæ in Reipublicæ vtilitatem patraui. vbi illud continuò suspirans exclamauit: *Ecce* inquit *Epaminondas Lacedæmones infensissimos hostes profligauit. Epaminondas vniuersam Græciam libertate donauit. Epaminondas rixantem Asiam pacificauit*: hæc insignia opera, quis ego extiterim, Reipublicæ facilè dicturus? quæ si cum occubuero, in sepulchro meo indelebilibus characteribus describantur, & à falsis aduersariorum cauillis & calumnijs me facilè vindicabunt. Quid aliud Catholici mei vobis faciendum restabit, cum à falsis inferorum criminatoribus in supremo Christi Tribunali accusabimini, quòd patriæ Cælestis proditores fueritis? quòd bona omnia cælitùs vobis collata, ingratitudine & obliuione sopieritis? quòd dona Spiritus Sancti profuderitis? non alio tunc ab hac calumnia vos vindicare poteritis, nisi præclaris in Christi obsequio præstitis operibus: ex quibus operibus apertè constabit, vos non Cæsari, & mundi tyranno mancipatos fuisse; sed ipsi Deo semper vectigales vixisse. Non enim Cæsari, sed Deo tributum dare licet hominem, quia imago Christi in corde eius sculpta est; Emptus enim & redemptus est Christi sanguine; in cuius emptionis signum, stemma eius in corde suo portare debet. Vt Sanctus Leo præclarè sermone de natiuitate insinuat. *Agnosce ô Christiane! & memento cuius capitis sis membrum, quòdque erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum, noli te iterùm diaboli seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis Christi est.* quasi diceret; illi solùm redde censum, qui te acquisiuit tanto pretio, cuius es quidquid es; illi redde nomen tuum & vocationẽ, gratiam sanctificationis, quam in te primitùs posuit, & quâ te signauit: illi redde sanguinem, quo te redemit; redde intemeratum Chyrographum, quo te sibi obstrinxit; redde amorẽ, quem promeruit: redde denique animam, quam morte pro te susceptam acquisiuit. Talis erat Tributarius Dei; Sanctus Calliopius pijssimus adolescens, de quo refert Surius 7. Aprilis, quòd cum ad conuiuium in Deorum celebritatem paratum inuitatus esset, venire renuerit, liberè respondens. Christianus sum, hoc nomen gero in frõte & in corde scriptũ, & Christum ieiunijs colo; quæ autem idolis immolata sunt, non decet in os eorum, qui Christiani dicuntur, & Chri-

S. Leo.

S. Calliopij cõfantis.

Christum colunt, ingredi: potiusq; elegit immãiter cædi; quàm à Christo recedere: imo & crucis mortem subire maluit, quàm dijs sacrificare, aut gentilium imperatorum impijs decretis parere.

Quid? an non hic vnus plurimos Christianorum confundet? ille siquidem etiam inter media tormenta audacter proclamauit. *Non licet Censum dare Cæsari*: non decet Christi libertate donatum, in seruitutem idolorũ abire; hi autem etiam in media libertate, sponte sua in peccati scelus conscientiæ habenas laxant. Quid enim illos cogit in ebrietatem, & cædes? in libidinem, & lasciuiam? nisi truculẽtus Cæsar, mũdi scilicet polities. Quid illos cogit in rapinas, & oppressiones? nisi sæuus Cæsar, scilicet detestabilis auaritia. Quid illos cogit ad legum transgressiones, & insolẽtias? ad hæreseos defensionem, & variarum sectarum, ne in Christianitate quidem nominandarum propagationẽ? Cæsar immanis: scilicet aut timor, aut sanguinis respectus. Sed ad hæc ne facinora creatus est homo? minime: vtique ad imaginem Dei, quæ consistit in tribus animæ illius potentijs: nimirum; in intellectu, voluntate, & memoria. per has enim anima humana Trinitati personarũ, & vnitati naturæ in diuinis respondet; & quia homo non est aliter operabundus, nisi per istas tres facultates; idcircò soli Deo omnem censum reddere debet; intellectum, & voluntatem, & memoriam. Intellectũ, scilicet; cum omnibus cogitationibus suis, illas ordinando in Dei gloriam. Voluntatẽ cum omnibus desiderijs & affectibus; illos diuinæ conformando & subijciẽdo voluntati. Memoriam denique, sæpiùs rememorando beneficia, tum generalia creationis, redemptionis, iustificationis, glorificationis; tum specialia, quæ de die in diem, de hora in horam, de momento in momentũ ab eo recipit homo. sic fecit Diuus Ambrosius, qui soli Deo censum ab homine Christiano reddendum; Cæsari verò etiam Politico, minimè parendùm esse, dùm contra æquitatem aut religionem aliquid iubet, suo exẽplo ostendit. Cùm enim Valentinianus imperator aliquam Ecclesiam tradi iuberet Arriano, respondit Sanctus Ambrosius, *si à me peteret quod meum est; id est, fundum meum, argentum meum, aut aliquid huiusmodi, non refragarem: verùm ea quæ diuina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subiecta*; cumque allegaretur ius imperatorij, quòd illi omnia in regno subdita sint: Respondit D. Ambrosius; *ad Imperatores sola palatia pertinere, ad sacerdotes verò Ecclesias, nullumq; ius habere in spiritualia & Dei bona, sed tantùm in tẽporalia*. Quare & nos eius exemplo insistendo, hanc quæstionem hodiè agitemus: An liceat censum dare Cæsari. Verùm quia de censu spirituali, & virtutum progressu loquitur Euangelium: concludamus vnanimiter, soli Deo reddenda esse tributa, & totius vitæ nostræ lucra. Et si non licet iniquis mundi legibus parere, Deum precemur, vt ille ipse omnem censũ illicitum, scilicet schismatum propagationes, hæreses, infidelium sectas extirpet, nec permittat Principum Christianorum voluntates, contra Ecclesiasticas immunitates, & iura, atq; æquitatem moueri; sed ita feliciter disponat, vt omnes in hoc regno illi soli; qui nos creauit & redemit, in fide & subiectione tributa religionis pendamus in æternum, Amen.

S. Ambrosius.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Licetne censum dare Cæsari.

Matthæi 22.

Omni superiori vicem Dei tenenti reuerentia & obedientia debetur.

SApientissimè mihi mundus fecisse videtur, dùm hodiè subtile quæsitum, non alteri; quàm ipsi incarnatæ sapientiæ resoluendum proponit, vt libertatis suæ iura & priuilegia experiatur, ad quam conditus est à

Deo. Deus enim hominem liberum condidit, libertatem eius illis circumscribens verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Genes: 1. Num. 26. vbi quærit Theodoretus quæst: 20. in quonam hæc imago similitudoq; hominis ad Deum consistat? Et respondet consistere eam in officio dominandi; quod probat ex verbis scripturæ, quæ statim sequuntur: *Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli: & bestijs terræ.* Quasi homo in eo solùm videatur esse Deo similis, quòd sicut Deus rebus omnibus; ita homo saltem aliquibus dominetur. Imo non tantùm Deus in libertatem condidit hominem; sed etiam vt nulli creaturæ subesset, legibus cautum fecit. 1. Regum 1. & Numeror: 6. Numero. 5. *Et nouacula* inquit *non ascendet super caput eius.* vbi istius ceremoniæ, cur Deus Nazaræis cæsariem nutrire præceperit, multiplicem rationem afferunt Doctores. primò, vt nutriendo comam, bonas pariter cogitationes atque virtutes nutrire discerent. sic censet origenes homilia 8. in Leuiticum. D. Gregorius libro 2. Moralium Cap: 26. Diuus Ambrosius. libro de Spiritu Sancto in Prologo; qui capillorum nomine, virtutes intelligunt. Consentit huic expositioni D. Cyrillus Alexandrinus libro 16. de adoratione. *Quia* inquit *capilli fructus sunt capitis & mare insitorum germinum exoriuntur: cogitationes vicissim fructus sunt mentis; oportet vt mentem habeamus non nudam, & spoliatam rectis cogitationibus; sed veluti germinantem, & ad Dei honorem, certissimâ omnium rerum scientiâ comptã.* Quod paulo post euidentiùs adhuc comprobat. *Est ergo in nobis mens intensa quodammodò, & comis Deo sacratis ornata; si rectarum cogitationum plena sit: eadem rursùs nuda est, & turpissimo calutio deboneſtata; si neq; rectas de Deo notiones habeat, neq; de rebus omnibus quæ agenda sunt, optimâ ac probatissimâ cogitatione sit prædita.* Secundò istius ceremoniæ alij rationem assignant, vt peculiaris Dei cura & prouidentia, circa Nazaræos, significaretur;

Genes. 1.

1. Reg. 1.

Cur Deus prohibuerit Nazaræis caput radare.

Origen: S. Greg: S. Ambrosius.

D. Cyrillus.

quæ tunc maxima esse dicitur erga aliquos, quando omnes eorum capillos ita Deus seruat, vt nullum eorum perire patiatur. Lucæ 21. Num: 18. *Et capillus* inquit *de capite vestro non peribit.* Sed video vllam de nutrienda coma ceremoniam, potissimùm eam ob causam Deum instituisse, vt libertatem à se conditi hominis denotaret. Nam sicut rasura olim seruitutem indicabat vt colligitur ex sacris literis. Isaiæ 3. Num: 17. *Decalua-bit Dominus verticem filiarum Sion, &* B *Dominus crinem earum nudabit.* & Deutoronomij 32. Num: 42. *De cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Ita cæsaries intensa significabat populi Dei libertatem. Vnde illum scripturæ locum: *Nouacula non ascendet super caput eius.* Paraphrastes chaldæus sic vertit. *Terror non ascendet super caput eius.* id est; (vt exponit Vatablus) *imperium hominis*: iuxta illud Dei ad Noè Genesis 9. num. 2. *Crescite, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia*; hoc est; imperium vestrum, quod nomine terroris iustè exprimitur: quia vt docet Caietanus super hunc locum. *In principio quando creatus est homo, datus est homini, dominatus animalium, modò datur territatio; ad insinuandum, quòd in statu innocentiæ fuisset dominium pacificũs, modò autem est dominium terribile.* Non subijci igitur Nazaræos nouaculæ, idem erat, quòd non subijci terrori, seu alicuius hominis imperio; nec obire seruitutem. Cùm ergo Deus liberum voluit esse hominem, audiamus quõodò quæsitũ resoluat: *Reddite* inquit *quæ sunt Cæsaris Cæsari; &* D *quæ sunt Dei, Deo.* En iam aurea hominũ libertas ruit! sed audiamus, quid hominem naturâ liberum de statu libertatis decruserit, & quid nomine Cæsaris atque tributi veniat. *Ad.*

Cùm Deus conditione naturæ omnes homines voluerit esse pares: quærit Sanctus Ambrosius, quid tandem duram & rerum omium miserrimam seruitutem in hũc orbem terrarum introduxerit? vt homo ingenuus, seruire; ad libertatem natus, viliùs,

Lucæ 21.

Isaiæ 3.

Deut: 32.

Chald:

Vatabl:

Genes. 9.

Caietanus.

viliùs mancipio tractari; à Deo conditus ad imperandum, temporaneis dominis subesse, & grauem eorum oppressionem atque tyrannidem non rarò pati cogatur. Et respondet istius subiectionis causam esse, non naturã ipsam: hæc enim cùm vna specie, in omnibus hominibus sit propagata, omnimodam æqualitatem inter homines seruari voluit. non Deum authorem esse; nam hic non seruos, & liberos, sed omnes ingenuos condidit: sed fons & origo miserrimæ seruitutis, est infelix Adæ peccatum: in pæ- B nam enim commissæ illius culpæ, vnus alteri seruire iustissimè à Deo cõpulsus est; vt homo qui leuioribus, & æquissimis Dei præceptis obedire noluit; iniquis postmodùm hominũ legibus atteratur; sic expresè docet Ambrosius Sanctus in Epistolam ad Colossenses Capitè 4. *Hoc* inquit *mundi iniquitate factum, vt dùm alter alterius fines inuadit, tunc captiuos ducit in gentes, vnde & manu capti dicti sunt à veteribus; inde & mancipia, hic casus & conditio etiam nunc apparet.* Alij redi- C muntur, alij remanent serui. Quod Christus Dominus suo oracluo apertissimè comprobauit. Ioan: 8. Num: 34. *Omnis* inquit *qui facit peccatum, seruus est peccati*: In quem locum Diuus Ambrosius, scribens subtiliter discurrit, libro de Iosepho Capite 4. *Seruile* inquit *est omne peccatum, libera innocentia.* Quomodò enim non seruus omnis auarus? qui pro exiguo pecuniæ lucello, seipsum auctionatur. Quomodo non & ille seruus, qui subditus est libidini. Primùm suis ardet D incendijs, & peccati sui facibus exuritur; suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorum; vtq; vnius cupiditate potiatur, fit seruus omnium. seruit igitur ad miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominos facit: ipse vult habere, quos timeat. Sanctus quoq; Augustinus quæst: 153. in Genes. duplicem seruitutis causam agnoscit. *Seruum* inquit *hominem homini, vel iniquitas, vel aduersitas dominari fecit.* Iniquitas quidem; sicut dictum est: *Maledictus Chanaan, erit seruus fratribus suis.* Aduersitas verò, sicut accidit ipsi Ioseph. Efficacior autem multò causa seruitutis est iniquitas, quàm aduersitas. Nam aduersitas leuissimam in seruitutem Iosephum redegit; nullâ ad eius posteros seruitutis notâ deriutâ. At iniquitas non solùm Cham, sed etiam eius filium Chanaan, immò & totam eius posteritatem, in perpetuã & maledictã quandam seruitutem deturbauit. Totus enim huius seruitutis ordo, à maledicto seruo exordium sumpsit: vt in totam posteritatem dissemnanda maledictio significaretur.

S. Ambrosius.

Ioan: 8.

S. Aug:

Iactastis Catholici vestram libertatem, tum ex illo oraculo diuino Ieremiæ 2. Num: 14. *Numquid seruus est Israël, aut vernaculus*: tum quia patre Christo Iesv ingenuo ac libero procreati estis; ideoq; vestram vobis nõ tàm libertatem; quàm potiùs insolẽtiam exprobranti, forte cum sthomacho respondissetis, illud Ioannis 8. Num: 33. *Semen Christi sumus, & nemini seruiuimus vnquàm.* Sed nescietis, quòd omnis qui facit peccatum, seruus peccati sit, & seruiat vnusquisque rei, à qua vincitur. Peccastis in excessu libertatis vestræ; & immemores iam, quòd & vos habeatis dominum in cælis, duriùs super alios vestrum exercuistis dominium; quid inde secutum: Abbreuiata est vestra libertas, & dura irrepsit seruitus: vt cùm iam lex diuina, vos à vitijs comprimere non posset, humana potentia & oppressio vos tandem ad melius viuendum adigat. Hanc peccantibus D pœnam prædixit regius vates Psalm. 48. Num. 15. *Dominabuntur* inquit *eorum iusti in matutino.* Sed vtinam soli iusti, peccanti nunc dominarentur, tolerabilius vtique esset: sed cùm viliissimi & crudelissimi tyranni, suum in dies longiùs protendunt imperiũ, quæ maior calamitas esse potest. Sed vestra iniquitas tanti causa est mali: reddite nunc Cæsari, quæ Cæsaris sunt. hoc est; seruite mundi tortoribus in afflictione, qui Deo noluistis seruire in amore & timore Sancto.

Ieremi. 2.

Ioan. 8.

Psal. 48.

Cæsar cui Christus Dominus hodie

die censum dare iubet, Dominus est A ni, sese humili rhamno subdiderunt Iudicum 9. Num: 15. Et sicut Sichimitæ Abimelech, ex omnibus filijs Gedeonis abiectissimum, sibi in regē coaprârunt; ibidem Num: 6. Et sicut Ægyptij debitam Iosepho obseruantiam non denegârunt, etiam postquā illum cognouerunt de genere pastorum, quos ipsi tanquàm humiles & abiectos detestabantur. Genesis 46. Num: 34. Ita planè & verè obedientes Christiani, nihilo magis nobili; quàm ignobili, dùmmodo prælato, B obsequātur. Nam Christus Dominus, suam in terris Ecclesiam non alteri; quàm Petro piscatori regendam commisit, vt discant fideles, cum (qualis qualis sit, quem Deus in suo munere constituit) summè reuerendum esse. Sed euanuit iam hæc virtus ex animis Christianorum; vbi ita arrogantia, excæcauit mentes hominum, vt apud magnates, plus sylua venalibus repleta animalibus; quàm Ecclesia: plus venator; quàm sacerdos valeat. imò nec iam sacerdotis C dignitas, sed generis nobilitas in personis Ecclesiasticis spectatur, propter quòd Deus non rarò, in ludibrium, barbaris tradit eos, qui ministrorum Christi auctoritatem paruipendunt.

Instant suam iactantes sapientiā, nec tàm verâ scientiâ; quàm potiùs vano tumore inflati. Quid si inquiunt prælatus sit insipiens, quomodò nos qui tantùm in studio sapientiæ sudauimus, debemus illi obedire? verùm sit etiam insipiens Prælatus, audiendus tamen est, iuxta illam Apo- D stoli admonitionem. 1. Petri 2. Num: 18. *Serui subditi estote in omni timore dominū, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Hugo Cardinalis: Thomas Angelicus. Glossa ordinaria, & Lorinus, per *discolūs* idem esse putant, quod rudibus & agrestibus, & abomni sapientiæ cultura alienis. Nam & illis Prælatis, quibus natura vel ars, scientiam & prudentiam denegauit, non est obedientia deneganda. In cuius rei typum stolidum animal audiuit Balaam, Num: 22. Num: 28. Rudi Madianitæ ac quieuit Moyses Exodi 18.

temporaneus, potestatem à Deo participatam in populum Christianum habens: tributum, est obedientia superioritati data. Non vult ergo Christus. Clementissimus vester progenitor, vt Cæsari reddatis tributa: hoc est; vt homini gentili & barbaro seruiatis, cùm populum sanctū, & Christianitatem Deo dilectam, alieno à vera fide tyranno subdi indignum videatur. Sed cum hoc malum vestra insolentia & culpa induxerit, vt vos inde eripiat, Cæsarem vobis sequendum proponit, scilicet; principem Christianum, cui in vos ab alto concessa potestas, hoc est; vt secundùm Ecclesiæ Sanctæ pastorum institutionem facere velitis. Magna enim laus obedientis est, non curare sui prælati facta, sed iussa; nec attendere quam vitam agat, sed quam personam gerat; nec loquentem hominem in se sed imperantem in homine Deum venerari. Hæc fuit eximia virtus magni Prophethæ Samuelis, qui cùm sacerdotem Heli negligentem sui muneris, & reprehensum à Propheta & à Deo reprobatum esse sciret, diligentissimus tamen eius imperij auditor & executor permansit. 2.Reg:3. inquit enim sacer textus. *Samuel ministrabat Domino coram Heli.* 1.Regū 3. Num: 1. Debetur enim & Ecclesiæ sanctæ gubernatoribus à Christiano populo, & Catholicis principibus, à subditis reuerentia, & obedientia omnimoda; vt docet Apostholus Ephesiorum 6. Num: 6. *Obedite Domini carnalibus cum timore & tremore, in* Ephes.6 D *simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Vbi præcipitur vt omnis suo superiori non vt homini quidem, sed vt Deo obtemperet.

Verum dicet forsan Magnanimus quispiam, quid si prælatus sit ignobilis, ego autem illustriori loco natus, quomodò illi subesse debeo. Verùm sciat quilibet Christianus, non tàm vilitatem sanguinis; quàm potius muneris dignitatem spectandam esse: sicut enim olim generosæ plantæ, oliuæ, ficus, vites, imò & Cedri Liba-

Exod:18 Ionæ 1. Theod: di 13 num:24. Imperitos nautas obser- A uauit Ionas. Ionæ 1 n. 10. super quæ loca scribens Theodorethus. *Eo vsq;* inquit *turpe est non obedire Deo, vt propheta aliorum præceptor, non se ab infimis obtemperantibus reprehendi recusset.* Profectò totus orbis non sapientibus oratoribus, sed rudibus piscatoribus obtemperauit; optima quidem ratione in- S. Ambrosius. quit Diuus Ambrosius lib: 5. in Lucā cap. 6. *Vt veritatis ratio, non disputationis occasio præualeret.* Quid tot Ecclesias profanauit in orbe? quid tot sapientiæ celeberrima domicilia euertit? hæc misera præsumptio. Quòd B multi vt se sapientes iactitarent, subesse nollent. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: discite miseri sapientes, si veræ sapientiæ cultores esse vultis: obedire vestris Prælatis, ne hæc vestra inobedientia, ruinam pariat.

Insurgunt adhuc contra Prælatorum auctoritatem senes. Quid si inquiunt Prælatus sit adolescens, quomodò nos canitie decorati illi debemus sub esse? vtiq; iuuenis coram cano capite consurgere debet, non senex coram iuuene. Sed audiant Di- C 1.Tim.4 uum Paulum, 1. Timoteorum 4. n 12. *Nemo* inquit *adolescentiam eius contemnat.* Vnde Cassianus lib. 2. de Cænobitarum institutis Cap. 3 loquens de illo, qui religiosam vitam exordi- Cassianus. tur; *Sic obedire* inquit *cunctis debet vt redeuntem sibi ad infantiam pristinam nouerit, & nihil sibi considerationeætui, vel annorum numerositate præsumens, subdere se etiam iunioribus non moretur.* Hoc voluit exprimere Iacob, qui filium suum Iudam ita salutauit. *Catulus Leonis Iuda; acquiescens accubuisti vt Leo.* D Gen: 49 Genesis 49. Num 9. Cur obsecro filium, cui regnum committendum erat, & ex quo præuidebat, posterorum regum ordinem nasciturum, Catulū sinu & Leonem appellauit? perinde, ac si puerum simul ac virum appellaret? planè vt ostenderet, non esse minus timendum Catulum, quàm Leonem: hoc est; non esse minus obseruandum puerum regem, quàm senem. ac proinde posteros Iudæ Reges, quamlibet ætatem siue pubescentem, siue canescentem attigissent, dignos fore, quibus obsequium præstaretur. neque esse in principe ætatem, sed dignitatem à subditis spectandam. Et senes ergo debent suis prælatis obedientiam, ne dùm se eorum auctoritati subtrahere volunt, & sibi pudorem, & alijs ruinam afferant. *reddite enim quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo.* hoc est; reddite superiori honorem, prælato obedientiam.

Sed adhuc regiminis impatientes obijciunt: *licetne censum dare Cæsari.* Num si prælatus sit nimiùm austerus, ac planè rigidus, illi subesse quispiam teneatur? cùm homo clementer, nō autem seuerè ex natura sua regi postulet. Verùm & is facilè ceruice subditorum mollitur: vberiores enim obedientiæ fructus meretur, qui grauiori supercillio imperāti obtemperat. Et quis vnquam durior in subditum exstitit, quàm Pilatus in Christum Dominum? qui tamen adeò se facilem ei exhibuit, vt illi vitulo tenerrimo, quem abraham suis hospitibus proposuit epulandum, comparetur à San- C cto Ambrosio, lib. 1. de Abraham capite 5. *Tenerrimus* inquit *quia non dura* S. Ambrosius, *ceruice, sed molli, iugum legis agnouit, crucis patibulum non recusauit.* Saul durissimum se præbuit in Dauidem. Nam in eum aliquando non solùm dura verba, sed etiam dira tela iaculatus est. *Nisus est* inquit *textus configere Dauid.* 1 Regum 19. Num. 10. Quid 1. Reg. verò Dauid? Mitissimum se præbuit 19. in Saulem. Nam exiguo post tempore, cum Sauli dormienti scyphum, & hastam eripuerit, scyphum quidem D sibi retinuit, hastam verò ad Saulem continuò remisit. *Ecce* inquit *hasta regis, Transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.* 1. Regum 26. Num. 21. 1. Reg. Cur non scyphum restituit, sed hastā? 26. Credo quia in hasta potius regis inclementiam expertus fuerat. Quasi diceret: Hastam quâ mihi durus extitisti, tibi restituo mansuetus: tenetuam in me seueritatem, ego meam in te facilitatem retinebo. Hanc doctrinam Christus Dominus in hodierno Euangelio confirmat, *reddite* in-

quit *quæ sunt Cæsaris Cæsari.* hoc est; A obedite vestris superioribus, & omnē illis exhibete reuerentiam.

Sed recalcitrant multi huic legi: Quid inquiunt si prælatus nullis naturæ dotibus excellentior præcurrat, quomodò illi subesse poterunt, qui pulcherrimis ornati sunt qualitatibus? verum & huius nutibus humiliter obsequendum est. Nouum planè ordinem in animalibus describit Ezechiel Cap. 10. Num. 14. *Facies* Ezech: 10. inquit *vna facies Cherub: & facies hominis facies secunda: & in tertio facies Leonis, & in quarto facies aquilæ.* Et vbi est obsecro facies bouis, quæ in alijs locis recensetur? Planè illa est, quæ primo loco Cherùbica appellatur. Et vt bos tardus ac piger, nec generositate cum Leone; nec velocitate cum aquila; nec mentis subtilitate cum homine comparandus præit omnib'? non iam bos, sed factus de boue Cherubinus, quem cætera animalia quāuis præstantiora; tamen tanquàm famulantia penè subsequantur: vt palam fiat, si quis inter homines ex infimo gradu ad supremum erigatur? eum licet omnibus naturæ præsidijs destitutum, non iam vt antea tanquā bouem onerarium; sed tanquā Cherubinum honorabilem humiliter obseruandum esse.

Obijciunt demùm, Quæsitum hodiernum Christo homines. qui magnā suæ sanctitatis & probitatis opinionem habent. Quid inquiunt si prælatus sit impius, & sceleratus, num forsan homo iustus ei subesse debebit? verùm & hic loco Numinis habendus est, ac venerandus? Quod multis illustrari potest argumentis: Cùm enim multi sint in Ecclesia pastores; boni; mali, proprij, mercenarij: Christus tamen Dominus illos omnes Ioan: 10. vnum vocat. *Fiet* inquit *vnum ouile & vnus Pastor.* Ioannis 10. Num. 16. quo pacto? Respondet Diuus Augustinus tractatu 46 in Ioannem: Quia omnes etiam mali, vnum pastorem S. Aug: Christum repræsentant. *Per eos* inquit *vox Christi auditur, & sequuntur oues non mercenariam, sed vocem pastoris* B *per mercenarium.* Si igitur omnes Prælati etiam improbi, vnum Christum repræsentant: cur non omnibus tanquàm vni Christo obtemperemus? Hæc est enim Diui Pauli optima consecutio Hebræorum 12. Num. 9. *Patres quidem* inquit *carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos; non multo magis obtemperabimus, patri spirituum, & viuemus?* Quasi diceret: Si carnalibus patribus obedientiam præstitimus? cur spiritualibus, qui omnes in Christo vnum sunt, obedientiam non præstamus? Quem locum expendens Petrus Damianus opusculo 13. Cap. 10. *Nolite* inquit *de priorū vestrorum perperam fortè viuentium meritis disputare: & non quâ viâ gradiantur, sed cuius vice fungantur attendentes, illis in Christo humiliter obedite.* Et in veteri enim lege prælatis licet pessimis, lex diuina obediendum esse iubet. Matthæi 23. Num. 2. *Super Cathedram* inquit *Moysis sederunt scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm opera* C *verò eorum nolite facere.* Quo ex loco rectè argumentatur Diuus Chrysosthomus in Caput 1. Ephæsiorum, ad Colossenses homilia 3. sub finem. *Si Moysis* inquit *sedes adeò veneranda fuit, vt propter ipsam oportuerit audire sacerdotem, multò magis sedes Christi.* neq; ab hac suis Prælatis exhibenda obedientia remoueat quemq; illud, quia & superior æque homo est, sicut subditus; hominem autem homini subijci legibus naturæ videtur repugnare. Verùm sciat, prælatis non propter id D obediendum esse, quod sunt; sed propter id, quod repræsentant. Repræsentant autem ipsum Deum, à quo omnis principatus & potestas descendit; proinde propter Deum in eis relucentem, omnem eis obedientiam præstare necessum est. Hinc est, quòd apud imperfectos obedientes, opus sit prælatos commendare, vt ad obediēdum inducantur. Tales fuerunt Israēlitæ: Quis enim nescit tardissimos eos fuisse ad obediendum? Quid ergo Deus? Curauit vt Iosue vniuerso populo post Moysen præfuturus, priùs coram

Hebræ: 12.

S. Chrys: sosthō.

Damianus.

Matt: 23.

S. Chrysosthō.

coram omnibus commendaretur. A cum addit: qui *hospitatur apud Simonem quendam Coriarium.* Ac si propriam domum non haberet; sed in alienas diuerteret; easq; non diuitum regias; sed pauperum tabernas & officinas. Quid verò ad hæc Cornelius? Contempsitne hominem: Minimè profecto: immò potiùs vt sibi prælatum officiosissimè obseruauit: *Vocauit* inquit textus *duos domesticos suos, quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Ioppen ibidem.* Num. 8. Inquem locū egregiè D. Chrysosthomus Homilia 22. argumentatur. *Vide* inquit *quàm* S. Chrysosth: *alienus est à fastu: Non dixit: vocate mihi Petrum; sed ita, vt persuaderet, narrauit omnia. Non enim volebat sola auctoritate præcipere & accersere; tam moderatus erat vir; tametsi nihil magnum cogitare poterat de viro, qui apud Coriariū diuerterat.* quasi diceret: Petrum, etsi nullis titulis commendabilem, eò tantùm nomine, quo sibi Doctor à Deo proponeretur, adeò obseruabat, vt euocare eum non auderet, vix dùm rogare.

Num. 27 *Tolle,* inquit, *Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Num: 27 Num: 18. En vt intus ac foris mente & corpore commendetur? Nam in mente spiritum Dei, seu spiritum propheticum habere dicitur; in corpore gloriam Moysis: siue illa sit Moysis humilitas, vt Oleaster eruit ex Hebræo; vbi sic legit: *Pones de sensu tuo super eum;* hoc est: tuam illi humilitatem communicabis: siuè potiùs sit B Moysis auctoritas & potestas, vt Abulensis interpretatur. Siuè tandem sit ille splendor, qui ex ore Moysis emicabat, & in faciem Iosue resiliebat; vt malunt aliqui Rabinorum. Quorsùm verò tàm multa ornamenta Iosue conferuntur, & vniuerso populo manifestantur? Rem attigit ipsa litera, *vt audiat* inquit *eum omnis Synagoga filiorum Israēl.* Quasi diceret Deus: Scio hunc populum carnalem esse, nihil valere apud eum diuinam auctoritatem, plurimum verò humanam maC iestatem. Ergo principem ei præpono, non despicabilem, quem proinde ipsi vel inuiti admirentur ac reuereātur. At verò apud perfectos, non est opus prælati commendatione; cum ij vel solo prælati nomine ad parendū excitentur. Talis fuit Cornelius ille Centurio, religiosus ac timens Deum: Actorū. 10. ad quem Angelus Dei; *Mitte* inquit *viros in Ioppen & accersi Simonem quendam qui cognominatur Petrus, qui dicet tibi quid te oporteat facere.* Actorum 10. Num: 5. & 6. vbi Angelus nihil D magnum enuntiat de Petro. Non ait esse fundamentum Ecclesiæ: habere claues regni cælorum; Dei locum in terris obtinere; sed prorsùs significat humilem. *Accersi inquit*: quasi non esset à nobili centurione conueniendus vt princeps; sed euocandus vt seruus. Præterea esse contemptibilem & ignobilem ostendit; dùm dicit: *Simonem quendam.* quod pronomen in latino sermone, vilitatis ac tenuitatis nota est. Tandem esse pauperem & vilioris notæ homūcionem,

Oleaster

Abulensis.

1. Reg 8.

Clemēs Alexan.

re: quàm in ducem nostrum. Nam si Deum ad iracundiam prouocaueris, dux illum reconciliare noster potest: si verò ducem ipsum perturbauerimus, nullum habebimus qui nobis illum propitium faciat. Nec obstat ille Locus D. Petri Actorum 5. Num: 29. *obedire oportet Deo magis; quàm hominibus.* quia nisi homines manifesta mala imperent, diuina obsequia aliquando paulisper intermittenda sunt, & humana alacriter exequenda. Qua in re ipsemet Christus manifestum nobis præbuit exemplum. Nam obsequium æterno Patri debitũ, bona cum illius veniâ intermisit, vt debitam virgini matri obedientiam præstaret. Voluntas Patris erat, vt Christus Dominus adhuc puer, Ierosolymis in templo esset, Doctores audiens & interrogans, iuxta illud: *Nescebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse.* Lucæ 2. Num: 49 voluntas verò Matris diuinam voluntatem nondùm apertè cognoscentis erat, vt filius secum Nazaret in patriã domum regrederetur, iuxta illud: *Fili quid fecisti nobis sic?* ibidem Num: 48 Quid ergo Christus Dominus inter Patris & Matris obsequia quodammodo opposita constitutus? quam in partem pronior inclinet? cui velocior ac diligentior obsequatur? Patris obsequia differt, vt Matris obsequia maturet. *Descendit* inquit Euangelista *cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis*: In quem locum D. Bernardus Serm: 19. in Cantica. *Ano* inquit *ignoratis quia melior est obedientia, quam victima? Non legistis in Euangelio quam formam obediendi puer IESVS, pueris sanctis tradiderit? Nam cùm remansisset in Ierusalem, & dixisset. In his quæ Patris sui erant oportere se esse, non acquiescentibus Parentibus eius, sequi illos in Nazareth non despexit. Magister discipulos, Deus homines, verbum & sapientia, fabrum & fœminam.*

Actorũ 5. Lucæ 2. Ibidem. S. Bernardus.

Hæc autem obedientia, quam Deus superioribus exhibendam præcepit, in duobus potissimùm exerceri debet. primò, in rebus facilibus, vt verus obediens, dum etiam leuiora illi imponuntur, Non ex facilitate rei imperatæ, sed ex auctoritate imperãtis, ad obediendum inducatur; iuxta illud Tertulliani libro de pœnitentia: Cap. 4. *Ad exhibitionem obsequij, prior auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis.* Sanctus Thomas 1. parte quæst. 97. articulo 3. ad 3. & opusculo 2. cap. 188. dicit. Adamum in paradiso constitutum, duplici obedientiæ præcepto ligatum fuisse; vno comedendi, altero abstinendi; quod ex ipsa litera manifeste liquet. Gen: 2 Num. 16. Præcepit ei dicens: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas;* Vbi sicut homo ad abstinendum tenebatur ex vno ligno, ita quoque ad comedendum ex omni; non quidem copulatiuè, id enim esset intemperans & iniucundũ; sed disiunctiuè ex omni: scilicèt ex hoc vel illo quod voluisset. ita vt sola cautio comedendi caderet sub præceptum: quantitas autem aut determinatio rei comedendæ sub arbitrium. vbi difficultas consurgit, ad quid Adamo præcepit Deus, vt ex omni ligno comederet? Nam licèt ad abstinendum, tanquàm ad rem difficilem, necessarium fuerit præceptum; quorsùm tamen imponi debuit ad comedendum? cum ad hoc tanquàm ad rẽ facillimam homo suapte sponte moueretur. Respondet Mendoca in 1. Regum Cap. 3. Num: 9. *Ideò hominẽ & comedendi & abstinendi præcepto addictum fuisse in terrestri paradiso, vt nihil ibi siuè facilè, siuè difficilè, nisi ex obedientiæ legibus ad maius gratiæ incrementum ageretur, ne quid ex proprio gustu, sed Domina ex alieno iussu moliretur.* Secundò obedientia etiam in rebus difficillimis exhibenda est superiori; vt homo quasi cæco impetu ruat in ea, quæ sibi à superiore potestate imperantur. Magna sunt quæ temporanei domini subditis passim imponunt; prompto tamen animo aggredienda, ne legis auctoritas periclitetur. Sistendo sibi præ oculis, duo illa patriarcharum, lumina clarissima, Abraham, & Isaac. Non enim fuit mors terribilior filio eam passuro; quàm patri eam illaturo; & tamen vterque pro diuino imperio

A

B

C

Tertullianus. S. Thomas. Genes. 1 Mendoca.

perio libens accingitur ad mortem: vnus patiendam, alter inferendam.

Gen: 22 Gen: 22. Num: 1. vbi parem in vtroque constantiam, parem obedientiã, parem charitatem, quâ mortem alter inferre, alter perferre aggrediebatur, miratur D. Chrysosthomus, sermone de fide Abraham, & immolatione Isaac. in primò tomo. *Ostendit* inquit *Abraham charissimum quidem esse sibi filium: sed multò chariorem filio existere dominum: nec dulcedinem aut affectus pignoris, respiciebat, qui iussionem vt perficeret, cogitabat.* vt scilicet & verus Christianus; & magna, & parua; & ardua, & faciliora, æquo ferat animo.

S. Chrysosth.

Desisam igitur quæstionem ab æterna sapientia habetis; non tantùm licere; sed omnia Cæsari tributa reddenda esse? hoc est? omni superioritati exhibendam esse reuerentiam pariter & obedientiam; non quatenùs hominibus; sed vt vicem Dei obeuntibus. Mementote ergo Domini, vos quoq; in cælo habere Dominũ, Christum Iesum; cui tributa obsequij, in humilitate & timore debetis pendere; & ne plus æquo aggrauate vestros subditos. Mementote & vos serui, alijque subditi, quòd legibus & humanis & diuinis ad parendum superioribus vestris, sitis adacti: Proinde obedite & vos dominis, primò spiritualibus; postmodùm carnalibus; vt post hanc temporaneam seruitutem, æternam libertatem assequamini. A.

A

B

C

EADEM DOMINICA
CONCIO TERTIA.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.

Deo reddere debemus nos ipsos, & animas nostras.

VEreor, ne hodierna S. Euangelij sententia malam de Christi diuinitate hominibus opinionem ingerat, quando & Cæsari, & Deo tributa esse soluenda præcipit. Nam quod Cæsari, id est, Dominis temporaneis tributa subditi pendant, non mirum: quia cùm sint homines, his opus habent. Vnde enim belli neruus, vnde Principum decens sustentatio, vnde Reipublicæ defensio, ac conseruatio, nisi ex tributis? Quæ si cessent, aut fraudentur, communem omnium salutem periclitari necesse est. Quoniam publicum malum priuato nascitur lucro, & rursùs bonum publicum priuato sustentatur incommodo. Sed vt Deo tributa pendantur, prorsus videtur rationi repugnare, cùm is omnibus abundet, & nulla re penitus egeat; Sic quondam Dauid nuper opilio, regiâ gazâ, & gloriâ opulentus audacter cum Domino Deo expostulabat: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges.* Psal. 15. v. 2. Quasi bonorum indigentia diuinitatẽ desuescat; & qui verè sibi sufficit, verus ille Deus sit: quoniam ab indigẽtia, indigentiæq; consequentijs immunis est, liber à cuiusuis necessitatis tributo. Ergo ab indigentia nobilis immunitas, Dei elogium est, & manifestum diuinitatis argumentum. At verò indigentia ignobile mortalitatis tributum aut probat, aut facit. Quòd argutè Philo expendit. *Virtutis* inquit, *studiosus, paucis indiget, in confinio mortalis, & immortalis naturæ situs.* Nimirum homo ex multimodis rebus coalescit: & exinde forsan rerum horizon à sapientibus retrò Philosophis nominatus est. De luto sui limi Deognarionem habet cum elementis exanimabus, & cum brutis animalibus: De animi generositate cum Angelis affinitatem contrahit: de spiraculo vitæ, quo à Deo animatur, naturali ad eum similitudine imprimitur; quam supernaturalium virtutum studio explicatiùs repræsentat, & similius exprimit: indeq; limi appendices, generosè dediscens, deterioris suæ partis oblitus, potiorem sapit, sublunariũ rerum minimè indigam, & indigentiæ quotidianis exactionibus immunem. Diuinitati itaq; æmulatione quadam vicinatur, qui paucioribus eget,

Psal. 15.

Indigẽtia mortalitatẽ arguit.

eget Scilicet quo immortali Dei naturæ, virtutum etiam æmulatione homo generosiùs accedit, sigillo Deitatis magis, ac magis expressus, eò pauciorum indigus est, & dum iam valde exiguum est, quod debet naturæ; non modò aduersus seipsum opulentiæ tributa non multiplicat, sed paucissimis indiget. Si ergo indigentia vilem, & caducam mortalitatem arguit: Siquidem mortalitatis sequela, indigentia est, à qua homo tãdem flacceſcit, tabescit, cadaueraſcit. Si inquam indigentia diuinitati repugnat, meritò considerabimus, quæ nam sint ista tributa, quæ & Cæsari, & Deo reddere iubemur.

Vt rem ex fundamẽto deducam, ante omnia inquirendum nobis est, cur non priùs iubeamur reddere, quæ sunt Dei, Deo: quàm quæ sunt Cæsaris, Cæsari? Nonne prima animi perfecti cura debet esse ad Deum, cur ergo census Cæsaris in primis ponitur? Origenes hanc rationem assignat, vt nimirum constet Christum his verbis non incompossibile aliquid, & repugnans mandasse, sed quæ possent ab homine præstari. Ait Origenes hom: 21. in Matth. *Neq; enim ex eo, quod reddit quis Cæsari, quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo, quæ Dei sunt.* Non se mutuò expellunt regia dignitas, & diuina maiestas; verùm homo cordatus vtriq; seruire nouit: vt seruãs integrũ honorem regibus, nihil virtutis, nihil pietatis prætereat. Vnde meritò dicit Petrus Blesens. Epist. 150. *Scio, quia ij, qui in regia familiaritatis sacrarium admittuntur, multa facere possint, & dicere, quibus pauperum necessitas subleuetur, foueatur religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur. In hũ, & consimilibus misericordiæ operibus possunt sibi curiales ad ficare ad vitam, si tamen non detrahãt, si non inuideant.* Præclare satis tantus Doctor in plurimorum regum curijs exercitatus, in regia familiaritate gradus notat, per quos familiarissimus Regi ad domum æternitatis possit euolare.

Verùm altiùs in his verbis conijcio mysterium. Videmus in omni naturali substantia ad formam præcedere varias dispositiones: sic antequã forma ignis introducatur in materiã ligni, priùs eam exsiccari necesse est. Per Cæsarẽ itaq; intelligũt non nulli proximũ, cui tributũ mutuæ charitatis primò reddendum esse suadent, vt his veluti dispositionibus homo idoneus reddatur ad recipiendam formam supernaturalem, id est, ad gratiam sanctificantem. Hæc est subtilis & ingeniosa S. Vincentij argumentatio: *Si vis homo, dignum Deo tributum offerre, à proximo incipe, vt sit concordia cum proximo, & carentia odij.* Imò & ipsemet Christus, id nobis præcipit in sacro Euangelio Matth. 5. v. 23. & 24. *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Vbi S. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos, huius præcepti difficultatem mire exaggerat. *Mea est potestatis* inquit, *vt non habeam aliquid contra fratrem meum: vt autem ille aduersum me non habeat, in illius voluntate consistit. Quid ergo faciam, si ille reconciliari noluerit? obsecrem? sectam genua? Sed audire contemnet. An obtorto collo, nolentem in ius amicitiæ traham? & quæ est maior inimicitia, quã amicitias necessitate faciere? neq; enim dixit, Roga eum, vt tibi reconcilietur. Sed reconciliare primũ fratri tuo, & sic offeres munus tuum ad altare.* Stratimq; subiungit idem S. Doctor: *Non quod impossibilia Deus præceperit, sed in tantum patientiæ culmen ascendit, vt prope impossibilia pro difficultate nimia præcepisse videatur.* Voluit ergo Christus animos Christianos ita generosos esse, vt prope ad impossibilia audenter adniterentur, & per mutuam proximi dilectionem, velut per præuiam dispositionem se ad ad gratiam Dei præpararent.

Alij per hoc verbum *Cæsari*, intelligunt Dæmonio prius reddenda esse, quæ eius sunt. Verùm quomodò possibile est, vt prius reddamus Dæmoni; quàm Deo, quod ei debetur? Respondet Origenes, *non possumus aliquid reddere*

telligitur proximus.

S. Vincentius.

Matth. 5

S. Hieronym.

Origen:

Petrus Blesens.

Per Cæsarem in

Origen.

reddere Deo, nisi priùs reddamus diabolo, id est, *nisi deposuerimus vniuersam malitiam nostram.* Optimè sanè: tota quidem, & prima animi cura circa Deũ esse debet, sed id minimè fieri potest, nisi quidquid mundi est, primùm à nostro corde exuerimus. Exue igitur homo penitus mundum, & Deum habebis tibi deuictum: Vbi te Deus viderit penitus mundo exutum, cœlestia omnia faciet tibi militare. Audite Paschasium lib. 10. in Matthæum, qui dicit: *Vos metipsos reddite Deo, quod omnino non potestis, nisi vos primùm exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis. Et ideo priùs reddite, quod alienum est.* Proinde in primis exuendus est mũdus à corde illius, qui vult sibi Deum deuincire, qui cum Deo de bonis æternis vult confligere: quia humanus animus non capit simul mũdum, & Deum. Et quis hoc non perspicit & ex scriptura sacra? Dum enim Abraham inter chaldæos maneret, vocatus à Deo, vt Patriam, cognationemq; relinqueret, libenter fecit; & dum pertransiret vsq; ad terram Sichem, Genes. 12. *Apparuit ei Dominus & dixit.* Quid causæ in chaldæa solùm Deus vocauit Abrahã, sed non apparuit ei, non permisit se ab illo videri. At verò postquã Chaldæam reliquit, statim Deum vidit. Cur non potius in Chaldæa? Pulchre D. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 3. *Nusquam superius habes, quòd visus esset illi Deus, quia quamdiu Chaldæus fuit, hoc est, non solùm in regione; sed etiam in opinione Chaldæorum, non poterat Deũ videre, quem intra mundum quærebat.* Sic immergebantur Chaldæi mundo, vt nihil magnum, nihil diuinum, extra mundum putarent, hinc factum est, quòd Deus quam longissime abesset à Chaldæis; postquàm verò Abraham Chaldæam reliquit, & se supra mundum constituit, statim illi Deus præsentissimus apparuit.

Atq; hinc iam facilè cognoscere potestis, quæ tributa Cæsari, & quæ Deo reddere iubemur: nimirùm Cæsari nummos, quia eius insculptam habent imaginem. Deo autem animã nostram, quæ Dei impressam tenet similitudinem. Si igitur Deo das imaginem Cæsaris, diabolo imaginem Dei, & vis vt Deus tale munus à te accipiat, nonne etiam tale obtulerat Cain; cuius peccatum ex mente sanctorum Patrum, an non recta donorũ diuisione stetit, dum meliora pro se, flaccida Deo redderet. Ita pariter tu eleemosynas, nummos, qui sunt Cæsaris, Deo; animam autem tuam, quæ Dei est, diabolo offers, nonne male diuidis; & ex ipsa diuisione, maiorem tibi condemnationẽ accumulas. Præclarè concludit S. Eligius Nouiomensis Episcopus homil. 8. in Cæna Domini: *Rogo vos* ait, *vt diligentiùs consideretis, & quantum potestis expauescatis, vel caueatis, ne vobis ille crudelis humani generis inimicus ita subripiat, quomodo solet incautos, & negligentes iniqua calliditate decipere: nam aliquibus homicidis, raptoribus, & adulteris, incestuosis, & sacrilegis, vanam seueritatem ingerit, vt cum crimina quotidiana committant, putent quòd Deus corruptus iudicum more pecuniam accipiat, & peccata dimittat.* Nil melius, corrupti valde iudicij est, plus pecuniam æstimare; quam iustitiam, quàm rectum; qualis ergo rectitudo erit illius iusti iudicis, si ad tribunal eius te accedente pecunijs onusto, & corde maleuolo, vt pecunias accipiat, & te immeritum absoluat. Prosequitur idem sanctus: *Accipit plane Deus pecuniam, & eleemosynis delectatur, ea tamen ratione, vt vnusquisq; peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat illi animam suam: nam quænam fratres iustitia est, vt aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosinam Deo offerat, & animam suam diabolo per iniqua opera tradat, in pecunijs imaginẽ Imperatoris offert Deo, & in seipso imaginem Dei tradit diabolo, cùm Dominus dicat in Euangelio: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Satis ingeniosè: duplicia tributa habes o homo, nimirum pecunias, & animam. quãta nobilitatis distantia inter hæc, nemo ignorat; qualis vnius, alterius; æstimatio, quilibet scit. Vile quid pecunia, animâ nil pretiosius; ne ergo putes

Paschasi

Gen. 12

S. Ambrosius.

go putes Deo satisfactum, si vile illi tribuas, diabolo pretiosum; si charitatem diabolo, & pecunias Deo; si manum Deo, & cor diabolo tradas: si te Deum ad speciem amare fingis, & charitatem erga proximum non habeas, eiq; iniurias recuses condonare.

Quod si, omnia hæc vera annuas; rem tamen esse perdificilem, & quasi animo te destitui ad iniuriam remittendam, homo cùm sis nobilis, & maiorum stemmatibus clarus. Modum tibi tradam, quo facilè dimittas, quo in proximum non insurgas, quo & si læsus non irascaris. Hunc autem desumo ex D. Basilio, homil. de ira, vbi S. Basilius. expendens mansuetudinem Dauidis, dum contra maledicum Semei non iratsceretur, quamuis contumelioſa in eum, & dicta, & facta iactasset, dum ad verba etiam lapides adiungeret. 2. Reg. cap 16. sic dicit: *Quamobrem cùm audisset se virum sanguinum, & iniquum vocari, minimè succensuit, sed tolerando sese humilem reddidit, ac meritam sibi infligi contumeliam putauit; ex quo duo tibi ad custodiēdam animi constantiam traduntur. Primum, ne te rebus magnis parem, dignumquè iudices; deinde neminem valde infra tuam esse dignitatem, atq; æstimationem putabis.* Expende antidota, & eorum cognosces virtutem, cur non dimittis lacessitus iniuriam? quia ob iniuriam fremis illatam: & cur fremis? quia rebus magnis, non iniuriâ te dignum reputas: & cur non vis dimittere? quia lædentem infra te, te verò supra illum æstimas, tu te quasi Deum, illum vilem reputans homuncionem. Hinc ardor, hinc animus irremissiuus, quod vt scripturæ sacræ exemplo cōstet, inuestigate causam, quare Cain fratrem suum Abelem occidit? quare etiam Deo hortante iram non dimisit? Profectò quia rebus magnis se dignū reputauit, quia fauore maximo apud Deum exaltari sperabat: & dum imparem sibi Abelem fratrem reputaret, dùm præclarum videret, sic irâ exarsit, sic odium imbibit, vt obstinato animo pro nihilo Dei ducens monitionem, fratrem occiderit. Ergo si vis Deo placere, si vis munus tuum Deo acceptum esse, non te supra alios extollas, neminem vilipendas, & teipsū, cuius totus es, offeras.

Contra iram remedia.

Enimuero mihi credite. quia Deus etiam maximum peccatorem libēter acceptat, quando cor suum non diuidit, sed totum se illi offert. Vultis istius rei documentum? recurrite ad sacram scripturâ Matth: 21. v. 3. Quādo Redemptor noster ingressurus cū triumpho Hierosolymam, miserat duos discipulos vt illi asinā cum pullo adducerent, dixit eis: *Dicite, quia Dominus his opus habet.* Super quem locū Hugo Carensis mira subtilitate ita discurrit: *Per asinam, & pullum peccatores significantur, quibus videtur Deus indigere ad hoc, vt expendat thesaurum misericordiæ suæ, sicut dicitur de aliquo, qui magnum thesaurum habet, & filium prodigum: iste indigebat tali filio: aliter nunquam expenderetur thesaurus eius.* O quàm Deus benefica erga miseros largitate diues! Inopiâ hominis Deus indigere dicitur, vt diues esse cognoscatur, atq; sic de humana paupertate Deus nominatur diues, qui cum nullius rei indigus sit; humana tamē indigentia eget, vt diues, habeatur. Nam si hominum infirmitas, malitia, imbecillitas, miseria, & paupertas deesset, omnis Dei largitas vacare putaretur; & infinitus Dei thesaurus, quasi nullus esset hominibus, si vacaret, nec miseris succurreret. Ergo in vim tributorum, ipsos peccatores ad pœnitentiam conuersos, ipsos pauperes summa inopia laborantes exigit, vt eis suas opes opulentè eroget. Matt: 21. Hugo Carens.

Quid aliud Christus Dominus in hodierno Euangelio docere voluit, iubens reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt, nisi vt illi non aliud, nisi nos ipsos, nisi animas nostras reddamus. Sic S. Vincentius concludit, inquiens: *Moneta tributi Deo pendendi est anima hominis.* Vnde S. Hilarius Can. 23. in Matthæum subtiliter trutinans illa Christi verba, Matthæi 22. v. 19. & 20. *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESVS: Cuius est imago* S. Hilarius.

mago hæc, & superscriptio? Sic fatur: *Numisma Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata.* Profectò sicut aurum, & argentum Cæsaris imagine excusum, ad regij numismatis valorem, & elogium adscitur; ita homo à sui conditore Dei imagine figuratus, tanquā Dei numisma exuditur. Dei expressa similitudine pretiosum. Audite Tertullianum lib. de pœnit. cap. 6. dicentem: *Qui venditant, prius nummum quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neue rasus, ne adulter.* Etiam Dominū credimus hominis probationem priùs inire, tantam nobis mercem, perennis scilicet vitæ concessurum. *Scalptus* nummus est, cui aliquid adēptum est. *Rasus*, detritus nimio vsu, & iam non asper, ac perinde vilior. *Adulter*, falsus, neq; exprobato auro, aut argento, subæratus inquam, & qui non vera sui Principis imagine impressus est. Qua super re ita ad præsens negotium scribit S. Ignatius Martyr in epist. ad Magnesianos: *In hominibus characteres duos dico inueniri, vnum veri numismatis, alterum adulterini: Homo pius, numisma est à Deo cusum; impius numisma mentitum, incertum, adulterum, carens signo debito; non à Deo effectum, sed à diabolo.* Scilicet homo non modo de Dei æstimatione cēsendus est, qva se in eius pretium dedit, adeo, vt homo Deum valere videatur; sed etiam Dei imagine, quâ rudis humanitatis massa impressa est, ad immetatum hominis valorem, quasi Dei thesaurus pretiosis hisce numismatibus constet. S. Ignat: Martyr.

O homo pretiosus Dei nummus es eius imagine figuratus: perpende ergo, quàm tui valor ex eius excusa imagine exaggeretur ad pretium. Vide ne sis nummus *scalptus*, dum bestialibus vitijs deditus, aliquid quodā modo rationis tibi deesse videatur. Vide ne sis *rasus*, nimio nequitiæ vsu; non asper ad vitia, & mollis ac delicatus ad virtutis asperitates. Vide ne sis *adulter*, id est, vili delictorum metallo subæratus; nec Dei tui imaginem, sed diaboli similitudinem portās. Sic enim non eris nummus, quo beata cœli perennitas; sed quo gehēnalis incendij æternitas cōēmatur. Serua proinde ô homo tuum tibi impressum valorem; ne si adulteriné degenēres, felicitatis commercio inutilis inuenîaris; & vnde cælum cōdignè mercari posses, felicemq; illam beatorum libertatem, æternatura, gehennæ incendia, & tyrannicam diaboli seruitutem cōēmas.

Proposuerat aliquando Dominus IESVS Pharisæis libertatem adipiscendam. Ioan. 8. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Cui statim duriusculè respondent: *semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam.* Ita de solo prosapiæ honore gloriabātur, vt etiam nobilissimam Christi seruitutem contemnerent. Respondit ergo eis IESVS: *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Nonne euidentius quoad humanos sensus, potuisset Dominus conuincere Iudæos, quòd seruierint tot gentibus, proponens eis ob oculos Ægypti seruitutem, apud Babylonios captiuitates. Cur ergo ijs prætermissis, vnā opposuit seruitutem peccati? sanè, quia hæc sola detestanda, & fugienda est: sic quondam Regina Esther, non multum formidabat seruitutem, quæ à fortuna venit, dicens: *Vtinam in seruos, & famulas venundaremur, esset tolerabile malum.* Sed illa tantùm formidanda, & fugienda est, quæ per peccatum coalescit. Pulchrè D. Cyrillus Alexandr. lib. 6. in Ioan. cap. 2. *Et ipsi in Ægypto duram seruierunt seruitutem. Quid? Nonne in Babylonica captiuitate sub Nabuchodonosor duram subierunt seruitutis conditionem? Nonne tandem Romanorum imperio subiecti, eis tributa pendebant? Quid ergo gloriantur, se nunquam seruisse cuiquam? Cæterùm Dominus de corporali seruitute cum eis contendere recusat; alteram autem longe duriorem affert seruitutem, quæ clanculum innuit, eos grauiter esse oppressos, vt potè seruitutem peccati.* Hæc vna fugienda est seruitus, quæ nec morte finitur, & innumera affert mala; at verò corporalis pro nihilo habenda. Ioan: 8. Esther. 7. S. Cyrillus Alexan.

Gen: 27 Sic quondam Isaac benedicens filio suo Esau, dicebat Genes. 27. *Vives in gladio, fratri tuo seruies.* Non horrebat filio seruitutis malum prædicere, & cur nō potiùs cauit, ingēuo homini seruitutem nominare? quia nouerat optimè, pro nihilo habendā seruitutem, quæ non est à peccato. Hæc vnica totis viribus cauenda, & vitanda est, admonente D. Ambrosio in citatum scripturæ locum, *Seruit omnis, qui authoritatem puræ non habet conscientiæ: seruit quicunq; vel metu frāgitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur. Seruilis est enim omnis passio quoniam qui facit peccatum seruus est peccati, & quod peius est, multorum seruus est, qui subiectus est vitijs, multis se dominis addixit. Bene autem agens, is profectò liber est.* Equidem Catholici mei, si Iudæos nobilitas Abrahæ, prosapiæ honor retrahebat abomni seruitute, vos iam non corporalis ornatus, non terreni generis nobilitas, sed Dei ipsius splendor, cuius & genus sumus; sed Christi gloria, qui nos sibi concorporauit, retrahat ab omni seruitute peccati. Ad quod excitat vos D. Paulinus, epist. 4. ita scribens: *Sibi ergo habeant arrogantiam, sibi diuitias sibi nobilitatem, & iustitiam suam, qui Abraham patrem corpore magis, quàm spiritu gloriantur, incircumcisi corde, & sola carne Iudæi. Nobis & ad salutem, & ad gloriam satis est Christus.* Quasi diceret: habeat sibi qui vult gloriosas genealogias, splendidas coniunctiones, cantatissimas nobilitates, & alios temporales splendores, nobis vnus sit Christus, qui pro omnibus sufficit, nec est quod vlteriùs desideremus. Ergo si Christo seruire volumus, si libertate eius gaudere, peccati, & diaboli seruitutem abnegemus, necesse est.

S. Ambrosius.

S. Paulinus.

Ad quod mouet nos non solum imago Dei animæ nostræ insculpta, sed etiam character baptismalis, quem S. Cyrillus Hierosolymitanus, Præfatione in Catheches, vocat *signaculum sanctum, & indelebile*, Et S. Epiphanius Catheches 8. dicit: *Baptismus & circumcidit nos à peccatis, & signat nos in nomine Domini.* Ac demum S. Augusti-

Cyrillus Hieros. S. Epiphan.

S. Aug. nus epist. 44. ad Donatum: *Vos* inquit *omnes Christi estis, quia characterē Dominicum portatis, quem accepistis in sacramento.* Insuper S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu S. dicit: *Spiritu signamur, vt splendorem, atq; imaginem eius tenere possimus, quòd est vtiq; spirituale signaculum.* Hic ergo sacramētalis character, est qualitas quædā sacramētalis spiritualis, quæ tria efficit in anima, cui imprimitur. In primis enim confert quādam potestatem spiritualem ad ea peragenda, quæ ad cultum diuinum spectant. Deinde confert, quòd hominem Christo Domino configuret, à quo tanquam à summo sacerdote deriuatur omnis potestas spiritualis; propter quod qui aliquo charactere sacramentali insigniti sunt, Christo similiores efficiuntur præ alijs, qui tali charactere non sunt insigniti. Tandem confert, quòd consignet hominem, eumq; ab alijs secernat, qui eiusmodi characterem non receperunt. Hinc sancti Patres docent, idem fieri cum homine in baptismo, quod cum Christo fiebat in cruce sancta. Christo cruci appēso titulū inscripserat, Pilatus, IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM; Minister quoq; sacramenti baptismi in homine baptizato titulum hunc inscribit: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, vt per id homo Christo configuretur & specialiter consignetur.

S. Ambrosius.

Character tria efficit.

Titulum illum cruci Christi inscriptum, legentes Pontifices Iudæorum, dicebant Pilato: *Noli scribere Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Et quæ tanta est agrestis Iudæorum atrocitas, vt Christo inter duos latrones ad suāmam ignominiam crucifixo adhuc non parcerent? Luridis verberum vibicibus fædatum erat virginale Christi corpus, augustū caput aduncis spinis terebratum, pulchra faciei maiestas sputis squalidè saliuata, manus & pedes diris clauorum mucronibus transfixus, iam iāq; moriturus erat. Quid ergo adhuc ita insanè ferociebant Iudæi, vt etiam crucifixionis titulo inuiderēt, eumq; obliterare molirentur? Quid ab emortuis literis timebant, qui viuum cor-

Ioan. 19 v. 21.

Astutia Iudæorum intolendo Crucis titulo.

eorpus ita acerbè, & cotumeliosè oderant? Explorare hic licet callidissimam Iudæorum versutiam, Christo probrosissimā. Scilicet in eo tota erat Iudæorum inuidia, ne Christus putaretur Iudæorum Rex; & quasi parùm foret comprobatum ridicularijs regnandi insignibus, vinctionibus, probris, verberibus, sputis, colaphis, & probrosissima crucis morte; aliam iterum probationem malitiæ acumine callidè inuenerunt dum Pilato suadere ambirent, vt publica authoritate describeret in causæ titulo: *Ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Nam Iudæi malitiosè sibi persuadebant, nullo firmiori testimonio posse sisti rumores de regno Christi sparsos; quam si palam publicaretur, se glorioso regis nomine se ipsum decorasse. Quantumuis præsaga futurorum, tot prodigiorū stupor attestatio scripturarum, & cœlitùs allatæ doctrinæ sufficienter id persuaderent, si tamen populo innotuisset, quòd ipse Christus Regem se esse dixerit, quòd se de sceptro iactauerit, quòd proprio ore regni gloriā eructauerit: dubio procul eius sentētiæ reus crederetur, quam ipse de se protulit, Ioan. 5. v. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Ita laudatio propria mendacio militat, vt falsitatis rea censeatur.

Ioan. 5.

Stetit nihilominus pro veritate Pilatus, qui antea steterat pro iniustitia, & qui iniustissimus vitam abstulerat, adduci non potuit, vt obscuraret tituli gloriam: imò scripturam iterum atq; iterum decretis sanciuit, respondens: *Quod scripsi, scripsi.* Mira res, Iudæi qui iniquis accusationibus poterant eripere vitam, corrumpere nequibant exertis vocibus scripturam: timor ambitiosum corruperat Præsidem, vt innocētiam damnaret; & tamen nec aduersariorum instantia, nec æmulantium inuidia, nec ipsius Iudicis ambitiosa cautela illi suadere potuerunt, vt regni titulum obliteraret. Quid obsecro firmauit contra adeo validos inuidentiæ flatus crucifixi Domini regnum? Diuina certè prouidentia: Christus in cruce tacuit; sed clamauit virtus: inimici postulabāt; sed malignitas voces dissipabat. Annuisset dubio procul Præses, nisi impium eius cor cœlestis virtus solidasset. Uerùm, quia iam tunc regnum cœperat exoriri diuinum; ideo tacens Christus possedit titulum, æmuliq; fortiùs instantes non obtinuerunt intentum. vt meritò exclamet D. Chrysosthomus in Cathena ad caput 19. Ioan. *O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantiū: nonne occulta vox quædā Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum literis prophetatum est: Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Meritorum igitur Christi vox inaudita defendit titulū; exerti autem Iudæorum clamores minime euertere regnum valuerunt: quia potentior est vox piè tacens; quā impiorum clamosa deliria, moriebatur Christus duobus stipatus latronibus, quorum vnus exertè clamabat, & voce blasphemijs scatente salutem orabat: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Lucæ 23. v. 39. Christus tamen eius clamosum non attendit votum, nec responsum dedit. Alter in silentio veniam peccatorum deposcebat: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, & statim ei Dominus paradisum obtulit: *Hodie mecum eris in paradiso:* quia potentior apud Deū est vox piè tacens; quàm impius clamor.

S. Chrysosth.

Lucæ 23

Illud tamen obstupesco: bis Christum Dominum regis titulo specialiter honoratum lego. in primis cùm in tuguriolo natus esset: tunc enim Magi aduenientes, recens natum Regem liberis vocibus inquirebant: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Matth: 1. v. 2. Quo audito Herodes, ignibus inuidiæ adustus, tetris vaporibus, obscuriq; nebulis, hanc tituli regalis gloriam supprimere voluit, vaterrimè respondens: *Ite, & interrogate diligenter de puero.* Ecce quem regem natum à magis audierat, puerum nominauit. Et iterum, dum cruci affixus penderet, regis titulo coronatus

Matth. 1. v. 2.

est: *Hic est Rex Iudæorum*. Vbi titulũ eundem iterum obscurare aggressa est inuidia, & furens æmulorum maleuolentia; verùm irritus potentiæ conatus tituli gloriæ militauit, vt nõ solùm cruci affixus regalibus coronaretur literis; sed etiam ipse titulus victorijs redimeretur. Ecqua huius diserimínis ratio? si recens nati, regalẽ titulum inuidentiæ tenebris sepelire voluit malitia; quomodò postea ligno affixi potentia indomita non potuit regnum interturbare. Respondet S. Paulus ad Hebr. 19. v. 14. loquens de Christo: quia *per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatũ Deo*. Quasi diceret: ideo regalis Christi titulus in cruce sancta destrui nõ potuit, quia tunc Christus Dei Filius de Spiritu S. conceptus, in ara crucis hostia Patri æterno oblatus est: quia tunc conculcatus olim ab Adamo diuinus honor Numini restitutus est: quia tunc cõsummatum est sacrificium, & sacrificio stabilitum Christi imperium.

AdHebr 19.v.14.

Audistis iam Catholici mei, tributa Deo reddenda, non alia esse, nimirum vos metipsos, animam vnius cuiusq; nostrum, cui vera imago Dei impressa est à sanctissima Trinitate, & regalis inscriptio superposita: vos regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Hunc titulum inuidia diaboli obscurare conatur in ambitiosis fastu superbiæ, in lasciuis facibus luxuriæ, varijsq; illecebris; in inuidis rancoribus, odijs, detractionibus, calumnijs, & mille nocendi artibus. Idcirco impressam animæ Dei imaginem, illæsam conseruate per castitatem purpuream, per humilitatem modestam, per virtutes continuas. Conseruate regalem titulum, quia ipsius Dei genus estis, & tentanti diabolo audacter respondete: Quod scripsi in corde meo, scripsi, quia soli Deo seruiam, & tunc ea quæ Dei sunt, Deo accepta reddetis.

AMEN.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN

CONCIO PRIMA.

Domine filia mea modo defuncta est; sed veni impone manum tuam super eam, & viuet, *Matthæi 9.*

Dei potentia maximè elucet in resuscitandis mortuis, ad quod requiritur seria Christi inquisitio, eius præsentia & contactus, & insuper vt homo non plenè moriatur, sed dormiat.

NEscio, an alicubi inopinata mors licentiosè magis debacchari, aut venenatos suos sibilos eiaculari soleat; quàm in domibus Principum, & palatijs regum: ibi enim plurimi sæpè repentinum in interitum præcipites abeunt; quasi mors à vulgaribus hominibus mitior abstineat, in regem verò violentior incurrat. Angustis igitur limitibus circumscripta est Principũ felicitas, & omnis vitæ splendor; quia vt inquit Propheta Oseæ 11. *sicut mane transit, pertransijt Rex Israël.* Quasi hoc innuere vellet: quòd quemadmodùm matutino tempore, præsertim vernis mensibus, nihil sit lætius, nihil iucundius: ibi etenim sole oriente erumpunt flores; germinant arbores; renident prata; argenteum candoré imitata, decurrunt flumina; festinas in choreas exiliunt pecudes: vocales auiculæ suauissimè modulantes, libero cælo potiuntur: omnia demùm è tenebris in lucem, quasi è morte in vitam restituta, exhilarantur. Magna profectò iucunditas, sed illam maior breuitas consequitur: illico enim assurgente sole, & summum cæli verticem occupante; ecce tibi arescunt flores, marcescunt arbores, flauescũt prata, torpescunt flumina, langueseũt pecudes, obmutescunt volucres, omnia deniq; veluti admoto incendio igneseunt. Sed æquè celeri pede, exiguam mortalitatis semitam decurrunt mundi Principes. testis est huius veritatis filius Sunamitidis. 4. Regum. 4. & celeberrimus ille vir Manasses. Iudit 8. in quos vt primum feralis solis æstus incubuit, protinus vtrumq; occidit; quia sicut mane transit, ita pertranseunt principes; adeò, vt vix præsentis vitæ felicitatem delibare incipiunt, & statim in extremam mortis calamitatem ruunt: nihilo, quàm matutinum tempus, in sua felicitate diuturniores. Sed quare obsecro ita clandestina mors obrepit, in principum domos? Causa est Auditores, quia cum Principibus aperto marte pugnare non audet, sed stratagemate illos circumuenit; nec à fronte; sed à tergo adoritur. Quòd præclarè prædixit Propheta. Ieremiæ 9. *Ascendit*, inquit, *mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos de foris, iuuenes de plateis.* Et cur per fenestras, non potiùs per ianuas, Principum ædes mors intrat? profectò vt opprimat magis incautos: cùm enim ad principum ianuas, noctu vigiles excubare soleant, die verò satellites easdem custodiãt, vt importunè venientes repellant: neq; ita sibi homines timent ab inuolatu per fenestras, quàm ab ingressu hostium per ianuas; quid astuta mors facit? relictis ianuis, quas scilicet diligenter obseratas, aut custoditas videt, enititur ad fenestras, vt vbi minus timoris inuenit, ibi plus furoris impendat; & illac exitium machinetur: quâ nullũ subesse periculum existimatur. Et quod magis dolendum, freqnenter Principum aulas ingressa, non in viros aut senes, sed in paruulos ac iuuenes sua iacula retorquet; non aliam ob causam, nisi quia hi videntur sibi à mortis iaculis tutiores, nec tàm facilè sibi persuadent, fore vt in hoc vitæ curriculo metæ simul cum carceribus coniungantur. Idcircò de sua spe decidunt sæpiùs incauti, & cùm primũ virorem ætatis induunt, subitò in extremum mortis horrorem prolabuntur; Testis est hodierna Archi synagogi Filia, hæc vnica illi erat, annorũque circiter duodecim; & tamen inopinato morbo correpta, defuncta est. Non profuit ætas tenera, non parentum fortuna lautior, non educatio mollis, eam à mortis iaculo defendere potuit: vt nemo de sua diuturnitate præsumat, sed quisque mortem sibi ob oculos ponat: sic enim omnia ab animis peccata facilè exularent, & corrupti mores hominum, mortis magisterio reflorescerent in melius. Verùm licèt mors falcè suâ funestâ, sæpiùs immaturæ ætatis excidat flores: adhuc tamen contra furtiuos eius insultus prouisum est cælitùs efficax remedium, Christus nimirum Iesvs, qui & à morte ad vitam reducere potest hominem: iuxta illud Numer. 6. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit* Igitur considerabimus hodiè Christi admirabilem potentiam, in resuscitandis defũctis, & quænam ex parte defuncti requirãtur, vt à Christo viuificari possit.

Ieremi. 9

Oseæ. 11

Num. 6.

Inter altissima diuinitùs patrata miracula, illud Principatum tenere nemo dubitauerit, quod sensùm & omnem intellectus cogitationem excedit. quoniam adeò sagacem hominis mentem esse voluit Deus, vt non tantùm præsentia, verùm etiam possibilia attingeret: Vnde cùm etiam sapientissimorum genius, mortui ad vitam reuocationem nullatenùs concipere posset, illo Philosophãtiũ axiomatè nixus. *A priuatione ad habitum non datur regressus.* & quia mors est priuatio vitæ, idcircò mundana Philoso-

Mortui ad vitã reuoca-

tio captũ humanum excedit.

losophia lumine naturali ratiocinando, rectè concluſit, neminem ſemel mortuum, iterùm ad priſtinam vitã, redire poſſe. Quod & ex ipſis ſacris literis, non operosè deduci poterat; vbi inquit ſacra pagina: *Statutum eſſe omnibus ſemel mori*; ſi ſemel, igitur ſemel mortuus ad vitam reuocari nequit; quia alioquin iterum mori deberet. Chriſtus igitur vt admirabilẽ ſuam potentiam oſtenderet in terris, hoc quod mens humana impoſſibile iudicabat effecit, dùm vitâ functos iterùm viuificauit, vt eũ mortis & vitæ auctorem, vniuerſa agnoſceret creatura: nec enim ſine myſterio Chriſtus Dominus in mõte Thabor inter Moyſen iam vitâ functum, & Heliam ad huc ſuperſtitem glorioſus apparuit

Matt. 17. Matth: 17 niſi vt oſtenderet ſe mortis & vitæ claues habere; quemadmodùm ibidem obſeruauit Chryſoſthomus, Homil. 57. *Vt* inquit, *diſcant quoniam mortis & vitæ poteſtatem habet, propterea & Moyſen qui morte defecerat; & Heliam qui nondùm mortem paſſus fuerat, in medium adducit.* Unde meritò ſcriptura dicit, *Dominus mortificat & viuificat.* mortificat equidem, quia ille ſolus, qui ſpiraculum vitæ corpori humano inſpirauit, poteſtatem ſeparandi animam ab eodem habet; per quòd tranſcendit omnem creaturarum poteſtatem. Nam & cauſæ naturales poſſunt quidem ad mortem ducere, ſed ad vitam reuocare non valent: quia fluminum naturam imitantur, quorum decurrentes aquæ, accenſas faces extinguunt, ſed extinctas non ampliùs accendunt. Vnicus tantùm in Epiro teſte Solino lib: 1. de mirabilibus mundi, prodigioſus fons memoratur fuiſſe, qui extinguebat accenſas faces, & extinctas rurſum accendebat. Chriſtus pariter ſolus erat fons prodigioſus, ex quo & vita ſimul & mors dimanauit in orbem: ſaluis enim quondam Hebræorum primogenitis, percuſſit Deus *primogenita Ægypti ab homine vſq; ad pecus.* Pſal. 134. quia ſola Ægyptiorum calamitas, non ſufficeret ad diuinam potentiam prædicandam; niſi ſimul

S. Chryſoſth.

Pſal. 134.

Fons prodigioſus.

illa quoque Hebræorum in columitas adeſſet. Nam & Magi Pharaonis ſuã mundo potentiam, idcircò non probârunt, quia Ægyptijs plagas inferre poterant, ranas & Cynipes producendo; ſed auferre non valebant, vitam eis nequaquam adimere potentes; At verò Deus, per hoc completã ſuam potentiam maximè oſtendit, & attonitum mundum in eius admirationem rapuit quòd non ſolùm mala inferre, ſed etiam auferre potuerit; non ſolùm morte condemnare, ſed & abſoluere; vbi S. Chryſoſthomus, in Pſalmum 134. ſcribens: *Vidiſti* inquit *mortem illam & plagam diuinitus miſſam, fuiſſe prædicationem, quæ Deum vtique perſuaderet, & eius admirabilem potentiam prædicaret:* Ex his certè duobus modis, ſummè potentem agnouit Deum regius vates 67. Pſalmo inquiens: *Domini Domini exitus mortis.* hoc eſt; vt ex Hebræo vertitur: *exitus ad mortem, & exitus à morte*: quia hoc vtrumque ad diuinam omnipotentiam pertinet, & tradere in mortem, & reuocare ad vitam. vnde & inter omnes Apoſtolos ſolus Diuus Petrus hanc vtramque vim à Chriſto ſibi conceſſam habuit, & mortificandi Saphiram Actorum 5. & viuificandi Tabitham, Actorum 9. vt ex hac duplici potentia, omnipotentis Dei vices in terris agere cognoſceretur.

S. Chryſoſthi

Pſal. 67

Quid eſt igitur cauſæ, quòd licèt Chriſtus Dominus ad portas mortis & vitæ claues habeat, neminem tamẽ reipſa mortificaſſe legatur, ſed tantũ ſpiritualiter: mortificando ſcilicèt vitia, & viuificando virtutes. vnde Carthuſianus· *Hæc* inquit *mortificatio eſt vitiorum extinctio, hominis à criminibus reformatio, membrorum ſcandalizãtium abſciſſio: hoc eſt eorum ab vſu prauo còèrcitio.* Quod elegantiùs explicat D. Ambroſius, Serm. 27. de ieiunio: *Occidit* inquit *Dominus in nobis homicidia, adulteria, ſcelera, furta, per baptiſmum: & ſic nos tanquàm nouos homines æternitatis immortalitate viuificat.* Et paulo poſt: *Occidimur* inquit *quodam modo, cùm deſinimus eſſe, quod fuimus: noua enim pietatis genere, in vno eodemque homine*

Carthuſianus.

S. Ambroſius.

mine impius & adulter occiditur, vt mifericors renaſcatur & caſtus; interimitur idololatria, vt religio propagetur: Fornicator & ebrioſus extinguitur, vt continens & ſobrius procreetur. Sic ergo mortificat Deus, vt viuificare faciat: ſic occidit, vt proſit: ſic verberat, vt emendet. Nec eſt alia illius circa homines ſeueritas, niſi vt in ſceleratis, peccata puniat, animas verò conſeruet; auferat deteſtanda vitia, & virtutes optimè nutriat, ſed cùm Chriſtus plurimos ad vitam corporalem reuocauerit, quare neminem etiam corporaliter interfecit? certè ideò: quia mortales haſce ſemitas noluit pertrãſire, niſi benefaciendo; Nam inſtar apis Chriſtus Dominus ſe in mundo gerere voluit, quæ alitur herbis in horto naſcentibus, roſmarino myrto, & ſaluiâ; verùm beneficium hoc rependere volens, eoſdem flores horti ſeu viridarij, Domino reſtituit in meliorem ſubſtantiam, & in formam guſtui gratiorem, conuerſos: fauorum & mellis commutatione recompenſat. ita planè Chriſtus; quia noſtram hanc carnem induit mortalem, quam accepit ex pulcherrimo illo viridario, ſanctiſſimis videlicèt genitricis viſceribus, quæ erat hortus omni amænitate clauſus, atteſtante id ipſum ſponſo,

Cant 4. Canticorum 4. *Hortus concluſus ſoror mea.* quia igitur ſacra eius humanitas fuit horti iſtius noſtri flos, Eſaiæ 11.

Iſaiæ. 11. *Et flos de radice eius aſcendet.* quia inquam Chriſtus, hunc florem accepit ab horto humanæ naturæ, hoc ipſum quaſi remunerans, & beneficium refundens, neminem mortificare voluit; ſed omnes viuificare cupiens, hunc eundem florem nobis reſtituit; factũ tamen meliorem, dans nobis ad viuificandum carnem ſuam impaſſibilem, immortalem, & glorioſam, vnitam regiæ ſuæ perſonæ, quæ eſt principiũ, à quo omnis dulcedo emanat. Et quemadmodùm flores ſi manerent in horto, retinerent amaritudinem innatam, atq; labente tempore exſicati marceſcerent, iuxta illud Iſaiæ 40.

Ibid. 40 *Omnis Caro fœnum*: illos autem depaſcens apis mirabili ſua virtute & induſtriâ reddit ſuaues, & vſui aptos, ex illis fauum conficiens: ſic planè Chriſti humanitas, ſi in horto mortalitatis fuiſſet deſerta à Deo, ſeueritatem ſuã dubio procul retineret: ſed poſtquã illam vnigenitus Patris ad ſuæ coniunctionem perſonæ aſſumpſit, ſubitò & clementem reddidit hominibus, & inſtar apis myſticæ, dulciſſimum fauum mellis, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ex illa elaborauit admirabili ſuâ omnipotentiâ, eamque adeò gratum guſtui cibum, & comedẽti vtilem attemperauit, vt qui dignè guſtauerit, protinùs in anima ſua viuificatus, eius ſemper deſiderio teneatur. ſed quid ineffabilem Chriſti clementiam apibus comparo? Numquam profecto apes in reſtituendis floribus, in tantum ſolicræ fuerunt, quantum Chriſtus in exhibenda humano generi benignitate, & rependendis temporaneis delitijs, quas in hoc noſtro viridario, (viſceribus nimirum Mariæ) deguſtauit. Nam pro terra, quam calcauit, cælum aperuit: pro aqua, quam bibit, aquam præbuit baptiſmatis, & aquam de latere fudit: pro aëre & igne, quo reſpirauit & caluit; deſcendere fecit in corda hominum in forma ignis diuiniſſimum ſpiritũ: pro cibo, quo vſus eſt terreſtri & corruptibili; dedit nobis in ſua carne alimentum cæleſtè, & ab omni corruptione alienum nutrimentum; vt proinde omnia bona & commoda ad noſtræ indigentiæ nutrimentum Deus pater in Chriſto nobis propoſuerit. Quod in ſpiritu præcidens Salomon ſapientiæ 7. meritò dixit: *Omnia bona venerunt nobis pariter cum ipſo.* ſcatebant hominum corpora lepræ turpitudine, ſed vt primum Chriſtus venit, *omnes ab illo mundati ſunt*, Lucæ 7. opprimebat naturalis cæcitas non paucos, & infidelitatis caligo plurimos; ſed poſtquàm Chriſtus, naſci dignatus eſt, & cæcis viſum reſtituit. Lucæ 18. & tenebras perfidæ ſuſtulit, quia eſt *lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioannis 1. Premebat ſitis deſperatæ vitæ totũ orbem; ſed poſtquàm in gremio mortalium comparuit

Sapiẽ. 7.

Lucæ 7.

Lucæ 18.

Ioan. 1.

paruit Christus, potauit illum aquâ vitæ. Psalmo 22. *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Laborabat infirmitate mortalium fragilitas, sed à Christo pertranseunte sanitatem accepit: attestante hodierno Euangelio. *Tetigit fimbriam vestimenti eius, & illicò sanata est*, grassabatur mors, sæpiùs florentem humanam ætatem ceu rosas demetens; sed & hæc Christo victas mãus dedit, canente Apostolo: *vbi est mors stimulus tuus, vbi est mors victoria tua.* quasi diceret: defecerunt tuarum virium aculei. Nam vno ictu Christum ferire tentans, pungentis instar apis corruisti eneruata. Rapuerat equidẽ mors innumeros mortalium, sed vbi Christum quoq; rapere conaretur, omnes coacta restituere debuit; dicente Propheta Oseæ 12. *Et monumenta aperta sunt, & multa sanctorum corpora resurrexerunt.*

Psal. 22.

Matt. 9.

Oseæ 13

Ingeniosè admodum effinxit antiquitas de Hercule, quòd cùm is dimicaret, cum Anthæo terræ filio vincere illum nullatenùs potuit, quia cũ prostratus Antheus terram tangeret, tunc maiores resumebat vires, terra eidem succurrente; quod cùm comperisset Alcides, brachijs suspensum in altum sustulit. Sic planè mors terræ filia cum terrenis hominibus dimicans, còerceri, & vinci non potuit, quia parens terra fortiores illi præstabat vires; idcircò misertus Christus, vt eam vinceret, è terra eleuauit, ac inter brachia Dei hominis eam cõstituens, eisdem brachijs suis cruci affixis illam enecauit: vt impleret Prophetiam illam Oseæ 12. *O mors ero mors tua.* Quòd Eusebius Emissenus perstringens, ait: *Mortis iniquitas, quæ tanquàm hominem vincere gaudebat, expauit subitò prædam suam, & in suo regno, à suo vt putabat debitore constricta est: à suo condemnata reo, à suo subiugata est captiuo: ideo suis laqueis illigata & irretita perditio, dùm deciperet, sublata est: dum interficeret, extincta est: dum deuoraret, absumpta est.* Quodsi quispiam petat quonam pacto mors à Christo sit interfecta, cum adhuc in suo robore persistens, vniuersos interimat? *Omnes enim morimur, & quasi aqua dilabimur.* 2. Regum 4. Respondent aliqui, mortem ideo dici à Christo interemptam, quia licet etiam omnes iusti moriantur; omnes tamen iterum sunt resurrecturi: nec iam ampliùs morituri; & tunc primũ mortis tyrannidem cessaturam arbitrantur, atque sic respondet Apostolus, 1. Corinthiorum 15. inquiens: *Cùm mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* Hanc quoque sententiam Lyranus secutus est, qui asserit, nonnisi in fine mundi mortem à Christo fore interfectam.

Oseæ 13

Eusebius Emissenus.

2. Reg. 4

Quomodo mors à Christo interempta sit.

1. Corint. 15

Lyranus.

Nam verba illa explicans: *O mors ero mors tua*, sic dicit: *Hoc dicitur in persona Christi, qui mortem destruxit inchoatiuè in sua resurrectione, & in fine mundi destruet consummatiuè.* Sed & nunc defacto mortem à Christo iam deuictam esse, fatetur Archysinagogi filia defuncta; iterum ad vitam reuocata. An certè non contremuit mors, ad vocem saluatoris, cum raptam puellam restituere iuberetur? vocem illam audiens; *Puella surge.* vbi vocẽ vitæ sentiens mors, protinùs aufugit; quia dicit Euangelium: *Et surrexit puella*, vbi Christus Dominus imperauit morti; vt ostenderet se miraculũ illud propriâ auctoritate facere. Vnde D. Ambrosius, in hunc locum sic argumentatur: *Si Tobias lumen recepit, Angeli fuit non hominis medicina: si Elias mortuum suscitauit, ipse precibus hoc obtinuit, clamans ad Deum: obsecro domine vt reuertatur anima pueri, in viscera eius: si Elisæus leprosum mundauit, valuit in eo figura mysterij, non auctoritas præcepti: in Christo autem præualuit morti auctoritas præcipientis, & leuiter manum tangentis.*

S. Ambrosius.

Quid igitur ex parte defuncti requiritur, vt à Christo resuscitari possit? sed tria requiri hodiernum indicat Euangelium; seriam Christi inquisitionem, eius præsentiam, & contactum, ac tandem vt homo non plenè mortuus sed dormiat. Quisquis igitur à Christo resuscitari vult, quærat illũ

illum necesse est: hunc enim modum ipsemet Deus aperuit, postquàm ita magnis cladibus percussérat Israélẽ, vt caderet: *Domus Israél cecidit, & adijciet vt resurgat*: & ecce Deus illam grauem ruinam resarcire cupiens, beneuolè Israélitas ad quærendum se admonuit. *Domus Israél quærite me, & viuetis.* Amos 5. quasi diceret: etiamsi propter grauissima tua scelera diuisus sit à te Deus, ô homo! etiam si te filium degenerem agnoscat; adhuc tamen illum quærere potes, quia nec ille peccatorem repudiat, nec inimicum despicit. Si enim in domũ Archisynagogi venire non tardauit, licèt is si nomen eius quæris, fuerit Princeps Iairus, Vir inter Pharisæos Primarius, qui Christo infensissimi erant; si religionem spectas? Christi doctrinæ per omnia erat contrarius. Hic enim Matthæi 13 Christo exprobrauit, quòd sabbatho curaret. *Sex* inquit *dies sunt in quibus oportet operari, in his venite & operamini, & non in die sabbati:* Si denique officium eius nosce re vis? fuit Vir primarium in synagoga locum tenens, & circumcisionem veteris testamenti, baptismo Nouæ legis proteruè opponens; & tamen Christus Dominus ad vnicam eius petitionem in domum eius se cõtulit, vt votis eius satisfaceret quantòcius, vt scilicèt ostenderet, se etiam in domum grauissimi peccatoris libẽter descendere, quoties requiritur. Tria autem ad quærendum Christum requiruntur, primò sedula diligentia, quod significauit sponsa Canticorum 3. inquiens: *Circuibo Ciuitatem per vicos & plateas, & quæram quem diligit anima mea.* quasi diceret: sine fine quærere illum non desistam, donec inueniam. Quod perpendens Diuus Bernardus, Serm. 75 in Cantica, dicit: *non tepidè aut negligenter seu perfunctoriè quærit sponsa; sed corde ardenti, & animo insatigabili quærit.* Quo quidem vnusquisq; nostrum docetur, quomodò à quærendò Deum nunquã cessare debeat? si enim Christus Dominus non quomodocunq; quærebat animas; sed mille modis eas tentabat allicere ad se: non in vno loco, sed in multis eas quæritans. Nam dicit de illo Apostolus Matthæi 9. *Circuibat per omnes ciuitates & castella?* quomodò & tu miser homo sollicitè eum quærere non eniteris? quoniam si diligenter quæsieris, inuenies illum; vt docuit D. Bernardus Sermone 14. in Cantica. *Si* inquit *nolumus frustra quærere, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueranter, facilius est enim calum & terram transire, quàm vt sic quærens non inueniat, sic petens non accipiat.*

Amos 5

Matt. 13

Cant. 3.

S. Bernardus.

Matt. 9.

S. Bernardus in Cantica.

Secundò ad quærendum Christũ præter sedulam diligentiam, requiritur ingens animi dolor, iuxta illud Lucæ 2. *Pater tuus & ego dolens quærebamus te.* Profectò si Virgo Deipara dolebat, de absentia corporali filij sui, quantò magis nos summa animi amaritudine dolere debemus de absentia spirituali ipsius, ob scelera multa cõtra illum patrata. Docet Auicenna, quòd prudentes inquisitores auri, quærant illud scutellâ eburneâ subter aquas, rationemque dat, quia aurum naturaliter attrahitur ebore, vt testatur Plinius de naturali historia. Profectò & Deus pariter dolore contritionis summè quærendus esset, quia hæc sola extra sacramentorum vsum, virtutem habet attrahendi aurum charitatis, & auctorem eius ad animã; si igitur inuenire cupimus amissum Deum, oportet vt primò turpitudinẽ peccatorum expendentes, ingenti conatu & acerbo mœrore ea detestemur; quia sicut vermis ex ligno nascitur, & illud rodit atque comedit, suam abipso originem habens; sic etiam sincerus dolor, licet de peccato proueniat, peccatum tamen absumit. Sed deterret fortasse non neminem ab hoc dolore, detrimentum temporaneæ iucunditatis, iuxta illud Pauli 2 Corint: 7. *Contristati estis secundùm Deum, & in nullo detrimentum patiamini.* & quomodò oro intelligi potest, peccatorẽ detrimentum pati, in Christo ex tristitia pro peccatis, cùm potius accipiat internæ renouationis lucrum? sed rectè hæc duo inter se cohærere possunt:

Auicenna.

2. Corint: 7.

possunt: nam dùm gratiæ lucrum habet, detrimentum patitur temporalis iucunditatis, quâ fruebatur in delicijs carnis suæ, dicit autem Apostolus, tale detrimentum esse in Christo, quia dolor seu tristitia, quæ secundùm Deũ est, per quam fit detrimentum fugacis voluptatis, fundatur in Christo: fit enim propter Christum amissum, dùm illum peccator inuenire satagit; imò & à Christo ipso cooperante, cùm peccatore ad contritionis & doloris tristitiam concipiendam. Tertiò, ad quærendum Christum requiritur circumstãtia loci; vbi nam inueniri possit? sed respondet Euangelista, non alibi quærendum esse IESVM; Luc. 2. quàm in templo. Lucæ 2. inquiens. *inuenerunt illum in templo*. Et certè si ex mente Philosophorũ vnaquæq; res proprium sibi locum vendicat: Pisces enim habitant in aqua, feræ in desertis, cerui in montibus, pecora in pascuis, volucres in aere, fructus in arboribus: Christus quoq; in templo, Psal: 75. quia *in pace factus est locus eius*. Psal: 75 hanc enim ob causã ecclesiæ omnes immunitate summâ gaudent; Vnde Chrysosthomus homilia 36. in Epistolam 1. ad Corinthios Ecclesiæ Christianæ dignitatem considerans, inquit; S Chrysosth: *Ecclesia locus est Angelorum: locus Archangelorum; regnum Dei; ipsum cælũ*, Templum enim, est Ciuitas refugij; ad quam confugientes peccatores, immunes fiunt ab omni supplicio. Templum est officina quædam, & quasi compendium eorum bonorum, quibus ad æternam fælicitatem consequendam indigemus: ibi enim interiùs renouamur, ab inueterata peccandi consuetudine: ibi lethalia animæ nostræ vulnera sanantur, ibi mens pascitur incorruptibili cibo, ibi conteruntur pectora tundentes, detestentur peccata, crimina expiantur; auscultatur verbum Dei, diuinis inspirationibus tangitur cor: ibi denique obsecrantes exaudiuntur, atque immensis diuinitùs beneficijs cumulantur. Quod probè agnoscens Rex Dauid, desiderabat templo Domini frequenter assistere, quasi iustitiam & sanctitatem in eo inuenturus. Psal: 117. sæpiùs inclamans: *Aperite mihi portas iustitiæ ingressus in eas confitebor Domino*. Equidem Catholici mei; si IESVM peccato de conscientia nostra expulsum quærimus, æquum est, vt de hoc sancto templo non priùs egrediamur, quàm amissum illud cæleste pignus recuperemus; vt meritò cum regio vate possimus gloriari illo Psal: 64. effato. *Replebimur in bonis domus tuæ*; quod Hieronymus vertit: *Replebimur sanctificatione templi tui*. Ecclesia enim (inquit Chrysosthomus homilia 1. in Genesi) *Locus quidam est medicinæ spiritualis, & eos qui huc veniunt decet, ne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint*.

Psal: 117. Psal: 64. S. Hieronym: S. Chrysosthom:

Sed oblatrabit non nemo impius, frustra Deum in templo quærendum esse, cum vbiq; sit præsens, & vbique commodè inuocari queat, sic impiùs ille Ieroboam, teste Iosepho libro Antiquitatum. Cap. 8. erectis duobus vitulis, vniuerso populo suadebat, ne ampliùs templum Salomonis adiret, sed circa adorationem vitulorum morarentur. Profectò impius mundus velut alter Ieroboam, sæpiùs momẽtaneæ voluptatis, & libidinis erigit vitulos, quò facilius Christianum populum seducat, vt circa vitulorum (scilicet carnis oblectamenta) sæpiùs morandò, Christi Ecclesiam negligat sed peculiari certè & singulari modo Deus in Ecclesia habitat; quia licet sit & in alijs locis, in illis tamen residet vt Deus maiestatis plenus, ad quẽ non facilè patet aditus; in Ecclesia verò adest tanquàm Pater misericors, extẽsis suis brachijs & manib⁹ omnes ad amplexum, & suorum beneficiorũ participationem vocans; si igitur Dauid ita ardenter cupijt extruere templum Deo, vt diceret, se non daturum oculis suis somnum, nec palpebris dormitationem, quousq; inueniret tabernaculum Deo Iacob. Si Salomon non priùs promissionem Dei audiuit, *quidquid petieris, dabitur tibi*: & homo pariter christianus sciat se non priùs, nec alibi beneficia

Ioseph:

ficia Dei assecuturum; quàm dùm se in templo humiliter ante Deum prostrauerit. Imò, si illum templorum frequentationis tædet, iam à perditorum & reproborum massa, se non procul abesse sciat. Causinus in symbolis de herba Chrysopole, crescente in pactolo refert, quòd aurum purum ab adulterino illius medio incolæ discernant: cùm enim aurum conflatur, admouent herbam, tunc si adulterinũ fuerit, nihil illius auri in se recipit; si purum mox folia eius inaurantur. Equidem de Christi latere, vnicus in æstimabilis profluxit riuus, (scilicet Ecclesia sancta) in quo herba ad discernendum corda hominum excreuit, piæ scilicet deuotionis & religionis feruor. quisquis igitur Christianorũ nosse vult, vtrum genuinus sit Christi filius, an certè degener & prodigus, hoc medio id assequetur: quia si sæpiùs ad deuotionem & Christum adorandum cor suum purum, atque voluntatem sinceram applicauerit, sentiet se interiùs deaurari: nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia. Si verò mundum potiùs sequi voluerit, nihil in suo corde nisi teporem & frigiditatem sentiet.

Herba Chrysopole dicta aurũ ab adulterino discernit.

Alterum ex parte defuncti, vt à Christo resuscitari possit, requiritur: eius contactus. Dupliciter aliquod agens operari docent Philosophi, primò immediatione virtutis: quemadmodùm sol licèt suo corpore non attingat terrestrẽ hanc putrefactam materiam; quia tamen calore suo & lumine illam alterat, idcircò & aurum, & metalla, & multa viuentia ex illa educere potest; Secundò, immediatione suppositi, quando scilicet fit realis contactus rei ad rem: sicut vt ignis lignum accendat, necesse est vt illud priùs suâ flammâ contingat. Et Christum pariter ego dupliciter operantem video: primò scilicèt, immediatione virtutis, quia per virtutẽ sacramentorum, regenerationem atque iustificationem hominum operatur. Video quoque eundem & immediatione suppositi operantem: quia quoties hominem de morte ad vitam reuocare vult, eundem priùs omnipotenti suâ manu contingit; quia cum opus hoc sit proprium diuinitatis, & hæc vbique sit præsens, impossibile est aliquid fieri; quin ab illa contingatur. hic verò modus ad salutem necessarius est. Non enim satis est, quòd homo virtute sacramentorum, sit à tenebris ad lucem, à peccato ad iustitiã erectus; sed oportet, vt Christus non tantùm spirituali, sed etiam corporali præsentia in illo habitet, vt sic ex isto felicissimo eius ad animam contactu, felicitas beatitudinis & immortalitatis in illum dimanet: in quo enim Christus manet, hic viuet in æternum, vt fatetur sanctus Ioanes.

Duplex operandi mod⁹ in agentibus.

Tertiũ deniq; vt homo à Christo resuscitari valeat, requiritur: vt dormiat tantùm: non autem moriatur. hac de causa Christus ad resuscitationẽ Arch synagogi filiæ accessit, quia dormientem, non mortuam esse vidit. *Puella* inquit *non est mortua sed dormit*. & cur obsecro dormientem vocat, cum iam anima à corpore eius separata sit? num fortè ideò, quia mors est somnus vitæ: sic sanè: somnus est mors, sed nõ quælibet; quemadmodùm enim vita triplex est, tẽporalis per animam, spiritualis per gratiam, æterna per gloriam; sic planè mors triplex, prima per separationem animæ à corpore: & hæc quia est temporanea rectè appellatur somnus. resurgent enim omnia corpora visceribus terræ inclusa, & iterum per vnionem animæ, immortalitatem induent. Atq; de hac morte facilè Deus hominem excitare potest: si enim potuit immortalem animam creare, & illam homini infundere, quomodò separatam rursus ad idem corpus reuocare non poterit? altera mors est per separationem gratiæ sanctificantis, quæ per peccatum amittitur: fitque tripliciter, primò, quando animo peccatum concipit homo; sed nondùm illud opere complet. cuius mortis fuit filia archisynagogi imago, quæ domi resuscitata est, exprimens miseram hominis animam, peccatum intra se habentem, sed nondùm in opus

Matt: 9.

productum. Secundo per peccatum consummatum ipso opere, cuius typus erat adolescens ille à Christo extra portas suscitatus. Lucæ 7. hic enim repræsentat animam, quæ non solùm interno; sed etiam externo consummato peccato, mortem sibi intulit: Tertio, per prauam peccãdi consuetudinem, cuius effigies erat Lazarus post triduum à sepulchro reuocatus. Ioannis 11. hic enim præseferebat eos homines, qui assiduitate peccatorum fætent, atque palorem coram Deo & hominibus exhalant. Et de hac adhuc morte, licet iam difficiliùs, Christus suscitare potest, efficax auxilium misericorditer homini impertiendo. Tertia tandem mors est per separationem æternæ gloriæ ab homine, & hæc mors est omnium grauissima atque periculosissima, quia hac morte sopitus, non ampliùs, Christi auxilium noscere potest; siquidem æternæ gloriæ mortui, in tenebris inferorum sepeliuntur, ibidem per totam æternitatem mansuri, iuxta illud Ecclesiastici 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Lucæ 7.

Ioan. 11.

Eccles. 11

Vidimus igitur iam Christi admirabilem potentiam, maximè eluxisse, in viuificatione mortuorum. Vidimus insuper ad resuscitationem defuncti; requiri, sedulam Christi inquisitionem, eius contactum, & vt dormientes tantùm; non mortuos offendat. Igitur cùm mors corporalis sit omnibus destinata & ineuitabilis, minus à nobis curari debet. Uerùm si cuius anima per amissionem gratiæ defuncta est, ne illam mors æternæ gloriæ occupet, ocyùs euigilemus: Christum tanquàm cælestem medicũ inuocando. Veni Domine IESV, & impone manũ tuam super animas nostras, in lecto mortis seu peccati, graui somno oppressas, & excita illas voce atque imperio tuo, vt semel resuscitatæ, tecum in æternum in aura cælestis gloriæ respirare valeant. A.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius salua ero.

Matthæi 9.

Homo peccator ad Christum accedere debet cum timore, verecundia, & fiducia.

REm stupendam Deus timentibus se promisit, Malachiæ 4. *Orietur* inquit *vobis timentibus nomen meũ, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egredietmini, & salietis sicut vituli de armento.* Sed ecce feliciter prophetiam hanc ad impleuit, cùm Christum in carne humana nasci in terris permisit: tunc enim verè sol iustitiæ ortus est, quia cælesti lumine omnem hominem nascentem in his mundi tenebris illuminauit. In pennis huius cælestis aquilæ, *salus & sanitas*: nam primæ Ioannis primo dicitur de illo: *sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Hinc Augustinus Enchiridij cap. 49. dicit: *Ille* (id est Adam) *vnum peccatum misit in mundum: iste* (id est Christus) *non solùm idem illud, sed cuncta simul abstulit, quæ abdita inuenit.* Fuit in pennis eius sanitas: quia & claudos fecit ambulare, & cæcos videre, & surdos audire, & mutos loqui, vt non immeritò dicat scriptura, *egrediemini*; sanitatem scilicet apud Christum & salutem quæsituri. Nec enim in Cassum abijt cuiusquam cunctatio, sed omnis, quicunque à tam munifico principe aliquid petijt, omnia obtinuit. Egressa est ad illum mulier Samaritana, dùm iter ageret in Galilæam: & ecce statim ab illo potata est fonte salutis, & aquà vitæ. Ioannis 4. *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Egressa est ad illum altera mulier Chananæa, de finibus Tyri & Sydonis, dùm ab illis partibus secederet, inclamans cum dolore: *Miserere Fili Dauid, quia filia mea malè à Dæmonio torquetur.* Matt: 15. & ecce

Malach. 4.

S. Aug.

Ioan. 4.

Matt. 15

& ecce statim absentem filiam immunem à dæmonio reliquit. Egressa est & tertia, mulier, hodierna Hæmoroissa, profluuio sanguinis per duodecim annos vexata: & ecce vt primùm fimbriam vestimenti eius tetigit, illico sanata est. Meritò igitur scriptura Christum solem iustitiæ appellat, quia & in sacro vertice *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto.* Actorum 10. quo velut sole totum mundum irradiauit. In pennis eius *salus & sanitas*; quia vnxit eum Deus virtute patratiua miraculorum, & redemptionis animarum; meritò ad illum egredimur in nostris pressuris, quia pertrãsiit omnia benefaciendo. Considerabimus igitur, quid impulit mulierem istam, vt tàm audacter ad Christum accederet, & cuiusnam illa rei nobis typum repræsentat.

Actor. 10.

Compulsam hanc mulierem videor fuisse, vt ad Christi tangendam fimbriam accederet, à nimio dolore. siquidem & multi alij ægroti, magnâ infirmitate pressi, hoc ipsum fecerũt. Matth: 24. *Obtulerunt Christo malè habentes, & rogabãt eum vt fimbriam vestimenti eius tangerent.* Comprobat hoc ipsum Mileuitanus lib: 5. contra Parmænianum: *Cogebat* inquit *illam dolor, vt medicinam peteret: licet impediebat pudor; ne causam morbi indicaret; sed inuenit consilium tacita fides, dùm intra se aiebat: mittam manum meam, & tangam fimbriam vestimenti huius, & sana fiam*; huic sententiæ subscribit Sanctus Ambrosius in Lucam. *Hoc pudoris* inquit *fuit, fidei agnoscere infirmitatem, & non desperare veniam. Verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse agnouit.* Sed quæ causa est, cur mulier ista dùm sana esset, Christum non adijt, sed dùm tàm grauem pateretur morbum? non alia certè, nisi hæc; quia in tribulatione vera, hæc tantùm perfectio, & summa virtus elucere solet, quemadmodùm D. Bernardus super Cantica inquit: *Quomodò stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, in aduersis eminet.* cuius rei testis luculentissimus extitit, ærumnosus ille ac miser Iob. inquo infracta in Deum fiducia, inuincibilis animi constantia, illæsa rectitudinis simplicitas, & immutabilis patientia atque pietas in Deum, totq; aliæ sexcentæ virtutes perpetuò in tenebris iacuissent, ni magnis afflictus fuisset tribulationibus; Quod illustrat Augustinus supra Psalmum sextum. *Flagellum hoc* (intellige tribulatio) *interiùs & exteriùs glorificat, peccatorem compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit currentem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem.* Idcirco sancti Patres, tribulationem, cæleste pharmaceum appellabant: siquidem per illas Deus circa nostram animæ salutem, & corporum sanitatem maximè laborabat. vt docet Augustinus in Psalmum 27. *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Sanctus Chrysosthomus Hom: 4. de pœnitentia causam inquirens, cur Deus vitam nobis tranquillam & securam, & ab omni aduersitate immunem dare nolit; sed perpetuò immittit morbos, defectus, corporis affectiones malas: & rationem assignat hanc; *ideo* inquit *hæc aduersa in nos permittit, vt nos scilicet inuitos quodammodò, toto vitæ tempore se sequi cogat, quò maiorem & crebriorem habere possit occasionem exoratus, suam nobis quotidiè misericordiam ostendendi*: sed quid est prô Deum immortalem! quòd licèt tot tribulationibus à Deo inuitemur; vt ad eum conuertamur; negligimus tamen, & voci eius parere recusamus? non alia mihi credite causa est, nisi quia vocem eius non cognoscimus. 1. Regum 3. historia sacra refert, cùm Samuel dormiret in templo Domini, vbi erat arca Domini, vocauit Deus Samuelem, sed Samuel putabat esse vocem hominis, ideoq; cucurrit ad Heli, & dixit: *ecce ego vocasti enim me.* Et quid est? Samuel ministrabat Domino Deo in templo, & vocem Domini non agnouit? sic est; dicit scriptura. *Porrò Samuel ne dùm sciebat Dominum,*

Mileuitanus.

S. Ambrosius.

S. Bernardus.

S. Aug.

S. Chrysosth:

1. Reg: 3.

minum, quia scilicet puer adhuc erat. Sic planè nos sæpè in hac vita facimus: quoties nos Deus per tribulationes vocat, toties nos vitijs nostris indormientes, vocem quidem eius audimus; sed putamus eam esse mundi: ideoque ad mundum diuertimur, & recedimus à Deo. Deus nos vocat vt in nostris infirmitatibus, in Ecclesia Christi, quæramus auxilium. Sed nos putamus vocem hanc esse hominis, ideo sæpiùs etiam veneficæ vnius, si verba eius sancta audimus, operâ vtimur in remedium nostræ salutis. qnasi verò sub illis coloratis verbis, diabolicum non lateat venenum, qui quò faciliùs homines deciperet, sacris etiam signis vti voluit. Videt nos Deus conscientiæ morbis grauatos, & vocat nos, vt ad eum tanquàm ad fontem vitæ festinemus: sed nos vocem hanc putamus esse mundi, ideoque in noxijs eius delicijs diutiùs delitescimus. Et quid causæ est, quid nobis tàm difficilem cognitu vocem diuinã facit? hoc solùm, quia pueri sumus, non ætate quidem; sed operatione. Puer est qui caret vsu rationis; & nos quoties abutimur Dei proprietatibus, intellectu scilicet & voluntate, ratione caremus: quia & dominium Dei lædimus, & à recta ratione, quam velut facem præuiam sequi tenemur, recedimus. Quoties operamur cum ratione quidem, cognoscendo, bonũne an malum sit; si tamen factum illud quodcunque, quod honestatis & virtutis speciem præfert, in Dei honorem non ordinamus, pueri adhuc sumus ratione carentes. Etenim eo fine producti sumus, vt gloriam Deo omni tempore persoluamus. Si quãdo tamen & ea quæ acturi sumus, ex motiuo honestatis intendimus, & ijs omnibus Deum volumus honorare, tunc primum puerilem statum excedimus: tunc primum edocti diuinis admonitionibus, & tribulationibus, cum humili & deuoto Samuele vocãti Deo respondemus: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* 1. Regum 3. Vnde tribulatio, & morbus, magnæ vtilitatis sunt: quia viam homini ad

1. Reg. 3.

Deum ostendunt, & vocem Dei obscuram homini manifestant. Sed nõnisi illi, qui immissas à Deo tribulationes patienter & æquo animo fert. Exodi 7. Moyses eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, quæ versa est in sanguinem.

Quærunt hic Doctores, quid eo tempore bibebant Hebræi apud Ægyptios, siquidem omnes aquæ in tota Ægypto in sanguinem versæ erant, dicente scriptura: *Computruitq; fluuius, & non potuerant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Et respondent grauissimi authores, non fuisse vllum aquæ fontem à Moyse propter Hebræos reseruatũ, aut aliquam Nili portionem à sanguine immunem, sed eandem; quam Ægyptij aquam biberunt. Verùm hoc discrimine, cum illam è flumine hausissent, in suam naturam reuertebatur; adeò, vt quod barbaris sanguis erat, & abominationi; illis aqua esset, & voluptati. Et quid ille sanguis portendebat, tribulationes à Deo in mũdum immissas, quæ pro diuersitate personarum commutantur: si enim easdem impatienter ferimus, si contra voluntatem Dei indignamur, si Deum nos aduersis percutientem blasphemamus & maledicimus; vertuntur nobis in sanguinem; id est, in seuerã Dei vindictam, & vltiõem; sin verò easdem patienter toleramus, & Deum in nostris afflictiõibus, benedicimus: vertuntur nobis in aquas dulces. id est; in salutem Animæ. Exemplo potest nobis esse hodiernã Hemorroissa, quæ licet ingentes patiebatur dolores, morbum satis anxium & impuritatis plenum: nihilominus tamẽ hæc omnia, eo quo par est animo tolerabat: quinimo non deficiebat in magnis doloribus summa in Deum fiducia: non minuebatur in extremis, dùm omnia iam mundi remedia desperata essent, spes in Dei auxilio radicata; non hæsitabat, fides robustissima, erga incomprehensam omnipotentis Deitatem; dùm nulla accepta promissione, nullo inuitata præcepto, nullo prouocata exemplo, ex

Exodi 7. Iudæi in Ægypto quid bibebant, quando aquæ in sanguinẽ conuersæ fuerunt.

solo

solo Christi contactu, saluam se fore non dubitabat. Sed ecce prodigium stupendum, quod ars humana duodecim annis nõ potuit curare, hoc Christi fimbria in momento præstitit. *Sanata facta est mulier ex illa hora* inquit Euangelium. Quasdam arbusculas ferunt esse Naturalistæ ita salutiferas, vt quidquid in eis reperitur, siuè radix, siuè truncus, siuè cortex, siuè fructus, siuè folia, odorem spirent, & ad sanitatem conducant. Deificatam Christi carnem, puto Deus his arbusculis significari voluit: in illo enim quidquid cernitur, quidquid tangitur, virtutem habet, gratiã spirat, salutem confert. Manus eius infirmos solo tactu sanant: ad pedes eius procumbentibus, salus & remissio peccatorũ restituitur; saliua visum cæcis contulit, & mutis loquelam restituit. Digiti aures aperiunt surdis; oculorum intuitus, lumen interiùs in cor hominis iacit: vox ad vitam reuocat mortuos, vestis & fimbria languores humanos curant. ac proinde totus salutiferus Christus, in illo nihil est, quod non ad salutem omni credenti conducere possit.

Veteres duos medicinæ præsides habebant, Mercurium, & Æsculapiũ. in quorum imaginibus pingebant, quidquid ad sanitatem tuendam foret necessarium. pingebant autem Æsculapium, imaginem pulcherrimæ mulieris alatæ, & lauro coronatæ, & pileo tectæ; manu præferentem. insuper Æsculapius nodosum gestabat sceptrum, quod serpentes varij ambiebant: ad pedes verò noctuam & gallinam habebat; cui imolabantur coruus & draco; denique idem Æsculapius cum imberbis Apollinis filius esset, promissam barbam gestabat; quibus omnibus significabant, vt mundana medicina sanitatem conferat, non pauco tempore opus esse: alata enim mulier picta, diligentiam summam circa ægrotum adhibendam significabat; laurus quæ magnæ energiæ est, & salutis, herbarum & simplicium medicamentorum notitiam plenam: pileus, cæli quo operimur influxum

Medici symbolum.

diligentissimè obseruandum; vt tempore opportuno medicamenta applicentur. Gallina, commodum ægroto nutrimentum necessarium esse significabat: noctua, vigilantiam, & studium arti medicæ impendendum; coruus insuper, ex quo varia antiqui auguria & prognostica colligebant, iudicium & crisin de morbis: draco verò solicitudinem, & prouidentiam erga omnia prædicta: denique barba Æsculapij, denotabat artem medicam, multorum annorum experientiâ acquiri; nec adolescentis alicuius, sed hominis barbati & prouecti officium esse, medicum agere. Sed ecce nouus in terris apparuit medicus Christus Dominus, qui non mundi istius remedijs, moram in sanando facientibus vtitur; sed omnipotentis Dei virtute: dùm solo attactu suæ vestis, mulierem sanitati restituit; Sed quãta fuerit eius gratitudo, in conferentẽ sibi sanitatem Christum, audiamus Eusebium: qui libro 7. historiæ Ecclesiasticæ Cap: 14. & Zozomeus lib. 3. Cap. 21. Mulier hæc profluuio sanguinis afflicta, fuit Cæsareâ Philippi oriunda, hæc vt primum sanitatis beneficium agnouit, quò perpetuam recepti à Saluatore beneficij memoriã ad posteros transmitteret, statuam æneam Christi effigiem repræsentantẽ, ante domus suæ ostium erigi curauit: ad cuius statuæ basim, flos quidam nouus enascitur, qui ad fimbriam tantùm vestis excrescere solet, qui si decerpatur, antequam æneæ statuæ fimbriam attigerit; nullam virtutem sentitur habere. at verò vbi crescendo fimbriam suis foliis attigerit, tantæ efficaciæ & energiæ est, vt grauissimis etiam morbis hominum, medeatur, haustus ab hominibus; Et quid aliud mulier ista nobis repræsentat, nisi animæ peccatricis figuram; Quod Oseæ 4. nobis Propheta insinuat, inquiens: *sanguis sanguinem tetigit.* Vbi S. Hieronymus, & Cyrillus, alijque sacri Doctores, per sanguinem, peccatum accipiunt; quasi dicat Propheta; sanguis sanguinem tetigit, id est; peccatis peccata adduntur,

Eusebius.

Zozomeus.

Oseæ 4.

sce-

scelera sceleribus accumulantur, & omnes sanguinis profluuio laboramus; quia animæ nostræ peccatis inundant. Vnde Sanctus Gregorius 11 in Ezechielem ait: *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Et quid nos in hoc graui morbo facere debemus? mulieris huius verecundiam, in nostra ad Deum conuersione imitari debemus: & retro ad Christum accedere; id est; cum magno timore & verecundia; vt ille quoq; scapulis suis obumbret, & post tergum proijciat omnia peccata nostra. Non enim *in conspectu eius iustificabitur omnis viuens.* Psal. 142. vultus enim Dei est super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: ideò non est ausa Magdalena vultum Christi inspicere; sed retrò pedes Domini accessit: ideò publicanus orans in angulo templi, non est ausus oculos suos ad cælũ tollere, ideo erubescens prodigus filius, non est ausus coram patre comparere: sed à longè tantùm; & tamẽ misertus Pater in amplexum eius properauit. Et nos pariter si ad Christum retrò accesserimus, erubescentes nostra delicta, miserebitur iniquitatibus nostris.

S. Greg.

Psal. 142

Rem miram refert Plinius lib. 8. Cap. 17. Pantheram, cuius proles in foueam ceciderant, publica in via hominem expectasse: quem vbi præsentem habuit, leuiter pede prehensum ad foueam adducens, catulos educendos illi ostẽdit; si tantã curã animal rationis expers, circa prolẽ suam habet, quantò magis nos homines, quibus cæleste lumen affulsit, debemus curam nostri partus gerere; in foueã toties incidit mens nostra, dùm diabolicis capta insidijs, iniquitatibus irretitur: in foueam labitur conscientia, dùm vsu & consuetudine peccatorum, obdurescit: sed ne tàm cara soboles nostra, in hac misera delictorum fauea pereat, in publicam exeundum est viam, id est; ad Christi Ecclesiam: tangenduſque Christus tum precibus deuotis, tum confessionibus

Pantheræ industria in catulis suis de fouea educendis.

A acceleratis, tum humilitate & timore, vt omnipotenti suâ dexterâ, animas nostras, ex omni vitiorum fæditate extrahat; Sed quid est, quòd hodierna mulier duodecim annis in sanguinis profluuio permansit; nec citius ad Christum, licet in illis partibus commorantem audiebat, venerit? repræsentat nobis eos, qui vitijs suis lõga consuetudine assuefacti, difficulter satis ad iustificationem redeunt, quia licet sæpiùs admoneantur; corripi quidẽ possunt, conuerti verò nequeB unt. Cùm disertissimus ille orator Galba coram Augusto Cæsare peroraret, sæpiùs oratione ad illum conuersâ repetebat: *Corrige si quid peccaui Auguste*, cui lepide respondit Augustus: *Ego te mouere possum Galba, corrigere non possum.* Vbi tacite ad gibbum eius allusit, quem dorso gestabat. Nos quoque peccatores pariter cum Deo procedimus; peroramus sæpiùs corã illo in templis disertissimè, & conuerC sis ad illum nostris precibus sæpiùs repetimùs: *Corrige Domine si quid peccauimus.* & quid nobis Dominus respondet? audiamus: nisi gibbos istos peccatorum, qui iam veluti naturales vobis adhærent, ex vestris cordibus penitùs eieceritis, mouere vos possũ, sæpiùs vos alliciendo ad pænitentiam, sed corrigere non possum, quia cùm hac fæditate peccatorum, manere apud vos nequeo. Pulchrè difficilem hanc hominis in peccato obdurati cuD rationem scriptura figurauit, Ezechielis 8. vbi Deus Ezehieli templi sui abominationem ostendere volens, duxit illum ad ostium templi, in cuius introitu idolum ei commonstrauit, quod idolum appellabatur *Zeli*, eò, quòd amantes zelo succenderet, (per quod amorosæ passiones significabantur) deinde ostendit eidem Prophetæ mulierculas plangentes, cassq; sedentes, quæ prauæ consuetudinis imaginem gerebant. tandem vlteriùs eum ducens, ostendit illi senes quosdam, tergum altaribus obuertentes, & flosculos naribus applicantes: quod erat typus complacentiæ & delectationis, quam è delictis suis hauriunt pec-

Ezechielis. 8.

peccatores. & quid nos aliud facimus, nisi idola in Dei templo collocamur, dùm cor nostrum impurissimo libidinis amore æstuat; immolamus thura huic idolo, dùm non fixâ in Deo totâ mente, laudem ei debitam persoluimus; sed oculos tantùm pascimus curiositate, applicando naribus flosculos, id est; delectationes illicitas, & moras ad cor admittendo, & tergũ altaribus obuertendo, dùm oculis quidem sacrificium inspicimus, sed mẽs pe obscæna quæque vagatur.

Habemus igitur mulierem duoB decim annis, fluxum sanguinis patiẽtem, quæ nobis miseri peccatoris imaginem præ oculis ponit: hæc cùm in humanis medicamentis remedium inuenire non posset, diuturno compulsa dolore, licet retardante pudore, ad Christum accessit, & ecce vt primum vestimenti fimbriam tetigit, *salua facta est.* hanc igitur & nos imitemur, memores nullum esse in terris remedium, quod vulneratæ peccatis conscientiæ nostræ mederi possit. Sed ipsâ omnipotentis dexterâ opus est; hæc sola enim venit quærere, & saluũ facere, quod perierat, cumq; feliciores simus illa muliere, quia præsentẽ semper in Corpore Christum habemus, Accedamus igitur ad illum retrò, cum timore, verecundiâ, & fiducia: & non iam fimbriam, sed corB pus sacratissimum dignè, & mente pura tangamus, quod nos & in corpore sanabit, & in anima æternùm saluabit. Amen.

❁❁❁❁❁
❁❁❁
❁

DOMINICA Vltima.
POST PENTECOSTEN
CONCIO PRIMA.

Cum videritis abominationem desolationis. *Matth. 24.*

Mundus abominationem desolationis patietur in Cœlo, terra, & omnibus creaturis sublunaribus.

ET cor quasi inopinato consC tusum terrore penitùs emoritur, & genua tremunt, quando vltimam elegantis mundi desolationem auribus intonat Euangelica tuba: Quis enim non trepidet, cùm pulcherima totius vniuersi machina dissoluetur? quis non stupeat, cùm cœlum illud Adamante firmius, crystallo lucidius, nescio à quo resoluto Phaëtonte malè axes dirigente, succendetur, & veluti Athlanteis humeris detrusum terram obruet, & in nihilum vertet. PrinD cipe Apostolorum extremam hanc calamitatem prænuntiante. 2. Petri 3. *Cœli* inquit *magno impetu transient: Elementa verò calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Quis non perhorrescat, quando lucidissimus ille mundi oculus sol, non amplius terram inspicere, aut alta illa sydera irradiare poterit: sed grauem passus cæcitatem carbonis instar obtenebrabitur. *Erubescet Luna & confundetur Sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalẽ, & in conspectu seruorum suorum fuerit glorificatus.* Isaiæ 29. Quasi diceret Propheta, quando Dominus in extremo Iudicio gloriam suam non modo Angelis, & hominibus; sed omnibus etiam creaturis manifestauerit, tunc Sol & Luna veluti pudore suffusi, fulgore suo priuabuntur Frangite hic vestrum cerebrum doctæ Matheseos

Isaiæ 29

2. Petri 3.

sectatores, & edisserite sivaletis, cuiusnam obsecro Lunæ interuentu tantus radiantis Solis defectus continget; nec enim vidistis vnquàm Solem ab oppositione Lunæ ita eclipsatum, vt iam ex nulla orbis parte spectari possit lucidus? Dicite quæso, cuius terræ vmbra tàm sublimè ascendere poterit? vt etiam plenam luminis Lunam toti mundo occultare valeat? Excedit hoc captum vestrum, quia illa horrenda obtenebratio non ab vmbris, sed à lumine fiet. *Erit enim tunc* inquit Propheta (Isaiæ 30.) *lux lunæ* Isaiæ 30 *sicut solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum*, Et tamen neq; serenam lunæ faciem, neq; radiatem solis vultum mundus videbit. Et quare obsecro? litem dirimit Glossa interlinearis. Glossa. *Quia* inquit *erubescet Sol, non lucem amittendo, sed in conspectu veræ lucis, quæ Christus est, tanquàm nihil lucendo.* Nam sicut sole splendente minores stellæ obscurantur: ita Christo Domino ad Iudicium mundi in gloria maiestatis veniente, Sol & Luna, quantocunq; splendore decoren. C tur, non rutilare, sed caligare videbũtur. Hæc etiam sententia est D. Chrysosthomi Homil. 77. in Matthæum. S. Chrysosth. *Sol* inquit *obtenebrabitur, non quia destruetur; sed quia luce illius aduentus superabitur.* Fulgebũt itaq; & multò clariùs; quàm nũc, omnia sydera fulgebunt, si eorum in se fulgor attendatur: at si cum Christi Domini splendore tunc potissimùm rutilante comparẽtur, caligabunt. Et quæ maior poterit esse calamitas, quàm in media luce lucem non videre. Non minor certè D hæc erit tribulatio, quàm si quis in medijs aquis natando, sitim explere non posset. Considerabimus itaque quare Deus tremendam hanc calamitatem permittet, & quid homo cùm viderit abominationem desolationis istius, facere debeat?

Pridem in Scholis sapientum proclamatum est, Deũ & Naturã nihil facere frustra, sed omnia eius operâ in certum aliquem finem dirigi. Si enim mundum creauit, gloriam suam, & commodam mortalium habitationem spectabat. Si Angelos produxit, maiestatis suæ demonstrare voluit magnificentiam, innumerabiles habendo beatorum spirituum legiones, qui ipsi semper astarent, legationibus fungerentur, & iussa omnia prompto animo exequerentur. Si humanum genus, velut arenas maris propagauit, se ipsum per hoc manifestare voluit, vt non tantùm in cælis essent Angeli, qui ante Thronum Altissimi in facies suas procumberent, sed & in terris reperirentur creaturæ, quæ eundem licet inuisibilem adorarent & venerarentur. Si innumera animalium genera multiplicauit, per hoc vniuersi pulchritudinem varietate adornare, & simul principatum homini afferre voluit, vt & vniuersum haberet de quo gloriaretur, & homini nõ deesset, cui imperaret. Si igitur Deus nihil frustra operari potest, & omne quod in mundo euenit, fit aut ab ipso operante, aut permittente, profectò nec ipsa extrema & horrenda mundi desolatio absq; causa eueniet, sed vehementissimum aliquod incentiuum præcedet, quod Deum & innatæ mansuetudinis, & clementiæ obliuisci faciet, atq; ad permittendam maximam tribulationem, & mundi vastationem inclinabit. Hoc motiuũ inculcat Apostolus Matth. 25. *Sicut* Matt. 24 inquit *in diebus Nòé, ita erit & aduentus filij hominis*. quasi diceret; quemadmodùm ante diluuium aquarum, quo totus innatabat orbis, priùs diluuium quoddam deliciarum longè lateq; diffusum præcessit: *erant enim homines* (inquit scriptura) *comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes* Hoc est multis se voluptatibus mancipantes. Ita planè extremam mundi desolationem diluuium quoddam cõcupiscentiarum præcedet, dùm omnes voluptatum illecebris supra modum æstuabunt, vbi iusto Dei decreto in hac mortali officina voluptatum, in qua deliciatur corpus, spiritus tribulabitur. Grauitas itaq; peccatorum impellet Deum, ad permittendam hanc abominationis desolationem, sicut olim pepulit eundem ad suffocãdum

Gen: 6. dum aquis mundum, Genes. 6. *Quia* A inquit *omnis caro corruperat viam suam, ideo rupti sunt fontes abyssi magnæ & cataractæ cæli apertæ sunt.* quasi diceret quia omnis homo abijt post iniquitatem suam, ideò cæli, & elementa omnia conspirauerant ad illum penitùs delendum.

Sed quare obsecro peccatores illos grauissimos Deus non vocauit homines, sed carnem, noluit vt video bonæ Philosophiæ regulas transgredi. Nomen enim (vt aiunt Philoso:) à parte magis præcipua sumitur, ideò cùm B id temporis in homine, iam completè deprauato, non mens sed caro rerum potiretur atque imperaret, loco rationis; peccator non homo, sed caro debuit à Deo vocari. Nam omnis illa corruptio ex carne manauerat, vt explicat D. Ambrosius lib: de Nòé & Arca Cap. 5. S. Ambrosius. *Caro* inquit *causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo & locus est quidam voluptatis, ex qua velut à fonte prorumpunt concupiscentiarum, malarumq; passionum flumina, lateq; exundant. Quibus demergitur anima quodã* C *excusso gubernatore remigium: cum ipsa mens, velut quibusdam tempestatibus, & procellis victa, loco suo cedit* Omnis itaq; caro corruperat viam suam, quia hæc sicut ex corruptione oritur, ex corruptione alitur, ita in corruptionẽ tendit, præsertim dùm praua voluntas nostra nescit membris (vt oportet) vti: indulgens inordinatis concupiscentijs, & se ipsam diluuio voluptatũ submergẽs. Si enim dùm esset in paradiso in illo beatitudinũ tramite, in illo virtutũ flore, in illa incorruptibili gra- D tia, & tamẽ terrenis eũ inquinauit vestigijs, quantò magis hic, dùm in medijs versatur concupiscẽtiæ flammis, permissis insolentiæ habenis in præceps ire cõatur. Sed ecce dùm anima hominum in virtutibus negligens redditur, *rupti sunt* (inquit sacra pagina) S. Ambrosius. *fontes abyssi magnæ & cataractæ cæli apertæ sunt.* Vbi Sanctus Ambrosius lib. de Nòé & Arca Cap. 14. per cataractas cæli, altiorem potentiam, scilicet mentem humanam, vult significari. Abyssi autem appellationem sensus & corpus, vt ostendat periculosius naufragium nusquàm posse reperiri, quam dùm mentis pariter & corporis, sensuumq; omniũ turbo, & procella miscetur. Tunc enim magnum fit diluuium omnibus pariter passionibus ingruẽtibus, tunc se insipientia, iniustitia, temeritas, improbitas, perfidia, de superiori parte, tanquàm cataractæ mentis videntur effundere: vnde erumpunt de corporis fonte terreni, libido, temulentia, luxuria, postremò diuersorum criminum prolapsiones. Funestum certè hoc est præ quouis alio diluuium, & pro eo introducendo fontes non laxat, aut cataractas aperit ipse Deus. Sed diabolus, mundus, caro, quasi facta in hominem coniuratione agunt.

Si igitur tantæ malignitatis est peccatum, vt ad pœnitudinem quandam induxerit Deum, vt pœniteret eum, quòd aliquando hominem creauerit: si tàm inuisa est oculis Dei iniquitas delinquentium, vt eam diutiùs ferre non volens Deus, mundum potiùs perdere voluerit. quid putamus, nonne impudens nostra actio laxatæ vitiorum habenæ ansam illi præbebũt ad delendum iterùm orbem terrarũ? quem adhuc in Arca Nòé seruauerat, nec minus quàm ante propagari passus est. Nam & nunc augentur in dies scelera, excutit frena incorrigibilis malitia, iamq; nec verbis, nec lachrymis comprimi potest, quod acriter deplorat D. Hieronymus oratione quadam felle plena, minas & indignationem spirante. *Pro nefas?* inquit, S. Hier: *non possum vltra progredi: prorumpunt lachrymæ antequàm verba, & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus cõarctatur, vbi mare illud eloquẽtiæ Tullianæ? vbi torrens fluuius Demosthenũs? Nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inuenta enim est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari.* Quasi diceret, cessit iam diuina eloquentia malitiæ. Nam neq; in rostris, vbi res semper auctiores, & ingentiores, quàm fuerint enarrantur, neq; in theatris, vbi semper maiora & turpiora, quàm

ra, quàm fuerint facinora exprimuntur, moderna Christianorum delicta, aut dici, aut repræsentari possunt tã indigna, quin multò indigniora esse censeantur.

Sed ecce propter incorrigibilem hanc nostram vitam, de omnium nostrum interitu consultat iam Deus'. *Delebo* inquit *hominem quem creaui à facie terræ.* Sed ita vt non iam seruetur ampliùs semen eius, sicut olim tempore inundationis aquarum in Arca Noëtica fuerat seruatum; verùm abominationem multò maiorem & horrendam in toto mundo faciam desolationis, ita vt sol non luceat eis per diem, neq; luna per noctem, neq; terra det fructum suum Ezech. 32. *Operiam* inquit *cælos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam & luna non dabit lumen suum omniaq; luminaria cæli auertere faciam.* Ubi autor imperfectus homil: 49. quærens rationem, ob quam pulcherrimæ illæ cæli faces in extrema mundi desolatione obscurabuntur, respondet, aut inquit propter indignã persecutionem sanctorum dolentes. aut super impiorum pessima operâ indignantes, aut nouissimam in eis Dei iracundiam demonstrantes, vt adhuc viuentibus impijs super terram, iam gustus detur infernalium tenebrarum. Ideoq; Christus Dominus vt horrorem delinquentibus incutiat, non iam hominum, sed mundi totius futuram abominationẽ desolationis prænuntiat, vt si hominem non terret grauissima illa pæna, quam diuina iustitia executa est, omnẽ animam viuentem super terram aquis delendo; saltem eum perterrefaciat mundi ipsius lachrymabilis exitus.

Ex tribus iuxta sententiam Philosophi tota hæc vniuersi moles compacta est; ex cælo, terra, & omnibus elementis atq; animantibus inter cælum & terram contentis, in tribus etiam istis abominationem desolationis patietur mundus. Primum in cælo, quia inquit Prophæta Isaiæ 13. *Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum.* Et quid tunc lucidissimos illos Planetas natiuo lumine, aut certè à sole, in magna copia illis mutuato, spoliabit? quoniam cælis nihil est cõtrarium teste Philosopho. non aliud profectò, nisi peccatorum nostrorum grauitas. Ab hac sola obscurabuntur cæli sydera, vt quæ olim peccatoribus lucere non dubitauerunt, tunc quoq; vna cum peccatoribus lugeant. Itaq; cælestes illæ creaturæ sublunarium altrices, conseruatricesq;, peccatorum supplicijs inuoluentur, vt diuinæ iustitiæ seueritas demonstretur, quæ non modo in peccatores sed in eorum fautores & benefactores, quales quales fuerint peruagatur. Reuiuiscat nũc magnus Aristoteles, & pro cælorum incorruptibilitate pugnet acriùs, ne humana temeritas & impudentia ausit pulcherimos illos orbes suis vitijs lædere, & obtenebrare. Sed & hic cedit indomitæ mortalium malitiæ, cælos ab extrinseco corruptibiles affirmans, quòd scilicet, à viliss̃ima creaturâ extra cælos degẽte, omnis illorum decor infringi valeat.

Patietur mundus abominationẽ desolationis & in terra iuxtâ illud Genes. 6. *Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Patietur hanc desolationẽ in ipsis elementis, quia hæc nimio calore soluẽtur, dùm tota terra igne inextinguibili diuinæ iræ ardebit: sed insuper & in hominibus & in omnibus animantibus intra cælum & terram contentis. *Delebo* (inquit Deus Gen: 6.) *hominem quem creaui* à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres cæli. Et quid obsecro iustissime iudex pecudes tàm reptiles' quàm volatiles meruerunt, vt tantam cladem patiantur. Respondet Chrysosthomus Hom: 22. in Gen: *Illam* inquit *pœnam etiam innoxia pecudes communem ferent, vt hanc pœnæ grauitatem addiscant mortales. Et sicut ab initio dũ peccasset protoplastus, terra maledictionẽ accepit, sic & in fine seculi, cùm abolendus erit homo, bruta quoq; cladis socia fient.* vbi vlterius optimam huius punitionis congruentiam affert Chrysosthomus. Quia sicut homine Deo obtemperante, eiusq; voluntatem perfectè exequente, tunc diuina beneficia in hominem vberrimè collata, etiam in pecora refundebantur, iuxta doctrinam Apostoli ad Roman: 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei;* ita planè homine peccante, & à diuina lege per summam impietatem recedente, æquum est, vt ipsa quoq; bruta animalia, pœnis quas ille meretur, suo modo subijciantur.

Nondumne vos Catholici mei permouet hæc grauissima clades, quæ iam toti mundo propter vestra peccata imminet. Nonne vos tenuissimo pendens filo Diuinæ Iustitiæ gladius, & quot momentis in vestras ceruices casurus terrebit? Nonne sæuiens ira Dei adhuc modicùm suspensa, à prauis moribus, peruersis actiobus, impijs cogitationibus arcebit? Non ne creaturarum omnium, quæ vestra de causa interituræ sunt, miserabilis exitus, vos à culpa tandem & omni scelere reuocabit? sed minimè! Hæc enim est misera impiorum conditio, vt nihil ad culpam, licet nimis ad pœnã terreantur. Vidit primus Protoplastus, quòd grauiter Deum offendisset, & tamen non propter culpam timuit, sed propter pœnam, non quòd lapsus esset in peccatum, non quòd diuinâ gratiâ spoliatus, non quòd à Deo auersus illiq; infensus; sed quòd nudus esset. *Timui* inquit, *eò, quòd nudus essem.* Genes. 3. quasi magis ex pœna nuditatis, quàm ex culpa in obediẽtiæ timor ille nasceretur. Vidit Cain quòd plurimum deliquisset, sanguine fratris sui innocenter effuso; nec tamen doluit, quòd à Deo reiectus esset, sed quòd à terra expulsus. *Ecce* inquit *eijcis me hodie à facie terræ.* quasi vt inquit Rupertus lib. 4. in Genes. non tàm graue putaret Deum sibi iratum esse, sed timeret potiùs ne agricolari sibi non liceret, ne terram, quã solam amabat, aut præsentem vitam pro admisso facinore perderet. Et nunc sæpiùs audiunt homines de horrenda mundi desolatione, de tremendo Dei Iudicio, nec dum tamen à peccatis euigilant, licet non leuiter timent, ne illos inopinatus casus opprimat, & vitam eis adimat. Sed peruersus est hic timor, qui non facti sui gerere pœnitudinem, sed solùm pœnæ suæ se fatetur habere confusionem. Non hic decet Christianos, nam in cordibus illorum timor reperiri debet, qui magis de culpa, quàm de pœna oriatur. Nemo est fateor qui mortem non timeat, cum hæc teste Philosopho sit omnium terribilium terribilissima? at tamen multò magis fideles timere debent vel vnius sceleris' conspectum. nam finge separari animam à corpore, grande malum est, cũ inter bona temporalia nullum sit pretiosius; quàm vitâ. Sed finge Deum ab anima separari, quantò atrocius' malum, cum absq; Deo per gratiam animante, vitam ducere, solùm viuerè sit, ac proinde, magis est iactura animæ quàm vitæ fidelibus timenda.

Miratur D. Augustinus Quæst. 144 in Exodum Ducem Hæbreorũ Moysen, quòd is licèt in monte quidem pro populo orabat, descendens tamẽ de monte atrociùs quodam modò in populum sæuiret, adeò vt ad viginti millia hominum iugularit. *Notandum quanta pro populo ad Deum supplicatione laborauerit, qui tam seuerus in eũ vindicando exstitit.* Quasi diceret, Augustinus: quid ita Moyses? Ueniam à Deo petis, quàm ipse negas, mortẽ deprecaris, quam ipse irrogas, quomodò vis, vt diuina ira deferuescat, tua exæstuante? Et si te in tuos vindicem acerrimum ostendis, cur Deum benevolentissimum desideras, atq; postulas indultorem, sed desine mirari Augustine, nam licet Moyses ad delendam culpam effundebat preces, sed ad sumendam pœnam simul euaginabat enses: cum enim de culpa magis illius populi, quàm de pœna torqueretur; ideo ad hanc inferendam seuerus erat, ad illam depellendam mansuetus. Quasi ita Moyses secũ cogitaret, totus Domine ad capitalem pœnam reposcatur Israël, sed nullus lethali culpæ obnoxius relinquatur. Quid putamus. An non figura hæc erat Christi: interpellat & ille

hucusq; ad dexteram Patris sedens, sed vbi nullam spem emendationis viderit in nobis, sæuiet quasi Leo: ita vt nemo se ab ira eius abscondere potuerit, quia si ascendero in Cælum inquit Psalmista, tu illic es Domine, si descendero in infernum tu ades, si assumpsero pennas columbæ, & volabo in extrema maris, & illic manus tua reperiet me. Non igitur erit locus vbi se homo abscondat à facie iræ Dei, quia vbiq; desolationis & horroris plena erunt omnia.

Sed fortasse illud adhuc non vnũ eludit, quia putant plerique hanc mundi desolationem serò adhuc venturã. Sed respiciant velim illud Apostolicũ monitum Ephesio 5. *Fratres videte quomodò cautè ambuletis, tempus redimẽtes, quia dies mali sunt.* Et quid aliud continua quasi successione calamitas calamitati, miseria miseriæ succurrẽs nobis prænuntiat, nisi imminens iam extremæ desolationis tempus. Orta erat quondam disceptatio inter Apostolos de tempore, quo hæc mundi desolatio futura esset. *Quando* inquit *hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consumationis seculi.* Vbi quia nonnulli existimabant, tantundem mundum duraturum post Christum, quantum ante Christum, rationem afferentes, quòd non minor esset numerus electorum post Christum; quàm ante illum. proindè putabant, quòd sicut mundus ante Christum quatuor millibus annorum durauit; sic quoq; quatuor millibus annorũ post Aduẽtum Christi duraturus esset: sed eccedùm hæc cogitatio in mentibus hominum volueretur, infantes tunc pro Christo ab Herode occisi clamabant ad Deum. *Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum.* responsumq; acceperunt. *Expectate adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum*: per quod Deus innuere voluit, non tantum iam temporis superesse admundi desolationem, quantum præterijt.

Altera fuit opinio Sanctorum Patrum, & Sancti Iustini Quæst: 71. ad gentes, Irenæi lib. 5. Cap. vltimo. Lactantij lib. 7. cap. 14. Hilarij Can. 17. in Matthæum, qui vnanimiter docuerunt, mundum nonnisi sex millibus annorum duraturum. Vnde quia circiter duo millia elapsa sunt in lege naturæ ab Adamo vsq; ad Abrahamum. Circumcisio pariter & Lex Mosaica durauit fermè bis Mille annorum vsq; ad Christum, vt multi Chronologi declarant. Ideo prædicti Patres etiam à Christo Domino vsq; ad finem mundi datâ lege gratiæ, circiter bis mille annos elapsuros volunt, vt sic inter tres leges, & status, qui fuerunt in mundo successiuè, nimirùm, inter legem naturæ, legem Mosaicam, & legem gratiæ proportio inueniatur. Deducunt hoc primò ex mysterio Arcæ illius diuinæ, quæ figura præcessit noui testamenti: quæ iussu Domini in transitu Iordanis præcedebat, & distabat bis mille cubitis à populo, vbi quoniam omnia in figura contingebat. Patres antiqui per illam distantiam Arcæ bis mille cubitorum, significatum fuisse existimant, duobus millibus annorum circumscribendum tempus illud, quo sacer Baptismus per Iordanis flumen designatus, & alia sacramenta à Christo instituta vigere debuerant. quòd nimirum quemadmodùm Arca illa à populo bis mille cubitis distabat; ita mundus gloriosam Christi humanitatem cum latente in ea diuinitate, non nisi post duorum annorum millia, iterum ad iudicium venientem visurus sit. Probant deinde suam opinionem ex eo, quia sex diebus mundus creatus fuit, & septima requies, atq; sabbatũ erat. quia ergo mille anni apud Deum quasi vnum diem significant, vt dicitur. 2. Petri 3. *Mille anni apud Deum quasi dies vnus.* Et Hieronymus in Psalmum 89. idem sentit. *Mille* inquit *anni tanquam dies hesterna*; ideò Patres antiqui ex sex diebus creationis, rectè deducunt mundi durationem sex tantùm millibus annorum futurã, postea verò diem septimum æternitatis venturum, quia dies septimus quo Deus ab opere quieuit, diem quietis sanctorum designabat; sicut & illi sex creationis dies, tempus laboris, & huius sæculi figurabant.

Iustinus. Irenæus Lactãt. Hilarius

Ephes. 5.

2. Petri 3.

S. Hieronymus.

Stabiliunt insuper hanc suam opinionem Authoritate Isidori, qui in Caput 5. Geneseos testatur, quòd sex primi parentes orbis, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, mortui sunt, septimus autem Enoch viuus translatus in paradisum, per quod deducunt congruenter, post sex millenarios, quibus labor & mors viget, initium quietis & immortalis vitæ, futurum. Hæc tamen licet probabilia tantum censeri debent, non definitiuè vera: quis enim Domini consiliarius vnquàm fuit; tamen certum est tempus desolationis mundi iam præ foribus esse; quia in nouissimis temporibus filius Dei nasci voluit, & luculenter testatur hoc ipsum Apostolus. 1. Corinth: 10. *Nos summa in quos fines sæculorum deuenerunt, filioli nouissimâ hora est.* Quod fortasse in spiritu prædixit S. Gaudentius Brizianus Tractat: 10. vbi ait: Expectamus illũ verè sanctum septimi millesimi anni diem, qui aduenier post istos sex dies, scilicet; sex millium annorum seculi, quibus completis requies erit veræ sãctitati, & fideliter credentibus in resurrectione Christi. Et reuera iam senescit mundus, iam prope interitum est, minatur q; nobis omnibus occasũ. Non iam ijsdem viribus stat quibus antea; non robore ac vigore illo valet, quo antea valebat. Non iam frugibus æstate torrendis solita flagrantia est: nec sic verna temperie omnia læta, nec adeò arborum fætibus autumnus fit fæcundus. Minus iam de effossis & fatigatis rupibus, eruuntur marmorum crustæ, minus argenti & auri opes, suggerunt exhaustæ iam venæ metallicæ. Deficit iam innocẽtia in foro, Iusticia in iudicio, veritas in consortio, in amicitijs concordia, in artibus sincera peritia, in moribus disciplina. Et quare? quia mundus senescit, idcirco minuatur necesse est, quidquid fine iam proximo in occidua & extrema deuergit.

1 Corinthio: 10.

Verbo dicam fit iam desolatio abominationis in toto orbe. Si enim cælum spectes, compatitur: dùm miserorum afflictio & afflictorum oppressio vindictam quotidiè clamat. Si terram? plectitur quotidiè cum suis colonis, nam vt notat Eucherius, Alouinus, Lyranus & alij ex antiquis Hebræis, terra infuso diluuio tabefacta est, & à superficie per tres palmos introuersùs ab aquis extenuata. Imò per aquarum salsedinem sic emarcuit, vt cùm antea fructus vberrimos, alẽdisq; hominibus pinguissimos germinaret. postea non nisi tenues sustentandisq; hominibus ineptos parturiat, adeò vt carnis esus qui antea in vsu nõ erat, à Deo concederetur, quo posset facilius humana vitâ propagari. Hanc desolationem terræ exprimere voluit Propheta Hieremiæ 4. *Aspexi* inquit *terram & vana erat & nihil*. Nec mirum, respondet D. Hieronymus in Ieremiam, quia iram Dei & muta sentiunt elementa, & irrationabilia pertimescunt animantia. Imo non tãtum iam suam illam amænitatem, quã in principio creationis habuit terra, perdidit; verùm summam quoq; sterilitatem induit adeò, vt quæ antea erat sicut paradisus, postea non minùs squallida atq; horrida facta sit, quam infernus: non quidem propter propriam culpam, cuius erat incapax: sed habitatorum, quibus inseruiebat. Cuius rationem D. Chrysosthomus de sterilitatè terræ, & ruina vrbium loquutus, dat istam. *Quia* inquit *incultas animas ad bonitatem præbuère, ea ipsa passi sunt, quæ fecerunt: vnicuiq; enim Deus quam seminauit, messem reddit.*

Eucherius. Alouin. Lyran.

Hier. 4.

S. Chrisosth.

Patitur deniq; orbis abominationem desolationis in ijs naturis, quæ inter Cælum & terram continentur. Nam & Aëris magna pars in aquas vertitur, & aqua à solito deflectens loco, ruinas terræ infert, & regna mucro hostilis vastat, quasi Diuina Iustitia in elementis præluderet, vt ex eorum innocentium pœnis, quanta sint futura iniquorum hominũ supplicia, præmonstretur. quod apertè indicat Apostolus 2. Petri 3. inquiens. *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet*

2. Petri 3.

portet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus. Quasi diceret: *Cùm igitur ita futurum sit, vt res omnes etiam rationis sensu carentes, tanta Diuinæ Iustitiæ seueritate percutiãtur, facite vt culpas omnes expietis, & omnes virtutes excolatis, ne opus sit grauioribus supplicijs nos inuadari.* Sed quid hoc est, parum est, ad terrorem impiorum misceri elementa, confundi creaturas, regna euerti: quia ait Christus, cùm videritis hæc omnia fieri, nolite terreri, oportet enim hæc primùm fieri. Sed illud iustissimè mentes Christianorũ terrere potest, quòd in hodierno Euãgelio additur. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, tunc iam extrema mundi recognoscite.*

Eia Catholici, dubitabitisne adhuc vestris iam in oculis stare iudiciũ Dei? quando non iam in populo gẽtili & barbaro, sed in gente sancta & fideli omnia desolantur. Premuntur Catholici Principes vtrinq; ab hostibus, diuiduntur regna Christiana in multorum Principatus infidelium: Scinditur Ecclesia in Schismata & hæreses; ascendunt ad curules Antichristi præcursores: frigescunt virtutes, lãguescit religio, moritur fides & malam omnium conscientiam nil nisi pauor & terror occupat. Iuxta illud Leuitici 26. *Dabo* inquit *pauorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folij volãtis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente.* Ecce desolationem abominationis in templo sancto. Vos inquit fideles mei templum estis spiritus sancti, sancti estis, sed deriuatiuè tantùm, quia sanctorum & Dei filij: nam sancti nomine proprijssimè homo in fide Christi viuens significatur. Quemadmodum Presbyteri in sua præparatione ad Missam dicere solẽt. *Quoniam ego sanctus sum, id est in fide & timore tibi Domine seruiens.* Vos inquã templũ estis sanctum, sed & in bonis vestris fit abominatio desolationis à gladio hostili. Si non magis à direptione suorum, & in conscientia fit desolatio à peccati grauitate. Quid ergo vobis restat faciendum, hoc, quod Euangelium sanctum addit. *Qui legit intelligat.* Vt scilicet tremendam hanc mundi desolationem futuram audiendo, agnoscatis, vestra delicta, & Deum deprecemini, vt tantum malum auertat à vobis, & tempus adhuc iracundiæ suæ differat.

Leuitici 26.

Igitur cùm iam videatis huius tremendæ desolationis manifesta iudicia, intelligite & recurrite ad solem illum Mysticum Christum Iesvm, vt cùm sol iste mundi obscurabitur, ille oriens ex alto, gratiæ & misericordiæ suæ radios vobis impertiatur; recurrite ad Lunam mysticam aspectu pulcherrimam, virginem sanctissimam, vt quæ peccatoribus semper in nocte lucere parata fuit ad depellendas delictorum tenebras, in illa tremenda iudicij nocte, vobis serena appareat. Deum verò præpotentem rogate, vt cordibus vestris imprimat salubrem timorem, quo perterriti, non iam hostem corporis, sed hostem animæ fugiendo, ad terram illam promissionis feliciter peruenire possimus, ibiq; Patri & Filio & Spiritui Sancto triumphale celeusma in æternum decantemus. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum maiestate & potestate multa. Matth. 24.

Christi aduentus ad iudicandum mundum erit formidabilis ob maiestatem & potentiam.

FAllax mundus, qui hucusq; de sua pulchritudine nimiùm gloriabatur, velut latro ille volucrum superbus pauo, qui varietate colorum circumdatus, & angelo pennâ similis triumphat, & Phœnice nobilior, Aquilâ glorioſior, omniq; auium indiuiduo pulchrior apparere vult. vt primùm pedem suum inspiçit, rubore confunditur, & tanquàm vilissimus auium ab oculis spectantium fugit. Sic inquam fallax mundus, cùm de sua externa venustate supra modum exultat, extremam sibi cladem atq; ruinam imminentem audiens, perterrefactus manet. Sed quid mirum: si enim magnanimum Dauidem, virum in sanctitate & virtute primarium, vnica tribulatio eo deduxerat, vt peteret à Deo sibi alas columbæ concedi, quibus suffultus ad maris insulas transuolare posset Psalm: 54. *Timor* inquit *& tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Quomodò mundus tremere non debet, cùm velut arbor ramis vsq; ad cælum dilatata, aureo flore se ipsum audit spoliandum. Si vrbs Constantinopolitana olim terræ motu horrendo & formidabili concussa, in vltimã planè desperationẽ agebatur, licet illi non deesset solatium, ab aureo Chrysosthomo, illius tunc loci Archiepiscopo, qui vt populum in sperandaDei misericordia animaret, hæc pro concione dicebat. Vidistis Dei potentiã? *Vidistis. Dei benignitatem? potentiam, quòd orbem terræ concusserit: benignitatem quòd eum cadentem firmauerit. Concussit, at non prostrauit: si enim prosternere voluisset, minimè profectò concussisset, sed quoniam id nolebat, præcessit tanquã terræ motus, iram Dei ante denuntians, vt timore meliores effecti, supplicium re ipsa inferendum repellamus.* Quomodò nũc mundus pauere non debet? cùm non solùm futurum terræ motum; sed etiam stellas è cælo cadendas audit. Si tres digiti tantùm, ijq; non gladio, nõ fulmine armati, sed plumâ & calamo instructi, adeò perterruerunt Balthasarem Regem, vt penitùs animo caderet. Daniel 5. Num: 5. *In eadem hora,* inquit *textus, apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Sed quid animi habuit Rex nouo spectaculo perculsus? dicit sacra pagina. *Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Quomodò nunc mundus animo cadere non debet? cùm non digitos, sed vtramq; Dei manum, ad punienda nostra flagitia appropinquare audit, ex hodierno Euangelio. *Tunc patebit filius hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Plangent inquam, quia totus orbis non vnâ solùm, sed vtraq; Dei manu castigabitur, iuxta vaticinium Dauidis Psalm: 20. Num: 9. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt:* quasi apertiùs dicere velit: vtraq; manus tua Domine, sinistra pariter & dextra, ad puniendos peccatores aliquando tandem adhibeatur: hactenùs enim mulcebas dexterâ, & solâ sinistrâ puniebas: quia iustitiam cum misericordia temperabas. Nunc autem vtramq; exere, & in extremum supplicium impende, vt calicem mero tuæ iustitiæ, vino plenum absq; vlla misericordia omibus peccatoribus propines. Cur ergo aduentus Christi Domini ad vltimam mundi desolationem, adeò sit formidabilis, in hodierno Euangelio perspiciemus.

S. Chrysosth.

Psal: 54.

Daniel: 5.

Meritò in disceptationem venire potest, quare vltimum Christi aduentum adeò expauescat mundus; cùm tamen illum vniuersa creatura ardentissimè desideret. Desiderant eum, inprimis iusti, quorum nomine S. Ioannes suam Apocalypsim finiens dicit. *Veni Domine Iesv.* quam etiam sanctorum expectationem sanciuit Apostolus Philippen: 3. Num: 20. *Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Vbi S. Hilarius libro 11. de Trinitate sic legit. *Nostra autem expectatio.* quasi non aliud sit, sanctos in cælo conuersari; quàm de cælis expectare Saluatorem, quo cælestes efficiantur, & cuius corporalem pulchritudinem perfectissimè imitentur. Ad quam expectationem vnum quemq; Christianum hortatur Apostolus Titi 2. Num: 12. *Sobriè* inquit, *& iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes*

Matth. 24.

Philip. 3.

S. Hilarius.

Ad Titum 2.

tantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV *Christi.* Quasi nemo sanctè viuat, quin hac spe firmiter innitatur, vt docet Sanctus Hieronymus in eum locum. *Qui* S. Hieronym. *piè* inquit *in hoc seculo viuit, iustè beatã spem Christij, aduentum expectat: sicut enim impietas, magni Dei reformidat aduentum, ita secura de opere suo & de fide, illum pietas præstolatur.* Hac vna spe de Christo Domino ad mundi finem vẽturo, suas omnes miserias, & extremas calamitates Sanctissimus Patriarcha Iob solabatur. Nam postquàm longissimam seriem malorum, quibus premebatur euoluit; pro magno illorum solatio subdidit. Iob. 19 *Scio quod Redemptor meus viuit, & quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius: reposita est hæc spes in sinu meo* Iob. 19. Num. 25. Quasi hæc vna spe de Christo videndo, omnis de malis præsentibus tristitiâ penitùs tolleretur. Igitur Christum Dominum in extremo iudicio venturum, & seruos suos æterna beatitudine donaturum, nemo iustorum est, qui firmiter & libenter non speret. Quia omnes æternâ gloriâ fruituri, Christum Dominũ vt suæ gloriæ auctorem donatorem q; constantissimè & ardentissimè expectant. Imò in hac ipsa spe gloriæ non minus; quàm in ipsa gloria exultant, Rom. 5. iuxtá illud Apostoli Romanorum 5. Num: 1. *Per quem gloriamur in spe gloriæ.* Quamuis enim spes beatitudinẽ excludat, quia: cùm differtur, affligit animam. Prouerb: 13. Num: 12. tamẽ hæc ita animum exhilarat, vt quodam modo beare, & gloriosum reddere videatur. Prou. 13.

Agnouit hoc perbellè Christus Dominus, qui ex hoc mundo ad Patrẽ abiturus, hac vna sui reditus spe, mærentes discipulos consolatus est, Ioan. 14. Num: 28 *Vado* inquit *& venio ad vos.* quasi diceret: vt obseruat Diuus Cyrillus Alexandr. lib. 10. in Ioannẽ S. Cyril. Alexan. Cap. 8. *Si nunquàm rediturum me dixissem, non iniuriâ, ingenti dolore, atq; formidine perculsti essetis. Quoniam autem non abiturum solùm, sed rediturum me affirmaui: cur, quod mœrorem afferre possit, animo voluntis; & quod lætitiæ causa est, non recordamini.* Opponite dolorem gaudio: non enim solùm ascensurum me ad Patrem nuntiaui, sed rediturum rursùs nuntiaui. Verũ quid singulos moror? tota Ecclesia nihil auidiùs desiderat, nihil ardentiùs expectat; quàm secundum Christi aduentum, vt tandem suauissimis eius amplexibus perfruatur. qòd facilè deducitur ex illis verbis Cant: 8. Num: 13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* Septuaginta verò transferunt. *Qui sedes in hortis.* Quasi Ecclesiam quæ est spõsa Christi, cum Christo in hunc modum loquentem introducant, Auctore Theodoreto. Sponse mi, qui requiescis in hortis, hoc est in sanctis, quos tanquàm hortos in tuas delicias plantasti, qui quidem corporis vinculis non distrahuntur, intentis in te oculis perpetuò contuentur, Angelici nimirùm ordines à materia remotissimi. Ego verò quæ huiusmodi adstricta sum vinculis, vereor ne deficiam, ac retrocedam ac macter. Itaq; secũdum aduentum tuum sedulò flagitans atq; expectans, supplico, vt audire me facias vocem illam tuam optatissimã: *Venite benedicti patris mei.* Et quamuis ex verbis sequentibus videatur sponsa non tàm desiderare, quàm potiùs exhorrere Christi aduentum. nam addit ibi statim sacra pagina verba hæc. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloq; cernorum.* Vbi videtur sponsa non tàm accessum; quàm recessum sponsi sui flagitare. Verùm non vrget; quia verbum *fugere.* quòd ex Hebræo Sarach deducitur, significat currere magna cum festinatione, vt exponunt Rabbi Ioseph, & Kimchi, inde etiam in latino verbum fugere significat quandoq; *currere citissimè, seu volare.* vt canit Mantuanus. Cant. 8. Rabbi Ioseph.

Optima quæq; dies miseris mortalibꝰ ægris.
Prima fugit.

Hoc est, quam ocissimè volat, & euanescit. Et meritò: quia cùm quis fugit, vt fugiendo à magno aliquo periculo liberetur, *pedibus timor addit alas,* quibus velocior Euro in fugam rapiatur.

piatur. Hanc igitur ob causam sponsa, ardentissimo sui sponsi videndi desiderio accensa, non dixit curre, accelera, festina, at maiori cum emphasi. *Fuge similis cerua hinnuloq; cernorum.* hoc est, citatissimus festina quasi diceret: sicut hæ animantes suaptè naturâ pernicissimæ, quàm velocissimè currunt, præsertim cùm à venatoribꝰ vrgentur, & à canibus penè insectãtibus agitantur: tunc enim fuga multo effusiori suæ consulunt incolumitati; ita planè te precor & obtestor, vt ad meum explendum desiderium, eam celeritatem imiteris, & sic in meam salutem festines, quasi tuæ fugiendo consuleres. Verba proinde hæc. *Fuge dilecte mi.* hunc sensum in se cõtinent. Tanto conatu propera & festina, quanto qui suum periculum fugiunt, concitantur; sic in meam gratiam accelera, ac si ad tuum periculũ fugiendum properares.

Imo dicam veriùs, non solùm militantis, sed etiam triumphantis Ecclesiæ hoc esse continuum desiderium, vt Christus ad Iudicandum mũdum quantociùs veniat. Fatetur hoc Apoc. 6 Sanctus Ioannes Apoc: 6. Num: 9. & 10. *Vidi* inquit *subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebam, & clamabant voce magna dicentes. Vsquequo Domine Sanctus & verus, non iudicas sãguinem nostrum, de ijs qui habitant in terra.* Quasi illæ beatæ animæ suis adhuc corporibus exutæ, & effusæ non in vocem laudis, sed in vocem precis, (vt loquitur D. Bernardus Serm. 3. in festo Omnium Sanctorum) ita cum Christo Domino amicè expostulare videantur. *Cur Domine rectissime viuorum Iudex ac mortuorum, ad nostram perfectam & consummatam felicitatem non properas, non festinas. Cur ad extremum iudicium non descendis, & nostra corpora quæ pro te multos cruciatus, multas iniurias, multas plagas vsq; ad necem subierunt ad vitam non renouas, non reducis, vt te corporaliter glorioſum, corporalibus oculis spectantia sua tandem beatitudine perfruantur.* Ita commentatur hunc locum D. Bernardus. Vbi loquens de S. Bernardus.

Christo Domino reformaturo corpus humilitatis nostræ, & configuraturo corpori claritatis suæ, sic ait. *Hæc est beata spes, quam expectant animæ sanctæ, & licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in qua requiescunt, adhuc tamen orant, & clamant ad Deum, pro ea consummatione, quam præstolantur.*

Quid dicam? non solùm animas Iustorum, sed ipsos quoq; Angelos, perfecta iam felicitate donatos, hoc vno Christi Domini desiderio vehementer inflammari Hoc expressè in- 1. Petri 1 sinuat D. Petrus 1. Petri 1. Num. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere.* super quem locum Beda, tantam fore Christi Domini in extremo iudicio clariratem arbitratur, *vt etiam* inquit *Angelicæ in cælo virtutes, cum sint æterna felicitate perfectæ; non solùm immortalẽ deitatis magnificentiam; sed etiam assumptæ humanitatis claritatem, semper aspicere gaudeant.* Sed cùm desideriũ sit absentis boni, quomodò obsecro possunt Angeli desiderare Christi Domini claritatem in extremo iudicio manifestandam, cùm illa præsente iam perfruantur. Verum respondent Doctores, Angelos non tàm Dominum quo iam præsente fruuntur, quàm aliquid in Christo futurum, & adhuc absens desiderare. Fit enim ibi mentio ab Apostolo de visione ex proprio genere, non autem de visione beatifica. Nam per hanc non desiderant Angeli ampliùs quidpiam in Christo videre, cùm hæc sit omnino inuariabilis, nec successu temporũ, crescere aut minui possit. Quid sit autem illud futurum, quòd Angeli desiderant in Christo videre, dupliciter potest intelligi; aut in fieri & successiue; aut in facto esse, & consummatè. In fieri sunt omnia illa ornamenta, quæ ex toto militantis Ecclesiæ decursu, ex propagatione Euangelij, ex conuersione infidelium, ex sanctificatione animarum, ex collectione prædestinatorum à Christo Domino successiuè comparantur. Quæ sicut successiuè fiunt; ita ab Angelis successiuè cognoscuntur, iuxta illud Apostoli Ephesi 3. Nu- Ephes. 3

mero 9. *In gentibus Euangelisare inuestigabiles diuitias, vt innotescat principatibus, & potestatibus, in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo IESV Domino nostro.* Ubi mysteria quæ dicuntur Angelis per Ecclesiam innotescere, non sunt ea, quæ ad Incarnationis substantiã pertinent: hæc enim non Angeli per homines, sed potiùs homines per Angelos didicerunt. Sed ea, quæ ex prædicatione Apostolorum, & eorum qui ipsis in ministerio Euangelij succesSerunt, resultant. Nam hæc sicut fiunt successiuè per Euangelicos ministros, ita per eosdem successiuè Angelis patent. Vnde dicit S. Ambrosius lib: 4. de fide Cap: 1. *Angeli processus habẽt scientiæ, & capacitatem perfectam, solus enim sine processu is est, qui in omni perfectione semper æternus est.* Angeli igitur hoc modo desiderant prospicere in Christum, vt scilicet nouis in dies singulos trophæis, ex Euangelica prædicatione partis, Christum decoratum intueantur.

S. Ambrosius.

Quæ autem desiderant Angeli videre in Christo in facto esse, & consumatè; hæc sunt omnia decora, & ornamenta, quæ Christus in tremendo suo illo Iudicio consequetur, cùm deuictis omnibus suis hostibus, & collectis omnibus suis spolijs, plenissimè & perfectissimè triumphabit. *Vt sit Deus omnia in omnibus.* 1. Corint. 15. Num: 18. hoc est: vt ab omnibus & per omnia verus Deus agnoscatur. *Quod planè fiet* (inquit D. Ambrosius lib. 5. de fide Cap. 7.) *cùm gentilis crediderit, cùm Iudæus cognouerit, quem crucifixit: cùm Manichæus adorauerit, quem in carne venisse non credidit: cùm Arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negauit: cùm postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, Iustitia, pax, charitas, resurrectio.* Quæ omnia in extremo Iudicio fient. In hunc igitur tantum ac talem triumphatorem perfectissimâ gloriâ, & consummatissimo honore à Deo coronatum desiderant Angeli prospicere, vnde in extremo iudicio diuturnam sitim, & ex multo tempore collectam explere cupientes, ad Christum Dominum conuolabunt, vt hoc Diuino spectaculo satientur, iuxta illud: *Vbicunq; fuerit corpus, illuc cõgregabuntur aquilæ* Matth: 24. Num: 28. hoc est interprete D. Chrysostho mo & Euthymio: vbicunq; Christus Dominus iudicaturus orbem apparuerit, illuc & Angeli aduolabunt, vt tãtum triumphatorem comitentur, & illius suauissimo conspectu, quem diu desiderauerant reficiantur. Quod vaticinatus est Dauid Psal. 95. Num: 11. *Lætentur* inquit *cæli, & exultet terra à facie Domini quia venit, quoniam venit iudicare terram.* Paraphrastes autem sic vertit. *Lætentur exercitus Angelorum & exultent iusti terræ.*

Matt: 24

S Chrysosth: & Euthymius.

Psal: 95.

Sed ne per singulas creaturas longiùs euagetur spiritualis sermo, totam earum vniuersitatem in medium sistamus: tota enim ardentissimo quodã desiderio videndi Christum Dominũ ad terras venturum, & sua cuiq; præmia aut supplicia redditurum inflammatur, iuxta illud Apostoli. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis: scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc.* Romanorum 8. n. 19. Vbi istius desiderij, seu expectationis magnitudo tripliciter commẽdatur. Primò, quia non dicitur creatura expectat, sed expectatio creaturæ expectat; quasi ipsa creatura non sit aliud; quàm pura quædam expectatio, sicut effatus est Dauid Psal. 38. Num: 8. *Et substantia mea apud te est.* Ex hebræo autem legitur. *Expectatio mea apud te est.* Quasi tota Dauidis substantia ex sua expectatione conflata esse videatur. Secundò, patet summum creaturarum desiderium Christi ad iudicium venturi, ex causa finali expectationis, vt scilicet vnaquæq; earum liberetur à seruitute corruptionis, & transferatur in libertatẽ gloriæ filiorum Dei. Quantum enim malum seruitus, & quantum bonum libertas, tantum est omium creaturarum desiderium eundi à seruitute, & transeundi ad libertatem. Quod in secundo

Rom. 8

Christi

1. Corin: 15. n. 28

S. Ambrosius.

Psal: 38.

Christi Aduentu consecuturas se sperant creaturæ. cùm enim omnes fuerint propter hominem, sicut cum homine seruo & corruptibili seruiunt atq; corrumpuntur; ita cum homine libero & immortali, libertate & immortalitate donabuntur. Tertiò, patet hoc desiderium creaturarum ex affectu. Quia vt dicit Apostolus. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc.* hoc est vt exponit S. Chrysosthomus ibidem. Homil: 14. Non quòd Apostolus suspirium aliquod à terra & à cælo editum audierit ipse, sed vt futurorum bonorum declaret immensitatem, & desiderium, quod habet, vt à malis præsentibus liberetur. Hoc proinde desiderio insito & innato, quo vnaquæq; res suum appetit bonum, omnis creatura etiam insensibilis Christum Dominum desiderat & præstolatur.

S. Chrysostho:

Verùm, cùm omnibus creaturis tanta sit cupido erga Christi Domini aduentum, quare tamen iste aduentus tremendus est toti mundo? causam, vt video, reddit hodiernum Euãgelium. *Tunc plangent* inquit *omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute, cæli, & maiestate.* Quasi dicat; ideo plangent, quia talem venientem videbunt iudicem. Non enim tunc descendet vt filius hominis, benignus & misericors, sed potiùs tanquàm similis filio hominis, vt docet Sanctus Ioannes Apocalyps: 14. Num: 14. Nõ quòd futurum sit, quasi tunc humanã exuat naturam, & solam sibi eius similitudinem reseruet? Hoc enim dictu nefas. Sed quia in summa claritate mundo apparebit, vt optimè declarat Abbas Ioachimus, qui dicit: *tantam Christi Domini claritatem, tantam maiestatem sub illud tempus futuram, Vt sicut in eo inquit aliquando, diuinitatis suæ gloriam occultabat humanitas: ita tunc humanitatis eius abiectio exinata à maiestatis gloria & splendore, summæ lucis absorpta videatur.* Quasi Christus Dominus, sicut in primo aduentu maiestatem suam exinauit; ita in secundo suam velit exinanire humilitalem: & sicut

Matt. 24

Apoc. 14

Abbas Ioachimus.

in primo speciem humanam abiectiorem præferebat Isaiæ 53. Num: 2. *Nõ est ei species neq; decor.* ita in secundo speciem humanam augustiorem demonstret. Pauebit ergo mundus, cùm Dominus ad iudicãdum venerit, propter eximiam eius claritatem, quia vt docet S. Ambrosius in Cap. 9. Lucæ *Premit incomprehensibilis splendor diuinitatis, nostri corporis sensus. Nam si solis radium, è regione oculorum contuentium corpora, nequit acies sustinere, quomodò Dei gloriam humanorum ferret corruptela membrorum.* Pauebit tunc mundus, quia cum maiestate & potẽtia venientem Dei filium videbit. Si enim Dei patientiam attendas, quã tàm graues & enormes, tam varias & multiplices offensas hucusq; tolerat. Si mutum silentium cogites, quod ad scelera hominum & iniurias, quæ in illum singulis ferè momentis redundant, taceat. non videbitur vigilanter animaduertere studia mortalium, velut mortuum putabis. Videtur nũc Deus quasi quidam mortuus; aut aliquis ablq; manibus & oculis, dùm plurima etiam indignissima, patienter suffert; misericorditer conniuet, & dissimulat. Videtur nec manus habere, quibus flagellet, nec oculos, quibus humãas arbitretur culpas, & præuaricationes. Verùm si potentiam eius spectes, facilè tibi in mentem veniet illud Apostoli Hebræorum 10. Num: 31. *Horrendum est incidere in manus Dei virtutis.* Quid autem per manum Dei significetur, optimè Sanctus Ambrosius in Psalmum 37. *Manum* inquit *Dei virtutem intelligimus. Hæc manus, regem Ægyptiorum, propter Abrahæ iniuriam, ob tentatam Saræ pudicitiam flagellauit. Hæc manus, Ægyptiorum currus, equos, & populos, rubri maris, demersit profundo. Hæc manus mẽtem grauauit Regis Saul, vt gratiam sui conseruatoris odisset, & gladium in se suum conuerteret: ne captiuus senex viueret, filijs & regno superstes.*

Isaiæ 53.

S. Ambrosius.

Psal. 21.

In persona nostri Saluatoris dicit Propheta Regius Psalmo 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominũ & abiectio plebis.* cur obsecro vermiculi abie-

li abiectissimum nomen sibi Dominus vsurpauerit? Respondet Hugo Cardinalis. *Quia nihil est mollius verme cũ tangitur, nihil cùm tangit durius.* Vix manu tetigeris vermem in ligno (teredinem vocant) quin moriatur. is tamen quercũ, & his asperiora ligna mordaci dente erodit, & rostelli sui spiculo perterebrat. Proinde illo nihil durius, cùm tangit. Talis est Deus inquit Hugo: Pendebat Christus Dominus in Cruce, tanquàm vermis tener & blandus, nam licet blasphemarẽt crucifigẽtes eũ, tacebat. Vermis est & nunc, quia agunt quidquid sibi libet, sub taciturno Deo, homines scelerati, peccatores iniqui. *Proinde nihil illo mollius cum tangitur.* Sed cùm ille sub extremam mundi expirantis horam venerit. *Nihil illo durius.* Quis enim tunc ferre poterit irati Dei trucem aspectum, & quis *stabit ad videndum eum*, succlamabat olim Malachias. 3. Num. 2. Tanta erit tunc Dei ira, tanta bilis, tantus furor, vt nullus, sit licet sanctissimus, & intaminatissimus, illum intueri possit, quin collabatur & penitùs concidat: nam summus tremor tunc peruadet. Horrendum est ergo incidere in manus Domini, quòd præclarè expressit diuinus propheta Psal: 128. Num. 3. vbi dicit. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.*

Hugo Cardin.

Malach: 3. n. 2.

Psal. 128.

Apprehendite hic fortiùs Catholici hæc prophetæ verba. *Fabricauerũt.* Qui ædificium vult erigere, non nisi post multi deliberationem temporis, opus aggreditur. Priùs diligentissimè omnia circumspicit, & expendit, antequàm fundamenta ponat. Frequẽter ad regulam longitudines, ad perpendiculum altitudines, ad normam angulos, commensuratur. Non semel archetypum ædificij, quod mẽte coceperat, variat. Nunc superaddens aliquid, nunc auferens; & diutissimo modo disponens. Priùs Materiã in vsum operis accommodat, & artifices conducit. Tale quidpiam Deus in commendationem admirandi sui silentij, & summæ misericordiæ, atq; incomparabilis patientiæ per os Prophetæ enuntiat, dum inquit. *Supra dorsum fabricauerunt peccatores.* O quot ædificia cæcus & summè dissolutus peccator constituit. Quàm præmeditatè disponit tempus explendæ suæ cupiditatis. Quàm diligentissimè quærit modum, quo vindicare iniuriam, quam fortè accepit, aut expugnare pudicitiam puellæ, cuius amore capitur, possit. Quo non vtitur artificio ad peccandum. Quot annos inter execranda scelera malè agendi peritus artifex consumit, cùm Deus interea patienter hæc omnia ferat, & dissimulet. Non ergo potuit Christus se vermem appellare commodius, quàm, cùm non repugnanter fert, & sedatè peccatores, super dorsum suũ fabricantes. hoc est patientiâ suâ ad id abutentes, vt quo illum magis misericordem cernunt, & patienter enormissima scelera ferentem, eò ad peccandum impudentiùs & audaciùs prosiliant.

Ibidem.

Sed audite quæso, quid post tàm diuturnam Dei taciturnitatem sequatur. *Dominus* inquit ibi Propheta, Iustus, *concidet ceruices peccatorum.* hoc est; iratus conteret obdurata peccantium capita, quorum insolentiam leniter ante hac tulit & dissimulauit. Ecce duritia, cum tangit, clamat Hugo. Ecce duritia, quâ nulla alia intolerabilior. Ecce post diuturnam conniuẽtiam austeritas, à cuius magnitudine montes defluent, & saxâ non secus ac cera liquescent. Vnde sapiens imprudentem viatorem, ne in tàm seueram Dei manum incidat, serio admonet. Ecclesiastici 6. Num: 4. inquiens. *Ne dixeris: peccaui, & quid mihi accidit triste?* Indulsi genio, obsecundaui voluptatibus, & subditus fui omni meo appetitui, atque mo ẽgessi qualicunq; libidini. Quid tum? quid mihi inde pœnarum euenit? potest secum sceleratus peccator talia mente voluere. quia dicit Sapiens 1. *Altissimus est patiens redditor.* quasi diceret: quem tu miser homo altissimum, remotissimum, & à te quàm longissimè abesse putas, is quanquam nunc ferat, & taceat, atq; dissimulet; iustas tamen

Ibidem.

Eccles. 6.

Sapient.

tamen à te aliquando pœnas exposcet, quæ cùm acerbissimæ fuerint, incircumscriptam durabunt æternitatem. Quisquis Deum sublimem, vel longè remotum, & abditum, tàm patientẽ & ad omnia taciturnum videt, verum illum arbitratur. Quisquis secum reputat, quã multa atq; enormia in singula momenta perpetrantur flagitia, & tamen Deus, nec flagris in peccatores propterea inuehitur, nec supplicio aliquo in eos animaduertit. Nihil illo mollius, lenius, tractabilius existimabit. At cui in extremo illo atq; horrendo iudicij die, post hac occurret, toto stomacho concitatus, atroci vultu, scintillas oculis, fluuium igneum ore promens. Quid ibi dicet suæ conscius mentis homo, nihil sanè aliud, quàm, quòd illo vermè leniissimo nihil tunc durius, nihil horribilius, nihil seuerius existat.

Præclaram istius diuinæ benignitatis, pariter & seueritatis imaginem expressit Rex & Propheta Dauid, de quo illud sacræ literæ protulerunt: 2. Reg. 23 *Sedens in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* 2. Regum 1. Num: 8. Quæ optimè ad Christum Dominum transferri possunt. Sedit ille in Cathedra Crucis inter duos latrones, & velut quædam tenerrima teredo sedit. Abulẽ: Abulensis dicit, Dauidi tenerrimi vermiculi nomen datum fuisse. quia in conuersatione erat mollissimus, omnibus tractabilis, & affabilis. O quã hæc aptiùs cadunt in Christum? Quis vnquàm tàm benignus, tàm facilis ac pius exstitit, quàm ille in Cathedra sanctissimæ Crucis? quot probra excepit, quot cõtumelias & blasphemias mansuetissimus agnus patienter toleravit. Sed de Dauide post summam illam præmissam benignitatem, scriptura sacra subiungit. *Octingentos* inquit *interfecit impetu vno.* Quamuis tã comis & humanus alioquin esset; in prælio tamen ferus leo exstitit, & quasi fulminis quidam radius, qui vno cõflictu homines octingentos contrucidarit. Admirabile sane robur? Totne viros vermiculus vnus interemit? num simul forsan & vermis & Leo, & Agnus, & Tigris. Sic planè Christus Dominus, nunc quidem vermis est tenerrimus, qui patienter fert omnia nostra scelera, tacet & dissimulat. Verùm in extremo illo & tremẽdo die, quasi Leo rugiet, & quasi radius fulgurabit. Vbi vt peccator plectatur, Christus tanquam iudex seuerus potestatem suam afferet, gladium verò quo mactetur impiùs, ipsemet peccator præbebit, Dominus quidem Iudicium faciet, sed ipse peccator cum sibimet sit causa perditionis, flagellum ad se puniendum subministrabit. Atq; vt in cognitionem istius diuinæ potestatis totum orbem adducat, propheta magnitudinem eius prolixè describit. *Fabricatus est* inquit *auroram & solem, tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem, & ver, tu plasmasti ea.* Psalm: 73. Num: 16. vbi quærit Hugo Cardinalis. Nunquid non Dominus similiter fecit autumnum & hyemem? Quare ergo placet plus de illa, quàm de istis. Cum ver atq; æstas sint & serenissima, & fœcundissima, & florentissima, adeoq; iucundissima & gratissima anni tempora. Videtur ergo quasi assentari Deo sacer vates, dùm illũ eorum sapientissimum opificem prodit, & proclamat, autumnum verò & hyemem, vt pote partes anni frigidas, asperas, onerosas, quasi nullæ sint, silentio tegit. Sed quare id faciat; Respondet Hugo. Autumnus & Hyems, eius Iustitiam designat, Ver & Æstas eius misericordiam, vnde dicitur ista facere, quia cùm facit misericordiam, proprium opus facit, cùm autem facit Iustitiam, alienum est opus eius ab eo. Typica ergo significatio istarum anni partium fecit, quare æstatem potiùs & ver, quàm autumnum & hyemem à Domino facta Regius Vates asseruit, quia cùm amabilia veris & æstatis tempora, suauem Dei benignitatem repræsentent, voluit illorum author dici, vt cognoscamus quòd velit non solùm esse; sed etiam videri & haberi terris facilis, misericors; noluit verò commemorari opifex autumni & hyemis, vt intelligeremus quantùm oderit

Psal. 73.

Hugo.

oderit austeritatem, qui ne partium anni earum architectus recenseretur, cauit. quæ aliquam asperitatis notam præseferunt. Cùm ergo Deus tàm sit alienus ab omni austeritate, ideo non Deus sed ipsemet peccator quærit sibi rigorem, ipse sibi cudit gladium, quo feriatur.

Causam proinde audistis, quare Christi auduentus ad iudicandum mũdum sit formidabilis. Quia scilicet cum magna maiestate & virtute veniet, ne ergo aggrauetur manus Domini super vos, ne potentiam suam exerat ad seuere puniendùm, ne maiestatem ostẽdat, ad oculum gratiâ suâ non eleuatum lædendum, præuenitè aduentum eius, & omnes expiate noxas, vt cùm venerit ille ad iudicandũ mundum, vos non impediat, sed clementer ad suæ voluptatis participationem inuitet. Amen.

EADEM DOMINICA

CONCIO TERTIA.

Orate vt non fiat fuga vestra in Hyeme vel in Sabbatho. Matthæi 24.

Hiems aspera est cor imparatum, & conscientia peccatis onusta.

VLtima eaq; mæsta, in delicatis terrenarum voluptatum labyrinthis, spatiantis mundi desolatio, nobis ob oculos proponitur in hodierno Euangelio. Sed vt quid æterne Deus, hanc totius vniuersi, mundi iacturam prænuntias, & futuris hisce malis populum tuum perterrefacis? cùm & tempus, & dies, & hora, horum omnium, in tuis duntaxat inscrutabilibus arcanis lateat, & omni creaturæ sit ignota. Nunquid hæc mala vitare poterimus? cùm ea quæ omnes latent, improuiso nos semper obruãt fato. Sed audite mysterium, *hæc* inquit Christus *prædixi vobis*. Ut quos Dei amor à vitijs non cohibet, quos cælestium bonorum desiderium à fæda & belluina viuendi ratione non auocat, quos virtutis studium à luxu non cõcercet; eos saltim tremenda extremi iudicij expectatio, & lachrymabilis totius vniuersi vastatio deterreat. Ad quod mouet omnes Apostolus, Lucæ 21. *Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Et hæc est summa Dei erga nos clementia, quia non vult mortem peccatorum; sed potiùs vt omnes salui fiant, ideoq; semper ea prædicit, quæ propter scelera nostra facturus est: vt nos ad pœnitentiam inclinet. Voluit Deus propter peccata; quorum plena iam erat terra, omnem animam viuentem in mundo aquis diluij suffocare: & ecce iustum Nòé præconem venturæ iræ fecit, vt diluuij prædictione in tanta peccatorum multitudine corrupta delinquẽtium voluntas, ad Deum conuerteretur. Gen: 6. Sed quia tanta Dei misericordia homines in peccatis obduratos minimè flexit; *inundauerunt aquæ super omnem terram, & eleuatæ sunt. Super omnes montes 15. cubitũ.* Grauabatur immensis sceleribus Sodomitarum populus, quorum peccata in cælum clamantia, cum iam pati non posset Deus, priùs tamen iustum Loth in medio ciuitatis clamare voluit, vt futurum incendium prædicens, ad placandum Deum aliquos saltim permoueret. Sed quia illis quasi insaniens & ludens loqui videbatur, cùm prædicentis vocem contemnerent, igne & sulphure è cælo cadente, omnes cum suis habitationibus in fauillam redegit. Gen. 10. Antequam Pharao impius cum suo exercitu in profundo maris demersus est, multis à Deo signis admonitus fuit, ne Altissimi resisteret voluntati. Rem planè mirandam scribit Iosephus de bello Iudaico lib. 3. Psal: 547. antequàm sanctam illam, ciuitatem Hierosolymam Deus in manus gentilium Romanorum traderet, propter scelera idololatrantium Iudæorũ, futuram tamen illam solitudinem multis prodigijs prænũtiabat, vt illis delinquens populus perterritus, & ad Deum in humilitate conuersus, eius iram à se auerteret. Primum signum erat, quia super ciuitatem cometes similis gladio stetit, & per annum perseuerauit. Alterum signum, cùm ad diem festum Azymorum populus pro festiuitate conueniret, ecce nonâ horâ nocturnâ, circa templum tantum lumen refulsit, vt clarissimus dies putaretur. quod ad mediam permansit horam. Tertium signum, eodem die festo erat, quia orientalis porta interioris templi, cùm esset ænea atq; grauissima, & sub vesperum vix à viginti viris claudi posset, seris, ferro, vinclis, bene obserata, horâ sextâ noctis sponte aperta patuit. hæc prodigia bonum augurium imperitis videbatur: sacrorum verò peritis, templum sponte dissolutum iri, & hosti vrbem domum futuram ominabantur. Et quid aliud in regno nostro fit, ecce infaustus cometes in Zaporoze ortus, cum gladio stetit iã ferre ab anno supra regnum nostrum. Ecce tot templorum & ciuitatum portæ, quas antea ne Osmanica potentia aperire potuit, potuerunt ipsi vltrò. Et quid hæc nobis prænuntiant mala? regnorum vicissitudinem, & totius vniuersi desolationem. Sed quoniam hyems instat omnibus amara, singulis aspera, cunctis periculosa, ad placandum Deum nos incitat scriptura: *Orate vt non fiat fuga vestra hyeme, aut in Sabbatho.* Considerabimus igitur hæc verba Christi, quid nam sit ista hyẽs, & Sabbathum, & quò fugere summè periculosum est, & quorum fuga hæc malorum.

Hyems aspera, quâ periculosum est fugere, imparatum cor hominis, & onustam peccatis conscientiam nobis repræsentat, atq; emendationis dilationem: vt scilicet: mortis & extremi iudicij præmeditationem habeamus. Quod pulchrè insinuat S. Gregorius Homil: 22. in Euangelium. *Nos* inquit, *nunc solicitè cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunè quæramus ad benè agendum, viuere, cùm iam compellimur de corpore exire.* Mementote ait quid veritas dicat, *Orate ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho.* quasi apertè dicat: *Videte, ne nunc quærat is peccata vestra fugere, quando iam nõ licet ambulare: per legũ quippe mandatum ambulare Sabbatho longius non licet.* Hiems quoq; ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris astringit. Illud ergo tempus, quo vltima desolatio ambulare nos non patietur, modo debemus cogitare, antequàm extremum immineat periculum. Et quis tàm potens princeps nos opprimet, cuius iram, si hyeme aduenerit, fugere non poterimus? non alius nisi ipse Christus, qui tremendum illud cum toto mundo facturus est iudiciũ, ante cuius conspectum tremebunt boni, tremebunt mali; bonis incutietur terror, non quòd de sua beatitudine desperare debeant: hæc enim semel illis concessa per omne æuum non auferetur. Sed considerãdo immensam Dei misericordiam, qui pro exiguis vitæ temporaneæ meritis, in appretiabile illud cælestis gloriæ præmium homini confert, considerantes simul & incomprehensibilem omnipotentiam, quòd de absoluta sua omnipotentia, posset omnes beatos annihilare, licet de ordinariâ idem nunquam facturus sit. Tremebunt, quòd non magis de Deo mereri curauerint, dùm viuerent. Tremebunt & mali non propter pœnas inferni, quia hæ in puncto mortis illis adiudicatæ sunt, sed quia omnia eorũ vitia toti patebunt orbi, ac proinde tremebunt dolentes anxiè, quòd tàm omnipotẽtem Deum turpissimis peccatis ausi fuerint aliquãdo offendere. Quod innuit Sanctus Basilius in libro de vera virginitate. *Non confusè* inquit *aut summatim, aut indigestè peccata nostra cernentur, sed singula per partes, vt se habent, velut in pictura. noscentur. quomodò ad patrandum adulterium quis festinans, è lecto surrexit, quibus passibus incedens vsus est, quo motu corporis lentiore & concitatiore, quem habitum dùm procederet, assumpsit: qua ex parte irrũpens vxorem alienam violauit, quo ordine*

impudica mulier ad nefarium opus, se substrauit. Hæc inquit *omnia velut in tabula per partes, diligenter expressa cernentur, nec opus tantùm externum: sed & intimæ cogitationes.*

Affirmant Doctores. extremum iudicium media nocte in valle Iosaphat futurum, quod deducunt ex illo Matt: 25 scripturæ loco: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obuiam ei.* Sed cur tempore noctis seuerus Iudex mundum Iudicabit? vt quemadmodùm nocturna vmbra etiam leuissima hominem facilè terret, vt quoq; vmbræ illæ peccatorum in conspectu omnis creaturæ patefactæ, nos tantò magis terreant; quantò plus deliquimus; & vt tenebrosâ illâ nocte, quâ sol & luna obscurabuntur, nulla delinquentibus pateat fuga. Et quod tandem remedium miser homo habere potest, vt insperatam illam furoris diuini obsidionem & sæuitiam effugere possit. vnicum hodiernum Euangelium proponit. vt Dominum feruenter obsecremus, ne fuga nostra fiat hyeme: id est; eo tempore, quo cor C nostrum in deuotione frigescit, mundanæ voluptatis solo calefactum igne: quo anima nostra diuinæ charitatis calore spoliata est, & solo mundanæ iniquitatis tepore plena: quo conscientia nostra diuinæ gratiæ fructu euacuata est, sed magno peccatorum grauamine imprægnata: tunc enim si in isto virtutum frigore repentina dies illa nos præueniat, nulla patebit amplius fuga. Vt dicitur Iob. 9. *Si repentè interroget, quis respondebit ei.* ac si Iob. 9. diceret: Si Domine hominem in ho- D ra mortis imparatum, & multis irretitum sceleribus. iudicaturus veneris, tunc quasi in aspera hyeme non concedetur fuga peccati, fuga sæculi, fuga cupiditatum: quia tot malis habitibus præoccupatum hominem, horror mortis inuadet, dæmonum vexatio torquebit, conscientiæ apertus liber terribiliter accusabit. ex altera parte vxor deflebit, paruuli plangent; familia perstrepet, amici gement, corporis deniq; ipsius dolores, æstus, cruciatus, ipsaq; imbecillitas vsq; a- & deo mentem occupatam tenebit, vt vix aliquid cogitare possit. Quisquis enim hoc tempore peccatum deserere vult, is in Sabbatho atq; in hyeme, hoc est tempore valdè difficili fugam frustra meditatur. Tunc enim nec spatium pœnitendi, nec tempus vitam emendandi conceditur.

Quod euentus ipse comprobauit in Antiocho Epiphane, Asiæ Rege. 2. Machabeor. 9. qui multa mala Dei populo intulerat, magnificum illud Salomonis templum spoliauerat, & B & introducto gentilismo vniuersam religionem subuertere nitebatur. Ecce, hyems iustitiæ diuinæ illum præuenit, percussus enim acerbissimo viscerum dolore interno, & seueram Dei vindictam in seipso agnoscens, cùm iam de miseri illius peccatoris corpore vermes scaturirent, ita vt nec ipse fœtorem suum ferre posset, cùm inquam desolationem suæ vitæ sibi imminere cerneret, ecce tunc primũ ad meliorem vitam redire cupiens, in hæc verba prorupit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Machab. 9. vbi vt ab hac ventura Dei ira fugere posset, Ierosolymam spondet liberam reddere, Iudæos æquales Athenienſibus facere pollicetur, templum sanctum optimis donis ornaturum, sancta vasa multiplicaturum, pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis se præstiturum, insuper & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem vouet. Et tamen ad tàm pia vota quibus nihil iam plus adijci posse videtur, vocem Dei respondentis subijcit sermo diuinus. *Orabat* inquit *sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Quid causæ est per Deum immortalem! tantæ Dei erga pœnitentem immisericordiæ? hyems præuenit, id est, tempus incertum mortis, ideo ardentissima etiam postulantis vota misericordiam non inuenerunt. Ecce quàm plena periculi est emendationis dilatio. differs miser peccator pœnitendi tempus, in vitijs deprauatum corpus enutris, & ecce

2. Machab. 9.

ecce vt primùm per qualitatem pec- A catorum deturpatiuam, diuinæ pulchritudo gratiæ ex anima tua expulsa fuerit: vt primum timor Dei ex effrenata in omnem libidinem conscientia cesserit: vt primùm tepor malitiæ & omnis terrenæ iniquitatis, feruescentis per bona opera in corde diuinæ charitatis ignem extinxerit, mox hyems suo lethali frigore omnes spiritus vitales constringens aderit, non ampliùs quidpiam benè operandi cãpum tibi concedens. Vnde inquit S. Hilarius canone 25. in Matthæum. B *Orãdum* inquit *est, ne in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum inueniamur, quia grauiùs vexatio incumbet.*

S. Hilarius.

Alterum quoq; horrendum exẽplum D. Gregorius Homil. 12. in Euangelium refert, inquiens: Quidam vir nobilis in Valeria prouincia, nomine Chrisaurius, fuit vir valde idoneus; sed tàm plenus vitijs; quàm rebus. Superbiâ tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem impo- C nere decreuisset corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, eadem hora, quâ de corpore migraturus erat, vidit tetros & nigerrimos spiritus, coram se assistere, & vehementer instare, vt ad inferni claustra se raperent. cæpit miser tremere, pallescere, sudare, & magnis S. Greg: vocibus inducias petere, inquiens: *Inducias vel vsq; mane, inducias vel vsq; mane.* Sed cùm hæc clamaret, in ipsis suis vocibus, de habitaculo suæ carnis euulsus est. Vt quid seuera Dei iusti- D tia petenti tempus non concessit pœnitendi? non alia de causa, nisi vt nos his tremendis malis, à peccatorum fœditate retrahere posset. Sed quamdiu vltionem de malefactis differt, quamdiu patienter expectat, vt aliquando tandem prauæ consuetudini renuntiemus, placandus est Deus. Alioqui si hyems nos præuenerit, id est fatalis vitæ nostræ terminus, tunc hostes animarum nostrarum nos ad ima orci rapere cupientes, omnem misericordiæ diuinæ spem, omnem pœnitentiæ conatum, nobis eripient. quia in hyeme & Sabbato nulli fuga conceditur. Expectabat perfida gens illa Iudæorum hyemem, ideſt, donec totus diuini cultus feruor. apud illos infrigesceret. & ecce diuina vltio eos in manus Romanorum dedit. Scribit enim Iosephus lib. 7. Cap. 16. parte inquit aliquâ muris subrutâ ciuitatis, ecce statim propugnatores eius diffugerunt, & timor tyrannos necessitate maior inuasit, adeò vt Titus captâ ciuitate intro ingressus, ciuitatis munitiones admiratus, quas Iudæi per dementiam deseruerant, dixerit: *Deo* inquit *planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat qui detraxit ab istu munimentis Iudæos.* Nam quæ hominum manus, aut quæ machina ad hæc expugnanda valerent? quod testatur scriptura 4. Regum 19. *Quamobrem iratus vehementer Dominus Israèli, abstulit eos à conspectu suo, proiecitq; Dominus omne semen Israèl, & afflixit eos, & tradidit eos, in manus diripientium, donec proiceret eos à facie sua.* Hæc misera peccatorum hyems præuenit Salomonem 3. Regum 11. & ecce Dominus regnum eius in seruos diuisit. *Quia habuisti* inquit *hoc apud te, & non custodiuisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui vobis, idcirco disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.*

Ioseph. de bello Iudico

4. Reg: 19

3. Reg: 11

Et quid modo fit in patria nostra? ecce propter scelera nostra, quia hyems omnium corda virtutibus & Dei pietate spoliauit: quia recessimus longè à Deo per superbiam: quia in no- D bis euanuit zelus Religionis, per totã homicidia iniusta, stupra, & incestus Sodomiticos frigefactus: scidit Dominus Regnum nostrum, & partem illius tradidit in manus serui, vnius helluonis & rebellis grassatoris. Ecce munitissimas vrbes, quæ velut leo terribiles erant omnibus hostibus, solius conscientiæ clamoribus peccata nostra incusãtis perterrefacti deseruimus, ita vt ipsemet hostis virtutem Dei agnoscat, cuius permissione omnes ipsi munitiones cesserunt, quas si Deus nobiscum fuisses, humana

manus nusquàm expugnasset. Et quid hæc sunt omnia, nisi futuræ tempestatis, magnæ totius mundi desolationis prognostica, nisi seueræ Dei vltionis prænuntia: nisi tremendi illius extremi iudicij præcones, quemadmodum inquit D. Gregorius libro
S. Greg: moralium 21. Cap. 16. in Iob. *Sicut* inquit *fluctus maris se erigunt in alta, & nauigantes quosq; ipsa sua altitudine submergunt; sic nimirùm extrema illa properat, quæ vniuersum mundum, subruat tempestas animarum.* Nunc enim bellis & cladibus quasi quibusdam vndis, sua B nobis exordia ostendit; & quantò ad finem propinquiores quotidie efficimur, tantò grauiora irruere tribulationùm volumina videmus. Sed ne hæc desolatio, quoniam hyems imminet, fiat in hyeme, orandum est: inquit enim Leo Papa. Serm: 4. de Collectis
S. Leo. & Eleemosynis: *Per hæc signa Dei nobis denuntiatur seueritas, vt misericordia quæratur: proinde in præsenti tempore cum misericordia largitate est viuendum, vt homini post periculosam negligentiam, ad pietatis opera reuertenti, possibile sit de hac sententia liberari.* Hoc enim agit potentia Iudicis, hoc gratia seruatoris, vt relinquat impius vias suas, & ab iniquitatis suæ consuetudine peccator abscedat.

Sed nos ad hæc præcurrentia Dei signa obsurdescimus, & iam hiemalẽ desolationem in Anima nostra inchoamus. quid enim hiems aliud facit, arbores fructibus spoliat, ramos exuit folijs, & terram quasi ægrotam, nec germinare potentem relinquit, sic planè hiems iam animam nostram occupauit, quæ derelicta à Deo propter D scelera sua, facta est velut corpus quoddam infirmum vlceribus plenum, atq; insanabili morbo confectum. quod
Rom: 6. testatur Paulus Romanorum 6. *vt destruatur corpus peccati.* vbi deplorat animam, cuius omnes partes sunt infectæ, languidæ, & vlceribus plenæ, prima pars istius corporis est intellectus, & hic cæcitate, læsus est: quia nostra vitia licet grauissima, non agnoscimus. Secunda pars voluntas, & hæc cupiditate, quæ nos semper inclinat ad malum, laborat. tertia memoria, & hæc obliuione Dei infecta est, quia immensorum eius beneficiorum quibus nutrimur, conseruamur, protegimur, immemores facti sumus. Quarta pars oculi, & hi adulterijs, velut noxia quadam lippitudine fluunt. Quinta os, & aures, & hæ blasphæmijs scaturiunt: cùm toties non tantùm proximis nostris, sed ipsi etiam Deo maledicimus. Sexta nasus, & hic ad solos libidinosos & sensuales odores, procliuis est. Septima venter, & hic ingluuie, commessationibus, & ebrietatibus plenus est. Ad quod indignatus Deus Isaiæ 57. respondet: *Væ qui potentes estis ad bibendum, ad ebrietatem sectandam vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis.* octaua brachia, & hæc inimicitijs, & rixis languent: quomodò innocentem inuadere possint, & contra omnem æquitatem trucidare. nona manus & digiti: & his grauis morbus inest, nimirum furta & rapinæ. Decima pedes: & his tamen homo ad Isaiæ 1. infirmitatem vtitur, nimirum ad praCuos & impudicos gressus. quod Deus incusat Isaiæ 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, omne caput languidum, & omne cor mœrens. à planta pedis vsq; ad verticem capitis, non est sanitas in eo.*

Sed hyems imminet pro Deum immortalem! prospicite ne fortasis fugiendum sit, & præ ista infirmitate omnes corporis partes grauante, non possetis. transformate hanc hyemalem ægritudinem, in æstiuam fructificationem: fit sanitatis vestigium in corpore vestro, sit Dei amicitiæ signaculum in anima: expellite cæcitatem peccandi, & veritatem intellectui vestro proponite, vt deserta hac mundi vanitate, solum Deum sectemini. obijcite immensam Dei bonitatem voluntati, vt sepositis inordinatis affectibus, Deum tota mente, totâ animâ, totis viribus diligatis. Renouate in memoria Deum. esse vestrum benefactorem, & conseruatorem. Agnoscite oculis eius omnipotentiam, & credite quia nõ est alius, qui vos de manibus inimicorum vestrorum eripere

pere possit, nisi solus Deus. Resonet A in auribus sincera fides, bonis reuiuiscens operibus: in naribus spes, cælestium bonorum odorem spiret. Gressus supernaturalium rerum desideriũ concipiat. desistant in brachijs cædes, & charitas proximi firmetur. Sit in manibus iustitia distributiua, & commutatiua. Sit in corde temperantia & castitas sit in toto corpore, pudicitia & virtus, iustitia & sanctitas. Et tunc primùm hyems peccatorum inimica Dei gratiæ recedet à nobis, tunc primùm parati ad fugam, & ad vitanda B omnia scelera expediti reperiemur.
Psal: 44 quia Deus nos ab omnibus custodiet & proteget, à quibus custodiri oportet, iuxta effatum Psalmistæ Psalmo
4. Reg: 17. 144. *Custodit Dominus omnia ossa iustorum & vnum ex his non conteretur.* hoc ipse Deus pollicetur 4 Regum 17. *Reuertimini à vitijs vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & ego custodiam vos, & reuertar ad vos.*

Orandum est proinde vt fuga nos-
Rupert. tra non fiat in hyeme, quia tunc via nisi in desertum patet. Et quid aliud C anima nostra his temporibus facta est, nisi desertum quoddam, vt dicit Rupertus libro 1. in Geneſi *Quemadmodùm* inquit *ille, desertum locus est, vbi non est hominum habitatio; sed ferarum, sic anima nostra omnibus diuinis auxilijs efficacibus destituta, atq; Angelicis persuasionibus resistens, fit desertum ferarum, quia in illa non est habitatio dei hominis, sed tota à peccatis, tota à dæmonibus occupatur.* Deserti montes inquiunt Mathematici, ad vtrumq; polum, sunt inhabitabiles, propter frigus & zonam torridam. anima nostra dum diuina charitate destituitur, dùm ardore concupiscentiarum efferuescit, propter frigus absentium virtutum, propter hyemem marcescentis deuotionis, ad vtrumq; polum est inhabitabilis: quia neq; spes diuinæ misericordiæ in illa reuiuiscit, neq; pœnitentia ad cor intrat. Fugite tempestiue ab hac misera animæ desolatione, non expectate hyemem, donec furoris diuini ignis ille infernalis, vestras animas tanquã Sodomitas & Gomorrhæos, perpetuò peccata peccatis accumulantes succẽdat. Etenim plerumq; Deus peccatricem animam ob eius culpam, & potissimum propter occulta peccata derelinquere solet, vt omninò sterilis & Psal: 106
infructifera in progressu virtutum amplius reddatur. Quod declarat S. Greg:
Psalmista Psal: 106. *Terrã fructiferã in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea dedit.* Quæ verba Sanctus Gregorius lib. 14. animæ peccatrici pulchrè applicat. *Dùm* inquit *peruersis cogitationibus quasi quibusdam fœsoribus mentẽ homo replet, æterna ei incendia præparat, Et dùm fœtoris sui nebulam in mẽte reproba dilatat, contra eam flammis subsequẽtibus, quasi nutrimenta subministrat.* Sulphure Sodomitas Deus puniuit, propter peccata carnis. Cùm enim inquit scriptura, carnis eorum scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate, vltionis notauit maculam & criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaq; ad peruersa desideria ex carnis fœtore ardet, fugam in hyeme expectat, vt instar Ciuitatis Sodomitarum simul igne & sulphure pereat. Periculosa proinde fuga hæc est in hyeme, quia animam nostram Oseæ. 9.
occidit, & in hostium infernalium tradit potestatem. Quod insinuat Ieremi 6.
scriptura Oseæ. 9. *Væ eis, cùm recesserò ab eis* idcirco admonet nos tempestiuè Deus Ieremiæ 6. *Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima à te, & ponam te terram desertam, inuiam, & inhabitabilem.* Quid per Ieruſalem, nobis inDeutiat, nisi hominem per fidem, & cætera Ecclesiæ sacramenta regeneratũ, à quo anima recedit, cùm se peccatis immiscet. Peccatum enim mortem imitatur: Hæc Cræsum, Alexandrum, potentissimos Cæsares, de pauperat; omnibus bonis spoliat: peccatum pariter animam nostram deflorat, omnia bona opera adimit, & maximam inopiam, & egestatem diuinæ gratiæ inducit. Adumbrat pulchrè 1. Ma-
hanc animæ stragem, illa templi Ie- chab: 1.
rosolymitani deprædatio; quam impius Anthiochus patrauit, 1. Machab. 1. *Ingressus hic templum Domini* (inquit scriptura) *abstulit candelabrum, men-*

sam propositionis, argentum & aurum, vasa omnia sacra, nec non & coronas, & ornamentum templi. Templum hoc Dei, Christiani est anima vestra: sed vt primùm lethale peccatum in illam ingreditur, aufert ex hoc templo candelabrũ lucens, salutaris illius diuini luminis, & propriæ cogitationis; tollit aurum charitatis, prædatur vasa sacra, id est; lachrymas pœnitentiæ ab oculis fluentes: eijcit de medio mensam propositionis, id est; præterita omnia merita totiùs anteactæ vitæ.

Sed nos iam præuenientibus hisce quotidianis malis expergefacti, prædicta mundi desolatione excitati, perterriti extremi illi⁹ iudicij rigore, & præcipuè his ipsis calamitatibus⁹, quæ moderno anno Patriæ nostræ ac-
Eccl:10 ciderunt, quoniam nos ipsi grauissimis Deum peccatis offendentes, tanti causa mali extitimus, vt dicitur Ecclesiastici 10. *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniurias & contumelias.* non expectemus hyemem, vt diutius ira Dei super nos sæuiat: sed erubescentes in conspectu eius, in omni humilitate clamemus ad illum: *Auertatur Domine furor tuus à nobis* Præparemus sedulo conscientias nostras, ne nos hac hyeme velut ignauos Sodomitas ira Dei præueniat, & igne & sulphure infernali per totam æternitatem comburendos tradat Emundemus à peccatis animas nostras, ne nos repentina dies mortis inuadat; & omnem peruersam consuetudinem, vitæ prauitatem procul abijciamus, ne seuerum illud iudicium hyeme nobiscum peragatur. Vbi pœnitere quidem vellemus, sed nullus erit misericordiæ locus: fugam optaremus; sed anima nostra si in peccatis reperietur, desertum erit; idcirco non amplius⁹ fugere nos patietur. Ad te igitur future totius mundi Iudex, hodie ante hyemem confugimus vt omnia anteactæ vitæ nostræ merita, quæ in nobis per tepiditatem deuotionis, per frigus delictorum emortua iam erant, tuâ gratiâ, velut æstiua vbertate iterũ restaures. ad te immensa bonitas recurrimus, quæ es Asylum peccatorum, salus pœnitentiũ, vt in nobis ignem tuæ charitatis succendas. quo calefacti in augmẽto tuæ gratiæ crescere possim⁹, ad æternæ fructificationẽ gloriæ.

I N-

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hac parte elucidantur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera locum columnæ indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Caput 1.

Germinet terra lignum pomiferũ. 148. 1. B.
Fiat lux, & facta est lux. 422. 1. D.

Caput 2.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 138. 2. B.
Tulit Deus vnam de costis eius, & ædificauit mulierem. 95. 1. D.
Ædificauit Dominus Deus costam, quã tulerat de Adam in mulierem. 91. 2. C.
Ecce Adam quasi vnus ex nobis. 157. 1. A. 252. 1. A. 314. 2. D.
De ligno scientiæ boni & mali ne comedas⁹. 483. 2. B.

Caput 3.

Vocauit Dominus Deus Adam? 251. 2. A.
Vbi es Adam? 459. 2. A.
Timui eò quòd nudus essem. 508. 1. D.
Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis. 238. 2. D. & 249. 2. D.
Inimicitias ponam inter te, & mulierem. 86. 1. A.

Caput 4.

Respexit Deus ad munera Abel; ad Cain autem non. 97. 1. D. & 105. 2. D. & 107. 1. A. 2 D.
Peccasti, quiesce. 198. 2. D.

Caput 6.

Omnis caro corruperat viam suam. 223. 1. A. & 506. 1. A.

Caput 7.

Ego pluam super terram quadraginta diebus. 199. 2. C.

Caput 12.

Apparuit ei Dominus, & dixit. 486. 1. C.

Caput 16.

Judicet Deus inter me, & te. 78. 2. C.
Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere eâ vt libet. 349. 1. B.

Caput 17.

Cecidit Abraham in faciem suam, & risit. 186. 2. A. & 370. 1. D.

Caput 18.

Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum. 129. 2. D.

Caput 20.

Non extendas manũ super puerum. 106. 2. C.

Caput 27.

Surge & comede de venatione. 40. 2. D.
Vives in gladio, fratri tuo seruies. 489. 1. A.

Caput 31.

Rachel furata est idola patris sui. 300. 2. A.

Caput 39.

Relicto in manibus eius pallio fugit. 72. 2. A.

Caput 49.

Catulus leonis Iuda, acquiescens accubuisti vt leo. 480. 1. D.

EXODVS.

Caput 1.

Percussum Ægyptiũ abscõdit sabulo. 237. 1. A.

Caput 9.

Pluam cras hac ipsa hora grandinẽ. 361. 1. B.

Caput 10.

Factæ sunt tenebræ horribiles. 46. 2. C.

Caput 11.

Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea. 127. 1. A.

Caput 12.

Tollat vnusquisq; agnum per familiam, & domos. 10. 1. B.

Caput 17.

Scribe hoc ob monimentum in libro. 359. 1. D.

Caput 26.

Deaurabis eam intus & foris. 101. 1. D.

Caput 32.

Surge, fac nobis Deos. 298. 2. A.
Tollite inaures aureas. 299. 1. A.
Ædificauit altare, & clamauit, cras solennitas Domino. 330. 1. C.

Hi sunt

Hi sunt dij tui Isrâél. 330. 1. D.
Caput 33.
Ostendam tibi omne bonum. 149. 2. D.
Caput 34.
Qui aufert iniquitatem, & scelera, atq; peccata. 23. 2. C.

LEVITICVS.
Caput 22.
Omnis macula non erit in eo. 408. 1. C.
Caput 27.
Omnis æstimatio siclo sanctuarij æstimabitur. 106. 1. B.

NVMERVS.
Caput 3.
Interfice à viro vsq; ad mulierem, & paruulum. 457. 1. B.
Caput 18.
Ego pars & hæreditas tua in medio Isrâél. 327. (1. D.
Caput 24.
Dixit homo obdurat⁹ est oculus eius. 67. 1. D.
Caput 31.
Diuides ex æquo prædam inter eos. 93. 1. A.
Præcidam brachium tuum. 473. 1. C.

DEVTORONOMIVM.
Caput 1.
Si quid difficile vobis visum fuerit, referte ad me. 360. 1. D.
Caput 30.
Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus. 450. 2. D.

LIBER IVDICVM.
Caput 6.
Destrues aram Baal. 404. 1. A.
Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Isrâél. 404. 1. C.

LIBER I. REGVM.
Caput 2.
Præcidam brachium tuum. 350. 2. A.
Caput 3.
Ecce ego, vocasti enim me. 500. 2. D.
Caput 5.
Nati sunt mures, & facta est confusio. 65. 1. A.
Caput 6.
Quinq; anos aureos facietis, & quinq; mures. 435. 1. A.
Quis poterit stare in conspectu Domini Dei Sancti. 280. 2. A.
Caput 8.
Non te spreuerunt, sed me. 482. 2. D.
Et iudicabit nos Rex noster. 363. 2. B.
Caput 10.
Ego eduxi Isrâél de Ægypto, 433. 1. B.
Caput 11.
In hoc feriam vobiscum pactum, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. 218. 1. C.
Caput 13.
Egressi sunt ad prædandum de castris. 94. 2. B
Necessitate compulsus obtuli holocaustum. 30. 1. A.
Quid feci ti. 29. 2. D.
Caput 17.
Eligite virum & descendat ad singulare certamen mecum. 208. 1. D.
Caput 19.
Nisus est configere Dauid. 480. 2. D.
Caput 24.
Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis. 103. 2. D.
Caput 26.
Hasta regis, transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam. 480. 2. D.
Caput 28.
Quid interrogas me, cùm Deus recesserit à te. 239. 1. D.
Caput 30.
Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 92. 2. D.

LIBER II. REGVM.
Caput 12.
Tu es ille vir, qui Vriam percussisti gladio. 255. 2. C.
Peccaui. 58. 1. D.
Caput 14.
Mulier Thecuitis ingressa fuit ad Regem, cecidit q; coram eo. 45. 2. B.
Caput 15.
Mane consurgens stabat, secundum introitum portæ. 69. 1. B.
Caput 22.
Noluit bibere, sed libauit eam Domino. 366. (2. D.
Dominus petra mea, & robur meũ. 440. 2 A.
Caput 29.
Diligis odientes te, & odio habes diligẽtes te. 29. 1. D.

LIBER III. REGVM.
Caput 2.
Pete Mater mea, neq; enim fas est, vt auertam faciam tuam. 308. 2. C.
Fugit in tabernaculum Domini. 308. 1. D.
Obserua vt custodias Domini Dei tui. 356. (1. B.
Caput 6.
Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum. 44. 1. D.
Caput 17.

Caput 17.
Præcepi mulieri viduæ, vt pascat te. 131. 2. B.
Caput 18.
Viuit Dominus si erit annis his ros, & pluuia, nisi per os meum. 209. 1. A.
Caput 19.
Quid hic agis Elia. 74. 1. D.
Caput 21.
Ecce inducam super te malum, & demetam posteriora tua. 65. 1. D.
Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem Patrum meorum tibi. 297. 2. B.

LIBER IV.
Caput 5.
Concede mihi, vt tollam onus de terra. 319. (2. B.
Caput 8.
Suscitat de puluere egenũ, & de stercore inopem. 328. 1. C.
Caput 13.
Pater mi currus Isrâél. 132. 1. C.

IUDITH.
Caput 8.
Quia patiens est Dominus, in hoc ipso pœniteamus. 118. 1. A.

IOB.
Caput 1.
Homo simplex, & rectus. 398. 1. C.
Et erat illi familia, multa nimis. 39. 2. D.
Egressus est sathan à facie Domini. 370. 2. B.
Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas ædes, puerosq; consumpsit. 239. 2. B.
Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua. 398. 2. C.
Dominus dedit, Dominus abstulit, vt Domino placuit ita factum est. 260. 1. A.
Cor eius tanquàm lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. 145. 2. D.
Caput 2.
Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. 453. 1. B.
Caput 3.
Fructus iustitiæ in pace seminatur facientib⁹ bonum. 105. 2. A.
Caput 4.
In Angelis suis inuenit prauitatem, quantò magis qui habitant domos luteas. 116. 2. A.
Caput 13.
Vestigia pedum meorum considerasti. 440. (1. A.
Caput 19.
Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. 399. 1. C.
Caput 20.
Panis eius in vtero vertetur in fel aspidum. 325. 1. A.
Caput 34.
Saluabit te de ore ãgusto latissimè. 379. 2. D.
Caput 41.
Oculus meus videt te, idcireo ego me reprehendo. 81. 2. D.

PSALMI.
Psalmus 4.
Cùm inuocarem exaudiuit me Deus. 166. 1. D.
Psalmus 11.
Eloquia Domini casta argentum igne examinatum. 69. 2. D.
Psalmus 13.
Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. 383. 1. A.
Psalmus 15.
Quoniam bonorum meorum non eges. 484. (2. C.
Psalmus 16.
Oculos suos statuerunt declinare in terram. 232. 2. B.
Satiabor cum apparuerit gloria tua. 341. 1. A. & 381. 1. A.
Psalmus 19.
Domine saluum fac Regem. 445. 2. A.
Psalmus 20.
Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt. 520. 2. B.
Psalmus 21.
Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. 331. 2. D.
Psalmus 24.
Omnes viæ tuæ misericordia, & veritas. 463.
Psalmus 28. (1. D.
Vox Domini concutientis desertũ. 331. 1. A.
In templo eius omnes dicent gloriam. 190.
Psalmus 31. (2. D.
Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. 405. 1. C.
Psalmus 33.
Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. 7. 1. C.
Psalmus 35.
Domine in cælo misericordia tua. 468. 1. C.
Psalmus 36.
Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani. 303. 2. A.
Mutuabitur peccator, & non soluit. 433. 1. D.
Psalmus 60.
Vniuersum stratũ eius versasti infirmitate eius. 194. 2. D.

Psalmus 50.
Peccatum meũ contra me est semper. 77. 2. D
Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem. 109. 1. D.
Cor meum crea in me Deus. 387. 2. A.
Psalmus 52.
Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. 117. 1. D.
Psalmus 66.
Voce mea ad Dominum clamaui. 52. 2. C.
Psalmus 68.
Eripe me de luto, vt non infigar. 324. 2. D.
Psalmus 75.
In pace factus est locus eius. 497. 1. C.
Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt. 302. 2. B.
Psalmus 70.
Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite. 241. 1 B.
Psalmus 72.
Ad nihilum redactus sum, & vt iumentum factus sum. 254. 2. D.
Psalmus 76.
Clamabo ad Deum altissimum, qui benefecit mihi. 329. 1. C.
Psalmus 76.
Et scrutabor spiritum meum. 53. 1. D.
Psalmus 77.
Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super illos. 130. 1. D.
Psalmus 82.
Imple facies eorum ignominiâ. 402. 2. D.
Psalmus 86.
Homo, & homo natus est in ea. 331. 2. D.
Psalmus 88.
Non est potens sicut Deus noster. 441. 1. C.
Psalmus 89.
Ne auertas hominẽ in humilitatẽ. 451. 2. C.
Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. 169. 2. D.
Psalmus 93.
Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. 236. 1. D.
Psalmus 96.
Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. 389. 2. D.
Psalmus 99.
Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos. 432. 1. C.
Psalmus 103.
Ascendunt montes, & descendunt campi. 279. 2. B.
Psalmus 105.
Si non Moyses electus eius stetisset in confractione. 399. 2. D.
Psalmus 110.
Escam dedit timentibus se. 410. 2. C.
Psalmus 114.
Pericula inferni inuenerunt me. 405. 2. D.
Misericors & iustus Dominus noster miseretur. 114. 1. D.
Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. 442. 1. B.
Psalmus 118.
Anima mea in manibus meis semper. 178. 2. C
Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. 434. 1. D.
Psalmus 134.
Percussit primogẽita Ægypti ab homine vsq; ad pecus. 493. 1. D.
Psalmus 161.
Educ de custodia animam meã. 325. 2 B.
Anima mea sicut terra sine aqua tibi. 391. 1. A
PROVERBIA.
Caput 5.
Bibe aquam de tuis vasis. 150. 2. D.
Caput 7.
Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam. 380. 1. D.
Caput 9.
Sapientia ædificauit sibi domum. 129. 1. A.
Caput 14.
Præbe mihi cor tuum. 246. 1. A.
Caput 16.
Prædicate Euangelium omni creaturæ. 416.
Caput 20. (1. D.
Abominatio est apud Deum pondus & pondus. 203. 1. D.
Caput 23.
Noli laborare nimium vt diteris. 289. 1. D.
Statue cultrum in gutture tuo. 411. 2. B.
Caput 30.
Tria sunt insaturabilia. 379. 2. C.
Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi. 83. 1. D.
Quis continuit spiritum in manibus suis. 385. (1. D.
Quis suscitabit terminos terræ. 386. 1. B.
Caput 31.
Mulierem fortem quis inueniet. 474. 2. D.
ECCLESIASTES.
Caput 7.
Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. 328. 2. B.
Caput 9.
Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. 212. 2. B.
Caput 10.
Muscæ

Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. 212. 2. A.
Caput 18.
Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. 342. 1. C.
CANTICA.
Caput 1.
Lectulus noster floridus. 382. 2. D.
Trahe me post te. 424. 2. D.
Pasce hædos tuos. 426. 2. C.
Caput. 2.
Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi. (171. 2. C.
Caput 3.
Circuibo ciuitatem per vicos, & plateas. (496. 1. D.
Caput 4.
Hortus conclusus soror mea. 494. 1. D.
Caput 5.
Expoliaui me tunica, quomodo induar illa. 426. 1. C.
Caput eius aurum optimum. 80. 2. B.
Caput 6.
Reuertere, reuertere Sunamitis, vt intueamur te. 451. 1. D.
Caput 7.
Quàm pulchri sunt gressus tui filia Principis. (330. 2. D.
Caput 8.
Fuge dilecte mi. 64. 1. B. & 73. 1. D. & 513. 2 D
Mille tui pacifici, qui custodiunt fructus eius. 92. 1. B.
Dominus narrabit. 331. 2. C.
SAPIENTIA.
Caput 11.
Coronemus nos rosis. 404. 2. C.
Caput 4.
Videbunt finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. 109. 1. B.
Caput 7.
Omnia bona venerunt nobis cum illo. 494. (2. D.
Caput 14.
Neq; enim erant ab initio idola. 462. 2. C.
Caput 16.
Ingrati spes tanquam hibernalis glacies tabescet. 260. 1. D.
ECCLESIASTICVS.
Caput 6.
Si possides amicum, in tentatione possidebis eum. 162. 1. D.
Caput 11.
Mitte panem tuum inter transeuntes aquas. (410. 1. D.
Caput 12.
Impijs & peccatoribus reddet vindictam. (118. 1. C.
Caput 13.
Gelauit crystallus ab aqua. 390. 2. B.
Caput 19.
Qui spernit modica, paulatim decidet. 434. (2. B.
Caput 24.
Qui edunt me, adhuc esurient. 341. 1. D. & 381. 1. B.
Caput 23.
Duo contra duo, & vnum contra vnum. 321. (1. D.
Caput 45.
Dilectus Deo, & hominibus Moyses. 278. 1. B
ISAIAS.
Caput 1.
Quo mihi multitudinem vestrarum victimarum. 97. 1. B.
Dereliquerunt Deum. 238. 1. D.
Cognouit bos possessorem suum. 363. 2. D.
Caput 3.
Vos depasti estis vineam meam. 94. 2. C.
Caput 6.
Væ mihi, quia tacui. 82. 1. D. & 461. 2. A.
Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. 187. 2. B.
Caput 8.
Voca nomẽ eius accelera, & festina. 326. 1. B.
Caput 11.
Habitabit lupus cum pardo, & puer paruulus minabit eos. 129. 2. A.
Caput 16.
In cælum conscendam. 354. 1. B.
Caput 21.
Custos quid de nocte, custos quid de nocte. 332. 2. D.
Caput 40.
Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. 70. 2. B.
Caput 52.
Quibus non est narratum de eo, viderunt. 369. 2. A.
Caput 57.
Cor impij quasi mare feruens. 203. 2. A.
Caput 59.
Telas araneæ rexuerunt. 69. 1. D.
HIEREMIAS.
Caput 2.
Quomodò dicis, non sum polluta. 30. 2. B.
Caput 4.
Aspexi terram, & vana erat, & nihil. 510. 2. C
Caput 5.
Ascendite muros, & dissipate. 144. 2. C.
Caput 8.
Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus. 318. 1. B.
Caput 9.
Ascendit mors per fenestras. 492. 1. D.
Caput 38.

Pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida. 436. 1. B.

EZECHIEL.

Caput 1.

Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. 428. 1. D.

Caput 4.

Et tu dormies super latus tuum sinistrum. (62. 1. A.

Caput 5.

Sume gladium acutum, & capillos tibi rade. (174. 2. C.

Caput 8.

Appropinquauerunt visitationes vrbis. 190. (2. B.

Dicunt enim non videt Dominꝰ nos. 236. 1. A.

Eleuauit ipsum spiritus inter cœlum, & terrã, & conuersus vidit abominationem. 323. (2. D.

Caput 10.

Facies vna facies Cherub. 481. 1. B.

Caput 11.

Requiescet indignatio mea, & auferetur zelus meus à te, & quiescam. 440. 1. C.

Caput 28.

Foramina tua in die, quâ conditus es, præparata sunt. 306. 2. D

Caput 29.

Ponam frænum in maxillis tuis. 466. 1. C.

Caput 32.

Operiam cælos, & nigrescere faciam stellas eius. 507. 1. B.

Caput 33.

Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. 21. 2. C.

DANIEL.

Caput 10.

Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. 98 1. A.

Caput 13.

Ecce ostia pomarij clausa sunt, nemo videt, assentire nobis. 237. 1. D.

OSEAS.

Caput 2.

Uadam post amatores meos, qui dant panes mihi. 400. 1. C.

Caput 4.

Peccata populi mei comedunt. 134. 1. D

Fornicatio, & ebrietas auferunt cor. 387. 2. C

Sanguis sanguinem tetigit. 502. 2. D

Caput 7.

In populo ipse commiscebatur. 363. 1. D.

Caput 11.

Sicut mare transit pertransijt rex Israél. 421.

AMOS. (2. D.

Caput 3.

Mittam famem in terram. 69. 2. B.

NAHVM.

Caput 11.

Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum. 188. 2. A.

SOPHONIAS.

Caput 2.

Congregamini gens non amabilis. 108. 1. A.

MALACHIAS.

Caput 1.

Si ego Dominus vbi est honor meꝰ. 369. 2. C.

Caput 4.

Orietur vobis nomen meum, sol iustitiæ. 499. 2 B.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆVS.

Caput 1.

Jte, & interrogate diligenter de puero. 490.

Caput 4. (2. D.

Dic vt lapides isti fiant panes. 170. 1. A. & 181. 1. C.

Si Filius Dei es mitte te deorsum. 181. 1. C.

Caput 5.

Si Sal euanuerit, in quo salietur. 97. 2. D.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum. 99. 1. A.

Caput 6.

Egressus inde Iesvs, abijt in terrã suã. 233. 1. D.

Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. 301. 2. D

Caput 8.

Quid nobis, & tibi Fili Dei. 73. 2. D.

Domine puer meus iacet in Domo paralyticus. 75. 1. C.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. 237. 1. A.

Motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur. 213. 1. D.

Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 450. 1. B.

Caput 9.

Confide fili remittuntur tibi peccata tua. 396. 2. D.

Puella non est mortua, sed dormit. 498. 2. C.

Caput 15.

Miserere mihi Domine fili Dauid. 165. 1. D.

Caput 16.

De die illo, & hora, nemo scit. 315. 1. C.

Caput 19.

Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos. 353. 1. C.

Caput 20.

Non est meum dare vobis. 383. 1. C.

Caput 21.

Dicite, quia his opus habet Dominꝰ. 487. 2. B.

Caput 22.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. 109. 2. D. & 111, 1. D.

Si filius Dei est descendat de cruce, & credemus in eum. 365. 1. C.

Caput 23.

Super cathedram Moysis sederunt scribæ. 481. 2. C.

Caput 24.

In nouissimis diebus abundabit iniquitas multorum. 52. 2. B.

Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. 515. 2. A.

Tunc plangent omnes tribus terræ. 515. 2. C

Caput 25.

Sicut in diebus Nòé, ita erit aduentus filij hominis. 505. 2. D.

Caput 26.

Hic est calix sanguinis mei. 107. 2. B.

Dormite iam & requiescite. 209. 1. C.

LVCAS.

Caput 1.

Cui non possint resistere omnes aduersarij eius. 68. 2. C.

Caput 2.

Inuenerunt eum in templo. 497. 1. B.

Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.

Caput 5. 496. 2. B.

Exi à me Domine, quia peccator sum. 77. 2. D.

In verbo autem tuo laxabo rete. 185. 2. D.

Caput 6.

Et erat pernoctans in oratione Dei. 227. 2. D

Caput 7.

Neminem concuciatis, & contenti estote stipendijs vestris. 94. 1. A.

Et hæc vidua erat. 307. 1. D.

Tetigit loculum, hi autem quì portabant, steterunt. 326. 1. D.

Caput 8.

Crede tantùm, & salua eris. 377. 2. D.

Caput 12.

Attendite à fermento Phariseorum. 101. 2. D.

Quid faciam, quia non habeo, quò congregẽ fructus meos. 303. 2. C.

Stulte hac nocte reperent animam tuam à te. 304. 2. B.

Caput 13.

Multi quærent intrare per angustam portam. (3. 1. D

Caput 14.

Et cæperunt omnes simul excusare. 7. 2. B.

Licet ne Sabbatho curare. 353. 2. C.

Caput 15.

Congratulamini mihi, quia inueni drachmã, quam perdideram. 26. 2. B.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam. 43. 1. C.

Omnia mea tua sunt. 171. 1. C.

Caput 16.

Pater Abraham mitte Lazarum. 38. 2. C.

Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis. (290. 1. A.

Caput 17.

Erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. 194. 1. B.

Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriã Deo. 260. 1. B.

Caput 18.

Oblatus est ei vnus qui debebat decem millia. (465. 1. B.

Caput 19.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum. 76. 1. D.

Negotiamini donec veniam. 173. 2. C.

Caput 21.

Et capillus de capite vestro non peribit. 235. (1. C.

Caput 24.

Nonne sic oportuit pati Christum. 465. 1. B.

JOANNES.

Caput 2.

Nondum venit hora mea. 9. 1. B.

Nummulariorum effudit æs. 297. 2. C.

Caput 6.

Dixit ad Philippum, vnde ememus panes. (427. 2. C.

Caput 7.

Nunquam sic locutus est homo. 58. 1. B.

Caput 8.

Et desideria eius vultis perficere. 421. 1. B.

Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. 478. 1. C.

Caput 9.

Et si quis mortuus fuerit, viuet in æternum. 325. 1. D.

Caput 10.

Fiet vnum ouile, & vnus pastor. 481. 1. D.

Caput 11.

Infirmitas hæc non est ad mortem. 402. 2. B.

Caput 13.

Omnia dedit ei pater in manus. 226. 1. D.

Caput 14.

Vado, & venio ad vos. 513. 1. D.

Caput 15.

Vos amici mei estis. 292. 1. C.

Caput 17.

Noli scribere Rex Iudæorum. 489. 2. D.

Caput 18.

Mulier nemo te condemnauit, nec ego te condemnabo. 18. 2. D.

Caput 20.

Si tu sustulisti eum, dicito mihi. 373. 2 D.

ACTVS APOSTOLORVM.

Caput 4.

Erat autem credentium cor vnum, atq; anima vna. 59. 1. A.
Caput 5.
Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. 483. 1. A.
Caput 9.
Saule Saule quid me persequeris. 68. 1. B.
Domine quid me vis facere. 403. 2. A.
Caput 10.
Surge, & ego ipse homo sum. 196. 2. D.
Accersi Simonem quendam. 481. 2. D.
Caput 13.
Inueni Dauid virum secundùm cor meum.
Caput 20. 273. 2. B
Necessitatibus meis, & eorum qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. 470. 2. B.

EPISTOLA AD ROMANOS.
Caput 3.
Contritio & infelicitas in vijs eorum. 51. 1. B.
Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. 301. 1. D.
Caput 8.
Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. 515. 2. C.
Caput 19.
Plenitudo legis est dilectio. 105. 1. C.
Caput 12.
Date locum iræ. 88. 2. D.

AD CORINTHIOS I.
Caput 2.
Neq; oculꝰ vidit, neq; auris audiuit. 380. 2. B
Reus erit corporis, & sanguinis Domini. 409.
Caput 9.
Castigo corpus meum & in seruitutem redigo. 178. 2. D
Caput 10.
Per omnia omnibus placeo. 278. 2. D.
Caput 15.
Quotidie morior. 107. 1. D.
Oportet autem illum regnare. 296. 2. A.

AD CORINTHIOS II.
Caput 11.
Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 416. 2. C.
Caput 12.
Datus est mihi stimulus carnis. 399. 1. D.

AD GALATAS.
Caput 2.
Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.
Caput 3. (409. 1. A.
Tanta passi estis sine causa. 62. 1. B.
Caput 4.
Dies obseruatis, & menses, & annos, & tempora. 342. 2. D.
Caput 6.
Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 15. 2. D.

AD EPHESIOS.
Caput 5.
Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. 47. 2. B.

AD PHILIPPENSES.
Caput 2.
Vt in nomine IESV omne genu flectatur. 369.

AD COLOSSENSES. (1 C.
Caput 3.
Non ad oculum seruientes. 339. 1. B.

AD TIMOTHEVM I.
Caput 2.
Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus IESVS venit in hunc mundũ peccatores saluos facere. 29. 2. C.
Caput 6.
Inseruerunt se doloribus multis. 336. 2. D

AD HÆBRÆOS.
Caput 2.
Quia pueri commuuicarunt carni & sanguini
Caput 9. 9. 2. D.
Statutum est hominibus semel mori. 320. 1. D
Caput 11.
Fides est sperandarum substantia rerum. 146. 2. D. & 142. 2. C.
Caput 12.
Patres carnis nostræ eruditores habuimus.
Caput 14. 481. 2. A
Quousq; in te morabuntur cogitationes noxiæ. 385. 2. D.

PETRI I.
Caput 1.
In quem desiderãt Angeli prospicere. 381. 1. D
Caput 11.
Deum timete, Regem honorificate. 381. 1. D

APOCALYPSIS.
Caput 5.
Fecisti nos Deo nostro regnum. 186. 2. B.
Caput 4.
Ascendit fumus putei, & obscuratus est sol. 154. 1. A.
Caput 19.
Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem. 379. 1. D

IN-

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

ABõinatiões in tẽplo regna cuertũt. 190. 1. D.
Abrahæ stupendum sacrificium. 106. 2. D.
Achabo pœnitenti Deus ignouit. 22. 1. A.
Accidentia Eucharistica verè nutriũt. 185. 1 C
Adam mortem pro vita adamauit. 222. 1. D.
Adam significat terrenum. 386. 1. D.
Adam 13. die ab orbe condito, octaua suæ creationis peccauit. 221. 1. B.
Adæ primum peccatum gratiarum neglectus. 204. 2. D.
Adrianus Imperator aulicum fastuosum colaphizare iussit. 437. 1. D.
Ægrotis ante omnia medicina spiritualis adhibenda. 397. 2. D.
Ægrotus sanitatem pecuniâ redimit à medico. 248. 2. C.
Alexandri magni superbia. 312. 1. D.
Alphonsus rex virum nobilem ob luxum ad mortem damnat. 324. 2. C.
Aman quare suspensus. 189. 2. D
Amici inconstantes similes vernis auibus. 162. 1. D.
Amicitia omnibus bonis præponẽda. 170. 2. A
Amicitiæ icon. 164. 2. C.
Amicus verus à falso quomodò dignoscitur. 162. 1. D.
Amicus est medicamentum vitæ. 162. 1. D.
Amor duplex. 170. 1. D.
Amor aut pares accipit, aut facit. 340. 2. C.
Amor Christi maior in Eucharistia, quàm in Incarnatione. 9. 2. D.
Angeli nostros lapsus grauiter ferunt. 37. 2. A
Angeli hominum custodes ex quo ordine. 40. 2. B.
Angeli minimi quanta pulchritudo. 42. 1. B.
Angeli cur specie differunt. 450. 2. A
Angelorum officia ad hominum salutem destinata. 40. 2. D.
Angelus percutiens primo genitos Ægyptiorum, cur hebræis parcebat. 312. 1. A.
Apologus de aranea & podagra. 249. 1 D
Apostoli cur dubitabant 4. millia hominum à Christo reficì posse. 121. 1. D.
Apostolorum temporibus omnia omnibus erant communia. 58. 2. C.
Apostolorum sapientia mundi sapientiam expugnauit. 61. 1. D. & 249. 1. D
Aquatilia omnia homini subsunt. 56. 1. A.
Ara misericordiæ apud Athenienses. 114. 2 B
Ex Arca Domini quanta mala Azotijs euenerunt. 64. 2. A.
Arcadij Imperatoris palatium Angeli defendunt. 154. 2. C.
Argentum viuum auro firmiter adhæret. 163. 1. B.
Aries dimidio anni in vno latere, dimidio in altero dormit. 462. 1. A.
Arrius effusis visceribus interijt. 65. 1. A.
Aduersus Arrij hæresim miraculum. 438. 2. D
Astrologia medico necessaria. 226. 2. A.
Astutia Iudæorum in tollendo crucis titulo. 489. 2. D.
Auaritia omnium malorum causa. 59. 2. B.
Auaritia est currus infelix. 324. 1. C.
Auditus quomodò amittitur. 221. 1. D.
Auri quanta potentia. 282. 1. C.

B.

BAptismalis trina ablutio quid significet. 141. 1 D.
Baptismus necessitate medij & præcepti necessarius. 141. 1. D
Bathorei Regis pium factum. 324. 1. D.
Beatitudinis multiplex appellatio. 379. 1 B.
Benè operantibus multitudo Angelorum ministrat. 40. 1. C.
Bestiæ hominum sanguinẽ appetunt. 82. 2. C
Boleslai Chabri in Ecclesias liberalitas. 264. (2. C.
Bona opera sunt aureus hamus. 337. 2. B.

C.

CAini munus oblatum cur Deus non acceptauit. 106. 2. A
Calliopij constantia. 475. 2. D.
Cameli turbidâ aquâ delectantur. 348. 1. D.
Canis stupenda gratitudo. 264. 1. A.
Capitalis contributio exosa. 470. 2. A.
Carolus V. imperium se abdicasse doluit. 348 2. D.
Catulus Alexandri leonem & pardum enecauit. 61. 2. B.

Per Cæfarem intelligitur proximus. 485. 2. A
Cemetum Regem pomum perdidit. 156. 2. C
Character tria efficit. 489. 2. B.
Charitatem qui ſcindit, de conſortio eijci debet. 212. 1. B.
Chriſtiani frequenter mente Deo munera offerre debent. 107. 1. C.
Chriſtianus quid ſit. 474. 1. D.
Chriſti præſentia in ſacramento Euchariſtiæ deducitur. 182. 1. A.
Chriſti aduentûs finis. 27. 1. D.
Chriſti erga pauperes clementia 22. 1. C.
Chriſti gratia in peccatoribus fidem conſeruat. 144. 2. D.
Chriſto naſcente cur tres ſoles apparuerunt. 438. 2. C.
Chriſtus Sacramentum Euchariſtiæ cur in cæna inſtituit. 8. 1. C.
Chriſtus à medicina ſpirituali ſemper incipiebat. 225. 2. D.
Chriſtus cur ſuſpiciens in cœlum ingemuit. 233. 2. D.
Chriſtus non pro ſe, ſed pro nobis orauit. 228. 1. A.
Chriſtus moriens quare caput inclinauit. 11. (1. B.
Chriſtus de conuerſione peccatoris propter quatuor gaudet. 25. 2. D.
Chriſtus cur priùs fœminis apparuit. 34. 1. C.
Chriſtus Magdalenam in eius præſentia laudauit. 44 1. A.
Chriſtus conſilio, eloquentia, & arte imperatoria mundum ad ſe traxit. 68. 1. D.
Chriſtus cur ad ſanandum Cęturionis ſeruum ire voluit, ad filium reguli non. 75. 2 C.
Chriſtus pro quibus in cruce orauit. 355 2. A
Chriſtus ad ſanandos infirmos tripliciter deſcendit. 438. 1. D.
Ciuitas quatuor habere debet. 379. 1. D.
Communio ſacra cur inſitio dicta. 408. 2. C.
Confeſſarij conniuentia periculoſa. 467. 1. A
Confeſſionis pudor fictitius. 271 1. B.
Confidentia in Deo tutiſſimum aſyllum. 124. (2. B.
Conſilium triplex homini neceſſarium. 119. (1. A.
Conſultius eſt frequenter communicare. 128. (1. B.
Contritio non iuſtificat formaliter, ſed tantùm diſpoſitiuè. 196. 1. A.
Conuerſio S. Pauli à gratia efficaci proceſſit. 403. 2. B.
Conuiuia quæ licita, & quæ prohibita. 1. 2. B. (& 8. 1. C.
Creatura impeccabilis impoſſibilis eſt. 221. (1. D.
Crux ſancta eſt lignum vitæ 152. 1. D.
Cygnus eur à ſacrificijs reiectus. 94. 1. C.
Cygnus morti vicinus quare cãtat. 317. 1. A.

D.

DAgon præſente Arca de altari deijcitur. 356. 1. C.
Damonis & Pythiæ conſtãs amicitia. 163. 1. D.
Dei pulchritudo immenſa. 42. 1 D.
Deum quatuor de cauſis tenemur diligere. 357. 2. D
Deus efficaci auxilio non lædit libertatem hominis. 5. 1. D.
Deus vno oculo ad pœnam, altero ad miſericordiam reſpicit. 73. 1. B.
Deus cur inter mulierem & ſerpentem inimicitias poſuit. 91. 2. C.
Deus cur Euam è coſta ædificauit. 91. 2. C.
Deus plus præſtat, quàm rogatur. 113. 1. B.
Deus ad miſerendum promptiſſimus. 114. 1. D
Deus de punienda Sodoma Abrahamum conſuluit. 114. 2. D.
Deus ſuâ ſapientiâ omnia intuetur. 117. 2. C.
Deus humanis defectibus non ſtatim ſuccurrit. 121. 2. C.
Deus in defenſionem Suſannæ Danielem ſuſcitauit. 121. 1. D.
Deus milites fatigatos rore cœleſti refecit. 128. 1. A.
Deus dum punit, nomen Domini refugit. 127. (2. D.
Deus ſeipſum multiplicat, vt peccatores cõuertat. 130. 2. C.
Deus maxime vnitatem in hominibus appetit. 156. 1. D
Deus omnia homini ad vſum conceſſit. 173. (1. C.
Deus propter ſaluandum peccatorem, mouetur de ſua ſede. 222. 2. B.
Deus propter 10. iuſtos voluit Sodomitis parcere. 223. 1. D.
Deus cur ingratitudinem dicatur ignorare. 261. 2. B.
Deus precibus inceſſanter inuocandus eſt. 268. 2. D.
Deus eſt veruſtiſſimus, pulcherrimus, velociſſimus.
Deus triplicem coronam ſuis ſeruis imponit. 287. 1. B.
Deus permittit bonos affligi, & malos licentiosè viuere. 287. 2. D.

Deus ſoli homini ſuam amicitiam communicat. 292. 1. C.
Deus cur incarnatus. 310. 2. B
Et cur ſolus Dei filius. 312. 2. C
Deus cur Iſrà élitarum regnum non propagauit. 329. 2 D.
Deus quadruplici ratiõe dicitur nobis pater. 344. 1. B.
Deus cur poſt meridiem venit in paradiſum ad puniendum Adam. 458. 2. D.
Præceptum diligendi Deum quando obligat. 374. 2. D.
Dæmones ex ſuggeſtione Luciferi peccarũt. 421. 2. D.
Delicta in memoriam recurrentia timorem incutiunt. 77. 1. A.
Deſperationis peccatum grauiſſimũ. 124. 1. D
Detractoribus horrendum exẽplũ 205. 2. A.
Diaboli mille artes ad decipiendum hominẽ. 128. 2. A.
Dies futura inueſtigatur ex aureo annulo. 302. 1. C.
Diluuio inſtante nolebant homines ad pœnitentiam inclinari. 199. 2. C.
Dives in inferno cur Lazarum ad ſe mitti petijt. 38. 2. B.
Dives in inferno Lazarum habere voluit ſocium. 39. 1. D.
Diuina prouidentia in neceſſitate non deeſt. 131. 2. B.
Diuitiæ tenaciter aſſeruatæ Reſpublicas perdunt. 176. 2. B.
Diuitiæ deturpant homines. 298. 1. A.
Diuitiæ non ſunt res veræ, ſed apparentes. 302. 2. D.
Diuitiarum locus eſt infernus. 303 1. C.
Dominatus plurium non eſt bonus. 469 1. A. (& 281. 2. C.
Dominium duplex. 285. 1. B.
Drachma quid ſignificet. 26. 2. C.
Dubitare de rebus fidei dupliciter contingit. 143. 2. D.
Ducis ſymbolum. 446. 2. C.

E.

EBrietas multa mala inducit. 391. 2. A.
Eccleſia ſancta filia Principis. 330. 2. D.
Eccleſia ſancta cur dicitur vidua. 307. 1. D.
Eccleſia ſancta curandis peccatoribus deſtinata. 253. 1. A.
Eccleſia ſancta quomodò Catholica, & hierarchica. 157. 2 D.
Eccleſia ſancta ex quadruplici fonte ſancta eſt 157. 1. D.
Eccleſiam opprimentes grauiter puniuntur. 60. 2. D.
Extra Eccleſiã nullũ opus meritoriũ. 62. 2. A.
Eccleſia Chriſti omnia regna mundi ſuperat. 416. 2. B.
In Eccleſia non licet comædias peragere. 189. 2. B.
Eccleſiaſticas dignitates ambire periculoſum 62. 2. B.
Eliæ Zelum Deus arguit. 74. 1. D.
S. Eligij ſtupenda virtus. 340. 1. C.
Epaminondas accuſatus quomoddò ſe defendit. 475. 1. D.
Euchariſtia cur dicitur cæna. 9. 2. A.
Euchariſtia tribus modis præſeruat à peccato mortali. 18. 1. B.
Euchariſtia cur ante pœnitentiam inſtituta. 108. 2. A.
In Euchariſtiæ ſacramento miracula facta. 412. 2. C.
Euchariſtiæ ſacramentum interdum confert primam gratiam. 17. 2. C.
Euchariſtiæ ſacramentum ſeptem bona confert. 17. 2. B.
Ex Euchariſtiæ ſacramento effectus in corpus Chriſti redundantes. 18. 2. A
Euchariſtiæ inſtituendæ motiuum. 10. 2. D
Per Euchariſtiæ ſacramentum, fit arctiſſima vnio cum Deo. 13. 1. C.
In ſacramento Euchariſtiæ cur velatum Chriſti corpus nobis datur. 14. 1. D.
In ſacramento Euchariſtiæ noſtri ſenſus falluntur. 15. 1. A.
Exactor publici tributi populo ſuſpectus. 300. (1. A.
Excuſatio à peccatis triplex. 30. 2. B.
Exemplum horrendum. 466. 2. D.

F.

FAmæ læſio grauior; quàm vitæ. 215. 1. A.
Fames duo continet. 381. 1. C.
Fames omnium malorum duriſſima. 115. 1. D
Fides duplex. 395. 1. D.
Fides Catholica in Polonia quando cæpit. 48. 1. B.
Fidei conſtantia inducit Deum ad diſſimulãda peccata. 145. 1. B.
Fidei deſcriptio. 146. 2. D.
Fidei potentia in tribus elucet. 392. 1. D.
Fidei efficaciam peccata impediunt. 393. 1. D
Fons prodigioſus. 493. 1. D
Formicarum prudentia. 226 2. D.
Fraterna correctio in omni ſtatu neceſſaria. 92. 1. A.

Fraternitas duplex. 93. 2. C.
Frugalitas in comitatu quanta olim. 276. 1. B.
Fundationes piæ supprimuntur. 59. 2. C.

G.

GAgates lapis venenum repellit. 339. 2. A
Gallus symbolum dispositionis requisitæ ad actionem bonam. 119. 1. C.
Gallus cur à sacrificijs relegatus. 180. 1. D.
Gallus cur cantauit, quando Petrus negauit Christum. 447. 1. B
Gentilium fides in rebus terrenis. 146. 2. A
Goliathi magnitudo, & apparatus bellicus. 208. 1. D.
Gratia distinguitur à charitate. 358. 2. D.
Gratus beneficiorum his temporibus rarus. 265. 1 D.

H.

HAlcione prolificante mare quiescit. 123. (1. A.
Hæretici fidem supernaturalem non habent. 143. 2 B.
Hæreticorum error circa Eucharistiam. 182. (1. C.
Apud Hebræos soli sacerdotes fœmoralibus vtebantur. 112. 1. A.
Heliodorus in templo Hierosolymitano acriter flagellatus. 454. 2. B.
Herba Chrysopole dicta verum aurum ab adulterino discernit. 498. 1. A.
Homo pullis pellicani similis. 26. 1. D.
Homo per gratiam fit imago Dei. 358. 1. A.
Homo cur Angelum custodem habet 27. 2 C
Homo ex 4. elementis constat, peccator ex 4. generibus peccatorum. 322. 1. A.
Homo in mundo secundus à Deo. 52. 1 C.
Homo ingratus multis peccatis obnoxius. 260. 2. B.
Homo est instrumentum diuinæ potentiæ. 122. 1. D.
Homo priuatus, & medicus, non æq; Principes accedunt. 256. 1. C.
Homo est planta paradisi Christi. 150. 1. D.
Unus idemq; homo, potest simul esse & Dominus, & Filius sui Patris. 364. 2. B.
Homini nasci, & renasci concessum est. 20. 1 C
Hominis descriptiones. 320. 2. C.
Hominis similitudo ad Deum in quo consistit. 477. 1. A
Contra hominem omnia pugnant. 321. 1. D.
Homine vili surgente in altum nihil asperius. 78. 2. B.
Homines gradatim ad perfectionem ducendi. 127. 1. C.
Homines qui diu vixerunt. 321. 2. C.
Honor duplex. 336. 1. D.
Humilitas triplex. 206 2 D.
Hyena mirabile animal. 161. 1. D.
Hypocrita bestialiter viuit. 162. 2. A.
Hypocritæ inconstantia 161. 2. D.

I.

IDololatria nulla fuit, vsq; ad diluuium. 462. 2. B.
IESVS non tardat succurrere. 137. 1. D.
In lege veteri triplicia præcepta erant. 140. (2. B.
Immisericordes in hac vita puniuntur. 304. (1. B.
Inanis gloria omnes homines inquietat. 337. (2. C.
Incarnatio Dei maximum ad pœnitentiam motiuum. 82. 1. C.
Incarnatio Angelis, & hominibus reuelata. 364. 1. C.
Incarnatio ad sananda peccata remedium. 386. 2. C
Infernus insatiabilis. 379. 2. C
In inimico quatuor sunt timenda. 145. 1. D.
Ionas cur à facie Domini fugit. 257. 2. C
Ira omnium malorum origo. 84. 2. C.
Ira aliquando laudabilis, & mater disciplinæ. 87. 2 C.
Ira duplex. 323. 1. D.
Iudas ex paruis peccatis ad proditionē Christi peruenit. 169. 2. C.
Iudæi à gentilibus veritatem discere debent. 77. 1. B.
Iudæi in Ægypto quid bibebant, quando aquæ in sanguinem conuersæ fuerant. 501. (2. B.
Iudæi reprobati. 139. 2. C.
Iudæi cur Christum existimabant fuisse Eliam. 265. 1. B.
In iudicio contra impium omnes creaturæ insurgent. 83. 1. A.
Iudicium vniuersale ad quid futurum. 178. 1 B
Iudicium vniuersale cur noctu peragetur. 178. (1. D.
Iudicia apud Iudæos cur in portis ciuitatum celebrata. 95. 1. C.
Iustificatio peccatoris à sola gratia Dei. 196. (1. C.
Iustificatio est mystica quædam creatio. 388. (1. A.
Iustificatio in tribus consistit. 388. 1. C
Iustificatio cur difficilior creatione. 388. 2. B
Iusti-

Iustificatio impij cur soli omnipotentiæ tribuitur. 389. 1. D
Iustitia Dei erga creaturas triplex. 464. 1. B.
Iustitia alijs virtutibus perfectior. 152. 1. B.
Iustitiæ quidditas in quo consistit. 102. 1 C.
Iustorum læta mors, impiorum tristis. 317. (1. C.
Iustorum morte mali terrentur. 431. 1. C.
Iuuenum præmatura mors vnde. 315. 2. D.

L.

LAconum conuiuia. 285. 2. D.
Lamech post occisum Cain, propter pœnitentiam à culpa immunis. 33. 1. D.
Latro in cruce ob humilitatem exauditus. 207. 1. C.
Latrōis in cruce oratio vnde efficax. 113. 2. D
Laudare seipsum periculosum. 196. 2. C.
Leo quàm gratus beneficij. 359. 1. D.
Leonem solus homo domare potest. 56. 1. C.
Lex pro infidelibus lata pernicioſa. 154. 2. D
Legis veteris cerimonialia euanuerunt. 141. (1. C
Ligni vitæ, & scientiæ fructus. 152. 1. D.
Lingua moriente homine prima moritur. 221. 1. A.
Lucernas parandi modus. 50. 2. A.
Luminis diuini à nostro differentia. 104. 1. D
Lupus cum oue nunquam conuenit 16. 2. B.
Lux cur per vocem Dei facta. 422. 1. D

M.

MAla dupliciter premunt hominem. 237. (2. C.
Manna solis iustis prebebat omne delectamētum. 409. 1. D.
Manasses idola in templo Dei posuit. 23. 2. C
Manasses maximus peccator exauditus à Deo. 23. 2. D.
Manichæus alium Deum putabat esse veteris testamenti, alium noui. 84. 1. A.
Marci Attilij reguli crudelissima mors. 166. (1. A.
Medicina speculatiua, & practica. 225. 2. A.
Medici symbolum. 502. 1. C.
Medici archetypus. 359. 2. D.
S. Michaël Lesum contra hostes animauit. 264. 2. A.
Miles Iulianus Iudæos in templum impellens occisus est. 193. 1. C.
Milites rapaces assimiliantur muribus. 65. (2. D.
Ministri veri quæ perfectio. 215. 2. D.
Miracula demonstrant Christi diuinitatem. 438. 2 C.
Miraculum ad comprobandum Trinitatis mysterium. 439. 1. C.
Misericordia inter diuina attributa excellit. 113. 1. A.
Misericordiæ præmium in extremo iudicio. 116. 1. A.
Modestia facile amittitur. 201. 1. D.
Modus operandi in homine duplex. 102. 2. A
Moguntinus Episcopus ob tyrannidem in pauperes à muribus consumptus. 66. 1. D.
Monstra tria. 284. 2. A.
Mors vitam hominis ab infantia insequitur. 307. 1. B
Mors quomodo à Christo interempta. 495. (2. A.
Mori præstat, quàm in honore periclitari. 335 1. B.
Mortui ad vitam reuocatio, captum humanum excedit. 491. 1. A.
Moysis mira pulchritudo. 338. 2. D.
Moysis facies cur cornuta. 16. 1. D.
Motus in fine velocior. 223. 1. D.
Mulier significat animam pœnitentem. 45. (2. C.
Mulier facile muneribus corrumpitur. 400. (2 A.
Uir non debet mulierem fingere 202. 2. A.
Mundus quo tempore conditus. 56. 2. A.
Mundus duplici fine conditus. 342. 1. C.
Qui mundo seruiunt miserè pereunt. 282. 2. B
Mures sunt numerosissimæ fæturæ. 65. 2. B.
Mustella basiliscum fugat. 287. 2. B.
Mysterium Trinitatis naturaliter cognosci non potest. 137. 2. D.

N.

Nazareis caput radare cur prohibitum. 477. 1. B.
Nominis diuini quanta virtus. 285. 1. D.

O.

OCcultare peccatum, est respuere salutem. 31. 1. B.
Offensa duplex in Deum committitur peccādo. 224. 1. D.
Operandi modus in agentibus duplex. 498. (1. D.
Oppressio subditorum multa mala inducit. 48. 1. D.
Orandi negligentia barbaris exercitus catholicos subijcit. 133. 2. D.
Orationis neglectus causa omnium malorum. 134. 1. D.

P.

PAntera odore animalia ad se trahit. 101. (2. B.
Panteræ industria in catulis de fouea educendis. 503. 1. D.
Paradisum quare ipse Deus plantauit. 148. (2. D.
Passionis Christi virtus sine sacramentis non applicatur. 21. 2 D.
Pœnitentia spiritualibus bonis ditat. 33. 2. C
Quod vulneratis medicina, id peccatoribus pœnitentia. 22 2. C.
Ex pœnitentia miracula. 35. 1. B.
Paulus Eremita ex facie cognoscebat homines. 37. 2. D.
Pauper felicior diuite. 174. 1. A.
Pauperes dimittentes iniurias diuitibus, plus eis dant; quàm ab ijsdem accipiunt. 111. (1. A.
Pauperes cur soli possessio Christi. 328. 1. A.
Peccati similitudo cum paralysi triplex. 389. (2. A.
Peccator caret operationibus intellectus. 225. 2. D.
Peccator per pœnitẽtiam fit nouus Angelus. 44. 1. C.
Peccatores cur dicuntur caro. 223. 1. A.
Peccatores Christi passione viuificantur. 26. (1. D.
Peccatum & intellectum, & voluntatem lædit. 387. 2. A.
Peccatum vnum est causa alterius. 210. 2. B.
Peccatum hominem insipientem facit. 117. (1. D.
Peccatum in spiritum S. quomodò irremissibile. 24. 2. C.
Philogonus gulosus. 324. 2. D.
Philosophi qui rectè vixerunt. 1, 5. 2. B.
Phœnix renascitur, & quomodò. 20. 1. A.
Polona Respublica accomodatur mulieri Euangelicæ. 47. 2. A.
Polonia Iudæos & Hæreticos fouens affligitur. 155. 1. B.
In Polonia frequens vestium mutatio. 322. (2. A
Poloniam propter hypocritas Deus punit. 100. 2. A.
Poloni moderni ab antiquis discrepant. 176. (2. C.
Poloni antiqui tempore Euangelij euaginatis gladijs stabant. 48. 1. A.
Polypus piscis cuiuslibet rei colorem assumit. 100. 1. C.

R E R V M

Popellus à muribus deuoratus. 66. 1. D.
Porta ad gloriam æternam cur angusta. 3. 1. D
Præceptum dilectionis Dei cur maximum. 357. 1. C.
Prædicatores Euangelici sunt columnæ Ecclesiæ. 129. 1. D.
Principes in Ecclesia nullum ius habent. 476. (2. A.
Principes pro fide zelosi à Deo præmiantur. 154. 2. A.
Primi parentes culpam in Deum reijciebant. 31. 1. D.
Prometheus ob ignem cælo surreptum, quomodo punitus. 337. 1. A.
Prouidentia Dei triplex. 287. 1. D.
Prouidentia diuina contra omnia mala remedium. 123. 2. A.
Puer oculos auiculis effodiens ad mortem damnatus. 315. 1. B.
Pullos corui Deus pascit. 123. 1. C.

R.

RAbbini Iudæorum præsentiam Christi in Eucharistia agnouerunt. 413. 1. D.
Rachel qua intentione idola Patri furata est. 301. 1. A.
Reges fidem promouentes à Deo exaltantur. 156. 1. A.
Reges vino amicos probant. 162. 2. A.
Respublica corpori similis. 177. 1. A.
Rex ab aulico in faciem cæsus. 437. 2. B.
Rhinoceros à virgine capitur. 207. 2. D.

S.

SAbbathi sanctificatio fugabat dæmones. 346. 1. D.
Sacerdotum longus habitus quid designat. 288. 2. C.
Sacrificiorum in veteri lege tria genera. 141. (1. A.
Salomon ad summam paupertatem deuenit. 50. 1. C.
Samaritanus charitatis argumentum.
Sancti propter Christum omnia deserebant. 59. 1. C.
Sapores in vniuersum decem sunt. 409. 2. D.
Sæuitia dæmonis in Iobum. 398. 1. D
Seculares spiritualium mores imitantur. 62. 2. B. & 98. 1. A.
Sennacherib blasphemus cur non occisus ab Angelo. 147. 1. D.
Seraphini ante thronum Dei stant, & simul volant. 187 2. C.
Serena moriens cur flet. 317. 1. B.

Serpens parias dictus aquilæ pullis insidiatur. 339. 1. D.
Serui virtus in Dominum. 331. 2. C.
Seruis Dei omnia obediunt. 286. 2. A.
Seruitus Dei in quatuor consistit. 290. 1. D.
Seruorum vsus à principio mundi non erat. 471. 1. D.
Sexcenta virorum millia à fœminis cæsa. 33. (2. D.
Socratis patientia. 224. 1. D.
In loco Sodomæ poma exteriùs pulchra, intus vacua, & fœtida. 100. 1. A.
Sol dani acominosum responsum. 286. 1. B.
Spinæ ex peccato ortæ. 401. 2. A.
Spirituales cur auari. 60. 1. C.
Spoliatorum Ecclesiæ grauis pœna. 60, 2, B.
Statuæ Nabuchodõosoris explicatio. 134. 2. C
Statui spirituali summæ necessaria concordia. 87. 2. C.
Stella Magis apparens an fuerit vera. 232 1 B.
Summus Sacerdos Synagogæ cur nomen Dei in fronte gestabat. 385. 1. C.
Suspicio etiam leuissima nocet. (230. 1. B.

T.

TAlentum vnum sexcentos coronatos valet. 465. 2. A.
Templum Hierosolymitanum cur non permissum reædificari. 193. 2. B.
Tempus æstatis venationi aptum. 55. 1 D.
Terrena bona cur caduca. 305. 1. B.
Thesaurarij cur stomacho similes. 177. 1. D.
Titulus crucis Christi ad denigrandam famã eius affixus. 230 2. C.
Torpedo piscis manum piscatoris inficit. 60. (1 D.
Transitus maris confertur cum baptismo. 142. 1. C.
Triduo Christum sequi quid sit. 137. 2. D. & 141. 1. D. & 143. 2 B.
Trinitas personarum sine essentia diuina à Beatis videri non potest. 2. 2. A.
Trinitatis imago in homine imperfecta. 138. (2. C.
Tripos aurea à piscatore inuenta. 117. 2. B.
Turba cur ad audiendum IESVM festinauit. 57. 2. D. & 68. 1. D.
Tyrannis nimia causa tenebrarum in Ægypto. 47. 1. D.

V.

VAna gloria ex ipsis virtutibus nascitur. 338. 2. B.
Vanæ gloriæ hierogliphycon. 338. 1. C.
Venceslaus tolerans Hæreticos, vitam, & regnum amisit. 155. 1. D.
In verbo Dei tota spes, & conseruatio populi. 70. 1. C.
Verbum Dei melius, quàm cibus sustentat hominem. 125. 1. A.
Vestimenta Christi in quatuor partes diuisa. 10. 1. D.
Vestium varietas vnde. 322. 2. D.
In via quæ ducit ad vitam cur facile homines aberrant. 242. 1. B.
Victoriæ Principum ex oratione Dei seruorũ proueniunt. 133. 1. C.
Viduæ pauperi Deus oleum multiplicauit. 123 2. D.
Ad præsentiam B. Virginis infans exultauit in vtero Elizabet. 325. 2. D.
Etiam inter viros sanctos contentiones ortæ. 98. 1. B.
Virtutis quanta præstantia. 334. 2. C.
Uirtus Arcæ ex tabulis legis. 356. 1. D.
Virtus virginitatis magnetica. 425. 1. C.
Vita humana rosæ similis. 314. 1. B.
Singulis vitijs singuli præsunt dæmones. 145. (2. A.
Vladimirus Christianam fidem suscepit. 203. (2. D.
Vmbra Christi turbam in deserto protegebat.
Vnitas Ecclesiæ cum Deo duplex. 157. 1. A.
Ad vocem quatuor instrumenta requiruntur. 237. 1. A.
Voluntas humana dupliciter ad bona opera necessitari potest. 4. 2. C.

X.

XErxis ingratitudo. 261. 1. D.

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Volutaat,	*pro*	volutant.	398.	1. D.	*v. antepenult.*	
à Dei,	*pro*	à Deo.	393.	1. C.	*v.* 7.	
grauitaſem,	*pro*	grauitatem.	392.	1. D.	*v.* 6.	
cerba paralyſis,	*pro*	acerba.	391.	2. D.	*v. penult.*	
preximi,	*pro*	proximi.	376.	1. A.	*v.* 11.	
comparam,	*pro*	comparatam.	354.	1. A.	*v.* 11.	
pœpæ,	*pro*	pœnæ.	346.	2. B.	*v.* 22.	
Et peulò poſt,	*pro*	paulò.	332.	1. A.	*v.* 6.	
Abſcondita eſt,	*pro*	ſunt.	16.	1. B.		
o auperes,	*pro*	pauperes.	328.	1. A.	*v.* 6.	
vt ſolum ipſum,	*pro*	ſolem.	154.	1. A.	*v.* 11.	
veritates, ſeu nihilum,	pro	vanitates.	169.	2. D.		
ſerræ.	*pro*	ferre	188.	1. A.	*v.* 3.	
teſtes Saluiano,	*pro*	teſte.	191.	1. A.	*v.* 3.	
cœleſtum,	*pro*	cœleſtium.	202.	2. C.	*v.* 28.	
buam,	*pro*	quam.	206.	1. C.	*v.* 28.	
Dæmoæ,	*pro*	Dæmone.	217.	1. D.		
præcæperat,	*pro*	præceperat.	233.	1. A.	*v.* 9.	
ahibuit,	*pro*	adhibuit	257.	2. A.		
ſilicet,	*pro*	ſcilicet.	295.	1. C.	*in curſum.*	
cunctatiùs,	*pro*	cunctantiùs.	299.	1. A.	*v.* 3.	
perentum,	*pro*	parentum.	36.	1. A.	*v.* 8.	
pon,	*pro*	non,	ibidem		*v.* 5.	
exmiarent,	*pro*	examinarent.	408.	1. B.	*v.* 19.	
veni,	*pro*	vini,	413.	2. C.	*v.* 30.	
maieſtai,	*pro*	maieſtati.	420.	1. B.	*v.* 4.	
frueretuti,	*pro*	frueretur.	425.	1. D.	*v.* 5.	
eumbuem,	*pro*	eundem.	447.	2. A.	*v.* 11.	
cenoitauerat,	*pro*	conceitauerat.	470.	1. A.	*v.* 5.	

FINIS.

Bibl. Jag.